
S. Matthæus.




SANCTA TRINITAS.



S. Marcus.



S. Maria.



Ioannes Bapt.



OPVSCVLA

QVAEDAM REVERENDISS. in CHRISTO Patris ac Domini D. IOANNIS FABRI Episcopi Viennensis, &c.

QVORVM CATALOGVS in proxima habetur pagina.

PSALM. LXVIII.

ZELVS domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Rex Dauid.



Esaias Prophe.



LIPSIAE,
In officina NICOLAI VVOLRAB.
AN. M. D. XXXVII.

Cum GRATIA & Priuilegio Maiestatis Reg.

S. Petrus.





S. Paulus.



S. Lucas.





S. Ioannes.



Gloria in Excelsis Deo.

CATALOGVS OPVSCVLORVM D. IO. FABRI Episcopi Viennensis quæ in hoc habentur uolumine.

SERENISS. AC INVICTISS. PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO FERDINANDO Romanorum Vngeriæq; & Bohemiæ &c. Regi, Archiduci Austriæ, Infanti Hispaniæ, Duci Burgundiæ, Carinthiæ &c. Domino suo omnium clementiss. IOANNES Cochlæus

S. P. D.



SERENISS. REX, INVICTISS. PRINCEPS, HEROS nobiliss. pariter atq; laudatiss. ac Domine omnium clementiss. Etsi non ignoro, Augustiss. Maiestatem tuam multo grauioribus magisq; arduis & Reipub. negocijs & bellorum curis nunc occupatam atq; intentam, q̃ ut nostris de fide libris aut disputationibus oportune queat ullas impartiri horas: Tua tñ fretus ingenita Clementia & auita erga studiosos benignitate, rursus nuncupandi audaciam subeo, quemadmodum & ante triennium feci, quando eidem Maiestati tuæ dedicaui sex libros Innocentij Papæ III. de sacro altaris mysterio, qui antea per typographiam æditi nunquam fuerant. Nunc certe maiori cum spe ueniæ audeo & accedo, q̄ eius uiri opuscula quædam nuncupo & exhibeo, qui Maiestati T. ut fide ac doctrina probatissimus est, ita et diuturnis obsequijs suis merito charissimus habetur. Habet quidem M. T. multos præclaros in aula Regia uiros, autoritate, consilio, doctrina, fide, pietate, eloquentia ac multijuga rerum experientia præpollentes: Verum in ijs paucos esse arbitror, qui tot annis, atq; etiam lustris, Maiestati T. ad omnis generis obsequia deuote præstanda, summa fidelitate atq; assiduitate ad manum præsto fuerint, quot affuit sine omni offensa, integra cum laude ac fide, Reuerendiss. in CHRISTO pater ac dominus, D. IOANNES FABER, Episcopus Viennēsis & Coadiutor Nouę ciuitatis in Austria, Maiestatis T. Consiliarius, Regiusq; confessor. Qui nullum fidelis Consiliarij officium prętermisit, nullum subterfugit laborem, nullum recusauit periculum, quantumuis molesta aut longinqua sibi iniuncta fungēdum esset Legatione, etiam transmarina. Neq; tamen inter eiusmodi aulæ officia ac Reipub. negocia, Episcopalia neglexit aut omisit munia, sed talem interim egit ac præstitit Episcopum, qualem ad Titum scribens desyderat Apostolus, nempe DEI dispensatorem sine crimine, non superbum, non iracundum, non uinolentum, nō percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, qui potēs sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicūt arguere. Certe q̃ fidelis fuerit ac sit hic minister CHRISTI ac dispensator mysteriorum DEI, non solum in sacrificando, confirmando, ordinando atq; cōsecrando, uerumetiam

 in docen-

in docendo populos, arguẽdoq; errantes in fide, argumento sunt haud obscuro aut incerto, tot eius conciones sacræ, quas diuersis in locis tuam secutus Curiã, etiam in publicis sacri Rom. Imperij Conuẽtibus, publice in Ecclesijs habuit, Tum uero præcipue Sermones illi, quos Viennæ nõ solum ad plebem urbanam, uerũetiam ad milites in præsidio urbis magno numero constitutos, fortiter atq; constanter, sub aduentu Turcarum (qui eam urbem grauissime & obsederũt & oppugnarunt frustra) deprædicauit intrepidus, uelut pastor bonus, qui iuxta doctrinam CHRISTI, uellet ponere animam suam pro ouibus suis. Quam acriter uero redarguerit interim errantes in fide & doctrina, nemo non intelligit, qui multa & uaria huius uiri perlegit opuscula. Cui enim hæresi non obstitit? Cui sectæ pepercit? Cuius hæretici, quãtumuis docti, facũdi aut acuti faciem aut congressum subterfugit? Certe non tacuit Luthero, nouarum sectarum fonti, non Zuinglio, non Oecolampadio, non Balthassaro alijsq; sacramentarijs et Anabaptistis. Omnibus in uniuersum reproborum dogmatum assertoribus, & Catholicæ Ecclesiæ aduersarijs (Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini & id genus aliorum Ecclesiæ doctorum exemplo) uiriliter sese opposuit, hodieq; inuictus labore ac imperterritus periculo se opponit, Ne sors sua sit inter eos, quos Dominus per Ezechielem prophetam increpat, dicens: Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die dominĩ, Et rursus per Esaiam, ubi uocat eos canes mutos, non ualentes latrare. Quoniã uero multa ex opusculis eius neglectius impressa uideãtur, bonam ex ijs partem in unum collegi uolumen, quod sacrosanctæ Maiestati T. suppliciter ac deuote nũc offero ac dedico, gemina præcipue ductus ratione: Tum ut externarũ Nationum doctis uiris in Concilio (q̃d propediem futurũ speramus, cum iam pridẽ indictum sit) melius deseruiant, emendatius excusa: Tum uero, ut in unum corpus redacta, diutius permaneant, minusq; intercidant. Virtus enim unita fortior est seipsa dispersa. Quod si qua ex ijs uidebũtur forsitan Momis nasutis & Criticis seuerioribus negligentius elucubrata, hos admonitos atq; rogatos uelim, ut ex bono & æquo benignius iudicent, atq; consyderent, quantis sit uir iste quotidie implicitus, obstrictus, ac pene obrutus negocijs atq; occupationibus, publicis, priuatis, Ecclesiasticis & sæcularibus, ut non possit suis lucubrationibus tranquille ullas impendere aut concedere horas, Adeo multum temporis impartiendum est Aulicis negocijs publicisq; Consilijs & Maiestatis T. sacris, quibus ordinarie interesse quotidie solet. Nec paucas requirunt horas tum amicorum literæ ex diuersis & longinquis partibus missæ q̃ plurimæ, quibus perlectis respondendum est, tum afflictorum, præcipue uero Ecclesiasticorum supplicationes atq; necessitates, quibus succurrendum est, Vt interim taceam de horis Canonicis deq; studio priuato in Græcis & Hebraicis literis. Opusculis itaq; suis non potest nisi raptim ac furtim succisiuas impartiri horas. Quare æquum est, ut si quis neuus in ijs reperiatur, tantis uiri

occupatio-

occupationibus benigne condonetur. Id quod sacratiss. Maiestas T. pro culdubio uel absque monitore faciet ultro. Ipsa enim probe nouit, uera esse quæ hic scribo. Rogo igitur & obsecro, ut hanc meam operam atque obseruantiam eadem Maiestas T. clementissime in bonam partem accipiat. Cui & meam ipsius paruitatem humilime commendo ac dedo. MISNAE III. Nonas Augusti. M. D. XXXVII.

BEATISSIMO IN

CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO PAVLO, huius nominis Papæ III. Sacrosanctæ sedis Apostolicæ, Romanæ, & uniuersalis Ecclesiæ pastori, ac Pontifici summo & maximo, IOAN. FABRI Episcopus Vien. precatur & optat gratiam, et uniuersalis Ecclesiæ pacem, ab eo qui erat, qui est, & qui uenturus est. FIAT FIAT.



DIVVS PAVLVS APOSTOLVS, MAGISTER ET DOCtor Gentium, uerba faciens ad maiores Ephesinæ Ecclesiæ, prædixit inter cætera, quod post suam discessionem, certo essent intraturi lupi rapaces, qui gregi non parcerent, Essent & futuri uiri loquentes peruersa. Propterea inuigilandũ illis esse, solicite admonuit & exhortatus est illos, his uerbis: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo. Crediderim ego sanctiss. Pater, in ouile CHRISTI, tot lupos rapaces nullo unquam sæculo irruisse, quemadmodum (proh dolor) his nostris tẽporibus, uere nouissimis, quotidie fieri uidemus, et malo nostro tot annis experti sumus. Nam ab Oriente Turcas imminere gregi CHRISTI, ac oues beatitudini uestræ creditas rapere, ac dilaniare, nemo est in Christiano orbe, qui ignoret: ab Aquilone autem, unde uenit omne malum, lupos omnium rapacissimos, hoc est, hæreticos irruisse, ac oues CHRISTI non chiliades, sed myriades dissipasse ac dispersisse. Sanctitas uestra iterum atque iterum à totidem pijs, & quibus CHRISTI religio cordi est fide dignis testibus intellexit atque quotidie experitur. Errant oues CHRISTI in montibus, errant in desertis, errant in uallibus sine pastore. Accedit his malis omnibus, quod inter principes Christianos lites & bella geruntur, omnium acerbissima acerrimaque. At inter hæc & tanta mala, nihil tam necessarium esse & fore uideo, quam quod beatitudo

Gal. 2.
Acto. 20.
Ioan. 10.
1. Timo. 4.
2. Timo. 3.
Hiere. 1.
Ezech. 34

Ioannis.10 titudo uestra boni pastoris officium exerceat, & ponat animam suam
1.Pet.1. pro ouibus suis, ac ab irruentibus lupis, gregem CHRISTI non auro, non argento, neque lapidibus preciosis, sed preciosissimo sanguine redemptum tueatur, uindicet, defendat ac liberet. Nam non frustra princeps
Ioannis 21 pastorum Petro ter mandauit, ut pasceret nõ modo oues, sed & agnos. Non autem simplicem illi pascendi modum atque prouinciam, id est, ut ille duntaxat ad pascua duceret, præscripsit & iniunxit, sed etiam ut regeret. Nam apud Ioannem, cuius Euangelium græce scriptum est, legitur de agnis pascendis pręcepisse dominum, ac dixisse: βόσκε τὰ ἀρνία μου, id est, Pasce agnos meos. Quo mandato uoluit CHRISTVS, ut Petrus pasceret agnos, innocentes quidem paruulos, & qui lacte opus haberent, Cathecuminos quidem & in fide neophytos. Cæterum subiunxit, & de gubernandis ouibus cum quadam autoritate dixit: ποίμαινε τὰ πρόβατα μου, id est, rege, moderare, guberna oues meas. Postremo uero & tertio loco iussit & imperauit indolenti & contristato Petro, ut quemadmodum agnos pascere, & ad pascua ducendos esse mandauerit, ita etiam oues ad pascua duceret. Propterea dixit: βόσκε τὰ πρόβατα μου, id est, pasce oues meas. Et quemadmodum apud Hebręos etiam reges (quales erant Dauid, Cyrus, & reliqui principes multi) pastores dicti sunt: ita & Græci regem, & ipsum Agamemnonem uocant ποιμένα λαῶν id est, regem populorum, ποιμαίνειν autem idem esse quod regere, etiam aliæ sacrę scripturę do
Matthæ.4 cent. Ex Michęa siquidem & in Euangelio Matth. legimus: Et tu Beth
Michæ.5. lehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, Ex te enim exibit ἡγούμενος ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, id est, Dux qui regat aut gubernatu
Acto.20. rus sit populum meum Israël. Et Paulus Ephesijs loquens, dicit: Episcopos positos esse, ut ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, id est, ad regẽdum & gubernandum ecclesiam DEI. Ex hoc itaque ad Petrum, ueluti principem
De pascendis ouibus apostolorum, repetito præcepto, manifestum est, Beatitudinis uestrę officium esse, ut non modo ad caulas, ad meliora & pinguiora pascua ducat oues, beatitudini uestræ creditas: sed & ut easdem regat, Et si quę sint errantes in deserto per inuia & in aquosa loca, etiam per abrupta monti
Matth. 18. um & pręcipitio proximæ, ut eas imponat humeris suis, & ad reliquum
Ezech. 34 nonaginta nouem ouium gregem reportet, Ne illud Ezechielis beatitudinem uestram, & eos qui sub illa pastores reliqui sunt, olim & in extremo iudicio audire oporteat: Hæc dicit dominus DEVS: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastore pascuntur? Ecce lac comedebatis, & lanis operiebamini. Et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit nõ consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Et dispersę sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor, & factæ sunt in deuorationẽ omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerso colle excelso. Et super omnem faciem terræ dispersi sunt

ſperſi ſunt greges mei. Et non erat qui requireret, & nõ erat inquam qui requireret. Propterea paſtores audite uerbum domini: Viuo ego dicit dominus DEVS. Quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, et oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò ꝙ paſtor non eſſet, Neqꝫ enim quæſierunt paſtores gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, et greges meos non paſcebant, Propterea paſtores audite uerbum domini. Hæc dicit dominus DEVS: Ecce ego ipſe ſuper paſtores et requiram gregem meũ de manu eorum, et ceſſare eos faciam, ut ultra non paſcant gregem meum, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam. Quia hæc dicit dominus DEVS: Ecce ego ipſe requiram oues meas, & uiſitabo eas. Sicut uiſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum, ſic uiſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant, in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſraël, in riuis & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcã eas, & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum, Ibi requieſcent in herbis uirentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſraël. Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit dominus DEVS. Quod perierat requiram, et quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod forte & pingue cuſtodiam, & paſcam illas in iudicio. Vos autem greges mei, hæc dicit dominus DEVS: Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Diſperſas itaqꝫ & diſſipatas oues uiſitare & congregare neceſſe erit. Niſi ſanctitas ueſtra, mercenarius, q̃diu perſtiterit orbis, ab optimis quibuſqꝫ predicari, & haberi uelit. Qui quum lupum uenientem uidet, formidinis cauſſa præpropere fugiat, quaſi ad eum de ouibus nihil pertineat. Sed abſit hoc procul a CHRISTI uicario, et ſucceſſore Petri, Summo ſcilicet & tanto pontifice & paſtore, ex Romana gente nobiliſſima nato, latine & græce doctiſſimo, & per omnia religioni Chriſtianæ fauenti & addicto, committere hoc, ut diſſipatas CHRISTI oues non tandem colligat, non reducat, & reuocet in ouile ſuum, & ex hircis ac arietibus, propter peſſimum hęreſeωͣ fœtorẽ male olentibus, oues & agnos manſuetos facere nõ tentet, & curet. Atqui in unum ac priſtinam ſeu ueterem unitatem, oues CHRISTI in tot hæreſes, abuſiones, ſectas, ſchiſmata, diſſidia, ſeditiones, rebelliones, mutua odia, tumultus, lites, & bella diſiectas, diſſipatas & diſperſas, ſupremus ille paſtor, id eſt, S. V. nunquã reſtituet & congregabit, niſi paſtores reliquos & qui ſub eo, ac inferiores ſunt (Nam in Eccleſia poſuit DEVS quoſdam Apoſtolos, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam Prophetas, & quoſdam paſtores & doctores) in Oecumenico uel uniuerſali concilio ſecum congregatos habeat. Sed multis inſtitutum hoc de uere, legitime, & libere celebrando Concilio, utcunqꝫ opus diuinum uere habeatur ac ſit, graue eſſe & ex animo diſpli

Ioan. 10.

Ephe. 5. 1. Cor. 12.

 cerenon

cere non ignoro. At quæcunq; & qualiacunq; hæc sint, q̃ dicuntur quo minus celebretur Concilium, pſtigia sunt Satanæ. Satanę enim hoc commune & inditum eſt, ut quocunq; uel tempore uel loco uiderit aut ſenſerit uel cogitari uel fieri bonum, tortuoſe ſe quaſi alter Proteus transfiguret & transformet in angelum lucis, et bonum ſemel cœptum fœliciter & perſeueranter progredi non patiatur. Inde Satanæ, id eſt, calumniatoris, aduerſarij ac impedientis, apud Hebræos nomen eſt illi. Sic impedi-
Geneſis 3. ebat obedientiam, qua primi parentes in paradyſo uiuebant, ubi callidi
Roma. 5. Iob. 2. ſerpẽtis formam induerat. Sic cum tempore Iob, ſimplicis, recti et timentis DEVM uiri, cui etiam non erat ſimilis in terra, quadã die conueniſſent filij DEI, ut aſſiſterent coram domino, affuit etiam inter eos ſatan. Sic ie-
Matthę. 4. iunantem in deſerto CHRISTVM, Satan tentat. Et in hac re tam ſancta, tam pia & ſupra modum catholica, diabolus, aduerſarius noſter tanquã
1. Petri. 5. leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, omnibus modis, uijs, conati-
Gene. 3. bus, per ambages & cuniculos, ueluti tortuoſus olim ille ſerpens, cũctis animantibus callidior, tentat impedire, quod iam a Põtifice Opt. Max. & a ſancto Reuerendiſſ. dominorum Cardinalium cœtu ſemel publicatum & indictum eſt Concilium. Eſt autem Concilium hoc unum emplaſtrum, hoc unum remedium, quo rugæ, maculæ, uulnera & cicatrices eccleſiæ inflicta, ſanari & priſtinæ ſanitati reſtitui poterunt. Et nunquid
Hierem. 8. non eſt reſina in Galaad? Et medicus non eſt ibi? Non eſt Samaritanus
Lucæ. 10. aliquis, qui leuet tam grauiter, inter Hieruſalem & Hierichonta, uulneratum a latronibus? Cui non ſuppetat oleum & uinum infundere, & ſtabulario ut curam uulnerati habeat & gerat, numerare denariũ? Quid dicam? Hac una uia uniuerſalis celebrati Concilij poterũt reconciliari & pacari Chriſtiani orbis principes & capita mundi, utcunq; in præſentiarum inter ſe diſſideant, et ad internitionem uſq; digladientur. Hoc uno deniq; medio a Mahumetanis lupis, terra mariq; ſine ulla miſericordia
1. Pet. 1. nec iuueni nec ſeni parcentibus, & tam dire ac inhumaniter oues preciosiſſi. ſanguine CHRISTI redemptas, graſſantibus, Chriſtianitatis reliquiæ poterunt ſaluari, recuperari ac liberari. Vt autem libere quod ſentio dicã: uidemus et fere irrecuperabili noſtro malo retroactis annis experti ſumus, ſermonem quorundam hæreticorum, inſtar hydræ illius fa
2. Timo. 2 buloſæ, & inſtar gangrænæ ſuccreuiſſe, & de die in diem ſerpſiſſe latius. Vno enim aliquando hęreſeos capite amputato, ſuccreuerũt ſeptem ca-
Lucæ. 11. pita, id eſt, dæmonia. Spiritus enim immundus plus ſemel & in aliquot locis eiectus perniciter & rapaciſſime tranſijt per loca deſerta, Et requiem non inueniens, aſſumpſit ad ſe ſeptem ſpiritus ſeſe multo nequiores, et ſubintrauit domum quam reliquerat ac poſſedit illam. Et facta ſunt nouiſſima locorum & hominum illorum, multo peiora prioribus. Cæterum, a gangręna contagioſo hoc morbo, uno infecto membro, totum corpus, id eſt, aliquando & ſæpe una tota uel prouincia uel ciuitas hęreſibus & erroribus infecta & ſeducta eſt, Sicut grex totus in agris unius ſcabie cadit, & porrigine porci, uuaq; conſpecta liuorem ducit ab uua,

Corrum-

Corrumpunt & bonos mores colloquia praua. Det & faxit DEUS, 1.Cor.15
ut his nouis hęresibus, nō sint infecta aliquot Christianitatis regna. Venerūt, ut uerum fatear, ab Aquilone infinita propemodum schismatum Hiere.1
& hæreseωn mala. Illic enim Lucifer cogitauit extollere solium suū & esse Esaiæ 14
similis altissimo. At si quis uel occidentem, uel meridiem, aut etiam magnam partem orientis spectet, contempletur, ac penitius intueatur: uix locum unum Christiani orbis inueniet, cui non aliqua & utinam nō magna ex parte placeant & arrideant nuper ab inferis ex Lutherismo resuscitatæ a nostris pseudoprophetis, hæreses. Nam illis quasi peculiare est, Esaiæ 30
ut mellita, placētia & supra omne mel dulcia ignobili uulgo prędicēt, & Psalm. 118
populum etiam sine bonis operibus uiuētem, beatum faciant & dicant, Esaiæ 5
Et ut consuant puluillos sub omni cubito manus, ac faciant ceruicalia Ezech. 13.
sub capita uniuersę ętatis, ad capiendas animas, Inde factum est, ut pseudoprophetæ nostrorum temporum reuera magistri mendaces, plebem 2.Petr.2
Germanicæ nationis magna ex parte ab obseruantia ueræ ac Catholicæ religionis auerterint & detraxerint. Hi enim sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt in desyderijs carnis luxuriæ eos qui paululum effugiūt. Qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, quum ipsi serui sint corruptionis, A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Cessarunt ieiunia, silent Ecclesię ab hymnis & can Heb.11
ticis, cum interea Iudæorum Synagoga nō taceat. Precantium genua so 1.Timo.2
luta sunt. Pauci sunt qui puras manus, dexteros oculos & capita leuent ad dominum. Quærunt omnes quæ sua sunt, non quæ CHRISTI, abun Philip.2
dat & pręualuit iniquitas, refrigiut multorum charitas, uiuitur ex raptu, Matth. 24
uiuitur & Epicureę. Et tot sunt hæreses fere, quot sunt in cœlo stellæ, & in mari harena, ac in arboribus folia. Non enim satis fuit nostris, nostrarum rerum nouatoribus, olim damnatas hæreses ab inferis reuocare, nisi etiam nouas & prius inauditas struerent, & uetera nouis cumularent. Inde factum est, ut iam non modo in una prouincia, in una ciuitate, sed ut plerunq; in una domo, & eadem ipsa conuiuantium mensa detur uidere, & audire ita inter se dissidentes nostrorum temporum hæreticos, ut etiam in minimo fidei articulo unanimiter conuenire non soleant, neque possint, talis ac tantus uertiginis spiritus, homines hos, qui sese semel intricauerunt, immiscuerunt, & immerserunt nouis & hisce perniciosis erroribus, agitat. Maiores nostri stabiles erant, et quasi Marpesia cautes firmi, Neq; instar arundinis uento in deserto agitatæ, nutabant in fide, aut religione Catholica. Audiebant uocem pastoris: Id quod sanctarum Ioan.10
est ouium. Cognouerunt uocem pastoris, & sequebantur eum. Nunc uero (proh dolor) errant in solitudine. Errant in inuio, errant a uia ueritatis. Sanam enim doctrinam audire detrectant. Errant quum sint 1.Timo.1
sine pastore, Nec solum errant in itineribus: sed & maximis dissidijs, 2.Timo.4
altercationibus, & etiam rixis diuisæ sunt, & dissident inter se oues Tit.2.
CHRISTI. Ortæ sunt, & oriuntur quotidie seditiones & rebelliones

omnium

omnium acerbissimæ. Homines mente corrupti sunt & abominabiles facti sunt. Declinauerunt fere omnes, & maxime qui ad sinistram & a
2.Timo.3. regia uia CHRISTI, & ueræ religionis declinauerunt, & inutiles facti
Psalm.13 sunt. Sepulchrũ patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt. Venenum aspidum sub labijs eorum. Os eorum maledictione, & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinẽ. Contritio & infoelicitas in uijs eorum. Viam pacis non cognouerunt. Non est timor DEI ante oculos eorum. Cum itaq; tot ac tam sæui & sine ullo
Galat.5 modo grassantes, perpetuoq; nõ modo deglubrantes, sed et iugulantes lupi rapaces, id est, schismata, scelus, contentio, hæreses, inimicitiæ, æmulationes, sectæ, iræ & rixæ & sexcenta id genus infernalium furiarum mala, inuaserint gregem dominicum: Paulus huius nominis papa tertius, supremus pastor orbis terrarum, sanctius, diuinius, aptius, & tam præsentaneum remedium non habet, quam id, quo olim Paulus ille, uocatus
Roman.1. Apostolus, seruus IESV CHRISTI, & segregatus in Euangelium DEI,
1.Cor.9 omnibus omnia factus, ut omẽs lucrifaceret, cui etiam & perinde ut Pau
2.Cor.7 lo nostrorum temporum tertio, intus timor & foris pugnæ erant &
2.Cor.12 imminebant, de tertio coelo rediens, usus est. Orta enim diui Pauli magistri gentium temporibus grauissima seditione in Antiochia Syriæ, propterea ꝙ quidam descendentes de Iudæa docebant, fratres, quia nisi circumcidamini, secundum ordinem & morem Mosi, non potestis saluari, Facta est propter hanc doctrinam seditio non minima Paulo & Bar
Galat.5 nabæ. Docuerat autem, & scripserat Paulus ad Galatas: Si circumcidamini, CHRISTVS uobis nihil proderit. Nihilominus passus est, & libenter subiuit laborem, ut iret ad Apostolos & seniores in Hierusalem, et ex Hierosolymitano concilio decretum acciperet. Congregabatur ibi congregatio Apostolorum & seniorum. Contendebant Pharisæi, oportere seruari circumcisionem & legem Mosi. Conuenerunt Simon Petrus, Iacobus ac alij, qui sub eo tempore Hierosolymis fuerũt Apostoli et seniores, uidere de uerbo hoc, id est, re et negocio circũcisionis. Fiebat & inter illos cõquisitio magna. Surgit Petrus Apostolorũ & princeps & os, & sententiam profert. Respondit Iacobus. Narrant Paulus et Barnabas quanta DEVS fecisset signa et prodigia in gẽtibus per Apostolos & seniores. Fit decretũ, fiunt literæ, decernuntur legati, qui literas & decreta Apostolorum perferrent Antiochiam. Defertur itaq; per literas, quid uisum fuerit spiritui sancto ac Apostolis. Congregata ergo multitudine, & lecta Epistola gauisi sunt fratres, super consolatione. Et qui Antiochiam missi fuerant legati, dimissi sunt cum bona pace a fratribus, ad eos qui miserant illos. En beatissime pater, quanta unius, et primi, primitiuæ Ecclesiæ Concilij uis, uirtus & efficacia fuerit, ut seditio quę Paulo & Barnabæ mota fuit, quum ex Attalia nauigassent Antiochiam, se
Acto.14 data est, Ita etiam, ut multitudo populi iam furientis et sęuiẽtes, turbasq; cogitantis, ex decreto concilij plurimũ gauisa & exhilarata fuerit, Nuncios in bona pace dimiserit, & ad Apostolos remiserit. Velim nolim fa

teri co-

ferri cogor, in salso mari huius præsentis mundi aut sęculi, magnus est motus, sæua orta tempestas. Parum abest quin nauicula Petri operiatur fluctibus. Periculum est, ne si non tota mergatur, saltem grãde aliquod patiatur naufragium, Tot undiq; fluctus, tot procellę & tanti uentorũ impetus circũquaq; illam agitant. Videtur et putatur in ea dormire CHRISTVS, At cum discipulis oportet suscitare saluatorem mundi, & clamare ad dominum, ac dicere: Domine, salua nos, perimus. Tunc in concilio, ubi cœperimus clamare ad dominum, ac dicere: Domine, salua nos, perimus, ilico & dubio procul surget CHRISTVS, dominus ac saluator noster, increpabit uentos, & imperabit mari, & toti tempestati, & fiet sine hæsitatione tranquillitas magna. Vbi enim duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, inquit ipse, ero in medio eorum. Nam qui est, et qui solus est, ipse, ex quo, in quo, et per quem sunt omnia, dixit & facta sunt, Et ipse mãdauit & creata sunt. Video hoc unum remedium & saluberrimum quidem, de celebrando Concilio prioribus & præteritis sæculis hoc effecisse: ut Arrij, Nestorij, Sabellij, Manichæi, Macedonij, Eunomij, Apollinaris, Pauli Samosateni, Antidicomaritanorum, Donati & Donatistarum, Heluidij & Pelagij, Celestij, Felicis, Viclephi, Ioan. de Vuesalia, & his similiũ hæreticorũ hæreses & errores, finẽ & Harpocratis silentium perpetuum acceperint. Et cũ quasi spongia abstersi fuerint (proh dolor) ut ueritatem ingenue fatear neq; cælem aliquid pro mea in DEVM atq; illius ueram religionem pietate, dico, multorum & diuersorum hæreticorũ illa portenta & monstra, quę sepulta iam multis retro actis sæculis fuerunt, iam istis & sine dubio nouissimis temporibus, a cathena soluto Satana, multo nocentiora & grauiora resuscitata & ab inferis reuocata esse. Nam, ut inter mille unum duntaxat in pręsentiarũ enumerem, & ob oculos ponam (studiose enim & data opera reliquam diuersarum hæreseωn fecem prętereo ac taceo) In Viclepho per concilium Constantiense damnatum est, quod ille mordicus & pertinaciter docebat, omnia ex absoluta necessitate euenire. Hanc impiam doctrinam quasi postliminio reduxit Lutherus, ab orthodoxa religiõe, a uoto monastico, a Germanica unitate & tranquillitate apostata, Iterum atq; iterũ urgens & inculcans nihil uerius esse aut dici posse, q̃ q; ex absoluta necessitate eueniant omnia. Imbiberunt passim per Germaniam hoc uenenum, & utinam non per alias etiam Italiæ nationes, & sane nõ pauci, qui etiam sibi sanctuli, & religiosuli, atq; non parum sapere uidentur. Et utinam non sit omnibus Lutheranis fere commune hoc, & iam semel imbibitum malum, quod sentiant neq; consilio neq; prudentia, neq; ulla disciplina in melius posse, uel regi uel gubernari, uerti & commutari caussas, & casus huius uitæ præsentis quæ nunc est: Imo ex absoluta necessita te euenire, & fato ineuitabili regi & fieri omnia, reuocantes stolidam, Stoicã dicere uolui, de fato opinionẽ et ineuitabilitatem. Factum est eo, ut iam quasi pedibus conculcata iaceãt bona opera, cessent precationes, Et quod omnium pessimum & maxime detestabile est, sunt qui cũ impijs Ma

Matthę. 8.
Lucæ. 8.
Matth. 18.
Exod. 3.
Rom. 11.
Psalm. 32.
Apoc. 20.

pijs Manichæis etiam si tandem deum aliquem esse credant & asserant,
eundem tñ deum mali autorem esse prædicant. Eo itidem factum est, &
utinã quotidie non deprehendatur, ut ἄθεοι, id est, sine deo homines red-
diti sint multi, quouis uel Iudæo uel Mahumetano aut etiam Ethnico
peiores. Sufficeret unus hic error, si tamen non sexcenti & infiniti prope
modum errores turbarent Ecclesiam & domum DEI. Vt iam sine ulla
deliberatione, cunctatione aut ulteriori dilatione debeat constitui, con-
uocari & in spiritu sancto congregari uniuersale Concilium. Quid enim
abominabilius, quid magis impium, q̃ audire insipientem & induratum
1. Reg. 25. Psal. 13. 52 illum Nabal, in corde suo dicentem, non est DEVS? Graue est hoc uul-
nus, & grande fidei Christianæ periculum, temere & mordicus predi-
cari et sustinere uelle, quod ex absoluta necessitate eueniant omĩa. Dispu
tata fuit hæc materia, reuera prægrandis, de ineuitabili scilicet fato, olim
inter philosophos. Discussam hanc esse scio aliquando etiam temporib.
nostris à theopneustis Theologis, quibus aliquando placuit philoso-
phiam naturalem, cum philosophia Christiana iungere, sociare & misce-
re. Potuissem & ego in eodem argumenti & disputationis genere uersa-
ri, ac aduersarios, absolutę necessitati omnia tribuentes conuincere: Sed
quia nõ ignoro, homines hosce, qui ore non tamen corde confitentur se
nosse DEVM, factis enim negãt, nihil probare, nihil receptu dignum uel
habere uel existimare, nisi quod e scripturis biblicis erutũ est ac dimana-
uit, semper scripturam, scripturam prouocantes: proin cõducibilius, ui-
sum est mihi, ut aduersus hanc impiam & abominabilem manibusq; ac
pedibus explodendam, de absoluta necessitate hæresim, solo gladio spi-
ritus, id est, uerbo & sermone DEI, in harenam descendens, pugnem, Et
1. Reg. 17. ex pastorali pera, humilis illius Dauidis, limpidissimos de torrente lapi-
des depromam, & e funda in spurij illius & superbi Philistęi frontem
Hebræ. 4. immittam & infigam. Viuus enim est sermo DEI & efficax, & penetra-
bilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad diuisionem animæ &
spiritus, compagum quoq; & medullarum, & discretor cogitationum,
Eccles. 51. & intentionum cordis, Et non est ulla creatura inuisibilis, in conspectu
eius, omnia autem nuda, & aperta sunt in oculis eius, ad quem nobis ser
2. Corin. 3 mo, & usq; adeo efficax, ut sit clypeus igneus, malleus, etiam conterens
Prouer. 30 Hiere. 23. Petram. Laborem autem hunc propterea uestræ celsitudini inscriben-
dum & dedicandum putaui, ut sole clarius uideret sanctitas uestra, qui-
bus, & q̃tis discriminibus, periculis & morbis contagiosis, oues CHRI-
STI, pro quibus beatitudo uestra olim rationẽ DEO redditurá est, sub-
iectæ, contaminatæ, & infectæ sint, Et ut beatitudo uestra quæ specula-
toris per uniuersum Christianum orbem officium habet atq; gerit, e sua
eminenti, & quasi supra pinnaculum templi DEI posita, episcopali sede,
Matthę. 4. & Cathedra studeat ἐπισκοπεῖν, id est, intendere et curam agere. Inquit. n.
Matth. 25. per Ezechielem dominus: Terra, cum induxero super eam gladium, &
Acto. 20. tulerit populus terræ uirum unũ de nouissimis suis, & constituerit eum
Ezech. 33. super se speculatorem, & ille uiderit gladium uenientem super terram,

& cecinerit

et cecinerit buccina, et annunciauerit populo. Audiens autẽ, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, ueneritq; gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & se non obseruauit, sanguis eius in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam saluabit. Quod si speculator uiderit gladium uenientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, ueneritq; gladius & tulerit de his animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Beatissime pater, uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Posuerũt morticinia seruorum tuorum escas uolatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum, tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium uicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Oportet itaq;, ut sanctitas uestra sese murum pro Hierusalem ponat. Tamen interea cum Helia propheta Thesbite nec dicere, minus desperare oportet neque phas est: Zelo zelatus sum pro domino deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. Nam & adhuc & in hanc horam, etiam hisce nouissimis & periculosissimis temporibus, ubi totus mundus in maligno positus est, abundauit ad hæc & prçualuit iniquitas & refriguit multorum charitas, pro sua immensa clementia Dominus Deus reseruauit sibi septem milia uirorum, qui non curuauerũt genua sua ante Baal. Inter hos habet beatitudo uestra duo præcipua Christiani orbis capita: Augustissimum quidem Carolum quintum, Romanorum imperatorem, ac catholicorum regnorum in Hispania, ac alijs regnis & prouintijs regem, & principem: Atq; illius per omnia Christianæ fidei ac religioni perpetuo addictum fratrem, Ferdinandum Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; regem. Nec non & alios reges & principes permultos, qui sanctitatis uestræ sancta desyderia, & recta consilia, tanquam prçstantissimi propugnatores, ac fortissimi athletæ, Christiq; milites fortissimi, iuuabunt. Scio enim ego, & compluribus exemplis ac argumentis didici, & re ipsa expertus sum, quod nihil eos uehementius moueat ac turbet, q̃ ubi religio CHRISTI uel diminutionem uel ruinam patitur. Scio denique illis nihil usq; adeo cordi esse, uel insidere, quam ubi olim et quantocius fieri poterit uiderint, maculas, rugas, & næuos, quibus ecclesiæ facies nonnihil per abusiones defoedata et deturbata est, e medio tolli, Ac ecclesiam, quæ domus Dei est, columna & firmamentum ueritatis illibatam seruari et debito Deoq; placenti ordini et pristino decori restitui. Quare beatitudo uestra, spem bonã ac firmam de foelici successu rerum omnium concipiat, ac animum erigat. Proin sanctitas V. baculum pasto

Psalm. 78.
3. Reg. 19. Rom. 11.
1. Timo. 4.
1. Ioan. 5. Matth. 24
3. Reg. 19. Roma. 11.
1. Timot. 3

ralem confidenter atq; audacter in manus sumat, ouesq; sibi, ueluti successori Petri demandatas, ad pascua & obedientiam uocet. A celebratione autem Concilij ullis minis, terriculamentis, præstigijs, falsis opinionibus, persuasionibus, dicacitatibus, nugis, tricis, nenijs, imposturis, technis aut pollicitationibus sese auelli, terreri, aut absterreri nec permittat, nec patiatur beatitudo uestra. Impetus enim, incursio atq; potentia Turcarum, Barbarossæ, aut Pyratarum hoc uno uniuersalis Concilij medio subprimentur. Et hoc forte cogitatu & instituto ab incursionibus Pyratarum salua erit & multo quietior ipsa Italia. Et propterea in nomine patris omnipotentis, aduersus fortes & potentes Gygantes inchoari & celebrari debet Concilium. Nec sanctitas uestra debet terreri, minus absterreri a celebrando Concilio, propterea quod Schismatici gloriantur se nosse Deum, sese magistros esse, & doctores in lege, et eruditores insipientium? Nam ex illis multi uolunt esse & haberi magistri, anteaq̃ unquam fuerint discipuli? Insipientes & stulti facti sunt. Et tot sunt illorũ errata, etiam sole meridiano clariora, tot contradictiones, tot inter se sectæ: dissectæ: ut etiam pudeat semetipsos hærere in hisce uepribus, tam pueriliter lapsorum, erratorum, & antilogiarum. Et quo-
Matth. 12. modo regnum, in seipsum diuisum non desolabitur? Sapiunt aduersarij
Luc. 11. sibijpsis. Sunt sapientes in oculis proprijs. Sed in nomine filij qui sapientia est patris & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi,
1. Cor. 1. estque sponsus Ecclesiæ, et in eius nomine Concilij omne princi-
Col. 1. 2. pium est, & inchoationem habet, perdet sapientiam sapientum, &
Esa. 29. prudentiam prudentũ reprobabit. Vah quoq; dicetur his qui huc usq;
1. Cor. 1. & tanto tempore sibijpsis uisi sunt sapientes in oculis proprijs. In confusionem reuera ibunt Babylonicam. Nam si intellexerint ab his, qui in linguis peritissimi sunt, ut per eos & uetus & nouum Testamentum plus quam in tribus millibus locis deprauatum sit, ut deniq; in tot errores & proprias cõtradictiones lapsi sint (prætereo interea impietates illorum)
Psalm. 67. quomodo subsistent? Fugient & fluent sicut cera quæ fluit a facie ignis, Et liquefient, sicuti nix a facie solis. Illorumq; sapientia stultitia fiet apud Deum. Eapropter in nomine filij, Concilium uniuersale, quod semel indictum est, propere & congregandum & celebrandum esse censeo. Tertium & postremũ, quod in semel publicato Concilio per omnia necessarium esse puto, hoc est: Quod unanimes fiant & reddantur Christiani & primores principes. Id autem sola spiritus sancti gratia fiet. Fructus
Gal. 5. enim spiritus, ita ad Galatas testante Paulo, pax est, & charitas. Et Apostolorum temporibus orabant, et perseuerabant unanimiter, Ita ut prę-
Acto. 5. dicet de illis scriptura: Credentium quasi cor unum erat, & anima una. Fiebat autem hoc dono spiritus sancti. Vt itaq; simus in fide unanimes, nec in obseruantia religionis discordes, alia nec meliori uia fieri non poterit, nisi generale celebretur Cõcilium, in sancto spiritu congregatum, Is quidem replebit corda fidelium, & sui amoris in eis ignem accendet. Nam & is, per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fi-
Ioan. 14. dei congregauit. Ille paracletus est, & consolator maximus. Ideo in spiritu sancto

tu sancto congregatur, & congregari oportet uniuersale Concilium. Et ut summatim & quasi uno fasciculo summam rei perstringam, de celebrando Concilio: In nomine patris omnipotētis, contra potentes Mahumetanos, terra mariq; sæuiētes: Contra callidos hæreticorum serpentes, & eorum morsus ualidos in nomine filij: Et contra dissidentes Christianorum Principum ad arma incensos animos, in nomine (non autem in nominibus) Spiritus sancti, sine mora, cunctatione & dilatione & dico & censeo semel indictum debere & oportere celebrari Concilium. Quod si hac in re sanctitas uestra pij & uigilantis pastoris officium exercuerit, Et si oues, quod omnium maxime sperandum est, uocem beatitudinis uestræ, tanquam a Deo ordinati pastoris audierint, sine dubio sequentur, & sese iugi multiplicium, & propemodum infinitarum hæresium labe & scabie infectas agnoscēt, seq; ad probaticam piscinam aqua aspergi ac lauari, deniq; hysopo mundari certissime patientur, Et ad cor ac gremium Ecclesiæ redeuntes, benedictionem petent, fietq; unum ouile, et unus pastor. Quod nobis & ecclesiæ suæ sanctæ dare dignetur is, qui regnat, & qui regnabit in ęternu, & ultra. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum Amen.

Ioan. 5.
Ioan. 10.
Rom. 11.

Datæ Viennæ Austriæ.
XII. die Ianuarij.
An. à Christo
nato
M. D. XXXVII.

LIBRI DE ABSOLVTA NECESSITATE
Argumentum.

In MAGNO ILLO ET MAGNAE AVTORITATIS CONcilio Constantiensi, iusta sententia damnatus est omnium impijssimus error Viclephi asserentis ex absoluta necessitate euenire omnia. Hunc errorem & hanc abominabilem hæresim, Martinus Lutherus post tanta tempora tandem nostris temporibus ab inferis reuocans, pertinaciter atq; plus semel & in multis libris defendit. Et tam late uenenum hoc sparsit, ut aliquot centena milia hominum proh dolor huic & tantæ hæresi consenserint, & accesserint. Ne itaque hoc malum ueluti aliqua nocentissima pestis & gangręna latius serpat & innocentissimas oues Christi perniciosius contaminet, propterea ex purissimis scripturæ sanctæ fontibus & riuis, firmis etiam & solidis argumentis, ab omni sophistica cauillatione alienis, reprobatur abominabilis & sine Deo de absoluta necessitate hæresis. Quemadmodum in sequētibus capitibus uidere licebit.

Error

ERROR EST IMPIVS EORVM QVI ASSERVNT OMNIA EX ABSOLVTA necessitate euenire.

CAPVT PRIMVM.



VICLEPHVS olim in hanc impietatem prolapsus est, ut auderet affirmare, omnia ex absoluta necessitate euenire. Cuius doctrina in Constantiensi concilio damnata est: Sed impietas hęc authore Martino Luthero reuixit, aduersus omnem scripturæ sensum. Nam non uult deus perire animam, sed retractat cogitans ne pereat qui abiectus est. Et per Ezechielem ipse dominus ait: Nunquid uoluntatis meę est mors impij, dicit dominus Deus, & non ut conuertatur a uijs suis, & uiuat? Si autem auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid uiuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur. In præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua uia domini. Audite ergo domus Israël: Nunquid uia mea non est æqua, & non magis uiæ uestræ prauæ sunt? Cum enim auerterit se iustus a iustitia sua & fecerit iniquitatem, morietur in eis. In iniustitia quam operatus est, morietur. Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam uiuificabit. Consyderans enim & auertēs se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, uita uiuet et non morietur. Et dicunt filij Israël: Non est ęqua uia domini. Nūquid uiæ meæ non sunt æquæ domus Israël, & non magis uiæ uestrę prauæ? Idcirco unumquemq; iuxta uias suas iudicabo domus Israël: ait dñs Deus. Conuertimini & agite pœnitētiam ab omnibus iniquitatibus uestris & non erit uobis in ruinam iniquitas. Proijcite a uobis omnes iniquitates uestras in quibus præuaricati estis, & facite uobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis dicit Deus. Reuertimini & uiuite. Vult itaq; Deus omnes homines saluos fieri, uult misericordiam & non sacrificium. Et ipse Dauid ait: mane astabo tibi & uidebo, qm̄ Deus non uolens iniquitatem tu es. Cum hæc itaq; ita se habeant, non ergo in humanis regnat absoluta necessitas. Propter hanc uoluntatem Dei orare docemur: fiat uoluntas tua sicut in coelo & in terra, non oramus fiat necessitas. Propterea & Paulus orat & dicit: Obsecro itaq; uos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium uestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed renouamini in nouitate sensus uestri, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, bona & bene placens & perfecta. Et iterum: nolite fieri imprudētes, sed intelligentes quę sit uoluntas Dei. Non enim in omnibus beneplacitū est domino: Propterea probare oportet, quid sit beneplacitum Deo. Non enim qui operantur iniquitatem in uijs eius ambulauerunt. Non in fortitudine

(Margin: 2.Reg.14. Ezech.18. 1.Timot.2 Ose.6. Psalm.5. Roma.12. Ephe.5. 1.Cor.10. Ephe.5. Psalm.118. Psalm.146)

tudine equi uoluntatem habebit,neqꝫ in tibijs uiri beneplacitũ est Deo. Sed beneplacitum est domino super timentes eum,&in eos qui sperant super misericordia eius. Quomodo nunc ergo Viclephistæ & Luthera ni pretendunt ex absoluta necessitate euenire malũ quod displicet Deo? Rom. 8. quando ille neqꝫ uelit iniquitatem,neqꝫ mortem, Clarum aũt est, quod qui in carne sunt,Deo placere non possunt,Et qui secundum carnem ui uunt morientur, Caro denique & sanguis regnum Dei possidere non possunt.

Electiua uis quæ in homine est confutat & damnat heresim de absoluta necessitate. CAPVT II.

SI FATO quodã ineuitabili,&ex absoluta necessitate ueniret si ue bonum siue malum,profecto nõ esset in homine electio, & mentiretur scriptura plus semel. Sic enim in Deuteronomio le Deut.26. gitur:Dominũ elegisti hodie,ut sit tibi Deus,& ambules in uijs eius, ut custodias ceremonias illius & mãdata atque iudicia, & obedias eius imperio.En dominus elegit te hodie,ut sis ei populus peculiaris,sicut lo cutus est tibi & custodias omnia præcepta illius: & faciet te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem & nomen & gloriam suam, ut sis populus sanctus domini Dei tui sicut locutus est. Ecce quomodo scri ptura dicat populum Israël elegisse dominum,Et quod ipse dominus e Deut.30 legerit populum Israël. Et in eodem Deut. sic legitur: Consydera quod hodie proposuerim in conspectu tuo uitam & bonum, & è contrario mortem & malum,ut diligas dominum Deum tuum & ambules in uijs eius,& custodias mãdata illius & ceremonias atqꝫ iudicia, & uiuas, atqꝫ multiplicet te, benedicatqꝫ tibi in terra ad quam ingredieris possidendã. Si autem auersum fuerit cor tuum & audire nolueris,atqꝫ errore dece ptus adoraueris deos alienos & seruieris eis,predico tibi hodie quod pe reas,et paruo tempore moreris in terra ad quam Iordane transmisso in gredieris possidendam. Testes inuoco hodie celũ & terram, quod pro posuerim uobis uitam & bonum,benedictionem & maledictionẽ. Eli ge ergo uitam,ut &tu uiuas & semen tuum,et diligas dominum Deum tuum atqꝫ obedias uoci eius & illi adhæreas. Ipse est enim uita tua, & lõ gitudo dierum tuorum,ut habites in terra,pro qua iurauit dominus pa tribus tuis Abraham,Isaac & Iacob,ut daret eam illis. Attende quisquis hæc legeris,proponi filijs Israël uitam & bonum,ac e contrario mortem & malum, Et super eos inuocari testes coelum & terram, quod propo suerit eis uitam & bonum, benedictionem & maledictionem, & quod earundem rerum illis libera datur electio, quæ res in homine liberum probat arbitrium, probat & ex absoluta necessitate nihil euenisse Israëli 2.Reg.24 tis. De Dauide scriptura dicit, quod Gad ita præcipiente domino di xit ad eum: Trium tibi datur optio, elige unum quod uolueris ex his ut faciam tibi. Cumqꝫ uenisset Gad ad Dauid nunciauit ei dicens: Aut se ptem annis ueniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies ad uersarios tuos,&isti te persequẽtur;aut certe tribus diebus erit pestilen

tia in ter

cia in terra tua. Nunc ergo delibera & uide quem respõdeam ei qui me misit sermonem. Dixit autem Dauid ad Gad: Coartor nimis, sed melius est ut incidam in manus domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quam in manus hominum. Immisitq; dominus pestilentiam in Israel, de mane usq; ad tempus cõstitutum, & mortui sunt ex populo a Dan usq; Bersabeæ septuaginta milia uirorũ. Quis modo nõ diceret uim electiuã in Dauide fuisse liberam? Quod si nõ est in homine liberũ arbitriũ, iam homo necessitate coactus facit, quicquid facit. Quomodo ergo p Esaiã dominus ait: Hæc omnia elegerunt in uijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. Vnde & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant adducam eis, quia uocaui & non erat qui respõderet, loquutus sum & non audierunt. Feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. Et iterum idem Esaias: Vocaui & non respondistis, locutus sum & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Ecce quid hic Dominus dicat, Quæ nolui elegerunt. Voluit itaq; dominus bonum & uitam, noluit malum & mortem. Sic enim Dauid ait: Mane astabo tibi, & uidebo quoniam Deus non uolẽs iniquitatem tu es. Adhuc elegerunt quod malum erat. In Hieremia sic legitur: Eligent magis mortem q̃ uitam, omnes qui residui fuerint de congregatione hac pessima in uniuersis locis quæ derelicta sunt, ad quæ eieci eos dicit dominus exercituũ. Et dices ad eos: Hæc dicit dominus: Nunquid qui cadit non resurget, & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersiõe contentiosa? Apprehenderũt mendacium, & noluerunt reuerti. Quod si in homine non est quod eligat, quomodo itaq; scriptura narrat, Abraham dixisse ad Loth: Ne quæso sit iurgium inter me & te, et inter pastores meos & pastores tuos, fratres eñi sumus. Ecce uniuersa terra coram te est, recede a me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Aut quomodo Moses dicit ad Iosue: elige uiros & egressus pugna contra Amelech, cras ego stabo in uertice collis habens uirgam Dei in manu mea. Fecit Iosue ut locutus erat Moses, & pugnauit contra Amelech. Et Iosue quomodo elegit quinq; milia uirorum? Elegerunt & alij milites. Et ipse Dauid uiam ueritatis, inquit, elegi. Sic testimonio Christi Maria optimã partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea. Quod si non est electioni locus aliquis, quomodo Paulus ergo scribit in hæc uerba? Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Quod si uiuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro, coartor aũt e duobus, desyderium habens dissolui, & esse cũ Christo, multo magis melius: pmanere aũt in carne necessariũ propter uos. Non ergo tantũ per philosophos & ex naturalibus, sed ex ipsa scriptura sancta probatur in homine esse quod eligat hoc uel aliud.

Esa. 66. Esa. 65. Psalm. 5. Hiere. 8. Gene. 13. Exo. 17. Iosue. 8. Psalm. 118. Luc. 10. Philip. 1.

Si uerum esset quod impij docent, utpote ex absoluta necessitate euenire omnia, benedictiones in scriptura locum non haberent.

CAP. III.


OTA SCRIPTVRA benedictionibus patrũ referta est. Quando enim senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius, uocauit Esau filium suum maiorem, et dixit ei: Fili mi. Qui respondit: Adsum.
Gene. 27. Cui pater: Vides, inquit, φ senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua & pharetram & arcum, & egredere foras, quumq; uenatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut uelle me nosti, & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea, anteq̃ moriar. Erant autem benedictionis uerba super Iacob illa: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, uini & olei, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruent añ te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui bñdixerit tibi, benedictionibus repleatur. Hãc benedictionem tam efficaciter tenuit Isaac, ut etiam petenti eandem benedictionem Esau ac dicenti, nunquid non seruasti & mihi benedictionem? num unam tantum benedictionem habes pater? mihi quoq; obsecro ut benedicas, non de-
Gene. 48. derit. Iacob autem cum ægrotare cœpisset, reliquit post se benedictio-
Exod. 39. nem. Benedixit & Moses, quoniam & Scriptura dicit: Hæc est benedictio, qua benedixit Moses homo Dei filijs Israël ante mortem suam. Et
Num. 6. dominus loquutus est ad Mosen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, Sic benedicetis filijs Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus & custodiat te: ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntque nomen
2. Para. 6. meum super filios Israël, & ego benedicã eis. Benedixit quoq; Salomon rex uniuersæ multitudini Israel, Nam omnis turba stabat intenta. Quid
Leuit. 9 φ scriptura de Aaron magno illo sacerdote sic ait: Extẽdens Aaron manum ad populum benedixit ei. Sicq; cõpletis hostijs pro peccato & holocaustis & pacificis, descendit. Ingressi autem Moses & Aaron in tabernaculum testimonij, & deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitq; gloria domini omñi multitudini, & ecce egressus ignis a domino, deuorauit holocaustum & adipes quę erant super altare. Quod quum uidissent turbæ, adorauerunt dominum ruentes in facies suas. Q2 si benedictiones hæ atq; similes illis, nullam uel uim uel uirtutem habent, frustra ergo & inuentum. Benedixerunt Isaac, Iacob, Moses, Aaron, atque multi alij. Quod si forte quis uelit habere noui testamenti testimonia, uideat quæ præceperit & iniunxerit etiam dominus discipulis suis. Intran-
Matth. 10. tes, inquit, in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Ecce quomodo etiam dominus præcepit imprecari pacem, in quamcũq; domum intrauerint. Neq; nouum est imprecari bonum, quando etiam scriptura dicit, quomodo cum Rebecca esset abitura de domo, imprecati fuerint
Gene. 24. eidem prospera dicẽtes: soror nostra es, crescas in mille millia & possideat semen tuũ portas inimicorum suorum. Quod si imprecationes nihil ualent, quomodo Boos ille homo potens & magnarum opum, ueniens
Ruth. 2 de Bethlehem, dixit messoribus suis: Dominus uobiscũ? id quod in usu quotidiano seruat ecclesia. Et messores responderunt ei: Benedicat tibi dominus.

dominus. Quid, q dominus Iesus quando post resurrectionem suã ste- Luc. 24.
tit in medio, dixit, & optauit eis: Pax uobis? Hæc quidem omnia frustra Ioan. 20
dicerentur & imprecata fuissent, si uenirent ex absoluta necessitate oĩa.
Benedictiones autem Pontificum & sacerdotum q̃ fiunt in ecclesia Dei,
non sunt inuenta noua, Quando etiam Paulus ad Corinth. in hæc uer- 1.Cor. 14
ba scripsit: Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? Quomodo
dicet amen super tuam benedictionem? Et Timotheum docet sanctifica- 1.Timo. 4.
ri creaturam per uerbum Dei & orationem. Attende quid dicat, creatu-
ra sanctificat̃ p uerbũ dei & oratione, & non dicit p absolutã necessitatẽ.

Quemadmodum benedictiones, ita & maledictiones quæ sunt in scripturis sanctis, reprobant maledictam hæresim de absoluta necessitate. CAP. IIII.



SVNT QVI contendunt maledictionibus nullam inesse uim, Iterum statuentes cum Viclepho, & utinam non cum Manichæis, ex absoluta necessitate euenire omnia, Qui primo loco uidere deberent quæ in Nume. scripta sunt in hæc uerba: Vir Num. 5.
cuius uxor errauerit, maritumq; cõtemnens dormierit cum altero uiro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium & testibus argui non potest, quia nõ est inuenta in stupro: si spiritus zelotypiæ concitauerit uirum contra uxorem suam, quę uel polluta est uel falsa suspitione appetitur, adducet eam ad sacerdotem & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ. Non fundet super eam oleum, nec imponet thus, quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram domino, assumetque aquam sanctam in uase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumq; steterit mulier in conspectu domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis & oblationem Zelotypiæ. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta cõgessit, adiurabitq; eam & dicet: Si non dormiuit uir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti a uiro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cum altero uiro, his maledictionibus subiacebis: Det te dñs in maledictionem exemplumq; cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquę maledictæ in uentrem tuum, et utero tumescente putrescat femur tuum. Et r̃ndebit mulier: Amen amen. Scribetq; sacerdos in libello ista maledicta & delebit ea aquis amarissimis in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud corã domino, imponetq; illud super altare, ita dũtaxat ut prius pugillum sacrificij tollat de eo quod offertur, & incẽdat super altare, & sic potũ det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, et cõtempto uiro adulterij rea, pertransibunt eam aquę maledictionis, et inflato uentre cõputrescet femur, eritq; mu-

lier in maledictionẽ & in exẽplum omni populo, Quod si polluta non fuerit, erit innoxia & faciet liberos. Ista est lex zelotypiæ. Ecce quam potens uerbum sit maledictionis, ut etiam si mulier biberit aquas, in quas sacerdos maledicta congessit, & rea fuerit, inflato uentre computrescet femur eius. Quod si maledictio nihil est, quid ergo præceptum est filijs
Deut.27. Israel, Ruben, Gad & Aser, Zabulon, Dan & Neptalin ut maledicerẽt excelsa uoce, imo per tredecim gradus maledicerent? Et Balac filius Sephor propterea misit nuncios ad Balaam ut malediceret populo Israël,
Nume.22. dicens: Noui quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem
4.Reg.2 maledicta congesseris. Sed & de Heliseo legitur, cum ascenderet in Bethel per uiam, pueri parui egressi sunt de ciuitate et illudebãt ei dicentes: Ascende calue, ascẽde calue. Qui cũ respexisset, uidit eos et maledixit eis in nomine domini: Egressiq; sunt duo ursi de saltu & lacerauerũt ex eis
4.Reg.1. quadragintaduos pueros. Et idem Helias Tesbites, cũ sederet a uertice montis, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de coelo & deuoret te & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de coelo & deuorauit illum et quinquaginta eius. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum uenisset, curuauit genua contra Heliam, et precatus est eum, & ait: Homo dei noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descẽdit ignis de coelo & deuorauit duos principes quinquagenarios primos & quinquagenos qui cum eis erant. Hac freti fiducia
Luc.6. discipuli domini, dicunt: Domine, uis dicamus, ut ignis descendat de coelo, & consumat illos. Quod si forte quispiam cupiat ex nouo testamento decerpere testimonium, uideat is quomodo dominus exierit a Betha
Mar.11. nia, Et cum uidisset a longe ficum habentem folia, uenit, si quid forte inueniret in ea. Et cum uenisset ad eam, nihil inuenit præter folia. Non enĩ erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et cum mane transirent uiderunt ficum aridam factã à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit. Nolo hic immorari diutius, ut Iosue imprecatus sit & maledixerit uirum qui ędificauerit ciuitatem Hiericho.
1.Reg.4. Et ut etiam Saul sub maledictione iusserit ne quis panem ederet usq; ad uesperum. Sed & in utroq; testamento, anathema, locum habet excel-
Rom.9. lentissimum, atque adeo ut apostolus Paulus Romanis, Corinthijs, &
1.Co.12.16 Galatis cõmemoret, & maxime scribens Corinthijs: Si quis, inquit, non
Gal.1. amat dominum nostrũ Iesum Christum, sit anathema maranatha. Pro maranatha dicunt et legunt Hebræi mucramatta, quod ultimum maledictionis uerbum est, & in numero tantum habet quot sunt ossa in homine, quasi hac sua maledictione tantum indicare uelint, quod non sit aut esse debeat in homine os aliquod, quod maledictioni nõ subiaceat. Cum itaq; ex utroq; Testamento tam ueteri q̃ nouo iam palam ostensum sit, quod maledictiones non paruam uirtutem habuerint ac habeant, admiratione dignissimum est quo nam pacto fieri possit ut prote-

rui &

rui & perfrictæ ac inuerecundæ frontis homines, audeant inter Christianos in tantum absolutam necessitatem extollere, ut dicant ex eadem absoluta necessitate euenire omnia. Proh pudor, & grande nephas aduersus eum qui bene omnia fecit. Surdos enim fecit audire, & mutos loqui.

Si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, Nihil ergo profuerunt aut post hac poterunt prodesse consilia.

CAPVT V.


SAPIENTISSIMVS ILLE QVEM GENVIT TERRA SALOmon rex, docet quod qui sapiens est, audit consilia. Et qui agunt omnia cum cõsilio, reguntur sapiẽtia, & cogitationes dissipantur ubi non est consilium: ubi uero sunt plures consiliarij, confirmantur. Repetitis denique uicibus, docet, ibi multam esse salutẽ, ubi multa cõsilia. Loquens etiam filio suo dicit: Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, ut eruaris a uia mala, & ab homine qui peruersa loquitur. Hæc si uera sunt, quomodo poterit stare necessitas absoluta? Filij Iacob uoluerunt occidere Ioseph, sed Ruben dissuasit consilio suo. Ioseph consuluit Pharaoni ut prouideret sibi uirum sapientem, & industrium, quem præficeret terræ Ægypti, & placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris eius. Dedit & Ietro sacerdos Midian, nunc Raguel nunc Hobab cognominatus, socer Mosi, consilia ipsi Mosi. Habuit & Roboam duplex consilium seniorum & iuniorum, & fœlicissime cessisset ei, si accessisset seniorum consilio. Dedit & Iosaphat consilium populo. Et ipse Ioab consilium dedit ac dissuasit regi Dauid numerare populum. Et iam ipse Daniel ad Nabuchodonosor regem, Consilium meum, ait, placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime. Et Assuerus ille rex qui regnauit ab India usque Æthiopiam centum uiginti septem prouincias, usus est consilio Mamuchæ, & placuit consilium eius regi, ac principibus fecitque iuxta consilium. Scribit & Esaias de consiliarijs Pharaonis. Quod si necessitas absoluta rerum omnium causa & actrix est, iam ad nihilum ualebunt consilia, & ad nihilum ultra consiliarij proderunt, nisi quod perinde ut sal infatuatum mittantur foras, & conculcentur ab hominibus. Vbi nunc ergo stabit, quod scriptura consulit: Consiliarius sit tibi unus de mille? Quod si aduersarij cupiant audire de thesauro scripturæ non solum uetera sed & noua, audiant Paulum qui Paulini esse uolunt. De uirginibus præceptum domini, inquit, non habeo, consilium autem do. Et iterum: Beatior erit si sic permanserit secundum consilium meum. Et scribens Philemoni sic ait: Volueram Onesimũ mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis euangelij. Sine consilio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonũ tuum esset, sed uoluntarium. Ecce in rebus multis Paulus dedit consilium: hic uero à Philemone accipit consilium, ne bonum uideatur egisse ex necessitate. Qui itaque omnia ex absoluta necessitate euenire definiunt, cogitauerunt consilia

Proue. 12. Proue. 13. Prou. 11. Prou. 24. Prou. 2. Gene. 37. Gen. 41. Exod. 18. 3. Reg. 12. 2. Para. 10. 2. Para. 20 2. Reg. 24 Dan. 4. Ester 1. Esaiæ 19. Matth. 5. Eccl. 6. 1. Cor. 7. Phile. 1.



Psalm. 20. quę non poterunt stabilire. Gratulor ipse mihi, quod ego non sedi cum hoc
Psalm. 25. consilio uanitatis. Et beatus erit uir qui non abijt in consilio impiorum,
Psalm. 1 reuera horum hominum, qui sine Deo sunt & docere non formidant, omnia ex absoluta necessitate fieri & euenire.

Si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, frustra ergo fiunt & data sunt praecepta. CAP. VI.



VI TAM pertinaciter in eo persistunt, quod ex absoluta necessitate eueniant omnia, uelint nolint hoc sentire coguntur, quod frustra sint praecepta quae praecepit dominus. Commemorat autem in genere passim scriptura, quod praecepta seruanda sint. Sic enim
Leuit. 18. dominus ait: Facietis iudicia mea, & praecepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis, ego dominus deus uester. Custodite leges meas atque iudicia, quae faciens homo uiuet in eis. Tale quid etiam in Euangelio dominus docuit, dicens: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Et quemad-
Matth. 19. modum describit Marcus cum interrogaret ille qui praecurrerat, dicens:
Mar. 10. Magister bone, quid faciam ut uitam aeternam percipiam? Iesus dixit ei: praecepta nosti? Et Ecclesiastes sapientissimus omnium quasi breui com-
Eccle. 12 pendio totam uitam hominis declarare uolens, inter caetera dicit: Deum time, & mandata eius custodi. Mandatum enim dñi lucerna est & lux. Quod si pendēt ex absoluta necessitate omnia, uidere nō possum, ad quid
2. Para. 24 legitima haec praecepta Dei data sint, multo minus quid toties incuset Deus, quare transgressi sint praecepta eius, uel etiam quid in Euangelio disputetur, quod sit primum mandatum in lege, uel quod sit mādatum no-
Mar. 12. uum quod dederit dominus. Sed et si praeceptis in Euangelio nullus est
Ioan. 13.
Ioan. 14. locus, quomodo quęso docuit Christus: Si diligitis me, mandata mea
Luc. 17. seruate? Et, cum feceritis omnia quae pręcepta sunt uobis, dicite serui sumus inutiles. Aut quō potuit Christus mandatū patris pdicare uitā aeter-
Ioan. 12. nā? Quod si uere dixit, quemadmodū ipsissima ueritas nō nisi uiā ueritatis docere potuit, Hoc est praeceptum meū ut diligatis inuicē sicut dilexi uos, Quomodo potuerunt huic obedire praecepto apostoli, si absoluta
Gene. 2. necessitate ligati uel obstricti fuerunt? Praecepit itaque Deus homini iam in paradisum uoluptatis locato, ut ex omī ligno paradisi comederet, de ligno scientiae boni & mali ne comederet. Praecepta dedit Noae simul et Abrahae, & patribus alijs, uoluit etiam ac praecepit, ut praecepta seruarent, Sed seruare non potuerunt si necessitati absolutae subiecti fuerunt.
Psalm. 16 Cognouit haec propheta ille regius, dum diceret: Propter uerba labio-
1. Cor. 7. rum tuorum ego custodiui uias duras. Et Paulus inquit: circumcisio nihil est, & praepucium nihil est, sed obseruatio mandatorum dei. Et in
1. Ioan. 2. hoc scimus quoniam cognouimus Christum, si mandata eius obseruamus. Et hoc est mādatū eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Chri-
1. Ioan. 3. sti, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatū nobis. Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo. Ecce quomodo necesse est, ut non modo credamus, sed ut diligamus alterutrum, & mandata custodiamus. Non autem potuerunt seruari mandata, si regnet & supremum

dominium

dominiũ habeat absoluta necessitas. Quid dicam? si necessitas absoluta per omnia præualet, ad quid ualuit, q̃d Paulus & Sylas p̃ceperunt custodire præcepta Apostolorũ & seniorum? Aut quomodo tradebant custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis? Et Paulus ad eos scribens qui fuerant in Thessalonica Macedoniæ, quomodo scribit? Scitis quę pręcepta dederim uobis. Et iterum: Fratres state et tenete traditiones quas didicistis a me siue per sermonem, siue per epistolam. Et ad quid profuit Salomonem filio suo dicere? Fili mi si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris et inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quęsieris eam quasi pecuniã, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini & scientiam Dei inuenies, quia dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ, & uias sanctorum custodiens. Tunc intelliges iustitiam & iudicium & æquitatem, & omnem semitam bonam. Si intrauerit sapientia cor tuum, et scientia animę tuæ placuerit, consiliũ custodiet te, et prudentia seruabit te, ut eruaris à uia mala et ab homine qui peruersa loquitur. Qui relinquunt iter rectũ, & ambulant per uias tenebrosas. Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorũ uiæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ, et pacti dei sui oblita est. Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam nõ reuertentur, nec apprehendent semitas uitæ. Vt ambules in uia bona, & calles iustorum custodias. Qui enim recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Impij uero de terra perdentur, & qui inique agunt auferentur ex ea. Iam quis non uidet Salomonem filio suo disciplinæ præcepta dedisse in hunc finem ut seruaret ea? Quod si seruare non poterat, & sola necessitas absoluta præualuit, nonne frustra est & in uentum dicitur quicquid ei præceptum est. Et ad quid pertinebat, Gabelum & uxorem eius filiam nunc abituram monere, ut honoraret soceros, diligeret maritum, regeret familiam, gubernaret domum, seipsam irreprehensibilẽ exhiberet, si necessitati absolutæ subiecta fuit? Falsum est itaq; iterum, quod de absoluta necessitate tam pertinaciter & adeo temere docẽt aduersarij. Accedit his omnibus q᷑ sine fruge, sineq; ullo profectu toties in scriptura sancta ex ore domini deprompt ũ legimus: præcipio uobis, hęc mando uobis, hæc sunt legitima mea, mandata mea, ceremoniæ, præcepta mea. Nam id frustra præcipitur quod assequi ac tenere non potes. Et quomodo Paulus ait: De uirginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do, &, non ego præcipio sed dominus. Quod si hæc nihil sunt, & nihil operantur, sed sola prædominatur absoluta necessitas, restat ut expungamus ex biblicis scripturis pręcepta om̃a

Act. 15. 16.
2. Thess. 4
2. Thess. 2.
Prou. 2.
Thob. 10.
1. Cor. 7.

& reddamus chartas uacuas. Nam omnino nullus relinquitur locus præceptis, ubi præualet absoluta necessitas. Quid enim præceperis ab homine seruandum, quodcunque honestum, aut utile, si quod præcipitur exequi nemo potest, quando in rebus omnibus, ita aduersarijs contendentibus, regina ac domina est ipsa absoluta necessitas? De qua re sic loquitur diuus Aurelius Augustinus: Quis non clamat, inquit, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? Et has iniustitias & iniquitates miseri nō intelligunt deo se adscribere, Sed quod uerum est, nisi & dominum dare præcepta & animas liberæ esse uoluntatis, & malum naturam non esse, Sed esse auersionem à Dei præceptis, & esse iustum iudicium dei quo damnet peccantes.

Aug. lib. cōtra Manichęos. Cap. 10.

Condicionaliter dicta et præcepta non modo manifeste probant in homine liberum arbitrium, Sed & opinionem quæ est de absoluta necessitate totam confundunt & damnant.

CAPVT. VII.

SI QVIS fideliter ac diligenter adhæserit his quæ in scripturis sanctis uel dicta uel præcepta sunt, certo deprehendet pleraque sub conditione & conditionaliter præcepta esse. Sic enim dominus ait: Si in præceptis meis ambulaueritis. Si audieris uocem domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum laborem quem posui in Ægypto non inducam super te. Si ergo audieritis uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi peculium de cunctis populis. Sic autem in Leuitico scriptum est: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis & feceritis ea, dabo uobis pluuias temporibus suis, et terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura uindemiam, & uindemia occupabit sementem, & comedetis panem uestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra uestra. Dabo pacē in finibus uestris, dormietis & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos uestros. Persequemini inimicos uestros, & corruēt coram uobis. Persequentur quinque de uobis centum alienos, & centum ex uobis decem milia. Cadent inimici uestri gladio in conspectu uestro. Respiciam uos & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum uobiscum. Et comedetis uetustissima ueterum, & uetera nouis superuenientibus proijcietis. Ponam tabernaculum meum in medio uestri, & non abijciet uos anima mea. Ambulabo inter uos, & ero uester deus, uosque eritis populus meus. Ego dominus Deus uester, qui eduxi uos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum uestrarum, ut incederetis erecti. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, ut nō faciatis ea, quę a me cōstituta sunt, & ad irritū perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam uobis: Visitabo uos uelociter in egestate et ar

Leuit. 26
Exod. 15.
Exod. 19
Leuit. 26

dore: qui conficiat oculos uestros, & consumat animas uestras. Frustra feretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra uos, & corruetis coram hostibus uestris, & subijciemini his qui oderunt uos. Fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones uestras septuplum propter peccata uestra, & conteram superbiam duriciæ uestræ. Daboq; cœlum uobis desuper si- cut ferrum, & terram æneam. Consumetur incassum labor uester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec uolueritis audire me, addam plagas uestras usq; in septuplum propter peccata uestra, emittamque in uos bestias agri, quæ consumant uos & pecora uestra, & ad paucitatem cuncta redigant, de- sertæque fiant uiæ uestræ. Quod si nec sic uolueritis recipere discipli- nam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra uos aduer- sus incedam, & percutiam uos septies propter peccata uestra, inducam- que super uos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio uestri & trademini hostium mani- bus. Postq̃ confregero baculum panis uestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis & non saturabimini. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueri tis contra me, & ego incedam aduersus uos in furore contrario, & corri piam uos septem plagis propter peccata uestra, ita ut comedatis carnes fi liorum uestrorum & filiarum uestrarum. Destruam excelsa uestra, & si- mulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum uestrorum, & abo minabitur uos anima mea, in tantum ut urbes uestras redigam in solitu- dinem, & deserta faciam sanctuaria uestra, nec recipiã ultra odorem sua- uissimum. Disperdamq; terram uestram, & stupebunt super ea inimici uestri cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, & euaginabo post uos gladiũ, eritq; terra uestra deserta & ciuitates uestræ dirutæ. Ecce quam late & aperte deus promiserit prosperos & fœlices euentus rerum, si audierint, si obedierint, si fecerint, si deniq; mandata cu stodierint, ac opere compleuerint filij Israel: E diuerso autem exitus pla- ne & per omnia infœlices minatur dominus, si non audierint, aut si non obtemperent ac mandata seruauerint. Et Deuteronomij uolumen hisce Deut. 28. conditionalibus totum refertum est. Si enim audire nolueris uocem do- mini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, uenient super te omnes maledictiones istę, & apprehendent te: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, ma- ledictum horreum tuum & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fru- ctus uentris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens & maledictus egrediens. Mittet dominus super te famem & esuriem & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, donec conterat te & perdat uelociter propter adinuentiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Do minus pestilentiam donec consumat te de terra ad quam ingredieris pos

 siden-

ſidendā.Percutiat te Dominus egeſtate,febri & frigore, ardore & æſtu & aëre corrupto ac rubigine, & perſequatur donec pereas. Sit cœlum quod ſupra te eſt æneum,& terra quam calcas ferrea. Det dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis donec cō teraris. Tradat te dominus corruentem ante hoſtes tuos. Per unam uiam egrediaris contra eos,& per ſeptem fugias,& diſpergaris per omnia regna terræ, ſitq; cadauer tuum in eſcam cunctis uolatilibus cœli & beſtijs terræ,& non ſit qui abigat.Percutiat te dominus ulcere Ægypti,& partem corporis per quā ſtercora digerūtur,ſcabie quoq; & prurigine, ita ut curari nequeas.Percutiat te dominus amentia et cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cœcus in tenebris,& nō dirigas uias tuas.Omniq; tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris uiolentia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias & alius dormiat cum ea.Domum ædifices,& non habites in ea.Plantes uineam, & non uindemies eam. Bos tuus immoletur coram te,& non comedas ex eo. Aſinus tuus rapiatur in conſpectu tuo,& non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis,& non ſit qui te adiuuet. Filij tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo uidentibus oculis tuis &deficientibus ad conſpectum eorum tota die,& non ſit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ,& omnes labores tuos comedat populus quem ignoras, & ſis ſemper calumniam ſuſtinens,& oppreſſus cunctis diebus, & ſtupens ad terrorem eorum quæ uidebunt oculi tui. Percutiat te dominus ulcere peſſimo in genibus & in ſuris,ſanariq; non poſſis a planta pedis uſque ad uerticem tuum.Ducetque te dominus & regem tuum quem conſtitueris ſuper te in gentem quam ignoras tu & patres tui, & ſerui es ibi dijs alienis, ligno & lapidi, & eris perditus in prouerbium ac fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit dominus.Sementē multā iacies in terram, & modicū congregabis,quia locuſtę deuorabunt omnia. Vineam plantabis et fodies,et uinum non bibes,nec colliges ex ea quippiā, quoniam uaſtabitur uermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo,quia defluēt & deperibūt.Filios generabis & filias,&non frueris eis, quoniam ducentur in captiuitatem. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuę rubigo conſumet. Aduena qui tecum uerſatur in terra, aſcendet ſuper te,eritque ſublimior:tu autem deſcendes & eris inferior. Ipſe fœnerabit tibi,& tu non fœnerabis ei.Ipſe erit in caput,& tu eris in caudam.Et uenient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & perſequentes apprehendent te, donec intereas, quia non audiſti uocem domini Dei tui,nec ſeruaſti mandata eius & ceremonias quas pręcepit tibi.Et erunt in te ſigna atq; prodigia,& in ſemine tuo uſq; in ſempiternum,eo quod non ſeruieris domino Deo tuo in gaudio cordiſque lætitia, propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico tuo quē immittet tibi dominus in fame & ſiti, & nuditate & omni penuria, & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam donec te conterat. Adducet dominus ſuper te gentem de longinquo & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ

nem aquilę uolantis cum impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, & deferet fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ donec intereas, & non relinquat tibi triticum, uinum & oleum, armenta boum, & greges ouium, donec te disperdat & conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atq; sublimes in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi dominus Deus tuus, & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi dominus Deus tuus in angustia et uastitate qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te et luxuriosus ualde, inuidebit fratri suo et uxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum quas comedet, eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria qua uastauerint te inimici tui intra omẽs portas tuas. Tenera mulier, et delicata quę super terram ingredi non ualebat nec pedis uestigium figere propter mollitiem et teneritudinem nimiam, inuidebit uiro suo qui cubat in sinu eius super filij et filię carnibus et illuuiæ secundinarum, quæ egrediuntur de medio fœmorum eius, et super liberis qui eadem hora nati sunt. Comedent eñ eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et uastitate qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. Nisi custodieris et feceris omnia uerba legis huius, quæ scripta sunt in hoc uolumine, et timueris nomen eius gloriosum et terribile, hoc est, dominũ Deum tuum, augebit dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes, infirmitates pessimas & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuisti, & adhærebũt tibi. Insuper & uniuersos languores & plagas quæ non sunt scriptæ in uolumine legis huius, inducet dominus super te, donec te conterat, & remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audistis uocem domini Dei uestri. Et sicut ante lætatus est dominus super uos, bene uobis faciens uosq; multiplicans: sic lætabitur disperdens uos atq; subuertens, ut auferamini de terra ad quam ingrediemini possidendam. Disperget te dominus in omnes populos, a summitate terræ usq; ad terminos eius, et seruies ibi dijs alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. In gentibus quoq; illis non quiesces, neq; erit requies uestigio pedis tui. Dabit enim tibi dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, et erit uita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes uitæ tuæ. Mane dices: Quis mihi det uesperum? et uespere, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinẽ qua terreberis, et propter ea quæ tuis uidebis oculis. Reducet te dominus classibus in Ægyptũ per uiam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non uideres. Ibi uẽderis inimicis tuis in seruos et ancillas, et nõ erit qui emat. Tale quid et diuinus ille propheta Esaias breuissimis uerbis expressisse uidetur: Si uolueritis et audieritis me inquit dominus bona terræ comedetis: Quod si nolueritis, et me ad iracundiam prouocaueritis, gladius Esa.1.

Hierem. 7 deuorabit uos, quia os domini locutum est. Simile & Hieremias sępe re-
petitum habet, dicens: Si benedixeritis uias uestras &c. Si feceritis iudi-
cium, habitabo uobiscum. Et si audieritis me, dicit dominus. Et ita com
1. Para. 28. mune & tritissimum est audire quo legitur: Si quęsieris dominum, inue-
2. Para. 15. es eum. Si autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum. Si derelique
2. Para. 30 ritis eum, ipse derelinquet uos. Si reuersi fueritis. Si perseueratis. Si timu
Iudith. 4. eritis dominum & seruieritis ei. Si ambulaueritis, si audieritis uocem do
1. Reg. 1.
3. Reg. 6. mini, si in uijs eius ambulaueritis. Vt iam fastidiosum sit ea omnia ex or-
Zaccha. 3 dine replicare. Hæc tamen omnia ad nostram doctrinam scripta sunt.
Datur enim ex his omnibus ediscere, conditionaliter, atque hoc pacto
pręcepta dari, ut si uelimus, si perfecerimus, & opere compleamus: alio-
qui superuacanea, irrita & tandem ludibrio essent ac forent præcepta,
mandata, testimonia, & quicquid id genus est; quod iussu ac præcepto
domini mandatum est. Nam inter cætera & hoc est quod Dauid ad
1. Para. 22. Salomonem ait: Tunc perficere poteris si custodieris mandata et iudicia
quæ præcepit dominus Mosi, ut doceret Israël. Talibus conditionali-
Matth. 18. bus etiam Euangelium nequaquam uacat & caret. Si enim, inquit do-
minus, peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum
solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audie-
rit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium te-
stium stet omne uerbum. Quod si nō audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem
ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico
uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo,
& quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum di-
co uobis, quia si duo ex uobis cōsenserint super terrā de omni re quam-
cunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim duo uel
Ioan. 15. tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et, tunc a-
mici mei estis, si feceritis quæ ego pręcipio uobis. Si quis in me non man
serit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem
mittent & ardebit. Si manseritis in me & uerba mea in uobis manserint,
quodcunque uolueritis petetis, & fiet uobis. Quæ quidem omnia cum
ita se habent, ut præscripta quadam conditione subsistant, quō nunc er-
go quippiam aliud affirmare possumus, q̃ ut hoc facere & illud omitte-
re, hoc sequi, illud negligere sit in potestate uoluntatis nostræ, quæ ad
bonum semper adiuuatur a domino? Nam ille ipse est qui in Apocaly-
Apoc. 3. psi loquitur ac dicit: Ego sto ad ostium & pulso, si quis me intromiserit
intrabo. Ecce quod dicit, ego per gratiam sto, & pulso per gratiam, Nō
ergo necessitati absolutæ subiecti sumus, alioqui etiam ipsum Cain fru-
Gen. 4. stra interrogasset dn̄s, dicens: Quare iratus es, & cur concidit facies tua?
Nōne si bene egeris, recipies? Sin aūt male statim in foribus peccatū tuū
aderit? Videāt modo hi qui iam gloriātur sese dialecticos esse perspicacis
simos, ne dicā exercitatissimos, ut inter se conueniant recentes & totidē
innouationū & nouarum sectarum hæretici, quorum nonnulli nullam cō
ditionalem in rebus uel gestis uel gerendis admittūt. Interea tamen glo-
riantur

riantur se expertos imó prudentissimos & oculatissimos esse, in his quę ad uirtutes pertinent, hoc uirtutis esse ut habentem perficiat & opus eius laudabile reddat. Quod si hæc non præstiterint, iam rogo quem dixeris probum, quem honestum, quem iustũ, si cuius probitas, honestas, iustitia, laudari non potest, neq; debet? Et quem unquam probabit uirũ bonum, uirum & iustum, ulla ætas, si liberum arbitrium nihil ex dei gratia fecerit aut facere poterit, per omnia in aduersum absoluta necessitate præualente, ut Lutherus & suæ farinæ ac sectæ homines predicant?

Quisquis absolutam necessitatem approbat ac ponit, facit iniustum esse Deum. CAP. VIII.

IVSTVM ESSE DEVM, & quod reddat unicuiq; secundum opera eius, tota scriptura clamat. Iustus enim dominus, & iustitias dilexit, ęquitatẽ quoq; uidit uultus eius. Iustus est in omnibus uijs suis, iustus in omnibus operibus suis, iustus in omnibusquę fecit, iuste deniq; disponit omnia. Sed qui ponunt absolutã necessitatem hac ratiõe deũ iniustũ faciunt, quod propter peccata legũtur inflictę pœnę. Quod si peccatum euitari non poterat, iam quõ propter peccatũ is qui iustus est affligit homines? Nonne cũ punit et affligit eos qui peccatũ uitare nõ poterant, recte dicetur nocentẽ absoluere & innocentẽ cõdemnare? Causam autem pœnarum esse peccatum scriptura docet. Sic enim ad Adam dominus ait: Quia audisti uocem uxoris tuæ & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ecce, peccatum, non absoluta necessitas huius maledictionis causa fuit. Id quod & diuus Apostolus Paulus his ce uerbis testatus est: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, usq; ad legem enim peccatum erat in mũdo. Et iterum: Sicut per unius delictum multi mortui sunt, multo magis gratia dei, et douum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in uita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccatores cõstituti sunt multi, ita & per unius obedientiam, iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit, ut abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia, ut sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in uitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum. Quis ex his non

Psal. 10. Psal. 144. Daniel. 9. Daniel. 3. Sapi. 12. Gene. 3. Roma. 5

uidebit eos errare plurimum, qui peccatum non formidant absolutę tri
Gene. 19. buere necessitati? Clamor Sodomorum, inquit ad Abraham dominus, & Gomorrae multiplicatus est, et peccatũ eorum aggrauatum est nimis. Ecce q̃ dominus pluit super Sodomam & Gomorram, sulphur & ignem a domino de coelo, & subuertit ciuitates ac omnem circa regionẽ, atq; uniuersos habitatores urbium, & cuncta terrae uirentia, nihil aliud
Gen. 7. in causa fuit q̃ iniquitas Sodomae & ciuitatum aliarũ. Imo facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, et aquae pręualuerunt & eleuauerunt arcam in sublime à terra, uehementer enim inundauerunt & omnia repleuerunt in superficie terrae. Porro arca ferebatur super aquas, & aquae praeualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub uniuerso coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat, consumptaq; est omnis caro quę mouebatur super terram, uolucrum, animantium, bestiarum, omnium q; reptilium quae reptant super terram. Vniuersi homines & cuncta in quibus spiraculum uitae est in terra, mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam quae erat super terram, ab homine usq; ad pecus, tam reptile q̃ uolucres coeli, & deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca. Obtinueruntq; aquae terram centum quinquaginta diebus. Facta sunt autem haec non ex absoluta necessitate, sed propterea quod uidit deus quomodo multa malicia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.
2. Petri 2. Hęc unico quasi contextu uidetur expressisse Petrus, dicens: Si deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium seruatos, & originali mundo non pepercit, sed octauum Noẽ iustitiae praeconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens & ciuitates Sodomorum & Gomorreorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, et iustum Loth oppressum a nefandorum luxuriosa cõuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Nouit deus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicij reseruare cruciandos. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationesq; contemnunt audaces, sibi placentes, qui
Tobi. 10. sectas non metuunt introducere, blasphemantes. Vbi angeli fortitudine & uirtute cum sint maiores, non portant aduersum se apud dominum execrabile iudicium. Hi uero uelut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem in his quae ignorẽt blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiae, Voluptatem existimantes, diei delicias, coinquinationes & maculę delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes uobiscum, oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam uiam errauerunt,
Num. 22. secuti uiam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit,

correptionem uero habuit suæ uesaniæ. Quis ex uerbis Petri tandem non intelliget, plagarum causam esse peccata, non absolutam necessitatem? Propter peccatum enim Maria soror Mosi percussa est lepra. Lapidibus obruitur, qui ligna collegit in sabbato. Lapidatur & blasphemus extra castra. Heli retrorsum cadit e sella. Osias lepra percutitur in frõte. Propter peccatum uenit plaga super Baasa. Micol filiæ Saul non nascitur filius. Et Maacham mater Asa deponitur imperio, eo quod fecisset in luco simulachra. Et mille sunt huius generis exempla, quibus docemur propter peccata uenisse plagas. Scriptum est enim: Vultus domini super facientes mala. Et, uisitabo in uirga iniquitates eorũ, & in uerberibus peccata eorum. Tobias propterea benedicens domino ait: Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras. Et quid dicam? Esaias ex ore domini exercituum ait: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; ullo termino. Et descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq; eius ad eum. Et incuruabitur homo, & humiliabitur uir, & oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur dominus exercituum in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, & deserta in ubertatem uersa aduenæ comedent. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis uanitatis, & quasi uinculum plaustri peccatum. Et iterum: quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ uadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ, propter hoc ecce dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum et omnem gloriam eius. Et iterum: Damascus eris deserta, quia oblita es Dei saluatoris tui. Cæterum quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerũt fœdus sempiternum, Propter hoc maledictio uorabit terram, & peccabunt habitatores eius, ideoq; insanient cultores eius, & relinquentur homines pauci. Et idem Esaias prophetans contra Babyloniam ait: Venient tibi duo hæc in die una, sterilitas et uiduitas. Vniuersa uenerunt super te propter multitudinem maleficorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum uehementem. Et fiduciam habuisti in malicia tua, & dixisti: Non est qui uideat me. Sapientia tua et scientia tua, hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, et prter me non est altera. Veniet super te malum, et nescies ortum eius, et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria, quam nescis. Sta cum incantatoribus, et cum multitudine maleficorum tuorũ, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosint tibi, aut si possis fieri fortior. Cæterũ Hieremias: Omnia hæc mala, ait dominus, uenient propter maliciam cogitationum uestrarum. Et iterũ idem Hieremias: Iniquitates uestræ declinauerunt hæc, et peccata uestra prohibuerunt bonum a uobis, quia inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponẽtes et pedicas ad capiẽdos uiros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo, Ideo magnificati sunt et ditati, incrassati sunt et impinguati

Numer. 12
Numer. 15
Leuit. 24.
1. Reg. 4.
2. Para. 26.
3. Reg. 15.
2 Reg. 6
2 Para. 18.
Psalm. 33.
Psalm. 88.
Tob. 13.
Esaię 5.
Esaię 8.
Esaiæ 17.
Esaiæ 24.
Esaiæ 74.
Hiere. 4
Hiere. 5

guati, et prætererũt sermones pessimi. Causam uiduæ non iudicauerũt, causam pupilli non direxerũt, & iudiciũ pauperũ non iudicauerũt. Nunquid super his non uisitabo dicit dñs, aut super gentẽ huiusmodi non ulciscetur anima mea? Ecce quomodo peccatũ in causa sit ut infligant pœnæ a dño. Falsum ergo & temerariũ est ꝙ prædicatˀ a multis absolutã nes-
2 Timo. 4. cessitatẽ in causa esse ꝙ homines puniantur. Et hæc quæ diximus si uera non essent, quõ scriberet ad Timoth. apostolus? Alexander, inquit, æra-
3. Reg. 19. rius multa mala mihi ostendit, reddet illi dñs secundũ opera eius, quem tu deuita. Propterea zelo zelatus est Helias pro domino deo exercituum, quia dereliquerunt pactum filij Israel.

Non ex fatali necessitate, sed quod filij Israel dereliquerunt dominum, puniti sunt a Deo. CAP. IX.

3. Reg. 9. SCRVTANTIBVS nobis scripturas inuenire datur, plagas inflictas filijs Israël, propterea quod dereliquerunt dominum Deum. Sic enim Deus ad Salomonem ait: Si auersione auersi fueritis uos & filij uestri, non sequentes me, nec custodiẽtes mandata mea, & ceremonias quas proposui uobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, et adoraueritis eos, auferam Israël de superficie terrę, quam dedi eis, & templum quod sanctificaui nomini meo projciam a conspectu meo, eritꝙ Israël in prouerbium & in fabulam cunctis populis & domus hęc erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam, stupebit & sibilabit, &
Deute. 28. dicet: Quare fecit dominus sic terræ huic & domui huic? Et responde-
Hiere. 22. bunt: Quia dereliquerunt dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & secuti sunt deos alienos, & coluerunt eos, & adorauerunt eos. Idcirco induxit dominus super eos omne malum hoc.
2. Para. 12. Et Semeias propheta ingressus est ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Hierusalem fugientes Sesac, dixitꝙ ad eos: Hæc dicit dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui uos in manu Sesac. Consternatiꝙ principes Israël & rex, dixerũt: Iustus est dominus. Cumque uidisset dominus quod humiliati essent, factus est sermo domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboꝙ eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Hierusalem per manum Sesac. Veruntamen seruient ei, ut sciant distantiam seruitutis
2. Para. 24 meæ, & seruitutis regni terrarũ. Et postquam obijt Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem. Qui delinitus obsequijs eorum acquieuit eis. Et dereliquerunt templum domini Dei patrum suorum, seruieruntꝙ lucis & sculptilibus, & facta est ira domini contra Iudam et Hierusalem, propter hoc peccatum. Mittebatꝙ eis prophetas, ut reuerterentur ad dominum, quos protestantes illi audire nolebant. Olda au-
2 Para. 34. tem prophetes in hęc uerba respondit Helchiæ sacerdoti: Hæc dicit dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, & super habitatores eius, cunctaꝙ maledicta quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerũt coram Rege Iuda, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis, ut me ad iracundiam prouocarẽt in cunctis operibus manuum tuarum. Idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur. Et

in Esdra

in Esdra: Quoniam me dereliquistis, & ego uos derelinquam. Esaias au tem inter cętera dicit: Dereliquerunt dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam uos ultra addentes pręuaricationem? Et, derelinquetur filia Sion ut umbraculum in uinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ uastatur. Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Et, conteret scelestos & peccatores simul, & qui dereliquerunt dominum, consumentur. Confundentur enim ab idolis quibus sacrificarunt. Et erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis uelut quercus defluentibus folijs, et uelut hortus absque aqua. Et erit fortitudo uestra ut fauilla stupæ, & opus uestrum quasi scintilla, & succendetur utrunque simul, & non erit qui extinguat. Et iterum idem Esaias: Vos qui dereliquistis dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam, numerabo uos in gladio, & omnes in cęde corruetis, pro eo quod uocaui, & non respondistis, locutus sum, & nõ audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc hæc dicit dominus Deus: Ecce serui mei comedẽt, et uos esurietis. Ecce serui mei bibẽt, & uos sitietis. Ecce serui mei lętabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei laudabũt prę exultatione cordis, et uos clamabitis prę dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis, & dimittetis nomen uestrum in iuramentum electis meis. Et interficiet te dominus Deus, & seruos suos uocabit nomine alio. Et per Hieremiam dominus ait: Duo mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Per eundẽ Hieremiam autem sic dominus ait: Sicut dereliquistis me, et seruistis Deo alieno in terra uestra, sic seruietis dijs alienis in terra non uestra. Et, hæc dixit dñs: Quia dereliquerũt legẽ meã quã dedi eis, et non audierunt uocẽ meã, et nõ ambulauerũt in ea, et abierũt post prauitatẽ cordis sui, et post Baalim, quod didicerunt a patribus suis: Idcirco hæc dicit dñs exercituum Deus Israël: Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis, et dispergam eos in gentibus quas non nouerunt ipsi et patres eorum, et mittam post eos gladium donec cõsumantur. Et infinita propemodum sunt huiusce generis sanctarum scripturarum loca, ex quibus hoc, tanquam firmũ et stabile colligitur, propterea quod filij Israel dereliquerunt dominum, etiam ipsi derelicti et puniti fuerint. Quod si necessitate quadã absoluta coacti dereliquerũt dominum, Iam iustus Deus cuius omnes uiæ rectæ sunt, recta sunt et iudicia eius, quomodo poterat punire innocẽtes qui hoc euitare non poterant, quod culpabile adscribitur eis? Propterea sanctissime Diuus Aurelius Augustinus Hipponẽsis in Aphrica Episcopus, sensit inter cætera interrogatus: quare homo suæ potestatis creatus sit auctor, quando respondit: propterea homo suę potestatis creatus est auctor, ut ipse sibi auctor esset ad uitam siue ad mortem. Si uero necessitati esset subiectus, tunc nec boni operis haberet gloriam, nec mali pœnam, sed esset quasi unus ex pecoribus

4. Esdra 1.
Esaiæ 1.
Esaiæ 65.
Hiere. 2
Hiere. 5
Hiere. 9
Augu. de inquisitione trinitatis.

Hebr.10. ribus. Et hoc ſubinferre uoluit Paulus inter cætera dicens: Voluntarie peccantibus nobis,poſt acceptam noticiam ueritatis,quod ſi uoluntarie quis peccat,et adeo uoluntarie,quod ſi peccatum uoluntarium non eſt, non eſt peccatum. Nulla ergo adigitur neceſſitate ut peccet. Tale quid
Pſalm.53. et Dauid ait: Voluntarie ſacrificabo tibi,et offeram hoſtiam laudis.Ecce ſi uoluntarie, non ergo neceſſitate coactus ſacrificat et offert hoſtiam
1.Petr.5. laudis. Sic Petrus ille iubet: Paſcite gregem non coacte ſed ſpontanee, non turpis lucri gratia ſed uoluntarie.Quod ſi uoluntarie, non ergo neceſſitate paſcendus eſt grex. Ad hæc quid dicam? Dedit dominus Ieſabeli pœnitentiæ tempus,ut pœnitētiam ageret,et noluit pœnitere a fornicatione ſua, non ergo neceſſitas in cauſa fuit ne pœniteret Ieſabel,ſed
Apoca.2. ipſius mala uoluntas.Dedit enim Deus pœnitētiæ tempus,quemadmodum et ante diluuium dedit centum et uiginti annos, ſi quando pœnite
Roma.2. rent,et conuerterentur ad Deum.Et hoc eſt q̄d ſcribit Apoſtolus: Exiſtimas o homo qui iudicas eos qui talia agunt,et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam,et impœnitens cor,theſaurizas tibi iram in die iræ et reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddit unicuiq; ſecundum opera eius,His quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam et honorem,et incorruptionem quærentibus uitam æternam: his autem qui ſunt ex contentione, et qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati,ira et indignatio,tribulatio et anguſtia,in omnem animam hominis operantis malum,Iudæi primum & Græci.

Si ex abſoluta neceſſitate eueniunt omnia, iam non eſt neque poſthac erit ultor Deus. CAP. X.



ALI VLTOREM eſſe Deum multiplici ſcripturarum teſtimo
Deut.32. nio clarum eſt. Inquit enim ipſe dominus:mea eſt ultio & ego
Pſalm.93. retribuam.Propterea et nomē habet ut ſit ultionū deus.Nam
Deut.32. ſanguinem ſeruorum ſuorum ulciſcitur, et ulciſcitur in omnes adinuen
Pſalm.30. tiones malas,ac retribuit abundanter facientibus ſuperbiam. Vnde Na
Naum.1. um ille propheta principium ſuæ prophetiæ ſic exorditur: Deus æmulator,& ulciſcens dominus, ulciſcens dominus & habens furorem,ulciſcens dominus in hoſtes ſuos,& iraſcens ipſe inimicis ſuis. Quod ſi hæc uera ſunt,ſicuti falſa eſſe non poſſunt,quomodo ergo neceſſitati abſolutæ tribuemus quod ſibiipſi & ſoli reſeruauit dominus Deus ultionum,
Pſalm.93. qui libere agit,qui ſeſe mali ultorem manifeſte declarat,dicens:Prophe
Deut.18. tam ſuſcitabo eis in medio fratrum ſuorū ſimilē tui,et ponam uerba mea in ore eius,loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem uerba eius quæ loquet̄ in nomine meo audire noluerit, ego ultor exiſtam. Ecce quid dicat: Ego, inquit,ultor exiſtam,quemadmodum & alibi di
Exod.32. cit:Ego in die ultionis uiſitabo & hoc peccatum eorum.Ego ſum dominus Deus tuus,fortis zelotes,uiſitans iniquitatem patrum in filios,in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſe

ricordiam

ricordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Deus itaque, non ipsa necessitas absoluta uindex est, qui faciet iudiciū inopis, et uindictam pauperū. Propter quod Apostolus Paulus docet ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem suū, quoniam uindex est dominus de his omnibus. Dies autē ille domini dei exercituū, dies ultionis, ut sumat uindictam de inimicis suis, declarabit hoc. Iam iterum uideant qui Viclephum ab inferis reuocare non uerentur, et spurcissimæ Manichæorum sectæ sese dederunt, si ex necessitate absoluta emergunt & contingunt omnia, qua ratione & qua authoritate docuerit etiam, & præceperit Paulus, ne Romani malum pro malo redderent, sed potius cum omnibus pacem haberent, nec semetipsos defenderent, sed darent locum iræ, scriptum est enim, mihi uindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Ne ergo corruat, & damnum patiatur scripturæ ueritas, propterea probare oportet & attestari ipsum Deum ultorē esse malorum, neque omnia tribuenda esse absolutæ necessitati.

Psalm. 139
1. Thess. 4.
Hiere. 46.
Roma. 12.

Propter inobedientiam & nequaquam ex absoluta necessitate uenit in multos ira & indignatio Domini.

CAPVT XI.

INOBEDIENTIA primorum parentum, quantum mali intulerit mundo, supra enarratū est. Sed et Samuel enumerat Sauli quantum prosit obedientia, & quantum inobedientia obsit, ac dicit: Nunquid uult dominus holocausta, & uictimas, & non potius ut obediatur uoci domini? Melior est enim obedientia quam uictimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatū ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem domini & uerba tua, timens populum, & obediens uoci eorū. Sed nunc porta quæso peccatum meum & reuertere mecum ut adorem dominum. Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem domini, & proiecit te dominus, ne sis rex in Israel. Hæc Samuel non modo uiuens, sed & post mortem exprobrat Sauli, quod nō obedierit uoci domini, dicens: Faciet tibi dominus, sicut loquutus est in manu tua, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obedisti uoci domini, neque fecisti iram furoris eius in Amelech. Idcirco quod pateris, fecit tibi dominus hodie, & dabit dominus etiam Israel tecum in manu Philistijm. Cras autem tu & filij tui mecum eritis, sed & castra Israel tradet dominus in manus Philistijm. Statimque Saul cecidit porrectus in terram. Extimuerat enim uerba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. Et ad Prophetam inobedientem factus est sermo domini per Prophetam, hæc dicit dominus: Quia non obediens fuisti ori domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi dominus deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi

Roma. 5.
1. Reg. 15.
1. Reg. 28.
3. Reg. 13.

cepit tibi ne comederes panem neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumque comedisset & bibisset, strauit asinum suum propheta quem reduxerat. Qui cum abijsset inuenit eum leo in uia, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere. Asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer. Et ecce uiri transeuntes uiderunt cadauer proiectum in uia, & leonem stantem iuxta cadauer. Et uenerunt & diuulgauerunt in ciuitate, in qua prophetes ille senex habitabat. Quod cum audisset propheta ille qui reduxerat eum de uia, ait: Vir dei est, qui inobediens fuit ori domini, & tradidit eum dominus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta uerbum domini quod locutus est ei. Et ad Iehoram filium Iosaphat regem Iuda qui dereliquerat dominum deum scripsit Helias in hæc uerba: Hæc dicit dominus deus Dauid patris tui, quoniam non ambulasti in uijs Iosaphat
2.Para. 21. patris tui, & in uijs Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos domũ patris tui meliores te occidisti: ecce dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo & filijs et uxoribus tuis, uniuersaq; substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri, donec egrediãtur uitalia tua paulatim per singulos dies. Sic uulneratur Iosias quod non fuit obediens uerbo. Noluit Iosias reuerti, sed præparauit contra eum bellum, nec acquieuit sermonibus Ne-
2.Para.35. cho ex ore dei, uerum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo. Ibiq; uulneratus a sagittarijs, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido uulneratus sum. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum, more regio, & asportauerunt eum in Hierusalem. Et Tobias, quoniam non obediuimus, inquit, præceptis tuis,
Tob. 3. ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. Et nunc domine magna iudicia tua, quia non egimus secundũ præcepta tua, & non ambulauimus synceriter coram te. Et per Ezechielem
Ezech. 5. dominus ait: Iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, Idcirco hæc dicit dominus deus: Quia superastis gentes quæ in circumitu uestro sunt, & in præceptis meis nõ ambulastis, et iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia gentium quæ in circumitu uestro sunt non estis operati, Ideo hæc dicit dominus deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia ultra non faciam, propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos. Et faciam in te iudicia, & uentilabo uniuersas reliquias tuas in omnem uentum. Idcirco uiuo ego dicit dominus deus, nisi pro eo quod sanctum meum uiolasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis, ego quoq; confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in circumitu tuo. Tertiam

uero partem tuam in omnem uentum dispergam, & gladium euaginabo post eos. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis,& consolabor. Iam iterum palam fit ac clarum omnibus, inobedientiam sæpe fuisse caussam furoris & indignationis domini. Et hoc in scripturis commune est, ut plerunq; dum infligitur pœna, datur causa & pœnæ & plagæ, ne quis absolutæ necessitati uel pœnam uel plagam adscribere possit, aut debeat. Sic enim scriptura dicit: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & uocem meam audire contempsit, & ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue,& mortuus est, ut in ipsis experiar Israel utrũ custodiant uiam domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. Dimisit ergo dominus omnes nationes has,& cito subuertere noluit, nec tradidit in manus Iosue. Et in Ezechiele: Quia locuti estis uana, & uidistis mendacium, ideo ecce ego ad uos, ait dominus deus, & erit manus mea super prophetas, qui uident uana, & diuinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, & scietis quia ego dominus deus: eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, pax, & nõ est pax,& ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absq; paleis. Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatura, quod casurus sit. Erit enim imber inundans,& dabo lapides prægrandes, & desuper ruentes,& uentum procellæ dissipantem. Et iterum: Eo quod eleuatum est cor tuum, quasi cor dei, idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentiũ,& nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ,& polluent decorem tuũ. Interficient & detrahent te & morieris in interitu occisorum. Et iterum: Iuxta impietatem eius eieci eum,& succident eum alieni & crudelissimi nationũ, & proijcient eum super montes,& in cunctis conuallibus corruent rami eius, & confringentur arbusta eius in uniuersis rupibus terræ, & recedent de umbraculo eius omnes populi terræ,& relinquent eũ. Et, quia tu repulisti scientiam,& ego te repellam ne sacerdotio fungaris mihi. Et, quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ Amorrei fecerunt ante eum, & peccare fecit etiam Iudam, in immundicijs suis, propterea hæc dicit dominus deus Israel: Ecce ego inducam mala super Hierusalem & Iudam, ut quicunq; audierit, tinniant ambæ aures eius. Et extendam super Hierusalem funiculum Samariæ,& pondus domus Achab, & delebo Hierusalẽ, sicut deleri solent tabulæ. Delens uertam, et ducam crebrius stylum super faciem eius. Et, iratus est dominus Salomoni, quod auersa esset mens eius à domino deo Israel, qui apparuerat ei secundo,& præceperat de uerbo hoc, ne sequeretur deos alienos,& non custodiuit quæ mandauit ei dominus. Dixit itaq; dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te & non custodisti pactum meum,& præcepta mea, quæ mandaui tibi, dirumpens scindam regnũ tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam,

Iudicũ.2. Ezech.13. Ezech.28. Ezech.31. Oseæ.4. 4.Reg.21. 3.Reg.11.

propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totũ regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Hierusalem quam elegi. Et Anani Propheta dixit ad Asam regem Iuda: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in domino deo tuo, idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes et Lybies multo plures erant quadrigis & equitibus, & multitudine nimia, quos (cum domino credidisses) tradidit in manu tua? Oculi enim domini contemplantur uniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc etiam præsenti tempore aduersum te bella consurgunt. Et Eliezer ait ad Iosaphat: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit dominus opera tua, contritæq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis. Et, quia uaccæ pingues quæ fuerunt in monte Samariæ omnem calumniã fecerunt ægenis, et confregerunt pauperes, dominus ait: Quia sic fecistis, dedi uobis stuporem dentium in cunctis urbibus uestris, & indigentiam panum in omnibus locis uestris, & non estis reuersi ad me, dicit dominus. Ego quoq; prohibui a uobis imbrem cum adhuc tres menses superessent usq; ad messem, & plui super unam ciuitatem, & super alterã ciuitatẽ nõ plui. Pars una compluta est, & pars sup quam non plui, aruit. Et uenerunt duæ & tres ciuitates ad unã ciuitatẽ, ut biberẽt aquã, & nõ sunt satiatę, & non redistis ad me, dicit dominus. Percussi uos in uento urente, & in aurugine multitudinem hortorum uestrorum, et uinearum uestrarum, olìueta uestra, & ficeta uestra comedit eruca, & non redistis ad me dicit dominus. Misi in uos mortem in uia Ægypti, percussi in gladio iuuenes uestros, usq; ad captiuitatem equorum uestrorũ, & ascendere feci putredinem castrorum uestrorum in nares uestras, & non redistis ad me, dicit dominus. Subuerti uos, sicut subuertit deus Sodomam & Gomorram, & facti estis quasi torris raptus ab incendio, & non redistis ad me, dicit dominus.

3. Reg. 11. · 2. Para. 16. · 2. Para. 20 · Amos. 4. · Gen. 19.

Nequaquam absoluta necessitas, uerum ab homine quod perpetratur peccatum, etiam sub Euangelio, pœnam & damnationem habet. CAPVT XII.



ADVLTERANTES Euangelium, & uinum aqua miscentes, quorum argentum uersum est in Scoriam, socij furũ, eloquia Euangelij sic deprauare solent, dicentes: Christus uenit in mundum hunc, ut omnes saluos faceret, Ex absoluta itaq; necessitate omnes salui erunt, Proin neq; hic nec alibi uel pœna uel damnatio formidanda est. Sed respondeant illi: si quid habent, quod respondeant, Si nulla est peccati pœna, quomodo predicat Ioannes & dicit: Iam securis ad radicem arboris posita est, & omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur, & in ignẽ mittetur. Ecce hic non est satis ut quis declinet à malo, oportet etiam facere bonum. Aut dicant, quare paleæ iuxta predicationes uocis clamantis in deserto, comburentur igne inextinguibili? uel quomodo docuit Christus? Qui irascitᷣ fratri suo, reus erit iudicio, Qui autem

Esaiæ 1. · Lucæ 19 · 1. Timo. 1. · Matth. 3. · Psal. 30. · Matth. 3. · Lucæ 3. · Matth. 5.

autem dixerit fratri suo: Racha, reus erit concilio, Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis, Aut quomodo docuit Christus? Esto cõsentiens aduersario tuo cito, cum es cum eo in uia, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerẽ mittaris. Amẽ dico tibi: non exies inde, donec reddas minimũ quadrantem. Cæterum non frustra docuit dominus: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, expediet enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eã, & proijce abs te, expediet enim, ut pereat unum membrorũ tuorum, quã totum corpus in gehennam mittatur. Insuper, si nulla de peccato pœna timenda est, quomodo docet Apostolos dominus: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animã autem occidere non possunt, sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse ueneunt? & unus ex illis nõ cadet super terram, sine patre uestro. Vestri autem capilli omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos. Vel quomodo exprobrat dominus, et dicit? Væ tibi Corozaim, uæ tibi Bethzaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis: Tyro & Sidoni remissius erit, in die iudicij, q̃ uobis. Et tu Capharnaum, nunquid usq; in cœlum exaltaberis? usq; in infernum descẽdes. Quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factę sunt in te, forte mansissent usq; in hanc diem. Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorũ, remissius erit, in die iudicij, q̃ tibi. Et olim quomodo dicet, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in cõsummatiõe sæculi, Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, & omnes qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Imò exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis. Quod si sub Euangelio Lutheri necessitas absoluta causat omnia, nõ uideo qua ratione docuerit Christus & dixerit: de corde exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Peruersa deniq; esset sententia domini dicẽtis: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et ipse dominus Iesus, cum uenisset in templum, eiecit omnes uendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & Cathedras uendentium columbas euertit & dixit eis, scriptum est: Domus mea, domus orationis uocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Si uenditores, & emptores absoluta necessitate adacti, uenditores & emptores fuerunt, quomodo funiculo facto eijciuntur de templo? Et iam si malum pœnam non habet, quomodo ergo docuit dñs, quod paterfamilias, cuius agricolæ seruos

Matth. 10. Matth. 11 Matth. 13. Matth. 15. Matth. 18. Matth. 21.

Matth. 21. occiderunt & lapidarunt, & tandem etiam filium extra uineam eiecerũt & occiderunt, ueluti malos male perdet, & uineam suam locabit alijs
Matth. 22. agricolis? Vel quomodo rex ille, qui fecit nuptias filio suo tandem emisit exercitus suos, & perdidit homicidas, ciuitatem quoq; illorum succen
Lucæ. 19. dit? Et homo ille nobilis qui abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, qua æquitate iuste dicere potest, inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Sed & si nullus est iustitiæ locus, sed omnia ex absoluta necessitate eueniũt, Bo
Matth. 25. ne deus, quomodo proijcitur inutilis seruus in tenebras exteriores, ubi
Lucæ. 19. erit fletus & stridor dentiũ? Et quando uenerit filius hominis in maiesta
Marci. 4. te sua, & omnes angeli cum eo, & sedebit super sedem maiestatis suæ, qua quæso uel ratione uel æquitate dicet his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, Sitiui & non dedistis mihi potũ, Hospes eram, et non collegistis me, Nudus & nõ operuistis me, Infirmus & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico uobis, Quam diu non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autẽ in uitam æternam. Est itaq; ex Euangelio sole clarius, non ex absoluta necessitate, sed propter peccata, & ad tempus, & in æternum affligi & damnari hominem. Id quod etiam, in pluribus locis docuit Paulus, tum ex ueteri, tum nouo Testamento.
1. Corin. 10 Sic enim Corinthijs ueterum commemorans actus, non in pluribus, inquit, eorũ beneplacitum est deo, nam prostrati sunt in deserto. Hæc au
Nume. 26 tem in figura facta sunt nobis, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neq; Idololatræ efficiamini sicut quidã ex ipsis, quemadmodum scriptũ est, sedit populus manducare & bibere, & sur
Exod. 32. rexerunt ludere, neq; fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, &
Leui. 25. ceciderunt una die uiginti tria milia, neq; tentemus Christum, sicut qui
Nume. 21. dam eorum tentauerunt & à serpentibus perierunt; neq; murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc
Iudith. 8. autem omnia in figura contingebant illis, scripta deniq; sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerũt. Ecce ut ab exem
1. Corin. 10 plo patrum debeat euitari malum. Quid? quod idem Paulus Apostolus
1. Cor. 11. de indigne manducantibus, e tertio rediens coelo tradidit, quod accepit à domino ac dixit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini, Ideo inter uos, inquit, multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; iudicaremur, dum iudicamur autem, a domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Ex his ergo cuncti Christifideles, & qui pie student ac uolunt Euangelium in ueritate interpretari

terpretari

terpretari, manifeste uidebunt, impium & contra Euangelium Christi errorē & dogma peruersum esse, ex absoluta necessitate euenire omnia.

Ex propria confessione filiorum Israël manifestum fit, absolutam necessitatem non fuisse illis causam peccati.

CAPVT XIII.

Mirvm quid, quod adeo Lutherus cum asseclis suis, tam pertinaciter docet, absolutam necessitatem etiam peccatorum esse causam, Cū tamen hi qui aliquando peccauerunt, quales erant filij Israel, totam culpam in seipsos reiecerint. Cum enim filij Iacob, & fratres Ioseph, aduersa paterentur in Ægypto, dixerunt adinuicem: merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, uidentes angustias animæ illius dum deprecaret nos, et non audiuimus. Idcirco uenit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben ait: nunquid non dixi uobis: nolite peccare in puerum, & non audistis me, et sanguis eius exquiritur? Et filij Israel, cum uiderent plagas, & mortes plurimorum a serpentibus ignitis imminere sibi, clamare cœperunt: peccauimus, quia loquuti sumus contra dominum. Et in Masphat, sub Samuele, clamauerunt etiam filij Israel atq; dixerunt: tibi peccauimus domine. Cumq; traditi essent in manus Sisare, & in manus Philistinorum, ac regis Moab, clamauerunt ad dominum & dixerunt: peccauimus, quia dereliquimus dominū, & seruiuimus Baalim & Astaroth. Tale quid clamant iterum filij Israel sub Esdra dicentes: Nos ipsi peccauimus. Sic & sub tempore Iudith cum Olophernes obsedit Betuliam, factus est fletus, & ululatus magnus in Ecclesia, ab omnibus, & per multas horas, una uoce. Ipsa deniq; regina Hester cum oraret imminente necessitate, peccauimus, inquit, in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum, coluimus enim deos eorum, iustus es domine. Et nunc non sufficit quod durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes, uolunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui, ut aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & predicent carnalem regem in sempiternum. Ne tradas domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram, sed conuerte consilium eorum super eos, & eum qui in nos cœpit sæuire, disperde. Itidem facit ipse Dauid in Psalmis dicens: peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, impietatem fecimus. Sic in Hieremia: Cognouimus domine impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccauimus tibi. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam. Solij gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum, Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant, aut cœli possunt dare imbres? Nonne tu es, domine deus noster, quem expectamus, tu enim fecisti omnia hæc. Et in Baruch: peccauimus

Gene. 42. Nume. 21. 1. Regū. 7. 1. Regū. 13. 1. Esdra. 9. Iudith. 7. Hester. 14. Psalm. 103 Hiere. 14.

Baruch. 1. cauimus ante dominum deum nostrum. In Daniele uero sic legitur: Be-
Daniel. 3. nedictus es domine, deus patrum nostrorũ, & laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula, quia iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, &
Orasse Azariam de medio ignis. uniuersa opera tua uera, & uiæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua uera. Iudicia enim uera fecisti iuxta omnia quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Hierusalem, quia in ueritate & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim, & inique egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & uniuersa quæ fecisti nobis, in uero iudicio fecisti, & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorũ, iniquorum & pessimorũ præuaricatorũq́ʒ, & regi iniusto & pessimo, ultra omnem terram. Et in eodem Daniele: pecca-
Daniel. 9. uimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus et declinauimus a mandatis tuis ac iudicijs. Nõ obediuimus seruis tuis Prophetis qui loquuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omniq́ʒ populo terræ. Tibi dñe iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie uiro Iuda, & habitatoribus Hierusalem & omni Israel, his qui prope sunt, & his qui procul in uniuersis terris, ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te domine. Nobis cõfusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris, qui peccauerunt. Tibi autẽ domino deo nostro misericordia & propiciatio, quia recessimus a te, & nõ audiuimus uocem dñi, ut ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos Prophetas, & omnis Israel præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt, ne audirent uocem tuam, stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Mosi serui dei, quia peccauimus ei. Et statuit sermões suos, quos loquutus est super nos & super reges nostros, & sup principes nostros,
Deut. 27. qui iudicauerunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquã fuit, sub omni cœlo, secundum quod factum est in Hierusalẽ, sicut scriptum est in lege Mosi. Omne malum hoc uenit super nos, & non rogauimus faciem tuam domine deus noster, ut reuerteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus ueritatẽ tuam. Et uigilauit dominus super maliciam, & adduxit eam super nos, Iustus dominus deus noster, in omnibus operibus suis quæ fecit, non enim audiuimus uocẽ eius. Ex his iam quis posthac dubitabit absolutam necessitatem nullum
Augusti. de incarnatione uerbi lib. unico Cap. ii. penitus habuisse locũ? Propterea diuus Aurelius Augustinus ait: Illud ecclesiastica prædicatione definitũ est, Omnem animam esse rationalem, liberi arbitrij & uoluntatis, esse quoq́ʒ ei certamen aduersus diabolũ, & angelos eius, contrariasq́ʒ uirtutes, ex eo quod peccatis eam illi onerare cõtẽdant. Nos uero si recte, cõsulteq́ʒ uiuamus, ab huiuscemodi labe nos exuere conemur. Vnde et cõsequẽs est intelligere, nõ nos necessitati esse subiectos, ut omino etiã si nolumus, uel bona uel mala agere cogamur.

Si enim

Si enim nostri arbitrij sumus, impugnare nos fortasse possunt aliquæ uirtutes ad peccatum, aliæ iuuare ad salutem. Non enim necessitate cogimur uel recte agere uel male.

Si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, frustra toties orauit Christus, & frustra preceptum dedit, ut oremus.

CAPVT. XIIII.

CHRISTVS dominus & saluator noster non modo nobis exemplum orandi dedit, sed & ut oremus precepit. Orauit autē in deserto. Ascendit et abijt in montem ut oraret. Et cum solus esset, orabat. Imò in oratione pernoctans erat. Orauit pro Petro, ut nō deficeret fides eius. Rogauit pro discipulis. Positis deniq; genibus orabat, in monte oliueti. Rogauit & pro inimicis in cruce pendens, ac dixit: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Et in diebus carnis suæ inquit Apostolus, preces & supplicationes ad eū qui posset illū saluum facere à morte cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est, pro sua reuerentia. Cœpit itaq; Iesus facere et docere, exemplū dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit orando, ita & nos faciamus. Quod si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, necesse est ut omnes Christi orationes predicemus fuisse uanas inanes & cassas. Sed non sic impij: non sic, quod is qui mediator & aduocatus est noster, & qui pro nobis interpellat, non fuerit exauditus pro sua reuerentia. Præcepit is ab hoc exemplo, ut orarent Apostoli, Sic enim ad Apostolos ait, cum ipse esset oraturus ad patrem: Orate ne intretis in tentationem, & iterum: surgite & orate. Cæterum in alio loco dicit: Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ uentura sunt. Et cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos, & ait illis: Cū oratis dicite: Pater, sanctificetur nomē tuum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis, et ne nos inducas in tentationem. Neq; solum orare docuit, sed & modum orandi dedit, dicens: Cum oratis nō eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi. Orantes aūt nolite multū loqui, sicut Ethnici faciūt, putant enim, qđ in multiloquio suo exaudiātur. Ostendit deniq; locū orandi. Nam cū introisset in templū, cœpit eijcere uendētes, & ementes in tēplo, & mensas nummulariorū & cathedras uendentiū colūbas euertit, & nō sinebat, ut quisquā transferret uas p tēplū, et docebat, dicēs eis: nōne scriptū est? Quia domus mea, domus oratiōis uocabit̄. Ad hęc omnia, docet & dicit: Orate pro persequētibus & calumniantibus uos. Orate ut non fiat fuga uestra in hieme, uidete, uigilate, & orate, nescitis enim quādo tempus sit. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam,

Marci 1. Matth. 14. Lucæ 9. Lucæ. 22. Ioan. 14. Matth. 28. Marci 15. Lucæ 23. Hebræ. 5. Acto. 1. 1. Ioan. 2. Heb. 4. 8. Matth. 26. Lucæ. 22. Marci. 13. Lucæ 21. Marci 14. Lucæ. 11. Math. 6. Math. 6. Math. 21. Marci 11. Esaiæ. 56. Math. 5. Math. 24. Marci. 13.

mum suam, et dedit seruis suis potestatem cuiusque operis et ianitori praecepit ut uigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus ueniet, sero, an media nocte, an gallicantu an mane, ne cum uenerit inueniat uos dormientes. Quod autem uobis dico omnibus dico: uigilate. Et oportet semper orare, & nunquam deficere. Si itaque orationibus impetrari nihil poterit, quomodo ergo iterum praecepit & promisit dominus, dicens: petite & dabitur uobis, petite, & accipietis, & quodcumque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, dabit bona petentibus se, & dabit spiritum bonum petentibus? Imo quodcumque uolueritis, petetis. Nam quicumque petit, accipit, & qui quaerit inuenit, ac pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis, patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, nunquid porriget illi Scorpionem? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester coelestis dabit spiritum bonum petentibus se? Haec omnia prorsus pedibus conculcanda forent, si praeualeret, quod impii sentiunt, absoluta necessitas.

Luc. 18 Luc. 11. Ioan. 16. Ioa. 14. Ioan. 15. Matth. 7. Luc. 11.

Si ex absoluta necessitate ueniunt omnia, uanum & frustratorium erat, quod orarunt & praecepta de orando dederunt Apostoli ac sancti dei homines. CAPVT XV.

QVEMADMODVM Christus exemplo nobis est, ut oremus, sic & Apostoli nobis, ut itidem faciamus exemplo sunt. Quippe dominus Iesus Apostolos post resurrectionem foras eduxit in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in coelum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo, laudantes & benedicentes deum. Et Apostolorum Acta testantur, quod Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et iam cum statuissent duos, Ioseph qui uocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam, orantes dixerunt: Tu domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii huius, & Apostolatus, de quo praeuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes, & sors cecidit super Matthiam, qui & annumeratus est cum undecim Apostolis. Caeterum quum orassent, dicentes: nunc domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filii tui Iesu. Et cum orassent motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur uerbum dei cum fiducia. Et quo fidelius possent instare orationi & ministerio uerbi, qui sua nomina Christo dederant, septem elegere diaconos. Ecce quomodo primi qui coeperunt predicare Christum, toti orationibus dediti erant (Sicut & prius memini) Caeterum non frustra scriptura docet quomodo Petrus & Ioannes ascendebant in

Luc. 24. Acto. 1. Acto. 3. Acto. 1. Acto. 4. Acto. 6.

templum ad horam orationis nonam. Et ijdem Petrus & Ioannes, Acto. 3
uenientes in Samariam, orauerunt pro ipsis ut acciperent spiritũ sanctũ. Actor. 8.
Porro Petrus cum esset in Ioppe ascendit in superiora domus ut oraret
circa horam sextam. Et ad Ananiam dominus ait: surge & uade in ui- Actor. 11
cum, qui uocatur rectus, & quære in domo Iudæ, Saulum, nomine Actor. 9.
Tarsensem, ecce enim orat. Pro Petro autem, cum ille seruaretur in car- Actor. 12.
cere, oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum. Erant quidem
in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & doctores: in quibus Bar-
nabas & Simon qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis & Ma- Actor. 13.
nahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministranti-
bus autem illis domino, et ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segre
gate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ie
iunantes, & orantes, imponentesq; eis manus dimiserunt illos. Cæte-
rum cum constituissent per singulas Ecclesias Paulus & Barnabas pres-
byteros, & orassent, cum ieiunationibus commendauerunt eos domi-
no. Paulus quoq; discessurus a fratribus, positis genibus orauit cum
omnibus his. Et Lucas expletis diebus, inquit, profecti ibamus deducen Actor. 21.
tibus nos omnibus, cum uxoribus & filijs usq; foras ciuitatem & posi-
tis genibus in littore orauimus. Sed & de Cornelio Centurione cohor- Actor. 10.
tis, quæ dicitur Italica, scriptura docet, cum oraret hora nona in domo,
uidit angelum dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille
intuens eum, timore correptus dixit: Quis es domine? Dixit autem illi:
Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in con-
spectu dei. De Stephano quid dicam? Eiecerunt eum extra ciuitatem, Actor. 7.
& lapidabant eum, inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe spi-
ritum meum. Positis autem genibus clamauit uoce magna, dicens: Do-
mine, ne statuas illis hoc peccatum (quia nesciunt, quid faciunt) & cum
hoc dixisset, obdormiuit in domino. Ex quibus omnibus uidere & in-
telligere datur, nihil receptius extitisse Apostolis quam quod essent in
oratione assidui, non ignorantes apud deum non parum ualere iusto-
rum deprecationes assiduas. Quod si nihil eorum preces ualuerunt,
frustra ergo perseuerabant in orationibus. Mirum quod orat latro, de
quo nihil unquam boni auditum fuerat, & dicit: Domine memento
mei, cum ueneris in regnum tuum. Simon ille Magus audiens Petrum Luc. 23.
ad se dicentem: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Actor. 8.
dei existimasti pecunia possideri, non est tibi pars, neque sors, in ser-
mone isto. Cor enim tuum non est rectum coram deo, Pœnitentiam
itaq; age, ab hac nequicia tua, in felle enim amaritudinis & obligatio-
ne iniquitatis, uideo te esse. Respondit atq; dixit: precemini pro me
ad dominum, ut nihil ueniat super me horum, quæ dixistis. Ecce
ut etiam Simon Magus hanc tenuerit sententiam, preces Apostolo-
rum sibi profuturas. Mira igitur res est, quod soli Lutherani putant,
precibus & precationibus ad deum nos nihil obtinere posse, quoniam
omnia ex absoluta & inuitabili necessitate eueniant, & interim uolunt
esse Paulini,

1.Timo.1. esse Paulini, in quos solos nō solum peruenerit Pauli sed et dei spiritus,
1.Timo.3. Cum tamen & ipse Paulus uoluerit uiros in omni loco orare, & do-
1.Thessa.5 cuerit, quod quæ uere uidua sit, instare debeat orationibus, et, quemad-
modū predicauit Christus, oportere semper orare, Ita enim scribit ipse
& dicit: semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agi
te. Hæc est enim uoluntas dei, in Christo Iesu, in omnibus uobis. Quid
1.Timo.4. quod & ipse docuit, Sanctificari creaturam per uerbum dei et orationē?
Iacobi.1. Et multa id genus licet in Paulo uidere, quibus totus ad hoc tendit ut
oremus. Et hoc est quod Iacobus in Canonica scribit: Si quis uestrum
indiget sapientia, postulet a deo, qui dat omnibus affluenter, & non im-
properat & dabitur ei: Postulet aūt in fide nihil hæsitans, qui enim hæ-
1.Ioan.3. sitat similis est fluctui maris, qui a uento mouetur, & circumfertur, Non
ergo existimet homo ille, qđ accipiet aliquid a dn̄o. Ioannes aūt in Ca-
nonica sua sic scribit: Charissimi, si cor nostrū nos reprehenderit, nos fi-
duciā habemus ad deū. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quo-
niam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita corā eo facimus.

Si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, sunt frustra & su-
peruacanea quæ legūtur in Paulo, Petro, ac alijs aliorū Apo-
stolorum Epistolis, salutationes, precationes, & alia id genus
multa. CAP. XVI.



Roma.1. CONSVEVIT, & in usu habet Apostolus Paulus salutare fra-
tres, eisq; precari bonum. Sic etiam Romanos in fide confir-
mare uolens, optat eis gratiam et pacem, a deo patre, & domi-
no nostro Iesu Christo. Eisdem uerbis salutat ecclesiam dei quæ erat
1.Cor.1. 2.Cor.1. Corinthi. Itidem atq; ijsdem uerbis salutat fratres ecclesiarum Galatiæ.
Gal.1. Ephesijs autem scribere uolens, ait: Paulus Apostolus Iesu Christi per
Ephes.1. uoluntatem dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus omnibus,
in Christo Iesu gratia uobis & pax, a deo patre nostro, & dn̄o Iesu Chri
Philip.1. Colos.1. sto. Eisdem uerbis Macedones, Philippensesq; salutat, sanctis & fideli-
1.Thessa.1. bus in Colossis scribens, & optat & dicit: Gratia uobis & pax a deo pa-
2.Thessa.1 tre nostro. In prima quam scripsit ad Thessalonicenses epistola, dixit:
Gratia uobis & pax, a deo. In secunda uero: gratia uobis & pax a deo
Timo.1. patre nostro, et domino Iesu Christo. Timotheo uero dilecto filio suo
in fide, bene cupiens in hæc uerba scribit: Gratia et misericordia & pax a
Titum.1. deo patre & Christo Iesu dn̄o nostro. Neq; Titū hac sancta salutatiōe
fraudare, aut carere uoluit. Sic enim ad eundē Titum exorditur Episto
lam: Paulus seruus dei, Apostolus autem Iesu Christi: Tito dilecto filio
secundum cōmunem fidem, gratia & pax a deo patre, et Christo Iesu sal-
uatore nostro. Philemoni scribens Paulus, inquit, uinctus Christi Iesu et
Philemo.1 Timotheus frater, Philemoni dilecto adiutori nostro, & Appiæ sorori
charissimę, & Archippo cōmilitoni nostro, & ecclesię, quæ in domo
tua est, gratia uobis & pax, a deo patre nostro, & domino Iesu Christo.
Ecce ut crebro, & frequentissimæ Paulus optauerit fratribus diuersarū
ecclesiarū, gratiam, misericordiam, pacē, a deo patre, & dn̄o nostro Iesu
Christo.

Christo. Iam si ex absoluta necessitate contingunt omnia, quare ergo & quomodo Paulus, cui reuelata sunt secreta Dei, qui et tot misteria uidit & audiuit, etiam quæ homini loqui non liceat, optat et cupit, quod asse qui nemo poterat? & quomodo Iacobus dei & domini nostri Iesu Christi seruus potuit optare duodecim tribubus salutem? Petrus autem apostolus Iesu Christi, quō uel qua ratione scribit in hæc uerba: Petrus apostolus, electis aduenis, dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithiniæ, gratia uobis & pax multiplicetur. Et in altera sua Canonica: gratia uobis & pax adimpleatur, in cognitione dei, & Christi Iesu domini nostri. Ioannes autem, sit uobis, inquit, cum gratia, misericordia, pax a Deo patre, & a Christo Iesu filio patris, in ueritate et charitate. Quomodo insuper Iudas apostolus Iesu Christi seruus, frater autē Iacobi, dicit: misericordia uobis & pax & charitas adimpleatur? Si quod optatur, quod spiritus ingemiscit, pro quo interpellat, adimpleri non potuit neque potest, nonne totum hoc frustra & petitur & tentatur, siquidem impedit hoc totum absoluta necessitas? Et quid dicam? Non solum in primo limine & prima facie epistolarum consueuerunt Apostoli bona precari fratribus, gratiam quidem, misericordiam, pacem, & alia id genus bona, sed & earundem epistolarū finem facere uolentes similia precantur bona. Posteaquam enim Apostolus fecerat suo nomine salutari Priscam & Aquilam, Epenetum, Iuniam, Mariam, Andronicum, Iunam, Ampliatum, Vrbanum, Stachyn, Apellem, Herodionem, Triphenam & Triphosam, Persidem, Ruffum, Asyneritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Herman, Philologum, & Iuliam ac reliquos, subinde cœpit optare ac dicere, & ualedicere hisce aut ad eandem sententiam uerbis: Deus pacis conterat Satanam sub pedibus uelociter nostris. Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscum. Et postremo quadam mentis uehementia subdit & dicit: Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen. Pari modo, cum uellet primam ad Corinthios claudere epistolā, sic ait: Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscum, Charitas mea cū omnibus uobis in Christo Iesu, Amen. Et secundam ad Corinthios finiens epistolam, inquit: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & commemoratio sancti spiritus sit cum omnibus uobis, Amen. Galatis optat in hęc uerba: Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro fratres, Amen. Ephesijs autem, pax (inquit) fratribus & charitas in fide a deo patre nostro, & domino Iesu Christo, gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione, Amen. Ad Philippenses: Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro, Amen. Eisdem uerbis ualedicit Colossensibus, Thessalonicensibus. Timotheo uero breuioribus uerbis ualedicit, Ait enim ille, gratia tecum, Amē. Dominus Iesus Christus, cum spiritu tuo, gratia uobiscum, Amen. Tito: Gratia dei cum omnibus uobis, Amen. Philemoni: Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro, Amen. Sic & Hebræis: Gratia cum omnibus uobis, Amen. Neque

Iacob. 1 / 1 Pet. 1 / Ioan. 2 / Iudæ 1 / Galat. ult. / Ephe. ult. / Tit. ult. / Phile. / Hebr. ult.

1 Pet. ult. diuus Apostolus Petrus hoc ualedicendi officio caret, primam enim Canonicam claudit his uerbis: Gratia uobis omnibus, qui estis in Christo Iesu, Amen. Ioannes autem bene uolens electæ dominæ scribit: gratia tecum, Amen. Et ad seniorem Gaium charissimum, pax tibi, inquit. Datur itaq; ex his, quæ iam recensita sunt, sine ulla & ulteriori cunctatione uidere, nō frustra esse in ecclesia quod quotidie proximo precamur bona, pacem quidem, faustum & foelicem annum, diem bonum, noctem foelicem, longæua tempora, mentem sanam in corpore sano. Et quod sacerdos ad populum se uertens, optat & dicit: Dominus uobiscum, aut, pax domini sit semper uobiscum, Chorusq; respōdet: Et cum spiritu tuo, siue etiam Amen. Itidem quod optauit Paulus, Timotheo Roma. 15. bona precans, & dicit: & cum spiritu tuo. Neq; in ecclesia frustra reman 2 Cor. 13 sit Hebraicum Amen, cum etiam hoc Pauli temporibus in usu fuerit. Galat. 6 Sic enim precatur Romanis: Deus pacis sit cum omnibus uobis, Amen. Ephe. 5. Et gratiam optans ac pacem, imo quæque bona, fere in omnibus episto Coloss. 4 lis addidit, Amen. Et quid dicam? ultimum uerbum quo clauditur Apo Philipp. 4 calypsis et scriptura biblica est: Gratia domini nostri Iesu Christi cum o 2 Thess. 3 mnibus uobis, Amen. Neque recens natum in ecclesiam irrepsit, hoc 2. Tim. 6 Amen. Quod Apostolus in ea, quæ est ad Corinthios prima epistola Tit. 3. 1 Cor. 14 tradere & commonstrare uidetur, dicens: Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? quō dicet Amen, super tuam benedictionem? Iam uero, si ex absoluta necessitate eueniunt omnia, ut false & superstitiose docuere ac docent Viclephus & Lutherus, non est, quod posthac ex Cicerone amici suis amicis nuncient aut dicant, Salutem plurimam. Quod si uotis illorum, et ad stomachū nihil uel parum satisfecerit Marcus Tullius Cicero, audiant apostolorum ex primo Hierosolymitano Concilio epistolam quam dederunt Paulo, Barnabæ, Iudæ qui cognominatus est Barsabas & Silæ, deferendam fratribus Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ. Scripserunt autem & salutem precantur his uerbis: Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus Salutem. Ecce quid Apostoli fecerint, optant & precantur salutem fratribus, Soli nostrorum temporum duræ ceruicis, & perfrictæ frontis homines, nemini salutem precandam putant, & contentiose docent. Displicet & illis totum id quod Paulus, quod Petrus, & quod alij precati sunt Apostoli domini, gratiam uidelicet, pacem & misericordiam a deo patre, & domino nostro Iesu Christo. Stat itaq; ecclesia firma super petram, cui etiam portæ inferorum prægualere non poterunt. Puto nunc neminem tam impium & tam cæci iudicij uel esse uel fore, qui, si uelit aperire sensus, nō ex tempore deprehendet impium et damnabile dogma esse, quod Martinus Lutherus tam impudenter effutiuit, & pertinaciter docuit, utputa ex absoluta necessitate euenire omnia. At ne quisquam suspicetur nos Lutherum iniuste grauare alieno odio, ecce uerba illius placuit subscribere.

Verba

Verba Martini Lutheri ex libro assertionum, & articulo tri-cesimosexto.

NVlli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni, sed omnia (ut Viglephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & poëta uoluit quando dixit: Certa stant omnia lege. Et Christus Matthæi sexto: folium arboris non cadit in terram sine uoluntate patris uestri qui in cœlis est, & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Et Esaias xli. eis insultat dicens: Bene quoque aut male si potestis, facite. Hęc ille. Qui habet aures audiendi, audiat quibus ualidissimis rhetorices coloribus persuadere, & imperiose docere cœperit Martinus Lutherus, quippe absolutam necessitatem recte probari, propterea, quod etiam Viglephus Constantiæ damnatus illud idē atq; recte docuerit. Cæterum homo per omnia poëticus hæreticum articulum hæretici Viglephi per poëtam probat. Tandem post hæreticā & damnatam Viglephi hæresim, item post poëtam uenit illi in mentem etiam uelle falsitatē cum Christo roborare & fulcire, ac postremo loco, post Viglephum, post poëtam, & ipsum Christum, Esaiam citat ne desint illi miscellanea & Babylonis confusio.

Confutationes obiectiōum & argumentorum, quę ab impijs aduersarijs pro introducenda absoluta necessitate falso & sine fundamento introducuntur. CAP. XVII.

IAm forte Lutheranus aliquis expectat ut Lutheri diluamus obiecta, et quibus is nititur argumentis, uincamus. Dicunt Viglevistę locum ad hoc & pro sua opinione idoneum esse Pauli dicentis: Cui uult Deus miseretur, & quem uult indurat. Dicas itaq; mihi tu Lutherane quisquis fueris: Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respōdeas deo? Nunquid dicit figmētum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Et non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Et caro aduersatur spiritui, spiritus carni, hæc enim inuicem sibi aduersantur, ut non quæ uultis illa faciatis. Hanc authoritatem ad prędestinationem pertinere non ignoro, At illā non sic intelligere oportet, quasi per prædestinationem oporteat facere, Deum esse causam peccati, si enim Deus author prædestinationis est, & operum nostrorum, ipse est cōstitutor, iam punit prędestinata peccata, & punit quod sic euitari non poterat, Peccatum autem non a prædestinatione dirigitur, sed a delinquente cōmittitur, quoniam peccatum in uoluntate transgressoris est. Non enim aliter prędestinauit, qui condidit, nisi ut secundum propriam uoluntatem homo uiuere posset. Quare scriptura sic habet: Hæc dicit dominus, si uolueritis & audieritis me, quę bona sunt terrę edetis. Si autem nolueritis, neq; audieritis me, gladius uos comedet. Os enim domini locutum est hæc. Et iterum: hæc dicit dominus: Quia uos recessistis a me, & ego recedam a uobis, & tradam uos Assyrijs, in depredationem, filios ue-

Roma. 9.

Gal. 5

Respon.

Instantia.

Esaiæ 1

filios uestros in conspectu uestro occident gladio, & uxores uestras ab-
Esa. 63. ducent, quoniam contempsistis legem meam, et quę ego nolui elegistis.
Et iterum hæc dixit dominus: Nunquid opprobrium factus sum, do-
mus Israël, quomodo me dereliquerunt, & præcepta mea, & legitima
mea computauerunt pro nihilo. Et iterum: Quoniam uocaui & con-
tempsistis, ego quoq; in uestra perditione ridebo, & gratulabor, dum
uenerit super uos repentina calamitas. Hæc & his similia loquentes, di-
Luc. 13. uersis sunt interfecti supplicijs, Vnde & dominus ad populum ciuitatis,
Matth. 23. in qua Prophetæ fuerant interfecti, clamat tam in Prophetis quam in
Euangelistis suis dicens: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophe-
tas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, Quoties uolui cōgregare filios tu
os, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Noluisti
inquit quod uolui, uoluisti quod nolui. Si ergo noluit Deus quod illi
uoluerunt, & uoluit quod illi noluerunt, aut coactus a potentiore, alio
prædestinationem constituit, aut si ipse constituit, fecit, ut quid enim di-
Necessaria collectio. cit: homini hoc uolui, quod noluisti, si scit eum prædestinasse, ne uellet?
Quod si quispiam hisce minime contentus, contra pugnauerit, Deum
per præscientiam constituisse prædestinationem suam, ut quos præsciuit
nullo modo conuerti, hos prædestinauit ad mortem, quos uero conuer
ti præsciuerit, hos prædestinauit ad uitam, Id argumētum esset, quasi de-
us merita hominum non consyderaret, sed prædestinationis uinculum
in causa esset, & quod is qui nondum conceptus esset, æterna supplicia
præparata haberet, qui nondum uidisset lucem, iam perpetuis tenebris
esset addictus, & hæc esset iniustitiæ maxima pars, quæ tolerari non po-
test. Quotidie enim nobis iniuste agentibus præsto est ut condonet, ut
misereatur. Et iam quomodo mundi iudicium egit, antequam constitu-
eret mundum, antea prædestinaret ad mortem, quam quis creatur ad ui
tam, si ipse creauit, quos prædestinauit ad pœnas, iam certe pręuenit me-
Ezech. 18. ritum occidendi, et qui adhuc non cœpit uiuere, sententiam ęternę mor
tis accepit, & iam ubi manebit, uiuo ego dicit dominus: quia cum dixe-
ro peccatori morte morieris, & peccator se abstulerit a uita sua mala, &
a studijs suis pessimis, uiuo ego dicit dominus, uita uiuet, & non morieẽ
in delicto suo quod fecit. Et si dixero iusto, uita uiues, & posthac reces-
serit a iustitia, uiuo ego dicit dominus: quia morte morietur. Iustitiæ
eius non liberabunt eum, in die qua recesserit a iustitia, & fecerit iniqui-
tatem, In iniquitate sua morietur. Sub conditione itaque Deus, præscire
solet, id q̃ una probat Ezechielis authoritas, Ait em̃: Quando peccator
Roma. 9. se abstulerit a uia sua mala &c̃. Q̃ si dixerit Philistæus oris pertusi, scri-
Alia obiectio. psisse Paulū, uasa irę aptata ad interitū, hoc ita intelligendū est, nō ita fie-
ri dei ꝑordinatione, sed hominis negligētia. Et seipsum declarat aposto-
Solutio. lus, In domo magna, inquit ad Timotheū, non sunt tātum uasa aurea et
argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem sunt in honorem,
2. Tim. 2. quędam autem in Cōtumeliam. Si quis ergo emundauerit semetipsum,
ab his erit uas in honorem sanctificatum, utile deo & ad omne opus bo

num pa-

num paratum. Ergo uasa apta ire in interitum, si se mundauerint ab his, pro quibus aptata sunt in interitum, erũt uasa in honorem sanctificata, & Deo utilia ad omne opus bonum parata, secundum quod supra dixit ad prophetam: Cum dixerit peccatori morte morieris, Hoc est, cum dixerit morieris. Vas aptatum ad interitum. Et si peccator conuerterit se ab iniquitate sua, hoc est, Cum sit uas aptatum ad interitum, mũdauerit semetipsum ab his. Erit uas in honorem sanctificatum. Forte mouit Lutherum, ut affirmaret illud de absoluta necessitate absurdũ, quod scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Cum enim nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni uel mali, ex præscientia dictum est, ut unus haberetur odio, alius amaretur. Non ignoramus in Genesi de Rebecca dictum esse: duæ gentes & duo populi de tuo utero prodient, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. Non ergo prophetia de his qui secundum carnem nascebantur intelligi debet, sed de duobus populis, Iudæorum & gentium, in quo maior populus Iudæorum seruiet minori, id est gentium. Vnde se iterum declarat apostolus, & subdit: Eapropter maior seruiet minori ut electio fieret ex gentibus. Iam quod forte subiungere posset: En legimus in Paulo: quos uocauit, hos prædestinauit. En Apostolum per Apostolum declaramus. Ait is atque fatetur ingenue. quod Deus uelit omnes homines saluos fieri, Et idem se omnibus omnia factum esse dicit, ut omnes lucrifaceret peccatores. Iam enim didicerat, quia conclusit Deus omnia in incredulitate, & uult, ut omnibus misereatur, didicerat quod omne os deberet obstrui, & subditus deberet fieri omnis mundus Deo. Et ideo dicebat: Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui in uobis sunt. Et iterum: corripientes omnem hominem & docentes. Et iterum: Idem Deus diues in omnibus uobis. Et iterum: Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, & docens, ut sit omnis homo perfectus in Christo. Et quia sciebat filium Dei pro omnibus natum, pro omnibus passum, ideo clamat, dicens: Hoc placitum est coram saluatore nostro Deo, qui uult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Vnde etiam quotidie in euangeliis suis ipse dominus clamat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego uos requiescere faciam. Vnde & docuerat, se nullũ hominem a sua largitate repellere, est enim Deus semper promptus, liberalis, abundans, & loquitur in Euangeliis suis, dicens: Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Nam & scriptura ueteris Testamenti omnes ad audiendum gentes inuitans dicebat: Audite hæc omnes gentes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filii hominum, simul in unum, diues & pauper. Et ideo idem Apostolus uidens, quia omnes homines uult Deus saluos fieri, non tamen omnes homines uolunt futurum iudiciũ, memorans, clamat dicens: omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala. Vnde & Apostolus Petrus, Gratia, inquit, Dei

Ezech.18 Malach. 1 Roma.9 Aliud argumẽtum Gene.25 Solutio. Roma.9 Alia obiectio. Solutio Roma.8 1 Timo.2 1 Corin.9 Roma.1 Roma.12 Col.1. Ephe.2 Titum 2 1. Timo.2. Math.11 Luc.11 Psalm.48 2 Cor.5.

ſuper omnes, & in omnibus uobis. Prophetæ omnes uocant, apoſtoli omnes uocāt, Chriſtus omnes uocat, in toto orbe terrarum ſacerdotes Dei innumerabiles omnes uocant ad gratiam et ad miſericordiam Dei, & ad indulgentiam. Ex his ergo manifeſte patebit, quia Deus præſciuit, quod Iudæi eſſent negaturi filium eius, & eſſent gentium populi credituri. Et ideo ait, quos præſciuit & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus, in multis fratribus. Iudæi enim per Circumciſionem filij Abraham docentur: gentes autem per baptiſmum filij Dei fiunt. Hos ergo gentium populos præſciuit deus, quod filium ſuum, quem Iudæi crucifixerant ſincero corde ſuſciperent, & ut decebat filium dei adorarent. Non eñ ignorauit æterna ſapiētia quod eſſent Iudæi comprehenſuri apoſtolos, & q̃d eſſent illis dicturi: prædiximus uobis, ne predicaretis hoc nomen, uos autem repletis omnem mundum
1. Theſſ. 2. doctrina ueſtra. Et Paulus: quid prohibetis nos gentibus loqui ne ſalui fiant? Cum ſciatis dominum dixiſſe ad Abraham: Quod in ſemine tuo
Gene. 23 hæreditabo omnes gentes. Quod ſi interrogas, quando prædeſtinauit? ſubito dicetur: Quando dictum eſt Abrahæ, in ſemine tuo hæreditabo omnes gētes, Itaq; concluſit in incredulitate omnia, ut omnibus miſereatur. Quos autem iuſtificauit ferendo uniuerſa peccata, ipſos & magnificauit, id eſt filios Dei fecit. Vnde Paulus: proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Quid eſt pro omni
Roma. 8 bus tradidit eum? Aliud nihil niſi quod poteſtatem dedit, nos omnes poſſe fieri Dei filios. Et negare non poſſumus, Deum omnes ad ſuam uocare gratiam. Q2 ſi Lutherus dixerit: uult & non poteſt, Ecce impotentia, Aut poteſt & non uult, Et ecce iniquitas, aut, ipſi non merētur, ergo iam gratia non eſt gratia, & res meriti humani eſt uocatio, non gratiæ dei, ſi aūt gratiæ dei eſt, & non meriti hominis, omnes uocat, omnes eñ
Roma. 3 peccauerūt & egent gratia dei ut dicit apoſtolus, & adiecit, iuſtificati igiť gratis, in gratia ipſius in redemptionem, quę eſt in Chriſto. Ecce gratis,
Act. 10. ecce & redemptio. Ecce perſonarū tandem acceptor non eſt deus, id q̃d & Petrus ait: in ueritate comperi, quia nō eſt perſonarū acceptio apud deum. Et de ſe dominus dicit: Non eſt apud deum perſonarū acceptio. Hoc totū aūt eſſet, ſi ſic ꝓcederet ordine ſuo Lutheri ſententia. En omne peccatum tuū, peccatū recte diciť, dum & reatus delinquētis, & æquitas iudicantis oſtēditur, quia peccati ſuppliciū pręcedit ſemper meritū facti: Reum autē nemo facit niſi eum qui potuit declinare peccatū, peccatū ergo inter prędeſtinationē & operantē, diſcernere, ut illius factū hic quaſi alienū a ſe aut damnet, aut corrigat. A iuſto autē deo aliena ſunt uniuerſa quæ damnat. Vnde ſi prædeſtinatio in peccantē oſtenditur, nihil iuſto iudici probatur debere peccator, quia cuius aſſeritur prædeſtinatio, huius etiam operatio comprobatur. Vides ne obſecro q̃ grauiter blaſphemetur his aſſertionibus deus? Si eñ prædeſtinationis eius uis in eos obtruditur, ut eius dicatur pręordinatione peccatum, fructus ille malus non niſi ex impia radice procreať. Erit ergo ſecundum Manichæum, ali

us deus

us deus malorũ,alius bonorum,ut quæ ſunt bona, bono adſcribantur Deo & quæ mala ſunt malo. Ne uideamur, cum Manichæis inclamare blaſphemiam,Cum unum, eundemq; Deũ quẽ bonũ & iuſtũ aſſerimus hunc prędeſtinaſſe omnia ſcelera ęſtimemus, Recedant igitur uana argumenta,nihil habet cõmune præuaricatio delinquentis, & prædeſtinatio ulciſcentis,quia peccatũ in contemptu tranſgreſſoris eſt, ultio uero in iudicis æquitate conſiſtit. Et iã iſta ſi uera ſunt,quod quos ſemel deus prędeſtinauit ad uitam,etiam ſi nolint ad uitam perducẽtur inuiti, quos autem prædeſtinauit ad mortẽ,etiam ſi currant,etiam ſi feſtinent,ſine cauſa & fruſtra laborãt,Certe iam ceſſat lex,ceſſat ſacerdos,ceſſat deuotio populi,clauditur aula cœli,non aperit eccleſiæ gremiũ,redire uolenti. Nullus genu curuat deo,nullus benedictionibus caput inclinat, atq; ſic uniuerſa uirtutũ ſtudia cadẽt,id q non modo eſſet in religione Chriſti ualde abſurdũ,ſed & ſcholæ Philoſophorum non paterentur.Nam et ſi dixerint olim hęretici:Iudas quotidie uerbũ uitæ audiuit, quotidie adhęſit domino,quotidie uirtutibus occupatus fuit, quotidie ipſum filium Dei monitorem audiuit,& quia prædeſtinatus erat ad mortẽ,uno ictu mox interijt: Saulus quotidie perſecutor, quotidie lapidator Chriſtianorũ, quotidie uaſtator eccleſiarũ,et quia prædeſtinatus ad uitam,uno ictu ſubito uas electionis eſt factus. Quid ergo,inquiũt,tu qui in peccatis permanes,expaueſcis,ſi te deus dignabit,aut quid tu in ſanctitate uiuis,ſolicitus redderis?ſi deus uoluerit nunq̃ corrues,uterq; de deo ſecuri eſtote. Nunquid tu,qui ſanctus es, ſolicitus es, ne corruas & die noctuq; orationibus ades,occuparis ieiunijs, & diuinis lectionibus diligenter inſiſtis, orationibus uacas, atq; omnibus ſanctis ſtudijs quotidie incũbis, nunquid tua uoluntate ſaluus eris? nunquid ſanctior eris Iuda, qui accepit poteſtatẽ,infirmos ſanandi,dæmonia fugandi,mortuos ſuſcitãdi,calcandi ſuper ſerpẽtes et ſcorpiones,collega apoſtolorum,Chriſti diſcipulus, et tamẽ pdeſtinatus eſt ad mortẽ æternam et inuenit?Ceſſa eſſe ſolicitus, & de dei uoluntate eſto ſecurus,quoniam ſi te dignatur deus,ut permaneas,ſanctus eris.Aut tu,qui peccator es,diſce a Paulo apoſtolo. Nunquid tu aliquando peiora poteris committere quam ille commiſit, & tamen quia prædeſtinatus ad Apoſtolatum euaſit ſubito uniuerſa peccata, & ab inferioribus inferioris ad ſuperna ſuperioris aſcendit. Hæc ſunt aduerſariorum præſtigia ac tela. At uero: Non negamus, Iudas fuit Apoſtolus, & a Chriſti ueſtigijs non receſſit, ex ore eius die noctuque conſilia ſalutis accepit, ſigna uirtutum exercuit & uniuerſa obtinuit Apoſtolatus inſignia, & tamen, quia negligens fuit, cecidit.Vigila tu ne corruas. Eſto ſolicitus quia aduerſarius tuus ſicut Leo rugiens circuit,quærens ut deuoret.Hoc autem quod cecidit Iudas,non 1.Pet.5.
poteſt fuiſſe impietatis dei, neq; enim deus uoluit illum eſſe malignum, ſed quia fur erat,& loculos habebat,&erat in corde eius radix omnium malorum auaritia,cogitans lucrari denarios ex proditione ſua, ſeipſum

quasi uenalem traditorem offerens ac dicens: Quid uultis mihi dare & ego uobis eum tradam? Ideo cecidit miser, & crepuit medius, qui tanta bona diuina neglexit, qui medico præsente uulnera sua non solum curare, sed etiam augmentare studuit. In peccato itaque Iudæ grande sacrilegium, incomparabile facinus. Crimen enim de plagiarijs admisit, hominem liberum uendendo. Nec peius potuit admitti peccatum, quam hoc quod Iudas exercuit, sed nec Deus eum talem esse uoluit. Defendendus est ergo sanctus & immaculatus a crimine Deus, ne quem ille tradidit per auaritiam, nos per iniustitiam accusemus, & tollentes crimen Iudæ, dominum uocemus in culpam. Habemus itaque ante oculos nostros, seruum & dominum, magistrum & discipulum, dominum bonum, & hominem malum. Deus bonus est semper et summe, ac ex se, solus bonus, et Iudæ traditio mala. Si ergo Dei prædestinatio bona est, et Iudæ traditio pessima, impossibile est ergo, tenebris et lumini, bono et malo, uitæ et morti, ueritati atque mendacio, simul esse consortium. Iam uero ut nostra firmentur paulo ualidius, et Philistæorum superbia supprimatur aptius, Aliud est, Zelo malitiæ persequi innocētem, sicut Chain persequutus est Abel: Aliud est zelo dei persequi, sicut fecit Helias. Vnde cum Paulus obijcitur, qui sit persequutus ecclesiam Dei, nō est quod nostram possit superare sententiam. Nam addidit, abundantius, inquit, æmulator existens paternarum mearum traditionum. Et in alio loco, ignorans feci, inquit, quia recte fecisse putabat, cum nescierit Christum esse Dei filium. Vnde Deus cordis inspector, & fidei cōtemplator, fecit eum inuenire misericordiam. Quod ad Timotheum ipse probat: fui, inquit, persecutor, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. (1 Timot. 1) Seruo itaque bono ueteris legis quam sub pedibus Gamalielis didicerat, fideliter laboranti, fidem prosequenti, & quid faceret ignoranti dominus ait dicēs: Saule, Saule, quid me persequeris? Hunc ille quiescere fecit, quem persequitur ignorans. (Act. 9) Et qui prius ardebat in ueteri lege pro seruandis Dei mandatis, iam gratiam adipisci meruit, ut fieret uas electionis atq; magister gentium. Fidelis enim seruus esse uoluit, paternarum traditionum, quod displicere Deo potuisset, si iam non dedisset nouū mandatum, nouam legem, atq; misisset filium suum unigenitum in terram. Non ergo quasi personarum acceptor apprehendit nolentem, & fecit uolentem: apprehendit infidelem, & fecit fidelem: apprehendit inimicum, & fecit amicum: apprehendit malum, & fecit bonum: sed suum fidelem & pro se laborantem alloquitur et dicit: Quid me persequeris? At ille ipsa uerba, quę solent in obscuro dici, ait, Quis es domine? Et dominus: Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Statim credidit, statim quærens ferre se a synagoga ad ecclesiam, non mutando dominum, sed ipsum esse quem semper coluit, agnoscendo. Non ab alio Deo, ad alium dominum ueniendo, sed eundem esse dominum, quem semper coluerat comprobando: non ab infidelitate ad fidem ueniendo, sed ipsam fidem, quam iure habuerat, possidendo. Iustus ergo dominus ser-

nus seruum suum cognouit secundum quod ipse Apostolus ad Thimo 2 Timo.2.
theum dicit, Cognoscit dñs qui sunt eius, His autem quos uidet, non ue
ritatis defensione, sed uanæ gloriæ, & cupiditate aliqua eius seruos ia-
ctantes, clamat eis, dicẽs: Discedite a me, nõ noui uos, Discedite a me o-
perarij iniquitatis. Verũ quid illic diu moramur? legamus ipsum aposto
lum, et eũ dicentẽ inueniemus: si nolẽs hoc ago, dispensatio mihi credita
est, si aũt uolens hoc ago, mercedẽ accipio, Excludat a mercede, quia no-
lens currit inuitus et quõ stabit? ego sic curro, non quasi in incertum, ego
quotidie festino, et ad brauiũ uocatiõis supernę manus extẽdo, licet nihil
mihi conscius sim, non tñ in hoc iustificatus sum. Ne ergo nõ curramus,
nõ uigilemus aut oremus, necessitate prsuenti sese ubiqꝫ prodit Aposto
lus, unde nolite, ait, cõsentire operibus infructuosis tenebrarum, magis
autem redarguite. En dicit, nolite consentire, quia consensus noster eti-
am exigitur. Et hoc est, quod uenire iubemur, domino dicente: Venite
ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Cur hic
inuitamur, quia uenire non possumus? Et Petrus quomodo clamat: Vi-
gilate quia aduersarius uester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit,
quærens quem deuoret. Nihil est ergo, quod hic Lutherani somniant.
Quum uero Lutherus omnia gratię tribuat, negetqꝫ interea liberum ar
bitrium, forte non credet, quod ipsi proponimus, huic respõdeo, quod
lubens audire uellem, quis unquam salutem nolens consequi potuit Ba
ptismatis sancta mysteria? aut quis unquam nolens pœnitentiam egerit?
Voluntarie sacrificamus, uoluntarie cõfitemur. Adhuc uanam dicit ho-
minis uolũtatem, Quod si uana est, certe nec pręmia consequitur digna
nec supplicia meretur. Et nõ sine causa dicit dominus: Petite & dabitur
uobis. Quęrite et inuenietis, pulsate et aperietur uobis. Iubemur hic quę
rere, petere atqꝫ pulsare, & ita ut uniuersalẽ propositionem ac conclusio
nem faciat Christus: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, &
pulsanti aperietur. Ergo nihil petenti nihil dabitur: non quærens, non
uideo quomodo inueniet. De pulsante quid dicam? pulsat dominus ad
ostium cordis, pulsat uoluntas ad ostium paradisi, & ubique destruitur
ipsa necessitas. Deus facit, ut detur, ut inueniamus, ut aperiatur. Adhuc
operari oportet, alioqui nihil dabitur, nihil inueniemus, & semper extra
manebimus, Tanta est uoluntatis libertas, propter quod dicitur: Si uo-
lueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et longum esset hic enu
merare, quomodo gratia Dei quandoqꝫ uoluntatem pręueniat, & quo
modo uoluntas gratiã etiam quandoqꝫ præueniat, sed breuitati stude-
re uolentes hic satis fuerit intellexisse, uerum esse quod dicimus, & in a-
lio loco nostra firmata sunt, ubi per prophetam ait: Cõuertimini ad me,
& ego conuertar ad uos. Iam ut necessitatem firment aduersarij, Christũ
allegant alibi dicẽtem: Nemo uenit ad me, nisi quem pater traxerit. Dif-
fiteri non possumus, propria uirtute neminem uenire ad filium, nisi pa-
ter traxerit eum. Vnde cœtus sanctorum fatetur domino, dicens: Te-
nuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me, & cum
gloria

gloria assumpsisti me, sed non tenuit manum fugientem, nec deduxit,
Roma.12 aut assumpsit inuitum. Vnde legitur: qui se longe faciunt a te, peribunt,
Propior est nostra salus, quam credidimus. Quare abijciamus opera tenebrarũ, & induamus arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus. Dominus prope est, unde in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarũ actione, petitiones uestræ innotescant apud Deum. Dominus prope est
Philip.4 Vnde quærite dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est. Nõne testimonijs illis Lutheri destruitur necessitas? Licet ergo pater trahat, sitq; prope nobiscum, adhuc in attractum uel attrahendum, non cadet ipsa necessitas, cum non trahit inuitum. Licet enim sitibundi simus, atq; sitiamus auide & quemadmodum ceruus uitæ fontes aquarum, tamen adhuc legitur: Omnes sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite emite absq; ar
Esaiæ 55 gento, & absq; ulla commutatione, uinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem uestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima uestra. Inclinate aurem uestram, & uenite ad me, audite, & uiuet anima uestra, & feriam uobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles, Videte charissimi, quomodo & nos operari & cooperari oporteat, sumus enim cooperarij Dei. Et licet dñs custodiat ciuitatem, nihilominus & nos adhibemus uigiles & custodes. Et quanq̃ ipse sit qui ædificet domum, sine architectis autem & operarijs non ædificatur domus. Addo quod continuo multiphariam multisq; modis nos uocat et inuitat ad nuptias, ad cœnam magnam denique nos uenire ac pedibus moueri & accedere oportet, ne simus stationarij planetæ, in conspectu domini. Propositum est nobis stadium: at currere oportet ut apprehendamus, Neq; aliquis coronabit̃ nisi qui legitime certauerit & laborauerit sicut bonus miles Christi Iesu. Proin apostolus ait: Certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi coro
Roma.9 na iustitiæ quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Neque mouemur multo minus terremur quoties inculcauerint aduersarij non esse uolentis, neq; currentis, sed Dei miserentis. Nam iterum Dei testi
Esaiæ 1 monium opponimus illis. Ait per Esaiam dominus: Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: si autem nolueritis, gladius uos deuorabit. Os enim domini loquutum est, loquutum est autem os domini il
Deut. 11 lud, & in Deuteronomio, nec tamen sic intelligi debet, quod non sit uolentis, quasi nihil uelle possimus, neque non esse currentis, ut non sit no
Roma. 9 bis currendum, Alioqui frustra præcepit Apostolus: Sic currite ut com
1 Corin. 9 prehendatis, sed ita miserentis est Dei: Vt totum quod bonum facimus non nostris iustitijs, sed Dei miserationi humiliter adscribamus, Etiam ut hic non possit locũ habere necessitas. Vnde Paulus apostolus: Quid
1 Cor.4 habes quod non accepisti: quid gloriaris quasi non acceperis? Nos ergo
Psal. 88 miseri mendici, qui peregrini sumus, & aduenæ filij matrum nostrarum
1.Para. 29 semper egentes, accipientes aliquid gratiarum ab eo qui diues est in oẽs,

totum

totum illi debemus adſcribere, quod & Paulus fecit dicens: Gratia Dei ſum, id quod ſum. Et iterum: gratia ſalui facti eſtis. Et licet a Deo ſint omnia & ſine ipſo nihil facere poſſimus, non ſumus denicꝫ ſufficientes aliquid cogitare, ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: Nihilominus adhuc aliquid operari recte docemur, ne Deus non noſtra merita coronet, Qui eñ legitime certauerit, coronabitur, Et qui uicerit habebit coronam uitæ. Quod ſi totum regit neceſſitas, uanus eſt ſermo Pauli, dicentis: Ædificate alterutrum, omnia ueſtra ad ædificationem fiant. Et iterum: ut ſapiẽs architectus fundamentum poſui, Dein, ſi quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, lignum, fenũ, ſtipulam, uniuſcuiuſcꝫ opus quale ſit, ignis probabit. Et dominus in euangelio laudat uirum ſapientem, qui ædificat domum ſuam ſupra petram. Et propheta clamat: ædificate uobis domos non luteas, quæ a uento moueantur, ſed quæ maneant in ſoliditate petræ. Licet ergo uerum ſit, niſi dñs ædificauerit domum &c. adhuc tñ non deſtruitur hominis cooperatio, ſed potius Lutheri cadit neceſſitas. Et licet niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ in uanum uigilauerunt qui cuſtodiunt eam, adhuc tamen uigiles habent ſuas excubias, adhuc uigilandum eſt nobis. Vnde ſcriptura immo ipſa ſapiẽtia clamat: Beatus qui audit me, & qui uigilauerit ad fores meas quotidie. Et Matthæi xxiiij. Vigilate quia neſcitis qua hora dominus ueſter uenturus ſit. Et Marci xiij. Vigilate, neſcitis enim qua hora dominus ueniat. Et Matthæi xxvi. diſcipulis ait: uigilate & orate, ut non intretis in tentatiõem. Quod autem hic diſcipulis dicit, omnibus dicit. Et Lucæ xxiiij. Vigilate omni tempore, orantes. Et ad Cor. Vigilate & ſtate in fide. Et Petrus: Vigilate in orationibus. Atcꝫ iterũ: Sobrij eſtote. Vnde cũ Luthero, quãtumuis nos ualida neceſſitas angat, nõ dormiamus ſicut cęteri, ſed uigilemus, ſiue eñ uigilemus ſiue dormiamus ſimul cum illo uiuamus. Nam beatus eſt, qui uigilat & cuſtodit ueſtimẽta ſua. Quid ꝙ hunc pſalmiſtę locũ ita ſoluere poſſemus: a iuſto Abele, uſcꝫ ad Zacchariam, & Ioannem multi laborarunt, multi ædificarunt, ſed ad ſalutẽ & æternam patriam parũ præſtitit, niſi ueniſſet is qui uerus eſt architectus, qui potuit deſtruere templũ, & in triduo reædificare. Fuerunt multi paſtores, multi ſpeculatores, ſed uana & quaſi inutilis illorum cuſtodia fuiſſet, niſi ueniſſet ille, qui ſolus dicere poterat: Ego ſum paſtor bonus, & quotquot ante me fuerunt, fures erant atcꝫ latrones. Conati ſunt multi ſurgere ante lucẽ, contra quod ait: uanum eſt uobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtꝗ ſederitis. Tenebrę erant ſuper uniuerſam terram, ſed lux uenit in mundum, ut manifeſtaret occulta tenebrarum & tunc demum cœpit laus eſſe unicuicꝫ a Deo. Iam lux uenit, & lucet in tenebris, non in uanum ante lucem ſurgimus, necꝫ manducamus panem doloris. Reſtat ergo ne ocio pereamus, ut ædificemus noſtram domũ ſupra petrã, uigilemus expectãtes dominum. Quia neſcimus diem neque horam, Iam beatus erit ille ſeruus, quem cum uenerit dominus inuenerit uigilantem. Nunc forte nobis obijciunt aduerſarij ne

Hebręo. 11 | Roma. 10 | 1. Cor. 15 | Epheſ. 2 | Ioan. 1. | Ioan. 15 | 2. Cor. 1 | 2 Timo. 2 | Apoc. 3 | Iacobi. 1. | 1. Cor. 14 | 1. Cor. 3. | Matth. 7 | Lucæ 6. | Roma. 2 | Iacobi 1 | Pſal. 126 | Prouer. 8 | 1 Petr. 4 | 1. Petri 5 | 1 Theſſa. 5 | Matth. 24 | Ioan. 3 | Matth. 26 | Ioan. 10 | Pſalm. 126 | Gen. 1. | Ioan. 1. | Matth. 27. | 1. Cor. 4. | Pſal. 126. | Matth. 7 | Lucæ 12

Roma. 7. ſarij neceſſitatis abſolutæ aſſertores, dicit Apoſtolus: Non quo do lo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio. Id ſi uerum eſt non poteſt alia cauſa dari niſi neceſſitas, dicunt. En forte putant homi-
1 Cor. 3 nes iſti uoluiſſe Paulum loqui: mentiri uero noluiſſe, quum quod uolu it agere non potuit, mentiebatur, ergo uoluit pudicitiam, & omnes eſſe ſicut ſeipſum, ſed non quod uoluit bonum egit, Caſtus ergo non erat, fornicarius erat, & partem in regno cœlorum habere non poterat. Ni-
Rom. 1 hil ergo bonum, quod uolebat Apoſtolus operabatur. Datus eſt ergo in reprobum ſenſum, ut faceret ea, quæ non conueniebant, repletus omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, homicidijs, contentione & dolo, etiam forte quod maſculus in maſculum turpitudinē exercuit, ſic enim uolunt, & ita concludunt neceſſitatiſſimi Lutherani. Quid dicemus ad hæc? Non multa loquimur, nam res ipſa loquitur, non ita Paulum intelligendum eſſe. Sed ueſtram interrogo o uos Paulini prudentiam et ueſtram conſcientiam. Viuo autem iam non ego, dicit
Galat. 2 Apoſtolus, uiuit uero in me Chriſtus, quod autem nunc in carne uiuo, in fide uiuo dei. Quid nunc dicitis? Carnalis erat uir iſte, an ſpiritualis? Si dixeritis carnalis, conuincimini: Clamat enim, uiuo iam non ego, uiuit
Rom. 7 uero in me Chriſtus: Si cōſenſeritis ergo uos aduerſarij (ad uos enim ſermonem uerto) quod ſpiritualis fuerit, nobiſcum iſtum locum explanabitis, caput enim huius loci in hoc ſermone reperietis, quo inquit: ſcimus quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum. Si carnalis es, beate Apo-
1 Cor. 3 ſtole, quomodo argues carnales dicens: Et ego fratres, non potui uobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Et iterum cum dicit, cum
Philip. 3 ſit in uobis, inquit, zelus et cōtentio, nonne carnales eſtis? Et iterū, quotquot inquit ſpirituales ſumus hęc ſapimus. Docemur autem ſcriptis tuis uir dei, quod non ſolū ipſe ſpiritualis fueris, & in terra poſitus iure diceres conuerſatiōem tuam eſſe in cœlis, uerum etiam hoc docemur, quod
Galat. 6 & illi ſpiritales fuerint. Ait enim ad eos, ſi præuentus quis fuerit in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis corripite huiuſmodi in ſpiritu man-
Roma. 7 ſuetudinis. Quid ergo nunc nobis dicis? Scimus quia lex ſpiritualis eſt.
Corin. 9. Ego autem carnalis ſum. Ad hæc ipſe dignetur nobis dare reſponſum. Factus ſum carnalibus, quaſi carnalis, ut eos qui carnales erant lucrifacerem. Aperuit ſe nobis ueritas, & fallacia eſt a ueritate excluſa. Perſonam itaq; carnalis hominis in ſe magiſter ſpiritualis excepit, & ne quaſi iniurioſus doctor a ſe repelleret auditorem, ſe increpat, ut alium corrigat, unde hoc ipſum alibi commemorat dicens: Aut nunquid peccatum feci:
2 Cor. 11 me humilians, ut uos exaltamini? Quid ergo ego, inquit, qui uenundatus ſum, ſub peccato? Nunquid tu Apoſtole uenundatus es ſub pecca-
Roma. 7 to, qui olim Chriſti ſanguine redemptus, innumerabilem per Chriſtum deo populum redemiſti? Conſtat ergo quod Apoſtolus nō ſuam ſed alterius, id eſt carnalis, uiri uoluit hoc loco declarari perſonam. Ille eſt uenundatus ſub peccato, qui adhuc Chriſti ſanguine redemptus non eſt.
Rom. 7. Qui adhuc carnalis, ideo dicitur, quia filius carnis eſt, Et ideo dicit, q̄d

operor non intelligo. Non enim intelligit operationem suam gentilis, contra salutem suam, qui licet sit gentilis, bonum uult sibi prouenire, etiam adipisci bonum, possidere bonum, adquirere bonum salutis suæ ac uitæ suæ, sed non quod uult bonum hoc exercet, sed q̄d nō uult malum hoc facit, odit mortē, sed opera mortis exercet, odit periculum, sed operatio eius plena est periculo, odit omnia mala, sed quod odit hoc operatur. Quare? quia non habitat, inquit, in carne mea bonum, id est, non habitat in me deus uerus. Nam uelle adiacet mihi. Deum uerum me uelle certum est, sed hoc quod uolo non inuenio, Occurrunt enim mihi homini carnali uenundato sub peccato, homini qui quod operor non intelligo, homini qui non quod uolo bonum hoc, sed quod uolo malum illud facio, homini in cuius carne non habitat bonum, occurrunt ista omnia ut perficere bonū non inueniā. Cōdelector tamen legi dei, secundū interiorem hominē, Ideo interior homo meus in quo est intellectus meus condelectatur legi dei, qui dicit unum et inuisibilem deum debere adorari. Quamuis enim carnalis sim, scio tamen lignū & lapidem deum esse non posse, sed uideo aliam legem, contra sensum meum, repugnantē legi mentis meæ, quæ dicit & probat, hos deos non esse posse, repugnat tamen lex carnalis legi mentis meę, et captiuum me ducit in lege peccati, quę lex non est lex in mente mea, sed in membris meis. Corpore enim dico, ubi animo nō consentio. Infœlix ego homo. Nō hoc de se dicit Apostolus Paulus, Non enim erat infœlix, sed beatus & sanctus est. Infœlix ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per dn̄m Iesum Christū. Veniet ergo gratia baptismatis sacri, & carnalē hunc faciet spiritalē, & uenundatū sub peccato redimet à peccato. Et iam inde non dicet, q̄d operor non intelligo, non em̄ quod odit malum hoc aget, sed quod uult bonum hoc faciet, scit enim quoniam iam habitat in carne eius bonum, id est spiritus sanctus, per quem & uelle ei adiacet & perficere. Inueniet pro sua bona uoluntate, iamque securus condelectatur legi dei, secundum interiorem hominem, quia non uidet aliam legem in membris suis, solam enim legem Christi in se habet, quæ non repugnat menti eius, & non ducit eum captiuum in lege peccati, sed liberum eum ducit ad uitā æternam. Et iam non infœlix homo, quia hæc omnia mala euasi, & hæc omnia bona inueni. Quis autem mihi hoc præstitit requiris? Gratia dei per dn̄m nostrum Iesum Christum. Et ne remaneret expositionis huius ambiguitas, qua putaret Apostolus, de se ista dicta, ponit uerba increpatiuo modo legēda. Quibus ait, Igitur ipse ego mente seruio legi dei, carne autem legi peccati: Nihil ergo damnationis est in Christo Iesu, his qui secundum carnem ambulant, hoc est, si ego qui sum Apostolus carnalis existimor. Nihil habebunt damnationis, hi qui carnaliter uiuunt. Et adiecit: lex autem spiritus & uitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. Vnde & in alio loco dicit: Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, nunc autem liberati a peccato, serui facti estis dei. Porro iam si necessitas omnia causat, quomodo propheta

Rom. 7

Genuina perobscuri loci ad Roma. 7 expositio.

Gala. 3.

Roman. 7

Philip. 2

Roma. 7

Roma. 8

Psalm. 27

Psalm.27. propheta dixit: Ex uoluntate mea confitebor domino, &, uoluntarie
Psalm.53. sacrificabo tibi hostiam laudis. Vanum est ergo atque cassum, quod de
Psalm.106 necessitate, quod de seruo arbitrio ac de absoluta necessitate toties no-
bis inculcat Lutherus. Nunc uero Vigleuista aliquis opponet: Dicit
Roma.5 Apostolus: Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, non per uo-
luntatem nostram, sed per mortem filij eius, Et ergo non uocantur nisi
prædestinati, qui & soli saluantur. Negare non possumus, iussi sunt apo
stoli uocare omnes gentes, Nempe dictum est illis: Euntes docete o-
Matth.28. mnes gentes. Omnes ergo ante aduentum suum prædestinauit, omnes
Marci.16. ergo gentes prædestinauit ad uitam, quia omnes gentes uocauit ad ui-
tam. Qui uenerit adscribet diuinæ clementiæ prædestinanti pariter &
Lucæ 14 uocanti: Qui autem non uenerit imputet suæ negligentiæ contemnenti
pariter & nolenti. Non.n. diuinæ prædestinationis est, ut fieret forsitan
malus, nec uoluntas dei est, quando diaboli uoluntas impletur, Inimicæ
enim sunt istæ & contrariæ uoluntates, & non potest una fieri absque con
temptu alterius. Qz si non uocantur aliqui ad uitam, in illis qui non uo-
cantur, diaboli uolūtas impletur. Iam si quis Manichæus, Viglephus aut
Lutheranus dixerit: Si deus uult hominem esse bonum, & ille bonus
non est, tenetur ergo necessitate deus. Respōdeo: Tu, mi Manichæe, mi
Viglephe, aut quisquis es Lutherane, Nescis quod saluator homini dat
monita, non suæ utilitati necessaria, sed nostræ saluti utilia? Quædam fieri
iubet, ut uitam obtineas: Quædam prohibet fieri, ut mortem euadas. Si
audieris, imputabis saluatori quod uiues: si contempseris, tuæ imputa-
bis ignauiæ, dum cœperis mortis sentire tormenta. Quod si tu dicas,
mortem egroti medici imperitia euenisse, nos docemus medicum ex
omni parte perfectum: Si autem dixeris, eius uoluntate te in mortis inte
Ezech.18. ritum deuolutum, ipse tibi exclamat: Nolo mortem peccatoris. Quem
si interrogare merearis & dicas: Si hoc non uis, ostende quid uelis? Re-
spondebit: Volo ut conuertatur & uiuat. Si potest homo deo nolente
delinquere, quanto magis potest deo uolente delictis finem imponere.
Si potest homo, quod deus non uult, quanto magis potest homo uelle,
quod DEVS uult. Si potest homo deo nolente perire, quanto magis
potest deo uolente saluari. Si potuit homo deo nolente implere uolun-
tatē diaboli, quāto magis potest homo deo uolente implere uoluntatē
dei. Si potuit homo prædestinationem dei sua auersione contēnere, quā-
to magis prædestinationē dei sua cōuersione complere. Dixit itaque deus:
hoc uolo, illud nolo, id est, nolo mortem morientis, uolo ut cōuertatur
& uiuat. Quod dixit uolo, hoc prædestinauit, Nihil enim prædestinauit
iniustus: Quod dixit nolo, destituit. Si potest homo uelle & facere, q̄d
deus non uult, quanto magis potest & uelle & facere, quod deus uult.
De perditione hic agitur hominis & salute: Deus uult ut saluemur, dia-
bolus uult ut pereamus. Si potest fieri perditio hominis quā uult diabo-
lus per nos et per nostram negligentiam, quanto magis potest fieri libe-
ratio hominis, quā uult deus per diligentiā bonæ & fidelissimæ uolūtatis?

Id quod

Id quod si uerum non esset, iam id caderet quod legitur: Omnis qui pe- Matth. 7.
tit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Neq; uerum esset, Mar. 11.
quod quęrit dominus, dicens: Nunquid pater si filius petierit panem, la Lucæ 11.
pidem porriget ei? aut si piscem, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Attende, quid sit, quod ipse promittit patrem in cœlis bona daturum petẽtibus se. Et tanta est uoluntatis libertas, ut non solum adultus, sed & infans, iam ab utero materno solutus, quam primũ unda baptismi tingendus fuerit, ter interrogat̃ an baptizari uelit, & baptizandus ter respondet & dicit, uolo, Et quomodo respõdet, uolo, si non est hic quicquam nisi mera absoluta necessitas? Et quomodo Baptismus inuito dabitur ac nolenti? Et is quomodo iuxta Apostolorum instituta diabolo atq; pompis mundanis renunciat, si liberum non esset sed necessitate uinctum quod renunciat? Sed fugere oportet, ne nouam Camerinam moueamus, credentes atque dicentes paruulos non esse baptizandos, quod ex Lutherana officina, una cum alijs impietatibus multis erupit. Satis hic eñ fuerit ex Ecclesiæ obseruatione, baptismum nõ necessitate absoluta licere scilicet ad salutẽ Sacramenti necessariũ cõcedi, sed a baptizãdo consensum uel proprium uel alienũ requiri: liberũ est eñ omnibus consentire uel negare. Iam ut assertionem Lutheri trucidemus, eñ aliquã e Salomone similitudinẽ affero: Ait Salomon: Amator factus sum formæ illius, et hãc quęsiui assumere mihi, & currebam post eã. En hic est gratia dei, neq; negare uolumus, ut uideat, ut sit factus amator pulchritudinis eius, pulchra est, fidelis est, Illa summi regis filia. Hanc pater sua gratia nobis ostendit, ut essemus amatores formæ illius. Iam illam quęrere oportet, Nam nisi quęramus eam, ut argentũ, & nisi ut thesaurum uestigemus eam, & curramus post eã in signũ amoris, nequaq̃ illius participes erimus. Ad hoc est, qui diligit patrẽ & matrem plus q̃ me, non est me dignus. Quid facit amor? Certe mirabilia: Sese ipsum pandit, neque cælari potest. Quisquis amat, signa quidem ostẽdit amoris. In Bethania Lazaro mortuo lachrimatus Ioan. 11.
est Iesus, Dixerũt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Nõ sunt hic mentiti alioqui mendacissimi Iudęi: sicut neq; sorores, nunciantes atq; dicẽtes: Domine ecce quẽ amas infirmatur. Cõfirmat eñ etiã ille discipulus quẽ diligebat Iesus, qui testat̃ aperte, quomodo Iesus diligebat Marthã & sororem eius Mariam & Lazarum. In signum amoris ergo lachrimatus est. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit quod
Iesus accubuisset in domo pharisęi, attulit alabastrum unguenti & stans Lucæ 7.
retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Vides aũt Pharisęus, qui uocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utiq;, quę & qualis esset mulier quę tangit eum &c̃. Meruit ipsa audire disputationẽ Simonis & domini, ac dominũ tandem concludentem atq; dicentẽ Simoni: Vides hãc mulierem? Intraui in domum tuam,

 aquam

aquam pedibus meis nō dedisti,hæc autem lachrymis rigauit pedes meos & capillis suis tersit.Osculum mihi non dedisti,hæc autem ex quo intraui non cessauit osculari pedes meos.Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguēto unxit pedes meos.Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur,minus diligit.Iam Luthere quā diu dormies, & quam diu dormitabis? quam diu stertes? Signum dilectiōis est, operis exhibitio,Alioqui mentitus est dn̄s,qui propterea uenit in mundum, ut signum dilectionis ostenderet.Nam ita scriptum legimus: Sic deus dilexit mūdum,ut filiū unigenitū daret,ut omnis qui credit in eū, non pereat,sed habeat ui
Ioan.3 tam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum,ut iudicet mundum,sed ut saluetur mundus per ipsum.Qui credit in eum, nō iudicatur,qui aūt non credit,iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij dei.Hoc est autem iudicium,quia lux uenit in mundum,et dilexerūt homines magis tenebras,q̄ lucem. Erant eñ eorum mala opera.Omnis enim qui male agit,odit lucem,& non uenit ad lucem,ut non arguantur opera eius.Qui autem facit ueritatem,uenit ad lucem,ut manifestentur opera eius, quia in deo facta sunt.Et Ioannis xiij. Cum dilexisset suos,qui erant in mundo,in finem usq; dilexit eos.Et mox surgit a cœna,ponit uestimenta sua,linteum accepit,sese quoq; præcingit, mittit aquam in peluim, & non modo lauit pedes discipulorum, sed & linteo quo præcinctus erat extergit, illisque mandatum dilectionis iniungit.Et cōditionem dilectionis adijcit:Si diligitis me,mādata mea seruate. Et iterum: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.
Ioan.14 Atque iterū:si quis diligit me,sermonem meū seruabit, et pater meus diliget eum,& ad eū ueniemus & mansionē apud eū faciemus.Qui non diligit me,sermones meos non seruat.Vide tu Christiane Lector,quā pulchre nos Christus post fidē ad charitatē hortatur, nō ex necessitate quadā,sed ex dignitate rei:& ostendit quid ad uerā charitatē exigatur.Amoris ergo constantis officiū est,ut om̄is qui amat,cupit,rogat,uigilat,currit,festinat,satagit,per amicos,per notos,per familiares, per seruos, per seipsum,oportune,importune, obsecrationibus,promissionibus,& nihil omittit,quod ad perfectū spectat amorē.Hic ergo gratia præueniens est,gratia quoq; subsequens,& destruitur ipsa necessitas.Arbitror ego, & persuadeo mihi,candide lector, Manichæis,Vigleuistis, & Lutheranis,satis superq; responsum, & declaratum esse, de absoluta necessitate quicquid uel dixerint,uel affirment aut statuant, firmum & stabile non esse.Quum uero Lutherus ueluti fortis ille uenator Nembroth pro sua consuetudine prodit semper, ut faciat & ædificet turrim cuius culmen pertingat ad cœlum, proditque gloriose,uelut ille uir spurius,de castris
1.Reg.17 Philistinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi,& cassis ærea super caput eius,& lorica hamata induebatur. Porro pondus loricæ eius quinque milia siclorum æris erat,& ocreas æreas habebat in cruribus,& clypeus æreus tegebat humeros eius. Hastile

autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri. Ita & hoc loco gloriam immortalem consequi uolens Martialis Lutherus in assertionum suarum libro prçter hæc Manichçorum & Vigleuistarũ, quç fundamenta & obiecta Artic. 36 diluimus, quadruplici argumento suam assertionem de absoluta necessitate firmare & stabilire tentauit. Primo enim loco refert sese ac sua dicta ad Viglephum hæreticum, in uniuersali Constantiensi concilio, cui tot sancti & docti interfuere patres, damnatum: Et per locum ab authoritate putat Viglephum recte docuisse, quod ex absoluta necessitate eueniant omnia. Sed bone Deus, quomodo hic habent similes labra lactucas? Nemo est inter Christi fideles qui ignorat quomodo Viglephus fuerit & sit sal infatuatum, quod ad nihilum ultra ualuit, nisi ut mitteretur foras, ecclesiam ille nõ audiuit, habendus itaq; fuerat Viglephus quemadmodum etiã Lutherus uelut ethnicus & publicanus. Et hic ego quid Matth. 18 dicam? tanta est in Luthero impietas, ut etiam Ioannes Hus, Picardi, Ioannes de Vessalia, ac ipse Viglephus in multis nostrę religionis orthodoxæ articulis religiosiores & meliores fuerint catholici, quam fuerit in hanc horam atq; sit Martinus Lutherus, & sectatores eius. Mihi ergo multis gradibus præferenda uidetur uniuersalis ecclesia uni Viglepho, quem sibi Lutherus quasi pro oraculo Apollinis habet. Ecclesiam enim 1 Timo. 3 Apostolus Paulus dicit esse domum dei, columnam & firmamentum ueritatis, hanc ueluti sponsam Christi audiendam, hæreticum uero hominem post unam & alteram correptionem respuendum, uitandum & fugiendum docet idem Apostolus, peruersus enim est, qui huiuscemodi est, & suo proprio condemnatus iudicio. Cæterum & secundo loco dicit Lutherus: omnia ex absoluta necessitate eueniunt, sicut Viglephus Constantiæ damnatus recte docet, quod & poëta uoluit, dicens: Certa stant omnia lege. Ecce quomodo Lutherus hæresim hanc suam ex hemistichio poëtæ munit, & fulcit: inquit enim poëtam dixisse, certa stant omnia lege. Quod si (ait ille) certa stant omnia lege, ergo ex absoluta necessitatę eueniunt omnia. Sed miror hac parte, Lutherus qua ratione motus fuerit, ut docere audeat, aduersus Euangelium dei pręualere poëtæ testimoniũ, atq; huius gñis poëtæ, qui cum antiquis philosophis fatũ ponit. Hemistichion enim hoc quod legimus, & cui fidem ac authoritatẽ tantã dari uult ac prçcipit Martialis Martinus, est antiqui illius poetæ Marci Manilij in quarto Astronomicon libro. Sic enim ille scripsit:

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege
Longaq; per certos signantur tempora cursus
Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Ecce quid hic poëta falso doceat. Fata, inquit, regũt orbem, certa stant omnia lege. Quod si Lutheri testimonium ex Marco Manilio efficax & firmum est, Iam quid aliud totus & solus Euangelista & Euangelicus homo, si dijs placet, Lutherus docet, quam quod contra oẽm scripturã sanctam fatis orbem regentibus subiecti simus. At contra theopneumo

poëtam hunc arbitramur nõ usq; adeo abs re fore, si poëtarum, & maxime eorum, qui præcipuam inter doctos authoritatem habent, in hac materia proferamus testimonia. Poëtæ autẽ quibus pręcipuus locus passim & maior datur authoritas, nequaquam docuerunt ex absoluta necessitate euenire omnia, siquidem deos & musas implorare consueuerunt.

Verg. 1 æn. Virgilius quippe Poëtarum inter latinos maximus cecinit in hęc uerba:

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

Et iterum: Di prohibete minas, di talem auertite casum.

3 æneid. Et placidi seruate pios.

Dij talem auertite pestem. Et in alio loco:

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Ver. 7 æn. Ouidius autem, qui etiam non infimum locum inter poëtas tenet, æque ut alij, rogat. Ait enim ille: Di cœptis

Oui. 1 Me. Aspirate meis, primaq; ab origine mundi

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Oui. 1 fast. Et alibi: At pia propensos uota rogate Deos.

Oui. 2 trist. Et iterum: Exorant magnos carmina sæpe Deos.

Rursus in alio loco idem Ouidius de arte amandi:

Munera, crede mihi, capiunt hominesq; deosq;,

Placatur donis Iuppiter ipse datis.

Sæpe Iouem uidi, quum sua mittere uellet

Oui. 5 fast. Fulmina, thure dato, sustinuisse manum.

Iuuenalis autem satyricus ille & magni nominis poëta, sic orat:

Iuue. 10 sat. Da spatium uitæ, multos da Iuppiter annos.

Et idem docuit: Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Persius tale quid uoluisse uidetur, in quinta satyra docens:

Vatibus is mos est, centum sibi poscere uoces,

Centum ora, & linguas optare in carmine centum.

Et iterum idem Persius: Petite hinc iuuenesq; senesq;.

Finem animo certum, miserisq; uiatica canis.

Pręterea lubens poëtas reliquos prętereo, Horatium quidem, Statium & plerosq; alios, qui cum nihil absolutæ necessitati tribuendum esse scirent, precationes ad Deos, & Musas, queãdmodum & reliqui fecerũt. Proin Hesiodus ille græcus latine redditus hæc habet:

Hesiodus. Mobilis & uaria est alti natura tonantis

At si tardus aras, tardus tibi solus aranti

Afferet auxilium largis imbribus ęther

Nec solum hac ratione nihil uidentur Poëtæ tribuisse absolutæ necessitati, sed etiam uelle & uoluntatem liberam asseuerauerunt in homine, Id quod constantissime negat Lutherus. Sic enim Persius ait:

Persi. 5 sat. Mille hominum species & rerum discolor usus.

Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno.

Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti

Rugosum piper, et pallentis grana cymini

Hic satur

Hic satur irriguo mauult turgescere somno
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In uenerem putris, sed cum lapidosa Chiragra
Fregerit articulos ueteris ramalia fagi. Et Ouid. ij. Metam. sic ait:
Sponte sua properant, labor est inhibere uolentes
Inter utrumq; tene.

Iam itaq; ubi Lutherus testimonio utitur poëtę Manilij, fatis omnia duci trahiq;, liceat & nobis, priores alios & forte meliores sanctioresque poëtas, contrarium & in diuersum canentes, testes & quasi iudices uocare, Atq; adeo audiat ille post hæc fatorum assertor, Horatium utcunq; olim Hæresi Epicurea primo seductũ ac postea ductum pœnitentia resipuisse, Deo tribuisse omnia cum hæc cecinit:

Act. 1. Nõ est uestrũ nosse tempora, & articulos tẽporum quę pater in sua ipsius constituit potestate.

Parcus Dorim cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atq; iterare cursus
Cogor relictos &c. Ac paulo post:
Et insignem attenuat Deus,

Exemplũ quo resipiscat Lutherus.

Obscura promens, &c. Et libro tertio carminum manifeste ostendit, deum unum omnia regere, & posse, ac præcipue præter alia crimina impios & nefarios homines punire, cum sic ait: Scimus ut impios

Psalmista: In corde suo non est Deus.

Titanas, immanemq; turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbeis, regnaq; tristia,
Diuinosq; mortaleis turmas
Imperio regit unus æquo. &c.

Deposuit potentes de sede.

Et eodem in libro, deum esse omnipotentem non fata:

Delicta maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædeisq; labenteis Deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.

Et hæc cõsonant scripturæ & propheticis oraculis.

Qua porro reuerentia erga Deos fuit Horatius ipse, longe melior humanæ uitæ præceptor, & pietatis, audiat Ethnici poëtæ Lutherus precationẽ ex primo epist. libro, ut optimus poëta, si ante Christũ natus fuisset, liberum arbitriũ uel his uersiculis approbare & cõtestari potuisset:

Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, ut mihi uiuam
Quod superest æui, si quid superesse uolunt Di.
Sit bona librorum & prouisę frugis in annum
Copia, nunc fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Sed satis est orare Iouem, qui donat & aufert:
Det uitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

Pater noster. Panem nóstrum quotidianum da nobis hodie.

Et iam si ex ineuitabili necessitate eueniunt omnia, quomodo ergo locum habet

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni

Qua biuiũ Herculis aut si inanis uia uirtutis aut uia uitiorę significata est. Nolo hic uiam latam quæ ducit ad interitum, aut uiam arctam & angustam quæ ducit ad uitam commemorare.

Aut quomodo cecinit Vergilius:

Perge modo & qua te ducit uia dirige gressum.

Horat. in Epist. Vel quomodo scriptum est in Horatio:

Oderunt peccare boni, uirtutis amore

Oderunt peccare mali, formidine pœnę.

Quod si in hominibus nulla est prudentiæ pars, sed plane ex absoluta necessitate pendent & cõtingunt omnia, iam quomodo Iuuenalis in VI. Satyra testatus est, Vt utile quid sit

Prospiciunt aliquando uiri, frigusq́; famemq́;

Formicam quidam tandem expauere magistram

Aut quomodo stabit Ouidius:

Temporibus medicina datur, data tempore prosunt,

Ouidius Et data non apto tempore uina nocent.

Atq́; iterum idem de Egisto quodam habet:

Quæritur Egistus quare sit factus adulter,

In promptu causa est, desidiosus erat.

Desidiosus erat, inquit Naso, propterea factus est adulter, nulla cum necessitate cogente.

Et ad quid Horatius in Epistolis docuit:

Ira furor breuis est, animum rege: qui nisi paret,

Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce cathena.

Ecce quorum Psaltes ille regius docuit in chamo & freno maxillas constringendas, qui non approximarent deo, hos poeta frenis & cathena compescendos putat. Sed quid proderunt chami & freni, aut etiam cathenæ, si absolutæ necessitati obediunt omnia?

Quare mi Luthere, ad te enim iam sermonem uerto, quãdo absolutam necessitatem usq́; adeo pertinaciter probas, ac ab inferis reuocare non formidas,

Versus est ex Martiale coquo Mentiris uanoq́; tibi blandiris honore.

Respice quod non es

Tecum habita noris q́; quam sit tibi curta suppellex

Vergil. 4 Ge. Persi. saty. 4 & 3 Tange miser uenas, & pone in pectore dextram

Lusisti satis, edisti satis, atq́; bibisti

Tempus abire est.

Verg. 1 æn. Nos autem

Per uarios casus per tot discrimina rerum

Tendimus in Latium.

Vides iam pie Lector, quisquis fueris, q̃ parum imo nihilum subsistat, quod pro necessitate absoluta Lutherus ex poeta Marco Manilio furatus est, quando tota poetarum cohors, noua quasi poetica coniuratione in

ne in sexcentis & pluribus locis ex diametro contrarium canunt & ceci-
nere poëtæ. Sed

Sicelides Musæ paulo maiora canamus,
Si canimus syluas, syluę sunt consule dignę. Ver.in 4 æglo.

Inquit per omnia euangelicæ & doctrinæ & uitæ homo noster Luthe-
rus, si dijs placet: Christus ait Matthæi sexto: Folium arboris non ca-
dit in terram sine uoluntate patris qui in cœlis est, & capilli capitis ue-
stri omnes numerati sunt. Ergo, ut ipse ex his colligit, eueniunt omnia
ex absoluta necessitate. Dignū hic uas habet operculum. Nempe quod
dicit Lutherus, uerum non est, id quod ex Euangelio citat, nusquam
est, de folio in terram cadenti nullus Euāgelistarum unquam meminit,
nisi passerem quis pro folio cōmutare uelit aut possit. Adhuc Lutherus
audet, pro sua apostatica impudentia, euangelistam citare Matthæum,
quasi ille scripserit de folio cap. VI. En usq; ad raucedinem quotidie ac
toties contra traditiones humanas clamat & inculcat, nihil Euangelio
addendum, nihil minuendum. Et en ut locupletius euangelium habea-
mus, audet addere quod nunquam loquutus est dominus, de folio scili-
cet in terram cadēti. Si quisquā alius fecisset, quam ipse Martinus, quot
brucos, quot impudentes dialogos in se cōcitasset? Gloriatur Paulus se-
se predicare id quod accepit a domino, Contulit cum apostolis Euange
lium quod predicauerat. Et Corinthijs scribens: Notum, ait, facio uo-
bis fratres, Euāgelium, quod predicaui uobis, quod & accepistis, in quo 1 Cor.15
& statis per quod & saluamini. Sed si Luthero crediderimus, ab eo tem Gala.2.
pore quo prodijt Euangelium Christi, plane mancum fuit, curtatum at-
que insufficiens, nullibi enim in Matthæo leges de folio quod cadit in
terram. Cum itaq; tantam sibi uendicarit ac arroget authoritatem Lu-
therus, ut etiam audeat pro suis dictis firmādis e Matthęo citare locum,
qui nullibi reperitur etiam si mille euertas exemplaria, mirum non fuerit
neq; uideri debet, totidem post illum ire Germanos, et maxime gregem
illum pusillum. Sed ista sinamus, cum in aperto sit, hunc locum in Euan
gelio non esse &c̄. Demus illi locum & mutuemus pro folio passerem,
ex capite Matth. x. quando dicitur: Nonne duo passeres asse ueneunt?
& unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro. Ecce breuibus
os illud aureum Ioannes Chrysostomus hic nihil aliud uoluisse domi-
num declarat, q̄ nihil ignorante domino et clam deo fieri solere aut pos-
se. Nouit enim cuncta deus. Hieronymus autem hic prudentem lecto-
rem admonet, ut sibi superstitiosam intelligentiam caueat. Nam sensus
est: Si parua animalia et uilia absq; deo auctore non decidūt, & in omni
bus est prouidentia, & quæ de his peritura sunt, sine dei uoluntate non
pereunt, uos qui æterni estis non debetis timere quod absq; dei uiuatis
prouidētia. Iste sensus latenter etiam in eo tenore cōprehensus est, quan
do sic ait dominus: Respicite uolatilia cœli, quoniam non serunt neque
metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa.
Nonne uos pluris estis illis? Ac considerate lilia agri quomodo crescūt,
& reliqua.

& reliqua. Si autem foenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos modicæ fidei? Immensa itaq; dei erga homines prouidētia hic in Euangelio ostenditur, & tamen nequaquam necessitatem rebus imponit. Prouidentia est dei uoluntas, & id nemo sanus negare poterit: uoluntas autem dei quomodo sese habeat ostendimus. Et si sint aliqui dei prouidētiam negantes, hij uiderint quomodo respōdeant. Nam sic & hac assertione impia, dei misericordia destruitur, etiā iustitia subsistere nō potest, Bonus est.n. deus, beneficus ergo, si beneficus, prouisor est, & licet Democritus, Heraclitus & Epicurus nullam rerum prouidentiam admittere uoluerint. At Paulus nos & quosuis Christianos de prouidentia dei reddit certissimos. Ait enim: non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus, & non de hominibus cura est deo? Quod si de nobis cura deo est, quid necessitatem plantamus? Frequens in ore Lutheranorum est, scripturam per scripturam probari posse atq; interpretari debere. Id ergo facere uolentes, & nos Petrum in testem habemus. Præcepit ille: humiliamini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis, omnem solicitudinem uestram projcientes in eum, quoniam ipsi cura est de uobis. Hæc tamen cura de nobis non est ea atq; talis, ut propterea non sit in nobis electio, possumus enim declinare uel ad dexteram uel sinistram, eligere uitam aut mortem, apponere manum ad ignem et aquam, seruare præcepta siue transgredi: Pulsat uero ut intromittamus, inuitat ut reficiamur. Si audierimus eum, introducet nos in terram lacte & melle manantem, bona terræ comedemus, prouidit enim ista: si uero non audierimus, deuorabit nos gladius. Præparatum est nobis regnum coelorum ex prouidentia dei, si cibauerimus eum quando esurierit, ubi potum dederimus, cum sitibundus est, quando nudum uestimus, hospitem colligimus, quid dicet? Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod paratum est, Et unde? prouidentia dei, Et quando? a constitutione mundi, Et dicet rex, quo nulla necessitate Lutheri obstante & electionem & bona opera approbet: Amen dico uobis quam diu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Facere ergo & nō facere electionis est. Nam nō facere uni de minimis istis, si necessitatis est, iniustissimus iudex erit qui dicet his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis suis. Et quare paratus est? Quia quam diu non fecistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis. Et ibunt hij in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Quur hij in supplicīū ęternum? Nam inuitati ad conuiuium sese excusarūt. Vnus eñ dixit: uillam emi & habeo exire & uidere illam, rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Tertius autem dixit: uxorem duxi, Et ideo non possum uenire. Nonne isti inuitati potestatem & electionem habebant ueniendi? Nam diligenter inuitati fuerant, eapropter homo qui coenam magnam fecit, dicit: Nemo uirorum illorū qui uocati sunt, gustabit coenam meam, sed

Lucæ 14.

iusti ibunt in uitam æternam, quia ueste nuptiali induti sunt ad nuptias. Et quid ultra dicam? prouidentia dei factum est ut possent decem uirgines non solum habere lampades, sed & oleum sumere secum. Quinque autem fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum, prudentes uero secum acceperũt oleum in uasis suis cum lampadibus. Moram autem Matth. 25
faciente sponso dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autẽ nocte clamor factus est: Ecce sponsus uenit, exite obuiã ei. Tunc surrexerũt omnes uirgines illæ & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicẽtes: ne forte non sufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendẽtes & emite uobis. Dum autem irent emere, uenit sponsus, et quę paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime uero ueniũt & reliquę uirgines dicentes: Domine domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico uobis, nescio uos. Vigilate itaq; quia nescitis diem neq; horam. Quis nõ hic uideret dei prouidentia factum, ut haberent omnes & singulæ uirgines suas lampades, exierunt omnes obuiam sponso & sponsæ, fatuæ autem non sumpserunt oleum, prudentes uero surrexerunt & ornauerunt lampades suas, iam uero ueniente sponso intrauerunt cum eo ad nuptias. Nouissimæ autem hoc est fatuæ non aliqua necessitate sed ignauia propria non intrauerunt, Eapropter, & non ob necessitatem audiũt, nescio uos. Et ut plene ac absolutissime Lutheranam hęresim confunderet, in Euangelio dominus ait & adiecit: uigilate. Quid autẽ uigilare iubemur, cum uigiliæ nostræ non prosint? Dei ergo est prouidere, & nostrum est obsequi. Deus solicitus est nostri, dicente Propheta: Dominus solicitus est mei. Voluit tamen ut & nos essemus in præceptis seruandis soliciti. Vnde Iosue xxiiij. Postquã pacem dominus dederat Israëli, et postquam diuiserat terram filijs Israël secundum quod dominus imperauerat, uocauit Iosue omnem Israëlem, maioresq; natu & principes, ac duces ac magistros, dixitq; ad eos: Ego senior & progressioris ætatis sum, uosque cernitis omnia quæ fecerit dominus deus noster, cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro nobis ipse pugnauerit, & nunc quod sorte diuisit omnẽ terram, ab orientali parte Iordanis, usq; ad mare magnum, multęq; adhuc supersunt nationes, Dominus deus noster disperdet eas & auferet a facie uestra, & possidebitis terram sicut uobis pollicitus est. Tantum cõfortamini & estote soliciti, ut custodiatis cuncta quę scripta sunt in uolumine legis Mosi, neq; declinetis ab eis, neq; ad dexterã neque ad sinistram, ne postquam ueneritis ad gentes quæ inter uos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earum & seruiatis eis, & adoretis illos, sed adhæreatis dño deo uestro, q̃d fecistis usque in diem hanc, & tunc auferet dñs deus in conspectu uestro gentes magnas & robustissimas, et nullus uobis resistere poterit. Vnus ex uobis persequẽt hostium mille uiros, quia dominus deus uester pro uobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantum diligẽtissime præcauete, ut diligatis dominum deum uestrum

um uestrum. Quod si uolueritis gentium harum quæ inter uos habitāt erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia atq; amicitias copulare, Iam nunc scitote quod dominus deus uester non eas delebit ante faciem uestram. Quomodo itaq; sit deus nostri solicitus, uide nunc lector, ex his quæ proposuit, mortuo Mose, Iosue filius Nun, omnino hoc declarans, quod filij Israēl id quod in se est facere debeāt, Proin dei prouidentiam non necessitatem ponimus, id quod nisi dixerimus, feceri mus & docuerimus, iniustus est dominus, qui mechiam esse declarat & dicit: si quis inspexerit mulierem ad concupiscēdum eam, mechatus est in corde suo. Videre mulierem, atq; concupiscere, electionis non necessitatis est actus, alioqui mentiretur scriptura: Auerte oculos tuos ne uideant uanitatem. Consyderet & recto iudicio sibi commemoret necessitatis absolutę autor Lutherus. Saturaui, inquit per Hieremiā dominus,
Hiere.5 eos & mechati sunt & in domo meretricis luxuriabātur. Equi amatores in fœminas et emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniebat. Ecce saturaui eos, inquit prouidentiæ dominus, at ipsi mala atq; pessima sua uoluntate seducti sunt. Qui dat ergo nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, & plenitudinem messis annuæ custodit, adhuc metuendus est, Quod si non fiat, en cum propheta dicimus: iniquitates nostræ declinauerunt hæc, & peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis. Clamat dominus ad nos: Adhuc stultus est populus, cor habet, & non intelligit, oculos, & non uidet, aures, & non audit, ꝑpterea dominus toties intonat: qui habet aures audiēdi audiat. At quid toties ꝑbata prolixius in immensum protēdimus? quippe uanū est & a ueritate alienum quod ex effičto Euangelij loco nobis proponit Martinus. En pie lector, ut nihil ad rem faciat quod ex Matthæo citat Lutherus, pro passere folium legens, & uerbum domini prorsus in sensum adulterinum trahēs. Prębet ille pro pane lapidem, pro pisce serpentem, & pro ouo scorpionem, expectauimus uuas, et ille fecit & dedit nobis labruscas, uuas acerbas, Lutheranum lutron, hoc est saniem uulnerum nostrorum stillantes, a quibus & obstupuerunt dentes nostri. Postremo loco ut & sibi nō desit, sed sit sibi semper similis Martis filius, utpote ut instar hæreticorum domini ignitū & purgatum septuplum eloquium, uerbum uidelicet dei castum, uertat in scoriam, & uinum aqua misceat, ac pro suo sensu propriæ innitens prudentiæ, Euangelicam ueritatem praua corrumpat intelligentia. Ecce magnum & sanctum illum prophetam Esaiam in testem absolutæ suæ necessitatis uocat, dicens insultasse Esaiam et dixisse: Bene quoq; aut male, si potestis, facite. Sed cæcus palpans in meridie parietem, si cæco ducatum præstat, nonne ambo in foueam cadunt? Et hic breuibus quid dicam, ut tandem & semel finiam? Disputatio catholicorum contra Viglephum & contra Lutherum est, num hominibus ex absoluta necessitate contingant & eueniant omnia. Lutherus errans et nesciens scripturas, ignorans deniq; quid et de quo dicat, Audi quid facit: Esaiam loquentem de idolis, & mutis simula

chris gen

chris gentium ac idololatrarum, pro peruerso suo sensu torquet et inuertit, quasi propheta Esaias loquatur de hominibus. Subscribamus igitur, ut appareat ueritas, Esaiæ uerba, & ecce sic Esaias atque his uerbis insultat per apostrophen, dicens: Accedant & nuncient nobis quæcunque uentura sunt, priora quæ fuerunt nunciata, & ponemus cor nostrum, et sciemus nouissima eorum. Hæc quæ uentura sunt indicate nobis, nunciate quæ uētura sunt in futurū, & sciemus quia dij estis uos. Bene quoque aut male si potestis facite, & loquamur & uideamus simul. Ecce pro nihili uos estis, & opus uestrum ex eo quod non est, abominatio est, qui elegit uos. En dij gentium dæmonia, & simulachra gentium argentum & aurum. Et quæso: Dicant Idola quæ insensibilia sunt, & nec audiendi nec respondendi possident facultatem. Dicite (inquit) nobis uel præterita uel futura, & ex rerum euentibus uestram potentiam demonstrate, hoc autem significat, quod post aduentum Christi omnia Idola conticuerint. Vbi Apollo Delphicus & Loxias, Deliusque, & Clarius, & cætera Idola, futurorum scientiam pollicentia, quæ reges potentissimos decee perunt? Cæterum Esaias hic signum dedit, Idola deos non esse, quod nec bene possint facere, nec male. Non quo Idola uel dæmones assidentes Idolis, mala sæpe non fecerint, sed quo nisi concessa eis fuerit potestas a domino, hoc facere non possint. Denique in Euangelio deprecantur, ut habeant potestatem in porcorum gregem. Et in Iob legimus, absque domini iussione tam uiri sancti nec iumenta quidem & possessiones ualuisse disperdere. Nec mirum hoc de deo, cum etiam Apostolus Paulus tradat quosdam satanæ, ut discant non blasphemare. Siue hoc dicendum, quod muta simulachra gentium & insensibilia, nec bene possint facere, nec male, nec præterita nosse nec futura, quia ex nihilo sint, & ex eo q̄d non est, & nō tam ipsa, quam ille qui ea colat, abominatione condignus sit. Idola enim gentium argētum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non uident, manus habent, & non palpant, pedes habent et non ambulant, neque clamabunt in gutture suo. Quomodo ergo possunt scire & nunciare uentura, aut narrare præterita, et bene facere uel male, quæ nec hominum sensum habent, nec brutorum animantium? Nec interest, de qua materia facta uideantur, cum uniuersa terrena sint. Cogitent nunc & intra penetralia cordis deliberent ac seruēt, quicunque nostra, seu potius quæ dei sunt, legerint, quam grauiter & impie sit lapsus Lutherus, absolutam necessitatem adeo pertinaciter & inuerecunda frōte atque pertuso ore predicans. Qua mala opinione nihil nocētius, nihil tā pestiferū in ignobile uulgus spargere et immittere potuisset. Ego omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifacerē, zelo domus dei motus, & ab erroribus impios reuocare uolens hæc scripsi. Det deus pacē Ecclesię suæ. Fiat fiat.

Esa. 41.

Verb. Hieronymi in Esaiam.

LIBRI ADVERSVS ABSOLVTAM NECESSITATEM A MARTINO LVTHERO ASSERTAM, FINIS.

IOANNIS FABRI

EPISCOPI VIENNENSIS LIBER DE SACRO-
ſancto miſſę ſacrificio, ac Sacerdotio nouę legis,
In M. Lutheri Cacodæmonem.

ARGVMENTVM LI-
BRI SEQVENTIS.

PAucis ab hinc diebus, Martinus Lutherus, librū iuſtæ magni-
tudinis contra ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ac ſacerdotium
nouæ legis ædidit, in quo palam profitetur, quomodo intem-
peſta quadam & media nocte a diabolo fuerit expergefactus, quodque
idem diabolus ſecum de abroganda Miſſa, atque aduerſus ſacerdotium
nouæ legis, ſat prolixū ſermonem ex corde ſuo habuerit. Additq; quod
idem ille diabolus multas ei ac frequentes moleſtias inferat, ac eidem ſæ
pe inſomnes reddat noctes. Eamq; diſputationē in hoc habitam eſſe di-
cit, ut penitus, etiam uulgato libro, Miſſæ ſacrificium ac ſacerdotium no
uæ legis abrogare prętendat. Fatetur inſuper ſeſe in huiuſmodi cum dia
bolo colloquio præ anxietate dediſſe ſudorem. Et poſtremo laudat dia
bolum, quod argumēta ſua bene locare nouerit, utaturq; graui ac ſubli
mi dicendi genere. Præterea non mirum eſſe affirmans, ſi quandoq; nō-
nulli reperiātur in lectis mane mortui, qui noctis tempore ſint iugulati.
Etſi, etiam teſtante Chriſto, diabolus non ſolum ſit mendax, ſed & men
daciorum omnium pater, nihilominus tamen in eo libro Lutherus ad
omnia quæ Satan ex corde ſuo protulit, aliud nihil reſpondit ac colle-
git, quam quod diabolum in hac cōtrouerſia, aduerſus Miſſam, Miſſę-
que ſacrificium, ac Sacerdotium nouæ legis deprehenderit ueracem eſſe,
beneque eum ſenſiſſe ac uera dixiſſe. De ea re, utpote num uera ſint, quę
Cacodæmon ex corde Lutheri profatus fuit, in ſequenti li-
bro diſputabitur, neq; dubitamus Sole meridiano
clarius futurum, hic principem tenebra-
rum uana ac falſa ex corde Lu-
theri dixiſſe.

Ad Ephe. IIII.
Nolite locum dare diabolo.

I. Petri. V.
Chariſſimi, uigilate, quia aduerſarius ueſter diabolus, tanquam Leo ru-
giens, circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.

Omnibus

OMNIBVS ET SINGVLIS ORTHODOXAE, VETERIS, VERAE,

indubitataeqꝫ fidei imitatoribus ac assectis, Ioan. Fabri Episcopus Viennen͠. à deo Opt. Maximo, domino & Saluatore nostro, gratiam, pacem, ac omne bonum ex animo precatur & optat.



FRATRES IN CHRISTO DILECTISSIMI, Quot quantasqꝫ Satanas, omnium bonorū aduersarius ac obex, hactenus per Martinum Lutherū, quondam Diui Augustini monachum professum, turbas dederit, fere Germanorum tota natio, non tam bonorum detrimento, quam proprij sanguinis effusione in proximo grauissimo rusticorum tumultu (misere sane ac quod omnibus dolori esse debet) clarissime didicit ac experta est. Ille, inquam, Satanas aliquot retroactis annis perpulchre sese in angelum lucis transfigurauit, ac perinde ut olim in paradiso, uerbum domini sexcenties adulterauit. Et quemadmodum coram Christo scripturam parum dextre tractauit, ita nunc lōgo tempore idem per Martinum Lutherum, olim cucullatum, nunc uero religionis catholicæ, professionis monasticæ, ac sacerdotij apostatam, sub Euangelij prætextu, ferme totum Euangelium, imo totam scripturam sanctam corrupit, ac adulterauit. Quamuis enim multi simplices hactenus Martini Lutheri dogmata loco ueri ac purissimi Euangelij habuerint, eaqꝫ a spiritu sancto proficisci certissimo sibi persuaserint, Deus tamen omnipotens ac benignus (cui gloria sit in ęternū) tandem aliquando pro sua ineffabili misericordia ac benignitate Germanicæ nationi liquidissime ostendit, quod in pręsentiarum ac deinceps etiam cognoscere, manibusqꝫ ferme, quod dicitur, cōtrectare possimus, doctrinam illam Martini Lutheri, nullo pacto a patre luminum aut e spiritu sancto (quam hactenus illi sui ordinis homines tribuerunt) sed potius ex Cacodęmonis Satanę instinctu proficisci. Paucis enim ab hinc diebus sub Martini Lutheri titulo ac nomine libellus contra orthodoxum missæ sacrificium ac aduersus honorabile sacerdotium nouæ legis æditus ac euulgatus est, in quo ipse ingenue fatetur, quo pacto sit de media intempesta nocte a diabolo expergefactus, quodqꝫ ille suus spiritus (ut aiunt) familiaris, quinque articulos etiam ex imo corde suo contra sacrosanctum missæ sacrificium, ac ordinationis sacramentū proposuerit. Quæ sane uerba sunt horrenda, & a quouis Christiano homine aliena, quando ipsemet Deus Opt. Max. non diabolus, cum suis prophetis locutus fuerit, testimonio ac authoritate Mosi in monte Oreb, id quod etiam testantur reliqui prophetæ non tam Esaias q̃ Hieremias, atqꝫ alij. Et sanctus ille propheta Zaccharias affirmat diuinum angelum ex se loqui, Tum etiam cōcludit ac asserit Diuus Petrus, quod sancti illi ac deo

2. Cor. 11
Matth. 4
Exod. 3
Esaiæ 1
Hierem. 1
Zacch. 2
2. Pet. 1

1.Cor.3 pleni homines, e spiritus sancti inspiratione oracula quasi ędiderint & lo cuti sint. Eodem pertinet, quod nobile illud uas electionis sæpius nobis inculcat, uidelicet, quod in cordibus nostris spiritus sanctus uersetur, ac habitet, propterea & templum dei simus. Solus tamen Lutherus alium adducit spiritum, qui ut ipse fatetur, in corde suo domiciliū construxit. Is autem est satanas, Cacodæmon ille apostata, calumniator, ac aduersarius noster. Sed quam detestabilis sit illa nostra ignauia, quod non solū audire, sed etiam ferre ac tolerare cogimur Germaniæ nostrę nouū apostolū, non deo sed Cacodęmone plenū, nō Christi euangeliū, sed satanæ cōmenta passim spargentē (ita eñ ipse de se scribit) posteritas nr̄a procul dubio sedatis olim temporū nostrorū tumultibus prope iudicabit. Ad
Ioan.8. hęc quādo Iesus salutis nostrę author, aperte satanā mendacē, imo mēdacij parentē appellat, solus ille Lutherus noster suū Cacodęmonē ueracē uocat. Cū igitur diabolus ille multis iam annis tanq̄ truculētus ac rugiēs
1. Petri 5 Leo in multos sæuierit, sitq; etiā nostri officij in hoc mūdo, cōtra princi-
Ephe.6 pē tenebrarū belligerari, age uideamus, nūquid ille malignus spiritus ex corde Lutheri uera aduersus sacrificiū missę ac euangelij sacerdotiū profatus fuerit, nec ne. Ante hac plane ferendum ac tolerabile erat, quando Liechtēbergius ille insignis mathematicus Lutheri præstigia pręsagiens ante sexaginta annos, eiusdē humeris satanā e cuculla ꝓspectantē attribuit, Iam uero pręclare nobiscū agetur, quādo relictis humeris, idē satan intima pectoris penetralia occupauit. Quamobrem oēs Christi fideles adhortor ac admoneo, uelint sese sacrosanctæ crucis signaculo tueri, cōtra tam perniciosissimi dęmonis astus ac uersutiā, qui iam longo tp̄e Christi ecclesiā tam misere uexauit, ac turbat quotidie. Statuerā ego quidē in animo, me nihil amplius in Lutherū scribere uelle, & hoc iuxta diui Pauli pręceptū, qui hęreticum hominē post unā atq; alteram correptionē deuitandū censet, Cumq; iam in ꝓfesso et palā sit etiā ut cæci uideāt, Luthe-
Tit.3 rū non solū gladio sacræ scripturæ uerumetiā sui ipsius ac suorum æqualium inconstantia non modo uinctum, sed & iugilatum esse, ea propter in hac parte homini inconstantissimo nihil respōdendum fuerat: Perpulit me tamen ad scribendum indignitas rei, quod Lutherus non modo hactenus sub Euangelij splendore tot cruentos tumultus concitauerit, sed quod tam præsumptuose affirmat se satanæ hortatu ac instinctu scribere, uisum est itaq; ex urgente conscientia esse operæprecium, me conatibus istius Cacodæmonis obuiā ire, qui denuo nescio quas cruētas molitur seditiones. Et licet sane permulta sint, quæ a scribendo me merito retinere ac absterrere possint & debeant, maxime quod nō ignorē quāta sit satanæ fraus ac uersutia, qui primas in cœlo discordias ac dissensiones inceptauit, ac deinde in paradiso miseriæ nostræ fundamenta iecit,
Iob.1 quiq; sancto illi Iob quatuor bene instructæ domus parietes demolitus est ac destruxit, atq; adeo temerarius est, & petulans, ut nec ipsi Christo
Math.4. in solitudine pepercerit, nihilominus tamē eū aggrediemur, nosq; cōtra eius impressionē gladio sancti spiritus (quod est uerbū dei syncerū & in-

corruptum

corruptũ) tuebimur. Ibi aũt uidebimus quid poſſit ſatan in nos ueneni ſpargere, nunquid eius flexus, ſtrophas, & dolos, puriſſimi Euangelij ſimplicitate effugere queamus, Hocq; ex animo faciã, ut tanq̃ fidelis ac uigilans paſtor & ſpeculator, diuini uerbi, ac ueteris et orthodoxæ fidei imitatores in officio contineã & admoneam. Ita enim optimi quiq; intelligent Lutheri ſpiritum non eſſe illum cœleſtem ac ueracẽ, uerũ potius quaſdam infernales noctis & tenebrarũ furias. Ego etiã ſemper ea cogitatione fui, ut ingenue uerũ fatear, hocq; animus mihi præſagiebat, fieri aliter non poſſe, quin Lutherus non ex alio fonte tot miſerias, calamitates, ruinas, ſeditiones, & ſcripturæ adulterationes, nobis afferet, q̃ ex eo qui eſt princeps tenebrarũ ac pater mendacij, Hoc nũc res ipſa, imo Lutheri ſcripta propria teſtantur. Ipſe enim hoc de ſe etiam teſtimonio libri ſui nuper ędidi fatetur, quod ex corde ſuo loquatur diabolus. O cõſtantes & firmi Chriſti ſectatores, ad uos namq; ſermonem uerto, uero atq; ſancto ſpiritui ueritatis magiſtro adhærete, atq; huic quem nobis Saluator noſter Ieſus Chriſtus ſeſe miſſurũ promiſit, quemq; primi illi in Hieruſalem Chriſtiani unanimiter accepere, potius quam Cacodęmoni fidẽ adhibeatis. Si quis uero ex aduerſarijs eccleſiæ dei, uolet ſatanæ diſcipulus ac ſectator eſſe, Belial doctrinam ſequi, hic quod certo ſibi polliceat, non habet certius aliud, q̃ quod in ualle Ioſaphat ad ſiniſtram ſtare cogetur, ac perpetuo iudicio damnabitur in ignẽ æternum, qui diabolo et angelis eius paratus eſt. Qui uero ſtabunt a partibus ſpiritus ſancti, eiuſq; doctrinam ſequũtur, qui in æternum domui dñi, hoc eſt uniuerſali eccleſiæ præeſt, benedictionem conſequentur æternam, ac intrabunt in perpetuũ illud regnũ, quod Deus Opt. Max. omnibus ſeſe ac illius orthodoxam religionem uere diligentibus a cõſtitutione mundi parauit, Id quod nobis concedere dignetur is, per quẽ, & ex quo, & in quo ſunt omnia, ipſi honor & gloria, per infinita ſęcula ſæculorum

Ioan. 3.

Matth. 25.

AMEN.



VVM IGITVR LVTHERVS ITA IMPVdenter, etiam publice diuulgato libro profitetur ſeſe cũ diabolo, qui ſuo cordi inſideat, habere colloquia, age uideamus principio qui nã ſit ille diabolus, aut quonam in ſacrę ſcripturę loco reperiatur, etiamſi nemo exactius malum hunc genium cognoſcere poſſit, quam ipſemet Lutherus. Videtur aũt merito ſatanas appellari poſſe, ſatanas enim Hebræis nihil aliud ſonat quam remoratorem, plerunq; enim hoc nomen in ſacris literis reperitur, et pro boni alicuius retardatore uel oppreſſore accipitur. Ita enim ſcriptura ſatanã inducit ſeptem filios ac tres filias Iob, et quantum ad eum pertinuit, etiam ipſum Iob, ab honeſta conuerſatione impe

Iob 1 & 2

 ne impe

Matth.4. ne impedire uoluisse. Ita conatus fuit a sancta patiẽtia dñm Iesum salua
Matth.16. torem nostrũ deterrere, retrahere, ac alienare. Nec aliter discipulos Iesu
Lucæ.22. Christi ab eius doctrina alienos reddere studuit, quod etiam dñs testa-
1 Thessa.2 tur, Ecce, inquit, satanas expetiuit uos. Quid quod etiam ipsum Paulũ
iisdem insidijs aggressus est, ut ipse de se scripsit ad Thessalonicenses, ad
quos quidem semel atq; iterum uenire statuerat, satanę tamẽ tricis impe
1 Timo.5 ditus uenire nõ potuit. Eodem modo, tẽpore Sancti Pauli perinde ac
nřo (proh dolor) multæ deo dicatę uirgines, insidijs ac satanę dolis de-
uictæ, uotorumq; deo nuncupatorũ immemores, mundanis se rebus ac
uoluptatibus carnis immersere, quæ omnia satanę adscribẽda sunt, tanq̃
Apoc.2 omniũ bonorum euersori. Ille enim suam habet synagogam, suũ aperit
ludũ, ex quo pessimi quiq; proficiscuntur discipuli, qui deinde mala pro
Acto.5 mouent, ac bona remorãtur, sicuti etiam exemplo nobis est Ananias. Ita
Ioan.13. Iudas, qui q̃primum in bolo panis eundẽ satanam absorpserat, nihil de-
inde facere pensi quicq̃ habuit. Quamobrem omnibus Germanis horrẽ
dum auditu est, Lutheri cor satanam occupasse. Iam inde enim usque ad
hæc tempora satanas ille operam dedit impedire omnia bona, & proue
here omnes nequitias ac malignitates, atq; adeo ita probe suum munus
adimpleuit in organo suo apostata Luthero, ut omnis improbitatis nu-
meros merito adimpleuisse uideatur. Lutherus enim certe affirmauit,
peccare iustos in omnibus bonis operibus, ita ut si etiam quis optime fa-
ciat, uideatur tamen quasi quoddam ueniale peccatũ admittere. Præter-
ea actum esse de operibus nostris, nos nihil præter dei iracundiam ac
furorẽ promereri. Ad hæc Euangeliũ non posse ferre bona opera. Por-
ro fidelem non indigere aliquo pręceptore, imo potius quicquid in mẽ-
tem usu uenerit agere debeat, atq; ita suum absoluisse pẽsum affirmauit.
Item quod nemo possit dei præcepta bonis operibus adimplere. Item
errare eos ait, qui bona opera doceant, nihil autem ea aliud esse quam o-
pera satanæ. Item quod Christus legem adimpleuerit, & quod nos ei-
us satisfactione tueri ac excusare possimus. Item perniciosum esse, homi
nes sanctos Christi præcepta tradere. Item esse blasphemiam, si quis ar
bitretur per bona opera posse iustificari. Item non posse agi cum Deo
bonis operibus, etiamsi ea ita præceperit. Item homines quamlibet pec
catis onustos saluari posse. Item Christum tolli posse per opera bona.
Item quod iustificatio operum ad damnationem uergat. Item quod bo
In præfati. na opera saltem reddant adulatores ac assentatores. Postremo quicunq;
dicant bona opera esse facienda, eos Christum negare asserit. Per has
ac huiusmodi plane satanicas traditiones, res eo loci peruenit, quod bo
na opera penitus in ijs locis extincta sunt, ubi huiusmodi traditionibus
Lutheranicis aditus patuit. Quam enim & quam feruenti deuotione exi
mijsq; honoribus Deus per inclitã Germanię nationem affectus fuerit
anteq̃ Lutherus suũ uirus spargeret, omnibus perspectũ est. Rursus ue-
ro (proh dolor) quomodo ritus diuini, ecclesiasticæ ceremoniæ, crebræ
orationes, ac ieiunia abolita ac sepulta sint: contra autem, ferias sextas &
integram

integram quadragesimam Lutherus, cuius deus uenter est, penitus aboleuerit cum multarū animarum detrimento, in professo & palam est. Et ut rem in pauca conferam: S. Ioannes uerissimum prophetam egisse mihi uidetur, qui satanam in ultimis temporibus, uinculis solutum iri prædixit. Quod si ita est, nostra ætate certissime ex malis quā plurimis euenisse uidemus, adeo ut arbitrer hunc cacodæmonem quem Lutherus in corde se gestare profitetur, merito satanam appellari posse. Cęterum arbitror hunc malum Lutheri genium posse etiam Belial nominari, cuius hoc est officium, docere nō esse magistratib. obsecundandum. Legimus enim hūc maximos tumultus cōsciuisse ac excitasse, Temerarij enim illi ac petulātes Belial filij Gabaam peruenere, ibiq; nephanda perpetrasse feruntur mala. Quamobrem legimus etiam in Deuteronomio grauissimas aduersus Belial filios pœnas constitutas fuisse, adeo ut non immerito Paulus noster exclamet, nihil esse Christo cum Belial commune. Apoc. 20. Iudicū. 19. Deut. 13. 1 Corin. 10.

Ad hæc plane compertum est quod iam inde a multis sæculis in Germania (quā proinde a fraterna charitate appellatā affirmāt) omnia tranquilla, ac in summo pacis ocio usq; ad hūc Lutheri apostatæ pestilentissimū aduentū semper fuerint. Lutherus tamen ille primus tranquillissimæ pacis interpellator, scribere ac in uulgus prodere ausus fuit, magistratibus non esse obediendum, imo potius principes, magistratus ac omnes superiores ac maiores exterminādos, ac e medio tollēdos. Rursusq; nobilitati (ea em̄ est apostatæ incōstantia) miseros illos ac misere deceptos agricolas excarnificandi liberā potestatē tradidit, nescio quibus indulgentijs etiam oblatis, si nullū superstitem ac uiuū esse fineret, Idemq; etiam in nouo illo libello iam recēs aduersus altaris ministerium sacrosq; ministros molitur. Quis igitur Lutheri cacodęmonem non merito Belial appellaret? quisq; oēs Lutheranos non merito Belialitas diceret? a Christo em̄ plane alieni sunt, nam Christus in omnibus fere sacrę scripturę locis obedientiam ac humilitatem cōmendat ac præcipit, Cæsari, inquiens, dandū quod sit Cæsaris. Qui cum etiam liber ab exactionibus publicis ac tributis immunis esset, neq; uectigal aliqd persoluere deberet, nihilominus tamen pro se ac Petro tributum, in signum ac testimonium obedientię, numerare non grauatus est. Videamus autem quid doceat Belial suū sectatorem. Nihil plane aliud deprehēdemus, quam ut gloriosissimo ac inuictiss. Cæsari audacissime ac petulantissime conuitium faciat, eiusq; edictū multis calūnijs proscindat ac exagitet, reliquosq; electores ac principes, tyrānos ac scurras impudentissime & citra oēm delectū appellet. Is est ille ipsissimus Belial, q Lutherū docuit, ut in eo libro quē ad Germanicā nobilitatē scripsit, turpissime effutiret, rē nō esse in suo loco priusq̄ talorū tenus in cruore ac sanguine ambularemus. Et quis adeo a communi sensu ac omni intellectu alienus est, q hanc Belialiticā ac plane diabolicam orationē nō exhorrescat? ne hoc interim dicā, qd principes stolidos ac fatuos magna cum licentia uocitat, quæ res subditos in odiū suorum magistratuum fatale & uix extinguibile erexit ac concitauit. Hæc sunt Matth. 22 Matth. 7

 illa egre-

illa egregia opera principis tenebrarum, quem Belial appellamus. Belial præterea est etiam ebriorum ac lurconum deus, ac quasi tutelare numē,
1. Reg. 1 atq; inde ebriosi ac temulenti filij Belial appellari possunt, sicuti etiam in primo Samuelis libro testatur Anna uxor Helchanæ ad sacerdotē Heli dicens: Ne me habeas in numero filiarum Belial, cum neq; uinum neq; quicquam quod inebriare possit, biberim. Illud enim insigne Lutheri dæmonium nullo hactenus alio quam Epicurus aut Apitius aliquis artificio usum est, in illecebris ac cupedijs commendandis, explosis procul ieiunijs ac castigationibus carnis, quasi uero dominus noster Iesus Christus (ut ipse ait) in quadraginta illis diebus pro nobis hoc pacto satisfecerit, ac ieiunauerit ut nullę rei minus intendere debeamus q̃ ieiunare, orare, ac cæteris bonis uacare operibus. Recte ergo genius ille malus Lutheri Belial nomē sibi appositissimū accipiet ac sortietur, nam etiā in Euangelio ita uersatus est, ut pro cōperto habeat quo pacto dn̄s seruator noster Iesus Christus docuerit discipulos suos, esse quosdam dæmones, qui
Math. 17. Marci. 9. nō alia ratione q̃ frequētibus ieiunijs ac precibus depelli ac eijci possint. Nam dęmoniū illud Lutheri quod Belial appellamus ita uersutū fuit, quod prius quasi præstructo aditu docuit non esse ieiunandū, nullam dierum habendam rationem, dominicis iuxta ac sextis ferijs carnibus uescendum, quasi uero dn̄s nobis non exempli gratia ieiunauerit, sintq; illa Niniuitarum ieiunia inania, ac frustra facta. Ipse em̄ aperte docet dies esse pares,
Ionę. 3 & tum demū ieiunandum esse, quando præ ebrietate ac crapula alioqui edere non possis. Hoc etiam docuere Epicuri de grege porci, hoc docuit Philoxenus ille qui gruis guttur sibi optauit, ut diuturniores persentisceret cibi & potus uoluptates ac titillationes. Hanc deniq; passim tradidere doctrinā filij Belial, quorum deus uenter est. Hic Lutherus Belial mancipiū occasionē nactus culinariā suam exercuit, hic nihil temeritatis ac licentiæ relictū est, nam cum per integrā quadragesimā turpissime carnes helluati sunt, ad sacrosanctū paschatis festū haletia, salsamēta, deniq; ac putridas harengas, ac id genus alia, in contemptum ecclesiæ deuorare consueuerūt, sicq; totū ordinem catholicū inuertere conati sunt. Nam in cœna dn̄i pro assis piscibus, assa farcimina, ac pro agno paschali, tostas nefrendes procacissime ac nullo delectu habito cōmessati sunt, ac ingurgitauerunt, & interim homines illi Euangelici se spiritu dei repletos gloriati sunt. Spiritus uero ille sanctus D. Pauli, quem etiam ex tertio cœlo
Rom. 4 retulit ut de se fatetur, Romanos ac Corinthios docuit, ita exclamans: Si
1 Cor. 8. esca scandalizat fratrem meum, non mādūcabo carnes in æternū, nihilominus tamē neglecto hoc tam egregio ac ualido Pauli dicto, alijsq; multis exēplis contemptis, insignes illi Belial discipuli ac Lutheri asseclæ multa milia hominū omniū ferme nationum in turpissimā licentiæ ac temeritatis sentinam coniecere, etiā exhorrescendæ istius intonationis immemo
Math. 18. res, quod Christus ijs qui alicui offendiculo sint, lapidem molarē ac in mare profundissimum deturbationem minatur ac intentat. Nam etiamnū hoc moliuntur ac multis simplicibus Euangelij prętextu imponūt, cum impijs exclaman-

exclamantes: Tempus uitæ nostræ breue est, agite in delitijs ac illecebris uersemur ac uiuamus. Agite, cito creaturis in ętatis nostrę flore utemur. Sapien.2
Agite, perfundamus nos odorifero uino ac preciosis aquis, nullus flos istius æui nobis effugiet. Agite, ex rosis corollas nectamus antequam exarescant, adeo ut merito hic cōcludere possimus, hūc spiritū malignum Belial nominari posse, quicq; hunc secuuti fuerint Belialitas esse. Nihil etiam impedit quo minus māmon uocari possit, nam omnes ferme principes ac dynastas ecclesiasticis bonis ditare conatus est, etiam edicto cauēs, nullum ex monachis deberi in albū academiæ Vittēbergensis referri, qui non calicem, patellam aut monstrantiā, et alias id genus ecclesiasticas manubias ex monasterio suo compilarit ac furatus sit, ipsicq; māmoni obtulerit ac dedicarit, aut Luthero & suæ Nōnæ pro strenis donauerit. Demum ille malus genius quem Lutherus in pectore sese gestare fatet, non absurde etiam Beelfegor appellari possit. Is em̄ erat absurdus quidam ac impudicus deus in ciuitate Nabo, quem etiā scriptura Chamos et Priapum nominat, huic inquam domina Maachan olim seruiuit, de quo sic Oseas propheta: Ingressi sunt ad Beelfegor ac probro affecti. Hic est ille impudēs Beelfegor, de quo legimus in Numeris: Egressi sunt ex Ægypto Israëlitæ, & cum filiabus Moabitarū deliquerunt, quæ mulieres populum ad sacrificandū dijs suis inuitarūt, et Israël subiecit sese Beelfegor. Oseæ 9. Nume.25.
Quę nā huius idoli imago ac simulachrū fuerit, Lutherus perfricta fronte ꝓclamaret. Ego tn̄ pro mea modestia, simulatq; q̄d scriptura obscœnitatem uerborū ac turpitudinē auersat̄ ac fugit, ne simplices & paruuli scandalo afficiantur aliquo, illius impudētissimā formā ac imaginē Priapeiam data opera silentio prætereo. Hoc unū tn̄ summatim ac in genere dicam, ꝙ ille Beelfegor erat nihil aliud q̄ omnis impudentiæ luxuriæq; idolū aliquod. Cum autē Lutheri scripta percurrimus, nihil aliud obuiam habemus passim, quam liberrimā uerborū ac rerū obscœnitatem. Veteres.n. illi poëtæ, qui res obscœnas ac amatorias descripsere, cū Luthero nullo pacto in comparationē uenire possunt, ita ipse passim in libellis suis omnē impudētiæ fenestram aperit, docēs fornicandū esse, imo etiam maritatis adulteriū cōcedit, illisq; uernulas earū tribuit ac dedicat, imo ꝙ a sæculo auditū nō est, licentiose permisit, ac suis scriptis approbauit, mulieres castitatē seruare nō posse, proin absentibus maritis, uel etiā ægrotātibus, domi licere uxoribus coadiutores impune asciscere, ꝑtereo huiuscemodi alia multa, quiuis.n. apte deprehēdet Lutherū facile obscœnitate ac turpitudine superare Anon illū obscœnū ac impudentē regē, q nuncijs Dauidis barbas dimidiatim abrasit, ac uestes supra pubē ꝑcidit, ꝓinde necessario sequit̄ ex supradictis, Lutheri cacodæmonē Beelfegor nominari posse. Nec quicq̄ obstat q̄ minus ille cacodæmō possit Beelzebub uocitari, q et si muscarū et incolarū Acharon deus fuerit, suū tn̄ etiā in scriptura nomē habet q̄d agilis sit, ac hinc inde sese q̄ celeriter moueat, ꝓinde Hebræi etiā illū Reseph appellant, hoc insuper addentes hunc esse qui sub serpētis specie in paradiso primū Euam deceperit. Hic est ille inq̄ 2.Reg.10. Vide Hierony. in Abacuc.3
princeps

princeps cacodęmonum,ut Christus ipse testatur,quem sire uera a pernicitate uolandi uocāt,legationē suā per Lutherū egregie absoluit,nam quicquid sancti,religiosi, pij ac deuoti illi patres instinctu spiritus sancti iam inde ab ascensione Domini honeste ac unanimiter constituere ac confirmarunt, hoc omne Lutherus ille Apostata, paruo temporis spatio pro sua uirili non solum pessundedit, uerumetiam funditus diruit ac demolitus est, simiam imitatus, quæ si tectum aliquod inuaserit,
3.Reg.19. nusquam illud relinquit priusquam omnes lateres aut scandulas demoliatur ac disrumpat:ita etiam Lutherus multos sane lateres ab ecclesia dei deiecit ac deturbauit,Ipsa tamen in firmissima petra ædificata nusquam adhuc nutat,aut aliqua ex parte ruinam minatur, quamuis gloriosus apostata ac lucifer in Aquilone sibi certo persuadeat, sese totum orbē suis uenenosis ac cōtagiosis opinionibus nō modo imbuisse,sed & in suam tractum sententiam. Deus tamen omnipotens sibi adhuc septem milia uirorum delegit ac seruauit, qui nondū coram illo Baal curuauere genua sua. Vtcunq; em̄ perniciossimus Reseph ac dolosissimus serpēs sese in multa pudicissima tam uirorum quam sanctimonialium monasteria abdiderit ac insinuauerit,ac multa plaustra monialium ueneri ac Dianæ offerendarum auexerit,& suis assedis ac mancipijs dedicarit ac desponderit,ipsiq; tanquam Romulus in raptu Sabinarum formosissimam delegerit,ornatam holosericis uestibus, ac torquibus aureis,ut passim hāc Herodiadem depictam,& suis coloribus graphice expressam pro sancta Veronica obuiam & expositam, nos stulti & insensati Galatæ uidimus, ac quasi pro thesauro sanctarum reliquiarū deosculati sumus : Ni-
Tob. 3. hilominus tamen proculdubio lux ueri Euangelij iterum pijs ac religiosis affulgebit,detersis apostaticarum opinionum tenebris. Atque hæc quidem sunt opera Beelzebub,proinde Lutheri spiritus familiaris merito hoc nomine censeri potest.

Est etiam cur illud Lutheri dęmonium recte et uere Asmodæus possit nominari,quod tot milia purissima hominum corda turpissimis hæreseos maculis ac labeculis asperserit & contaminarit. Angelus enim ille Tobiæ docebat esse ieiunandum, orandum &c̄. Lutheri uero Asmodæus præcipit diuersa,nempe non esse hoc atq; illud peccatum confitendum,uentris illecebris obtemperādum. Ex hoc igitur fonte deriuata est omnis licentia,ac temeritas,omnis luxuria,ac temulentia.

Nec etiam male conueniet Lutheri diabolo nomen Baal uel Beel,in templo Babylonis, quod in tot suorum librorum locis,sibijpsi contrarius est ac inconstans. Nec minus cum Moloch Bohemath ac alijs caco-
Marci. 5. dæmonibus Lutheri dogmata magnam affinitatem habere uidentur.
Lucæ 8. Postremo posteaquam uideo per Lutherū tot mala in toto ferme Christiano orbe orta ac excitata esse, nullo commodiore nomine hoc dæmonium dignabimur,quam si legionem appellabimus. Is enim erat ille spiritus immundus prope mare Gerasenorum, qui a Christo seruatore nostro interrogatus de suo nomine,respondit, Legio mihi nomē est,nam

in illo

in illo homine multi mali erant ſpiritus. Ille eſt, inquã, ille Cacodæmon, qui porcos inuaſit prope mare Geraſenum, quique eos in profundum præcipitauit.

Quod autem in corde Lutheri non ſit ſimplex ac impotẽs aliquis Satanas, hoc cum magno ſuo periculo Germanica experta eſt natio. Non enim aliter poſſibile fuiſſet (niſi plures mali genij eſſent tot malorum autores) omnia ita ſurſum ac deorſum uerſus confundi & rotari, tot tumultus, ſeditiones excitari, factiones fieri, cruenta prȩlia committi, hominum excarnificationes, peſtes, penuriaſq;. Atq; hæc eſt illa legio, quam Lutherus in corde ſe geſtare palam profert ac fatetur. O orationem nephandam, Tandem aliquando maligne ſpiritus prorumpis, ac mancipium tuum in Theatrum protrahis, probroq; afficis ineluibili.

Agite igitur Germani in Chriſto chariſſimi, uideamus cum S. Paulus doceat ſuos Epheſios, ne diabolo locum dent, quid ille noſter faciat. Epheſ. 4
Liechtenbergius ille egregius Aſtrologus, qui Luthero antequam natus eſſet, Satanam in humeros impoſuit, ipſe uero Lutherus perfricta fronte non in humeris ſed in corde ſeſe Satanam poſſidere, & ex ſe tanquam organo loqui, palam fatetur. Nonne admirabilis hæc eſt oratio? cum omnes prophetæ ueteres dicant & exclament: Hæc loquutus eſt ſpiritus domini. Hoc loquutum eſt os domini. Hoc eſt uerbum domini. Hæc dicit dominus deus exercituũ. Nouus autem ille propheta M. Lutherus audet palam ſcribere ac profiteri: Ita loquitur Satanas, atq; adeo ex meo pectore uera proloquitur, neque ille eſt mendax. O egregium prophetam ac dignũ Chriſto diſcipulum, cui merito omnes Germani dicto audiẽtes eſſe deberẽt. Nam cũ noſtri maiores olim idolum, cui Tertullianus Teubelino nomen fuiſſe ſcribit, coluerint, ac deinde luce Euãgelica illuſtrati, illud abiecerint ac exterminarint, & in eius locum Chriſtum ſaluatorem noſtrum acceperint, eiuſq; imagines ac ſigna paſſim publicarint: Lutherus nouus ille Demagogus, nõ Teubelinum aliquem tantum in altare conſecrandum ac dedicandum cenſet, uerum etiam ipſum Teubelini patrẽ, ipſum ſatanam in penetralibus cordis ſui concludi non ueretur. Quid autem hic diceret S. ille Apoſtolus ac doctor Paulus? qui ita ſcripſit Corinthijs: Quod conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut quæ cõmunio luci cum tenebris? aut quæ cõcordia Chriſto cum Belial? Et in alio loco: Ego nolo uos eſſe in Cacodæmonis uel ſatanæ conuerſatione ac conſortio. Nihilominus tamen Lutherus arbitratur nos ſimul eſſe poſſe Chriſtianos & Belialitas, & ſub ſpecie Euangelij porrigit nobis ſatanæ euuighellium.
2. Cor. 6
1. Cor. 10

Quod autem Lutherus palam fatetur, quod ſatanas ex pectore ſuo tanq̃ ex organo aliquo loquatur, oratio eſt illa plane periculoſa. Quicunq; enim ſatanam hoſpitio accipit, næ ille quidem pernicioſum habet hoſpitem, qui raro relinquit fructuoſum aliquod ξενῶον, perinde enim habendus eſt ſatanas ac ignis in gremio, ac ſerpens in ſinu, qui raro quidem ſuis hoſpitibus utiles ac frugiferi ſunt. Ita etiam agit uerſipellis ille Prouer. 6

ſatanas

ſatanas,ut teſtatur nobis grauiſſimus caſus primorũ duorum hominum Adam & Euæ. Quamprimum enim locum ac hoſpitium ſatanæ dederunt,ex paradiſo in omnes miſerias ac ærumnas compulſi fuerunt. Ita Aſmodæus,Saulis deniq; ſpiritus malus, ac omnes maligni ſpiritus in teſtamento ueteri inſidiãtur, etiam ad interitum hominis extremum. Et in nouo etiam teſtamento ſatanas aperte præ ſe fert,quiſnam ſit,quid uelit,aut quid agat,nunc enim illum in ignem deturbat ac præcipitat,aliũ in aquas merſat,Vbi autem homines ei defuerint,tum porcos inuadit,ac illos in profundũ deijcit, ut in ſuo ſemper maneat exercitio. Vbi aũt locus dari non poteſt,ibi mirificis ſtrophis ac luctis homines aggreditur,quoſq; omnino noxæ dedere non poteſt, ſaltem aliqua ex parte afficit,contraq; ipſos exorciſtas inſurgit, ac uenenum ſpumamq; proijcit,& ſub exorciſmi tempus crudeliter ac immaniter exclamat, atq; bouis inſtar mugit,adeo ut aliquando non quieſcat, priuſquam ſuum hoſpitem deſperatum morti adijciat.

Math. 17.

Quamprimum enim ſatanas ingreſſus eſt proditorem illum Iudam Iſcariotem,nullum ocium ſibi deſumpſit,nunq̃ quieuit, donec ipſum ad laqueum adigeret.

Ita etiã hodie miro artificio utitur erga Anabaptiſtas, quos ſemel ob tam nephandas ac abominabiles hæreſes obſeſſos, lætos ac gratulabundos ad ſupplicium ac cruciatus pertrahit. Nec mirum, cùm Draco ille doloſus nunquam mutetur,ſed ſemper ad ingenium illud ingenitum redeat,ac per inſidias ſuas humano generi illudat. Nec ſolum ille homines aggreditur,uerumetiam Chriſtum ſeruatorem noſtrum perinde eſt adorſus, cum eum ſiſteret in pinnaculum templi. Periculoſum igitur ſane eſt, poſtquam ipſe Lutherus pleniſſimo ore fatetur,ſeſe ex admonitu cacodæmonis non tam loqui quam ſæpiſſime ab eodem de media nocte uexari ac affici, & quod iam nobiliſſimum quod in homine membrum eſt cor obſederit. Dauid etiã ſępius media nocte expergefactus,ſed non a ſatana,ut Lutherus,uerũ potius a ſpiritu conſolatore ac paracleto.

Ad hæc Lutherus aſſerit ſatanam uera predicare, eidemq; ueritatem tribuit.Quæ plane oratio mirifica eſt,& ab omni ueritate ac puro Euangelio aliena.Chriſtus em̃ indignabunde Iudęos adoritur inceſſens:Vos eſtis ex patre diabolo, & ſecũdum patris ueſtri deſyderia facitis,qui parricida eſt a principio, neq; permanſit in ueritate, ueritas enim non eſt in eo. Quando autem mendacia loquitur,tum quaſi de ſuo loquitur,mendax enim eſt,& pater ipſius mendacij.Quid ergo hic dicetis optimi Saxones,ad uos enim ſermonem conuerto, cum Chriſtus ſatanam mendacem,imo mendacij parentem appellet: Lutherus autem ueſter contra eundem ueracem & ueriloquum? Chriſtus etiam patienter tulit, cum à Iudæis per contemptum Samaritanus appellaretur, neq; hoc probrum refutauit: quamprimum autem eum dæmonium habere diceret, reſpondit eis, & ſeſe dæmonium non habere dixit.Lutherus autem nedum ab alijs eo nomine accuſetur, ultro ſeſe dęmoniũ habere,atq; ex ſe tãquam

Ioan. 8.

organo

organo uera proloqui profitetur. Quamuis autem satanam scriptura sę pius loquutum fuisse testetur, pro maiori tamen parte nil nisi commenta, nugas & mendacia loquutus est. Exemplo nobis est, primum illud cum prima muliere colloquiū, quamprimum enim intellexerat ex muliere illa quid futurum esset, si de prohibitis illius arboris fructibus comedissent, dolose respondit, nunq̄ ipsos morte morituros. Ecce tibi primum diaboli in terra uerbum, atq; illud mendacissimū. Mox & secundum adiecit mendacium, dicens: Eritis sicut dij scientes bonum & malū. Nec reueritus est ille mille artifex præsens corā summa ueritate Christo etiam impudentissime mentiri. Dixit enim ille, si ipse Saluator noster sese ad eius pedes abijceret, cumq; adoraret, quod uellet ei omnia huius mundi regna dare, Id tamen in illius potestate non erat, proin mendacium hic impudentissimus calumniator effutierat. Matth. 4.

Quid iam, bone deus, dicent hic aliæ nationes? Quantam nobis hæc execrabilis oratio pariet apud illas laudē ac honorē? Vbi eñ audierint nos habere talem Apostolum, qui aperte ac libere fateatur sese esse uera eis illius (si dijs placet) Satanæ organum, proculdubio insaniam nostrā deridebunt. Certe iamdudū animus mihi præsagiebat fore aliquando, quod nunc luce clarius patet, cum ea legerem quæ ad Erasmū Roterodamum scribit, quod nulla scilicet re magis moueatur ac uexetur, quam nullū esse deum. Ibi certe dolosus ille Cacodæmon homini impuro persuasit idem quod impio Nabali illi, qui in corde suo dixit nō esse deum. Ibi inquam tuo officio ac legatione perfunctus es Satana pellacissime, cum scriberet fidelis ille tuus minister Lutherus, si Carolstadius ille non statim ac aperte pœna afficeretur, sese nullo pacto crediturum Deum esse aliquē, quamuis idem ipse suis perniciosissimis opinionibus gloriosum illum Nemroth imbuerit. Verum tu Apostata perfidissime, tu es ille niger dæmō, qui ex arca Noe ad cadauera deuolauit, nec quicq̄ aliud unquam tentare ac docere soles q̄ mortes, morticinia, clades, strages, rebelliones, seditiones, ac alia id genus nugamenta.

Cæterum ueteres illi pij ac doctissimi ecclesiæ doctores, aduersus suę ætatis peruersos, dolosos, ac impios hæreticos styli aciem perstrinxere, eosq; ad frugem reducere conati sunt. Ita enim Ignatius, Polycarpus, Irenęus, Theophylus, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aduersus Ebionem Cerinthum, Menandrum, Basilidem, Tatianum, Sabellium, Photinum, Marcionem, Arrium, Donatum, Nouatum, Pelagium, Heluidium, Celestium, atq; alios id genus hæreticos scripsere.

Lutherus autem ansam præbet ac prope necessitatem mihi facit, ut iam nō tantū in eū, aut aduersus suas schismaticas ac hæreticas opiniōes, sed potius cōtra suum Cacodæmonem scribendi ꝓuintiam suscipere cogar, Eo nanq; malo spiritu authore, tot uenenosas ac uirulentas apostatarū princeps Lutherus sparsit hæreses, ut iam nouo scribendi instituto

ac disputandi modo utendum sit, uel S. Paulo ita commonente: Induite
Ephe. 6. uos armaturā dei ut possitis stare aduersus insidias diaboli, quia nō ē no bis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harū, cōtra spiritualia nequitię in coelestibus. Et licet graue sit etiamq; periculosum pugnare cū diabolo, nihilominus tamen diuino aspirāte & spiritus sancti numine ac auxilio operā dabimus, nunquid illum Cacodęmonem depellere ac exorcisare possimus, Et quamq̃ oēs cōfiteamur unanimiter Christi ac dilectorum suorum discipulorum miracula magna ac admiranda esse, nullū tamen rursus est maius aut admirabilius miraculum, quā Cacodæmonē ab obsesso depellere ac eijcere. Cum enim Christus Saluator noster suos cum potestate ędendi miracula dimitteret apostolos, ipsisq; potestatem in infirmos daret, oleo quidem multos ægrotos perunxere ac sanitati restituerunt, aliaq; miracula quā plurima ędiderunt, inter cætera tamen quendam malignum spiritū reperere, quē nullo pacto expellere ac eijcere potuerūt. Pręterea cū Iesus salus nrā in ultimo suo discessu uellet suos discipulos cū miraculis in totum terrarum orbem amandare, nō frustra primā ac præcipuam dedit illis potestatem eijciendi dæmonia, dicens: In
Marci ult. nomine meo dæmonia eijciēt, Quasi diceret, nouis linguis loqui, serpentes fugare, ac manus ægrotis imponere, illosq; sanare, non perinde magnū ac miraculosum est ac Cacodæmones eijcere, exterminareq;.

Proinde institutum hoc meum leuiculum fore nō existimo, ac ueluti dominus increpationibus, exorcismis, &, ut est in Euangelio scriptum, uerbo dæmonia eiecit, ita arbitror me etiam posse uel reluctantem ac tergiuersantem illum apostatam, gladio diuinæ scripturæ conuincere, prosternereq; ac in uastam solitudinē ablegare. Sed neq; hoc sine tumultu fiet, ut uehementer formido, Siquidem in Euangelio quāprimum dn̄s aliquem dæmoniacum deprehendit, exclamat e uestigio: Quid mihi tecum Iesu Nazarene, quare ante tempus nos punire ac uexare aduenisti? Ibi tum luctatur diabolus, furit, clamat, quiritatur, insultat, ac debacchatur, ea solum ratione quod nullo pacto exorcisari aut depelli conatur. Ibi agitur cum eo pessime, quando quasi ex sua possessione exorcista aliquis in solitudinem protrudere eum annititur, tandemq; cum iam omnibus suis uiribus ac dolis destitutus eijcitur, plerūq; malum post se relinquit foetorem, aut aliquod pro sua uirili incōmodum perpetrat aut dat. Eiusmodi em̄ Satanæ astus ac dolos sæpenumero oculis meis uidi prope columnam ad quam Christus in templo Salomonis concionatus est, ut raro sine lęsione exierit, nec aliter Lutheri Cacodæmonem facturum mihi persuadeo, imo caput cum ambabus auribus instar aspidis in terrā contrudet, quando eū eiurare & incantare coeperimus, ac aggrediemur.

Satanas igitur, ut ostendimus, nō tantum mendax est, uerumetiam mendacij parens, suiq; omnes discipuli ac sectatores eo solum opificio se nutrire ac tolerare coguntur, nullum enim iam inde a tribus milibus annis sæculum fuisse in historijs legimus, in quo tot horrenda menda-

cia, tot

cia, tot impudentiſſima cõmenta, atq; abſurdiſſimas nugas fuiſſe reperimus, cõtra omnem honeſtatem, contra bonos mores ac decorum, contra ipſos principes ac magiſtratus inuentas ac excogitatas. Ac luce clarius (proh dolor) hac ætate noſtra infœliciſſima cognoſcimus et uidemus, Lutherum illum dęmoniacum infinita propemodum figmenta ac mendacia paſſim etiam in optimos quoſq; ſcripſiſſe ac cõfinxiſſe, uerum ita eſſe oportuit, aliter enim ſapiens ille Salomon in ſuis Prouerbijs uera non fuiſſet proloquutus, quando hominem hæreticum ac apoſtatam ita deſcribit: Homo apoſtata, uir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.

Hæc certe omnia in ipſo Luthero deſignauit, nullum enim ocium aut pax, uerum ſeditiones ac tumultus ex ſuis doctrinis orti ſunt, et prouenere, ut hodiernæ ac ſuperiores factiones rebelles tumultuariæq; ſeditiones nobis teſtantur ac oſtendunt.

Porro ut omnes Chriſtifideles ſciant, quomõ et quid diabolus cum Luthero diſſertauerit, poterint hoc ex eius cognoſcere ſcriptis, Scribit enim ſeſe de media nocte a ſuo ſpiritu familiari Cacodæmone excitatũ. Ego, inquit, ſemel expergefactus in ipſo noctis conticinio, ubi Satanas talem mecum ex corde meo inceptauit diſputationem, ſicuti multas noctes moleſtas ac acerbas reddere mihi ſolet. Quæ uero ſit illa & quã indigna Chriſtiano homine loquela, quiuis ꝓ ſuo arbitratu ac ſenſu facile deprehendet. Dauid de media nocte ſurgit ut deũ laudet, et in Euangelio auditur eodem tempore aduentus ſponſi: Lutherus uero expergiſcitur, ut locũ det diſputandi Satanæ in corde ſuo. Paulus etiã ſuos Corinthios appellat templum dei, & in ijs habitare ſpiritum dñi dicit, pręterea illud templum Deo dedicatum eſſe & nõ diabolo præcipit oportere, et rurſus ad Timotheum pariter Epheſijs ſcribens dicit: Nolite locũ dare diabolo. Si igitur diabolus habitat in Lutheri pectore, ut ipſe fatetur, quid boni fructus ex tam uirulenta arbore ad alios redire poteſt? Satanas nil boni cogitat, nil boni molitur, nil boni deniq; facit aut perpetrat, ipſumq; cor eſt quaſi ſedes cogitationũ, ac conſiliorũ, bonus eñ homo ex theſauro pectoris ſui bona profert, malus uero mala, domino ita in Luca atteſtante, Ad hęc, ex abundantia cordis os loquitur. Quid autem Lutherus ex pectoris ſui theſauro proferet, cum ibidem Satanas ſummus adulterator, adulterinam cudat monetam ſemper, nihil certe aliud quam obęratos ac adulterinos obulos?

Pſal.118. Math.25 1.Corin.3. 2.Timo.1.

Dominus præterea beatos eos appellat, qui ſint mundo corde: rurſus uero Satanam impurum appellat ſpiritũ, Fieri ergo aliter nõ poteſt, quin ille impurus dæmon domum uel maxime puram ſuo fœtore coinquinet. Deum etiam nobis ex toto corde diligendum ſcriptura præcipit. Quis uero Deum uere diliget, aut quis uerbum dei uere intelliget, aut cæteris recte interpretabitur, qui nõ modo diabolicis diſputationibus, quæ plerunq; mendaces ſunt, locum, ſed et ipſi diabolo ſedẽ dedit?

Nam alioqui Christo Saluatore dicente,bonum semen quod in pecto-re radices egit Satanas stirpitus euellere conatur. Quamprimũ enim Cacodæmon in Iudam Iscarioten inuasit, eiusq; pectus occupauit, statim prodendi dñi consiliũ cœpit,atq; adeo ut ad pharisæos desciseret, turbasq; ac factiones cum gladijs, fustibus,lampadibus, ac laternis colligeret & decuriaret, Ita Lutherus etiam hausto hoc Cacodæmonis sui afflatu,e uestigio plebem in magistratus concitauit ac crudelissime exasperauit. Si enim spiritus sancti numine ductus scripsisset, ꝓculdubio maior tranquillitas ac pax subsecuta fuisset, Nam quamprimũ dominus in ultima sua cœna predicasset,patrem suum missurum spiritum sanctum, statim pax subsequitur. Ex re ipsa autẽ apparet Lutherum instinctu sui Cacodæmonis nihil aliud q̃ turbas, seditiones, cruentos ac funestos tumultus expergefecisse.

Obijciunt hic quidam,tametsi Lutherus multos tumultus excitarit, interim tamen ex suis dogmatibus multa bona prouenisse, ijs ego ita responderem: O stolidi ac insensati Galatæ, an nescitis quid uos Paulus docuerit, ꝙ modicum fermenti totam massam corrumpit, nec aliter quam si lautissimum quis uobis apparet edulium, illudq; ueneno conspergat,totum quidem illud sola ueneni ui mortẽ adducit, neq; illa dulcedo quicq; affert cõmodi,Ita quoq; scriptura cõparata esse debet, quæ non nisi synceritatem admittit,nõ nisi argentũ septies decoctum & igne purgatum, Quũ enim eloquia domini pura sint,'propterea non patitur scriptura hæresibus aut seditionibus uel aliqua ex parte quasi scoria cõtaminari ac obnubilari. Vinum illud de quo in Euangelio ac etiã Esaia legimus,respuit aquæ mixturam, purum ac merum esse desyderat, nec adulterari aut dilui.Et ut summatim dicam,pedes uniuscuiusq; qui predicare cupit Euangeliũ in Sion,aut pacifica ciuitate Hierusalem, paci ac tranquillitati seruire debent, nõ aũt ut Dauid scribit,ut sint pedes illorꝫ ueloces ad effundendũ sanguinem, & ꝙ uiam pacis non cognouerint. Qui aũt ex spiritus sancti cooperatione in primitiua ecclesia Euangeliũ docuere,ex bello pacẽ,ex seditionibus tranquillitatem reddiderũt. Sed Lutheri Cacodæmon nihil aliud molitus est,q̃ seditiones ac truculentas factiones, id quod (proh dolor) interfectorum centũ milia testantur. Insuper Lutherus fatetur quod multis affectionibus à Satana molestetur, at quæ bone deus est hæc oratio? quam semper sui similis ille apostata,angelus lucis uideri cupit, cum sit uerissimus Cacodæmon, quasi uero contra carnis concupiscentiam a Satana multis afficiatur molestijs, ut olim sancti illi,ac deuoti patres,Hilarion, Malchus, ac Antonius, in heremo,cum omnibus exploratum sit, ꝙ non amplius neq; Nonnus (ut Ægyptij uocant) neq; monachus græce sit, sed cucullam tanq̃ serpens exuuias abiecerit. Arbitramur certe in illius lecto nõ tam dormire diabolum,quam Iudaicam illam Lillith, quam matrem Cacodæmonũ
Esaiæ. 34. Talmutistæ finxerunt,quam & Lamiam in Esaia nostri uerterũt. Quãuis etiam concedam quod Asmodæus ille de quo in Thobia legimus ei

negocium

negocium facessat, aut quod minus mirum est, sua ipsius conscientia, Cõscientia, inquam, illa uigilantissima cruciatrix quæ eum suorum scelerum admonet, quæq; illi imminens dei iudicium intentat, siue etiam Satanam esse sinamus qui eum expergefacit, non absurdum erit, ij enim sunt uerissimi Satanæ laquei de quibus sæpius Paulus mentionem facit. Deinde cum Luthero Cacodæmon ita disserit: Audite uos domine doctor, audite uos (ait Diabolus) quindecim annis missas omnibus ferme diebus celebrastis: quid si idololatriam potius exercuistis, neq; Christi corpus, ac sanguinẽ, sed potius panem & uinum adorastis? Hic Lutherus humi sternitur, seq; totum Satanæ mancipat, adeoq; manibus pedibusq; constringitur, ut in exteriores tenebras projci possit, id quod reuera in tanto uiro, quantus haberi uult, detestabile crimen est. Nam si officium boni Christiani facere uoluisset, D. Pauli sententiam sequutus, arma Christi acciperet, ut Satanę insultus ac impressiones propulsare posset, seq; solo spiritus sancti gladio defendisset ac tutatus fuisset. Quod autem in sacrosancto Missæ sacrificio non sit panis ac uinũ, testantur apertissime uerba Christi, quę copiose Matt. Mar. Lu. ac Paulus adducunt, et in primis Matthæus ita illud describit, qđ panẽ acceperit in manus suas, benedixerit ac dixerit: Hoc est corpus meũ, Non autẽ dixit: Hic est panis: sed potius: Hoc est corpus meum, & similiter sumpto calice benedixit dicens: Hic est sanguis noui testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, neq; dixit: Hoc est uinũ meum in Cana Galileæ, sed potius, Hic est sanguis meus, & sanguis noui testamenti. In ueteri enim testamento arietum ac aliarum pecudum sanguis in usu erat: In nouo autem sanguis domini nostri Iesu Christi, qui effusus est in remissionem peccatorum, Nam eadem ratione si hic saltem uinum fuisset in monte olиueti, ac in sacrosancta cruce, ergo uinum pro nobis non sanguis effusus fuisset. Marcus uero eadem repetit & ijsdem fere uerbis. Lucas uero scribit Seruatorem nostrum dixisse: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, Nec hic est ille panis pistoricius, aut Iudeorũ maza paschalis. Restat Paulus qui ea fusissime prosequitur, qui præcipue pro digna sumptione corpus ac calicem domini nobis diligenter commendat, præcipitq; quod differentiam ac delectum inter panẽ ac corpus domini habere debeamus. Proinde mendacissimus ille Cacodæmon perperam suum organum ac mancipium Martinum Lutherũ docuisse uidetur, quod ibi sit uinum & panis solummodo.

Ephes. 6.

Matth. 26

Marci. 14.

Lucæ. 22.

Præterea male præcepit remanere substantiam panis ac uini, Etiamsi Paulus mentionem panis faciat, non tamen astruere uidetur remanere panem pistorium, ac de uite uinum in sacramento manere. Potest enim Paulus unam speciem post consecrationem uocare panem, non autem fermentatum ac clibanaticiũ panem in sua substantia essentialiter permanentem, sed potius panem uiuum, panem uitæ spiritualem ac coelestem, imo supercoelestem, & qui neq; consumi neq; hominum manibus pinsi potest, designare atq; innuere. Quamobrem nihil aliud quam Babylo-

nica turris est, quæ Cacodæmon Lutherum hic docuit, quęcꝫ Lutherus deinde in alios fudit ac sparsit. Vtuncꝫ autem grauissima ac nephanda de hoc sacramento, Berengarius, Carolstadius, Oecolampadius, id est Hussi schein, ac Zuinglius scripserunt, Lutherus tamen egregio suo doctore usus, Cacodæmonem dico, omnes facile blasphemijs, conuitijs, ac contumelijs in hoc uenerabili altaris mysterio superauit, ac a tergo reliquit, aperte atcꝫ abscꝫ fronte affirmando, nil hic aliud quam panem ac uinum esse atcꝫ manere. Peruerse itacꝫ ac impie diabolus Lutheri mentem in ea parte peruertit. Sed ꝙ Cacodæmon de quotidiana Lutheri celebratione adiecit, demirandum est.

Nunquid enim Lutherus egregius ac didacticus est doctor, qui in multis suorum librorum locis dicit, quod confessio auricularis illa & sacerdotalis antiquam illam ac orthodoxam missam aboleuerit, Proin catholicorum missam abrogauit, ac propriam statuit. Nondum tamen in hunc uscꝫ diem comperire potui, an unquam suas primitias legendo aut cantando celebrarit, an intra decennium semel confessus fuerit, aut uenerabile altaris sacramentum sub una aut ambabus speciebus manducauerit, Et adhuc pertinacissime se ac mordicus tuetur, uultcꝫ esse, quod uulgo fertur, noli me tangere, quasi uero gloriosum ac iactabundum illum Goliath, nemo aggredi aut adoriri ausit, hoc etiã suus agit spiritus familiaris, qui eum instar bubuli naribus hinc inde ducit. Nolo enim hic adducere quod Lutherus semper fuerit singularis quidem superbus ac petulans monachus. Nam & si Lutherus malus extitisset, hoc tamen functionem sacerdotalem impedire non potuisset, quippe uniuersalis fidei obseruatio modum inclinauit, Quanquam enim Iudas proditor fuerit, ipsumcꝫ dominus Satanam appellarit, nihilominus tamen apostolatus officium in suo permansit precio ac flore, necꝫ interijt. Porro Lutherus magistro suo ita respondet: Ego sum ordinatus uel consecratus presbyter, & consecrationem ab Episcopo accepi, dixicꝫ illa uerba concepta serio. Bene certe, quomodo enim aliter respondere potuisses, cum etiã
Ioan. 20. Saluator noster suos consecrarit discipulos, qui primus & supremus fuit Episcopus, ita ad illos dicens: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt.

Ad hæc summus ille Pontifex Christus nequaq̃ mulieres, quæ eum ex Galilæa sequebantur, ac alios suos sectatores ad ultimam illam cœnam sacrosancti mysterij ac sacramenti ueri corporis ac sanguinis sui, sed Apostolos illos selectos adhibuit, ac ipsi consecrationi præesse uoluit, Sic dicens: Hoc facite in meam commemorationem &c. quod et certe fecerunt. Necnon Dauid diuino spiritu plenus, ita prophetauit ut pro ijs patribus nati sint filij, nil aliud innuens quam pro patribus Apostolos, Episcopos, ac sacerdotes sanctæ matri ecclesiæ esse natos. Potestas enim ordinandi sacerdotes nobis Episcopis quasi per manus ab antiquis illis ac uere pijs apostolis ac patribus tradita est, aut certe sanctus Paulus

preco ueritatis recte ſenſiſſe non uidetur, quod ſuis ſelectis diſcipulis ſaltem hoc muneris delegauit.

Deinceps o Germani probiſſimi, audite reliquam dialogi inter Lutherum ac ſuum Cacodæmonem portionem. Ita enim ait Lutheri Cacodæmon, uerum eſſe quod Lutherus cum maxima deuotione miſſas celebrarit, ſed hoc factum eſſe exemplo Turcarum ac Sarracenorum, qui etiam cum magna cōtritione propter mandata ſeria, obedientiam debitam facere conſueuerunt. O egregium argumentum et certe a ſimili, ut uocant. Nos enim ſacroſanctum miſſæ myſterium peragimus de mandato Chriſti, ut Apoſtolis ſingulariter demandatum eſt: Gentiles autem Turcæ ſiue Sarraceni hoc potius inſtinctu ac iuſſu Satanæ faciunt. Nam quod in inſulis recens inuentis hactenus factum eſt, etiamnum in ſacrificandis eorū dæmoni Moloch pueris ac infantibus, quodq; Iudæi olim fecere, impium eſt ac abominandum à præceptoq; dei alienum. Quicquid autem nos facimus in celebratione miſſæ, hoc expreſſis ac conceptis uerbis Chriſtus nos iuſſit. Nihil itaq; ad nos pertinet quid gentiles, & multo minus quid Turcæ faciant, ij enim Machometum coſunt, Mechamq; proficiſcuntur, & in eorum templis nudis pedibus uerſantur, Hala, hala, uociferantes. Quod quum hoc non ſit ex fide, peccatum eſt, proinde ille Cacodæmon in topica diſputandi ratione male doctus eſt.

Quid præterea deſignat ille Lutheri ſpiritus familiaris? certe dicit, quod ſacerdotes Ieroboam in Dan & Berſabe omnia fecerint fortaſſe ex maiore deuotione quam ueri illi ſacrifici in Hieruſalem. Videte quæſo quid hic moliatur Satanas, nempe tertium uitulum dedicare geſtit cum Ieroboam, qui ſaltem duos erexit, alterum in Dan, alterum autem in Betel, nec enim in Berſabe erectus eſt uitulus, de qua re multa poſſemus afferre, ſi locus eius rei eſſet. Qui nam autem fuerint ij ſacerdotes in Dan & Betel, Lutherus oſtendit, qui etiam ex aniculis ſacerdotulos conſtituit. Atqui quæſtione dignum eſt, utri fuerint meliores ſacrifici, in Dan aut in Hieruſalem: imo potius diſputandum fuerat, utri ſint potiores ac præſtantiores, ueteres ne illi noſtri pij ac deuoti paſtores ac presbyteri, an noui illi lupi rapaces, ac leones truculenti ac rugientes. Illi ne Euangelium melius, ſimplicius ac cum maiore fructu ad religionem, deuotionem ac obedientiam docuerint, quam apoſtatæ iſti perfidi, qui omnia, ut dicunt, ad pileum uocarunt.

Nec ijs contentus Cacodæmon Lutheri, inſuper addit: Quid ſi tuæ ordinationes, chriſmata & conſecrationes, non catholicæ ac falſæ eſſent, ac tales quales ſunt Turcarum & Samaritanorum. Ad quæ ita reſpondeo, quod ordo ille ſacerdotalis, chriſma, ac conſecratio poſſint ex Euangelio aperte comprobari ac oſtendi: Samaritanorum ac Turcarum initiationes in Euangelio non comprehenduntur, proinde neq; hic Beliali cum Chriſto ullum eſt conſortium, neq; ulla communio.

Ad hoc Cacodæmonis interrogatum, Lutherus ita reſpondet: Hic,

 inquit,

inquit, ſudor mihi effluere, corq; tremefieri, ac concuti cœpit, Niſi autē altero amen iuriſiurandi uerbo hanc reſponſionē ſuam Lutherus confirmaſſet, proculdubio nullus fidem ſuā ei adſtringeret, credo enim hūc ſudorem ex Saxonica ceruiſia & ſua Lilli collaterali profectum, qui nihil cum ſudore dñi in monte oliueti commune habet, proinde adduci non poſſum, licet iureiurando iterum atq; iterū affirmet, ut credam, id quod hic hypocritice fingit. Quod autem cor ei concuſſum fuerit, facile aſſentior. Qui uero fieri nō poſſet, cum ſatanas ille, cui Legio nomen eſt, eius cor occupauerit ac inhabitet, ut nō ille pro ſuo more obſeſſum ſtringat ac iugulet? Addidit etiam ſuum Cacodæmonem bene ſuos argumentorum locos diſponere, ac locare poſſe, habereq; forte ac truculentum dicendi genus. Quis uero negabit Satanam antiquum ueteratorem ſua illa ſuperba ſcientiæ arrogantia, e cœlis ad inſtar fulguris præcipitatum eſſe, illud autem ſuum contra ſacerdotum ordinationem argumentum, plane imbecillum ac frigidum eſſe, quod etiam à mediocriter docto cōuelli poteſt.

Poſteaq̃ autem Philippus Melanchthon ita Lutherū deprædicauit ac extulit, tanq̃ alter eſſet Daniel, ac Paulum in ſpiritu diuino referret, mirari ſatis non poſſum, cur Daniel ille (ſi dijs placet) Idolum illud Beel fallere, et in hoc diſceptandi genere præualere nō potuerit. Draco enim Babylonicus cum non ita fortiter aggreſſus eſt, ut ſi uoluiſſet ſeſe defendere, ac nomen egregij militis ſibi uſurpare, certe huic uerſuto colubro caput bene contriuiſſet, puerilia enim erant quæ diabolus obiecerat.

Cæterum quod ait Satanam habere forte ac horribile dicendi genus, nemini certe magis conſtare debet quam Luthero. Miſeri autem illi carbonarij in uaſtitate ac ſolitudine ſyluarum uerſantes, ſimplici arte utuntur aduerſus huiuſmodi impreſſiones diabolicas, utcunq; ſæuiat ac tumultuetur tentator diabolus. Nam omnes malos ſpiritus ex uaſtiſſimis ſyluis depellunt ac abigunt, ſolo nomine Ieſu ac ſigno crucis, quare Lutherus ille omnium doctiſſimus & religioſiſſimus ſi Satanę præſtigijs contrairet, iam nihil horum formidaret.

Sed quòd deinde ſubdit Lutherus Cacodæmonē in puncto temporis unicuiq; ad quæuis etiam obiecta reſpondere, neq; ſe mirari cur aliquando homines in lectis mortui reperiantur, ita enim me ſæpius aggreſſus eſt, inquit. Ad hoc reticere non poſſumus, ab Hebræis Cacodæmonem predicari, cui nomen Malachmoues, cuius natura eſt homines interimere noctis tempore, id quod Lillith illam Lamiam de qua in Eſaia uerbum fit, etiam facere contendunt. Quod commentum merito mirum uideri debet, Pauperes enim ac miſeræ illæ ruſticæ, quum ſuos liberos in lectum noctu componunt, non alio modo ac nomine tueri eos a diabolica poteſtate ſolent, quā aqua benedicta, quibuſdam ſacratis cęreis, ac precibus in eum uſum comparatis. Ille autem inſignis doctor, nondum inter catholicos didicit hanc conſuetudinem, ut ſeſe a ſuo familiari ſpiritu utpote a Malachmoues

aut nocturna

aut nocturna sua Lamia Lillis tutari ac defendere noctu possit. Proinde syncere ei consulo, ne denuo a Satana ita uexetur ac tandem auferatur, ut simplici illa carbonariorum persuasione sese defendat, ac signo crucis frontem muniat, facileq; a se Cacodæmonem exorcisari patiatur, si ullo pacto fieri potest, secundum illud Pauli: Nolite locum dare diabolo.

Postremo quilibet bonus ac pius catholicus, merito nũc ex me quęrere posset, quę nam essent illa argumẽta, siue quinq; axiomata, quæ Lutherus cõtra sacrosanctũ missę sacrificiũ ac sacerdotiũ nouæ legis, adeoq; cõtra nostrã ueram religionẽ in mediũ ꝓtulerit? Ego uero illi ita respondeo, Lutherũ prolatis illis quinq; axiomatis a Satana uictũ, manus dedisse, ac, ut dicitur, herbã porrexisse. Nos aũt ne et ipsi diabolo, id est Luthero locũ dare uideamur, quinq; illos articulos cõfutabimus authoritate diuinæ scripturę, et pinde ac Dauid selectis in pastoralẽ peram quinq; de torrente limpidissimo lapidibus, iactabundum & elatissimæ mentis Goliath, fundæ uerbere strauit ac fudit, eundem in terram deturbare ac confundere posse benignitate dei, minime dubitamus. 1. Reg. 17.

Principio Cacodæmon ita loquitur Luthero suo organo: Tibi sat constat quod recte in Christum neq; credideris, neq; melior, quod ad fidem attinet, q̃ Turca fueris. Ego enim cum meo satellitio infernali, inquit Diabolus, Turcæq;, omnia quæ de Christo scribuntur credimus: Et hæc quidem sunt dęmonij uerba, quæ Lutherus probat ac in ea consentit. Nunquid uero ille est uir bene ac egregie doctus, qui sibi persuadet, Turcas omnia ea quæ de Christo scribuntur credere? Quod si Lutherus totidem Turcas Vittenbergæ obequitantes uidisset, ac ego (proh dolor) Viennæ in Austria uidi, proculdubio Dęmonio suo respondisset: Tu mendacissime ueterator, nil nisi nugas loqueris ac effutis potius. Imo si Alchoranum ac Epitomen doctorum Machomatenorum, quam proximis diebus ad Serenissimum ac potentissimum Romanorum, Hungariæ, Bohemięq; regem Ferdinandum, dominũ meũ clementissimum orator eius Cornelius Sceperus, uir omnium doctissimus ac grauissimus ex Constantinopoli attulit, legisset, ac perpendisset, proculdubio inueniret dæmonem mendacissime loquutũ. Nostri enim scribunt de Christo, quod Christus uerus deus sit, quod Messias uerus, qui patri sit consubstantialis: Turcæ autem hæc & sexcenta alia de Christo minime credunt.

Hoc tamen hic negare non possum, Turcas longe honorificentius de Christo ac sua gloriosissima matre loqui q̃ quosdam Lutheristas diuæ uirginis contemptores, ac Mariamastigas & antidicomaritas. Compertissimum enim est multas ex Lutheranis uslissimisq; mulieribus, etiã uetulis, sibi cœpisse pſuadere, ꝙ Maria mulier iuxta ac ipsæ fuerit, proin nullo honoris gradu præcellere debere: hoc autem nulla Machometanicarũ mulier unquã dicere præsumpsit. Sed hoc in loco Satanas turpissimo mendacio conuincitur, ita compertum enim est Turcas nec centesimam partem de Euangelio suscipere. Quomodo autem dęmones credant,

credant, diuini illi ac pñ patres super canonicã S. Iacobi iamdudum docuerunt ac interpretati sunt. Sed quid ad nos, etiam si Lutherus uelut impijssimus omnium plane nihil de Christo crediderit?

Mirari tamen satis non possum cum Lutherus antehac hanc D. Iacobi epistolam semper cõtempserit, ac illam stramineam appellarit, cur nunc eandem in cõtemnenda ac oppugnanda Missa ita splendide adducat. Certe hoc nihil aliud esse arbitror, quã Sichimitarũ spiritũ uertigineũ ac inconstantem, hodie est, cras nõ, hodie angelus, cras Satanas, hodie nigre, cras cãdide, hodie lux, cras tenebrę. Proinde oẽs catholici hic cogitare ac perpendere debent, Lutherum uel ea solum ratione, quod sibĳpsi male constet, ac sexcenties in scriptis proprĳs sibĳpsi dissideat ac cõtrarius sit, nihil dicere, suaq; scripta tanq̃ pręsentissima uenena ac turpissima mendacia explodenda esse, quodq; ea nõ ex spiritu diuino, sed Cacodęmone suo familiari, ꝓficiscantur. Spiritus enim sancti dona sunt cõsentanea, ac sibi similia, qd' inde liquet, ꝙ olim alter ꝓpheta in Iudaea, alter in Babylonia, tertius in alio terrarũ tractu uaticinati fuerunt, oẽs tamen unanimi consensu eadem depredicarunt ac prophetarunt, quasi ex uno atq; eodem ore prophetassent, eoq; omnes peruenerunt, ut eundẽ scopum tetigerint. Idemq; ille spiritus effecit, quod ferme ꝑ totum Christianum ac catholicum orbem hactenus eadem religio obseruata fuit. Et si Hieronymus habitarit in Bethlehem, iuxta pręsepe dñi, Augustinus in Hippona Aphricae, Ambrosius in Mediolano Europae, Chrysostomus ad Constantinopolitanam ecclesiam, In his tamen quae ad religionẽ pertinent cõcordes sunt oẽs. Lutheri aũt Cacodęmõ totidẽ ferme religiões, quot sunt regiones, tractus, ciuitates ac uillae, imo potius quot domus, aut hoĩes cum sum̃o detrimento excitauit, Nempe quilibet suã habet fidẽ, suam sectã, suam haeresim, suamq; opinionẽ, neq; unq̃ cythara cũ fidibus suis, aut etiam cũ Psalterio bene concordat. Vbi uero in eodem cõuiuio decẽ uel plures ueteris indubitataeq; fidei obseruatores in hanc horã cõuenerunt, uidere est eos in om̃ibus articulis ac catholicę fidei axiomatis cõcorditer cõsentire, adeo ut eos unam animã unumq; corpus esse arbitreris. Rursus Lutherani in suis conuenticulis ac angulis, ubi uel duo tresue conuenerunt, statim de fide quęstiones ambiguae, opiniones cõtentiosae, ac deinde rixae ac iurgia oriuntur, ita ut nõnunq̃ ad manus ueniant, ac egregiam illam suam fidem ferro ac fustibus cernant. Adde huc multas esse ciuitates ante hac bene cõstitutas, quae iã a quinq; annis, sex & plura persuasionum genera sibi contra religionem catholicam induerint, ita ut una ordinatio post aliam instituatur, nec interim ulla alteri conformis ac similis est, adeo Cacodaemon suum officium oblata occasiõe bene administrauit, imo quod maius esse uidetur, suas politias, respublicas ac ordinationes toties iam institutas ac interpolatas, dissidio hoc fidei ac schismate sparsim in suos disseminato, etiam ipsi legiferi ac autores nullo pacto obseruant aut manutenere possunt. Quo circa nemo inter orthodoxae fidei militantes, suum nomen in eorum album, in quo

quotidie

quotidie eſt quod innoues ac immutes, inſcribi patietur, quin potius in ſtatione uniuerſalis ac orthodoxæ eccleſiæ permanebit, donec eum dñs altiſſimus ſuo quaſi claſſico euocabit.

Subit etiam mihi admiratio quo pacto optimi illi Saxões animati eſſe poſſint erga Lutherum, et ſuæ fecis homines, cum illa uiſitatio Saxonica nuſq̃ obſeruetur, & eadem ipſa pedibus huc uſq; conculcata ſit, utcunq; Lutherus eam tradiderit diligenter obſeruandam.

Sathanas deinde ita loquit: Tu Luthere ac tui ſuffraganei, Chriſtũ nõ tanq̃ ueſtrũ Saluatorem amaſtis, ſed tanq̃ ſtrenuũ iudicẽ timuiſtis. Hæc quidem Lutherus ſibi tribuere poterit, nos uero nullo pacto in eo ordine, aut tam peruerſa opinione eſſe uolumus, Niſi enim Chriſtũ pro certo ac indubitato Meſſia ac Saluatore accepiſſemus, Iudæorum atq; gentilium (quod procul abſit) titulo ac more penderemus. Doctrina uero plane diabolica eſſet Chriſtum non timere, maxime in malefactis noſtris, Imo ſcriptura nobis non ſolum deum colendũ ac amandũ, uerumetiam timendum proponit, argumento illius loci: Hunc timete, qui animam cũ corpore adimere, ac in gehennam perdere poteſt. Etiam tu maligne Satana, dicas mihi quis hunc timorẽ erga deũ nos docuerit. Nemo certe alius quã Chriſtus, niſi mentiri uelis, ut ſemper ſoles, reſpõdebis, is qui hoc dixit, qui deũ timere docuit, eo tempore fuit, quando ſuis duodecim Apoſtolis poteſtatem ſuper immundos ſpiritus dedit. Nunquid enim non Paulus docet deum eſſe timendum? Nunquid Petrus, deum timete. Et in Euangelio fit mentio iudicis, qui deum non timuerat. Ad hæc Paulus eos laudat qui timent dñm. Bene autem nobis compertum eſt perfectam illam charitatem excludere timorem, uerum Lutherus ad eam non peruenit, imo multis abeſt ſtadijs. Audi etiam ſi uis Dauidem pſalmographum: Timete dñm omnes ſancti eius, Seruite dño in timore, & exultate ei cum tremore. Eodẽ pertinet Salomonis illius ſapientiſſimi dictum, Nec ſolum uir, uerumetiã ipſa mulier laudabitur quæ timet dominum. Maria enim in glorioſo cantu ſuo canit: Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Poterit hic Lutherus nunc ſecum rationem ſubducere ac cogitare quo pacto uelit ſeſe excuſare corã dño, qui ita perſuaſus ſit à ſuo Cacodęmone, ne debeat timere deũ, etiã ſi mille ſcelera perpetrarit, & quomõ ſe defendere poterit in ultimo illo iudicio, in ualle Ioſaphat, ubi non ſolum coram tribunali Chriſti ſuorũ bonorum aut malorum operũ rationẽ, uerũetiam ocioſorũ uerborũ, id eſt lædoriorũ, ſcommatum, dicteriorũ ac conuiciorum quę in multos hactenus impune ſparſit, reddere cogetur. Religioſe itaq; timemus deum: Impie uero ſentit Lutherus, qui prohibet timorem domini.

Iam ſubiungit in illo primo colloquio Satanas, ac ita ſuum organũ alloquitur: Tu ac tui ſuffraganei a Chriſto ad Mariã ac ſanctos declinaſtis, qui ueſtri cõſolatores ac auxiliatores fuere, hæc Satanas. Sed ſtatim miſer ille homo in ſuccenſa ac feruenti olla aquilonis ſeſe obſidẽ dat, ac uictum profitetur, cum tamẽ in libello Decalogi docuerit ac affirmarit,

Picarditas errare grauiter q̄ intercessionem B. Mariæ, ac omnium sanctorum reiecerint ac contēpserint. Imo denuo in eo libro de præparatione ad mortem strenue iuxta ac pie hortatus est, quod homo moriturus debet in ultimo illo suo agone inuocare auxilium B. Mariæ uirginis, dein proprij angeli, ac Apostoli, atq; adeo omnes sanctos quos in uita sua coluerit, ac ueneratus sit, etiam ibidem quod sacerdos Letaniam prælegat, concessit ac iussit.

Nec multum obesset etiam, si Lutherus hæc non scripsisset, alioqui enim Cacodæmoni suo sat constat ac dolet, quod boni illi angeli custodes nostri pro nobis intercedūt, ut apertissime Iob testatur, necnō Zacharias, quo in loco angelū pro ciuitate Hierusalem ac ciuitatibus Iuda orasse, ac exauditum fuisse, scriptura docet. Nec minus etiā Cacodæmō nouit quod angeli dn̄o ministrauerint, imo quod ex eorum choro unus Christum in mōte oliueti cōfortauerit, propterea nos hoc detrectare nō debemus, cum angeli Regibus ac eorū regnis sint destinati, non quod Christus hoc efficere nō posset, cum ille quidē Rex sit regum, ac dn̄s dominantium, sed quod æternæ ac diuinæ maiestati ita sit uisum, ut angeli sint administratorij spiritus, nuncij dei, custodes corporum nostrorum, & intercessores ad deum pro nostra salute.

Iob. 33.

Præter hoc Lutherum ægre habet, quod infantes adhuc anniculi, ac in cunis uagientes suos habēt angelos custodes, cum etiam interea summus eorum sit custos ac cōseruator Christus. Nec minus ei dolet, quod angeli lætantur ob pœnitentiam peccatoris, & maxime quando illi pauperis istius fidelis tum etiam patientissimi Lazari animam in sinū Abrahæ detulerunt. Ita certe gloriosus ille Goliath in ipso limine funda Dauid humi sternitur, quem deinceps suo ipsius gladio ex sua uagina deprompto, id est libris a se scriptis iugulare, ac illam duram, uersipellē ac multicipitem ceruicem (qualem Poëtæ hydræ tribuunt) claua ueritatis detruncare aggrediemur. Proinde tu maligne ac maledicte Satana obmutesce ac egredere ab hoc homine, & da locum spiritui sancto paradeto.

Lucæ. 15.

Lucæ. 16.

1. Regū. 17.

Secundo loco ita Cacodæmon cū suo Luthero agit: Dn̄e doctor, inquit diabolus, uos equidem ambulastis contra ordinationem ac præceptum Christi, Christi enim est sententia, ut sacerdos sacramentum Eucharistiæ, ac alia sacramenta semper inter Christianos dispertiatur, atq; ideo sacerdotem debere dici ac esse ministrū ecclesiæ, ut sacramenta communicet, quemadmodū aperte in prima ad Corinthios undecimo Paulus ostendit. Ad hæc autem ita respondemus, Cacodæmonem re uera hoc in loco esse Luthero magis pium, cum plura doceat hic esse sacramenta, & forsan illa septem quæ constituit ecclesia, quæ olim etiam Lutherus approbabat, sed deinde, quæ est hominis apostatæ leuitas, tria saltem adducit, ac postea a tribus recedit ad duo & semis, ac deinceps ad duo, postremo unicum esse saltem affirmans, cum hac egregia appendice, nullum esse penitus sacramentū, postea q̄ eo ecclesia iuxta Euangeliū non utatur.

non utatur. Ergo cum Cacodæmon plura doceat esse sacramenta, Lutherus ei in hæresibus ac rerum nouationibus in primis inferior est. Prę terea in hoc colloquio docet Cacodęmon, presbyterū esse ecclesiæ ministrū, & in eo quoqꝫ melior est suo discipulo, quippe qui sacerdotibus ecclesiastica tribuat officia: Lutherus autem ex aniculis etiam sacrificulos creat ac initiat, & deinde etiā ex suis sacerdotibus Episcopos. Cū tamen ubiqꝫ legamus apud Paulum, dedit quosdam apostolos nō apostolas. Idem etiam mulieribus in ecclesia taciturnitatem indixit.

Restat hoc quod Lutherus uult cœnam domini ad ueterem & primam formam ac consuetudinem reuocare, ut ita peragamus quemadmodum ipse Christus saluator noster cœnā peregit, quod plane impossibile est, nam si ita fieri deberet, semel per annū, saltem amandandi essent quot discipuli in Hierosolymam, quibus aquæ baiulus cum lagena obuiam ueniret, ac deinde omnes in unum conuenirent cœnaculum, quod tamen fieri non est necessum. Cæterum sat fuit omnibus Christifidelibus hoc sacramentum ita peragere ac celebrare, queādmodum a sacrosancta ac primitiua ecclesia quasi per manus accepimus. Non enī frustra Paulus in supra citata epistola ad Corin. ita concludit, quod reliquum sit, sese curaturum ac dispositurum cum uenerit. Cum autem post hęc de sacramento uerba proculdubio uenit ad Corinthios, scire uelim ex Luthero, quid nam ea de re eis præceperit, aut ubi nam locorum id in scriptura reperiatur, & quis sciat quid forsan statuerit. Quod enim duodecim apostoli post agnum paschalem non amplius ieiuni hoc sacramentum manducarint, aliō est referendum. Nos autem ex ueteri ecclesiæ instituto, iam inde ab apostolorum uita emanato unanimiter, nisi magna adegisset necessitas, hoc sacramentum cum maxima reuerentia ac deuotione ieiuni accepimus, cum Lutherani illud bene poti ac cereuisia repleti, inter medias commessationes abliguriunt, ac in iudicium sumunt. Et deinde Lutheri ait spiritus malignus, eam ob rem appellari communionem, Interim tamen non credo, quod Lutherum docuerit suus Cacodæmon, ut scriberet duplicem esse manducationem, aut communicationem, spiritualem scilicet ac sacramentalem, quo etiam suam sentētiam attulit D. Aurelius Augustinus, dicens: Crede & manducasti. Quum uero sacerdos synaxin huius sacramenti celebrat, ut ecclesiæ dei minister, par est iuxta Pauli doctrinā, ut homines nos seruos seu ministros Christi ac dispensatores sacramenti ac arcanorum dei credant ac arbitrentur, ut deinde qui Missam audit si eiusdem se sua uoluntate, suisqꝫ precationibus participem fecerit, sat fuerit. Ille etiam sacerdos qui ita celebrat, neminem a suo sacrificio excludit, pro omnibus æque orat ac offert tam amicis quam inimicis, neqꝫ etiam solum pro ijs qui sacris astant, uerumetiam pro omnibus Christianæ ecclesiæ membris, ijs enī suas imprecatur preces, cum dicit: Sursum corda, cui ecclesiæ chorus respondet: Habemus ad dnm. Et rursus: Gratias agamus dno deo nostro, cui ita respōdetur: Dignum & iustū est, Imo omnes collectæ, atqꝫ ipse Canon eo uergit, ut

pro multis compositus esse uideatur, ac prosit. Proinde nihil agit hic Lutheri Cacodæmon, qui ex eo tanquam ex organo loquitur, cum a tot annis illud communicantes in Canone fuerit.

Verum tu satana hoc agis, ut Christianæ ecclesiæ institutum ac ordinem conuellas, tuumq; nouum illum morem ac ritum usurpes, cum in hanc sententiam cœpisti, nempe tui illi Ieroboamici ac Lutherani sacrificuli tum demum ecclesiam ingrediuntur, cum hesternam crapulam edormierint, neq; orant interim, sed repotia agunt, ac ut tedium animi fallāt, per templa fastuose spaciātur, ubi deberent celebrare Lutheranam missam (quod tamē nō fit) Vbi uero nullū habuerint cōmunicantem, rem in aliud tempus transferunt, imo cum usu uenerit ut sacramentū ad ęgrotos portare debeant, id manica tanquam furto abstulissent obuoluunt ac abscondūt. Quam uero egregia est illa noua religio, quamq; Christiano homine digna? Ad hæc Cacodæmon hic Putherū persuadet, presbyterum ac sacerdotem sibi soli esse, neq; ecclesiæ ministrum ac sacerdotem, quod tamen re uera non est, sacerdos enim totius ecclesiæ minister est, quiq; sacramenta non solū sibi, uerumetiam alijs cōmunicat ac offert, & ut textus sacræ scripturę liquido testatur, ipse intercessor pro se ac populo est, Quocirca uana ac ementita sunt quę Cacodæmon hic contra sacrosanctum altaris sacramentum in persuadendo Luthero suo attulit.

Antiquus ille Draco tandem tertiū adducit sermonem suum, seq; plane fastuose ac superbe gerit, gestans in manu lanceam ferream, ac in capite cassidē æream, ferreasq; ocreas in pedibus, nec aliud præ se fert quam Goliad olim ita alloquens suum discipulum. Hæc nostra sentētia, de sententia est Christi, quod apud hoc sacramentum Christi, mors predicari debeat, Dixit enim: Hoc facite in mei commemorationem, ac si dixisset, prędicate mortem meam. Cum uero in plerisque Missis nulla fiat concio, arbitratur Lutheri Cacodæmon eiusmodi Missas esse abrogandas. Certe uersutus ille satanas mirificum hic agit grammaticum, qui peregrinum quærit sensum uerbi annunciare, nempe quod predicare significet. Nam si ita esset, proculdubio Iacob ille etiam in suo extremo agone predicatorem egisset, cum antequam suos collegisset pedes, filios conuocauit. Congregamini, inquit, ut uobis annunciem, quæ accident uobis in ultimis diebus, Sed potius prophetā agit singulos suos filios benedicēs. Multo clarius aduersāt male detortę huic expositiōi liber Iob, cū agit de angelo, q̄ erga Deū intercessor est, quiq; annūciat quō homo recte ambulet, neq; hic certe annunciare predicationē aliq̄ significat. Et in eodē libro cap. xxxvi. in eundē sensum accipit. Sic Dauid in psalterio: Opera manuū eius annunciat firmamentū, Hic certe nemo tam stolidus erit ut dicere possit, firmamentū p̄dicare, multo minus in illo, Annunciauerunt cœli iustitiam eius, ut hūc textū septuaginta interpretati sunt, absurdū eēt esset cœlos dici p̄dicatores, sunt eē huiusmodi in psalte. multi loci, ubi annūciare pro publice p̄dicare exponi nō potest. Ita etiā in Esaia et Hieremia, de quib. plongū esset sermonē habere. Eodē modo Maria

Magdalena diſcipulis annunciauit quod dominū uidiſſet, necꝫ ibi predicatricem (ut Lutheranæ illæ mulieres) egit, Quemadmodū em̄ apud Grecos differentia eſt inter καταγγέλλειν καὶ ἀποκηρύττειν, ita apud nos inter annunciare et predicare. Quod ſi em̄ Lutherus hoc ex ſuo Melanchthone queſierit, proculdubio ex Demoſthene ac Luciano dicet καταγγέλλειν δίκην uel πόλεμον bellum indicere, aut litem denūciare, nam dum hoc fit, nulla fit concio aut predicatio, ut aperte Latini & Græci uocabuli oſtendit ſignificatio, dicens: Ite in uniuerſum orbē & predicate Euangelium omni creaturæ, non autem hoc dixit, cum hoc ſacramentum inſtitueret, nempe ut ſingulis Miſſis Lutheranis ſubijceret Lutherana concio. Chriſtus autem ait: Hoc facite in mei commemorationem, quod certe facit quilibet catholicus ſacerdos cum induit albā ueſtem, ut nobis in memoriam reuocet, quo pacto Chriſtus ab Herode ludificatus ac deriſus fuerit, deinde aliam ſuperinduit quæ ut plurimū tam a conſpectu q̄ a tergo cruce Chriſti crucifixi ſignata eſt, geſtat etiā crucem ac calicem ad altare, imo benedicit aſtantes cum cruce, etiam omnes geſtus ac integer Canon nihil aliud q̄ mortem domini annunciant, ut etiā ipſa conſecrationis uerba in mortem domini concepta ſint, & ut breuiter dicā omnia, quæ hic agit quilibet orthodoxus ſacerdos, eō urgunt, ut Chriſti mortem, crucem ac paſſionē nobis ob oculos ponat, Et apud eiuſmodi orthodoxas miſſas hactenus magna fuit aſtantium deuotio ac pietas, docebantur em̄ eiuſmodi Miſſæ auditores, ut pro morte propter nos obita Chriſto gratias ageremus. Lutherana autem illa concio eiuſmodi annunciationem nullam poteſt tolerare ac pati, imo prodit aliquis in medium habitu nihil a quouis ruſtico differens, in pireto extenſo ac diſſecto, undiꝗ caligis uariegatis & conciſis, barba circa ſuperiora labra contorta, neſcio qd ex ſynagoga Lutherana effutiēs, ſtipatus multis lagenis ac cantaris uini et deinde ſacroſancta conſecrationis uerba indigniſſime effundit, ac predicat in calice, Chriſti eſſe uerum ſanguinem, ubi uero nullus communicantium aduenerit, refert illas ſuas lagenulas in domū ſuam, ac cum ſua moniali deſertrice commeſſando euacuat, quæ ei hoc ſubinde ſuccinit: Calix domini inebrians, quam præclarus eſt, ſubſequetur me omnibus diebus uitæ meæ. Hoc nam contigit Thuregi, cum Zuinglius placentulis quibuſdam fermento, butyro ac alijs maceratis ac piſtis in Eccleſia ſuos communicantes ſaginaret, quidam arrepto fruſto ſuum ſodalem ita alloquutus eſt: Hoc eſt corpus meum, cui alter reſpondit: deuoret te Satanas.

Videte iſtorum lymphaticorum hominum, qui prophetæ ac eccleſiæ doctores uideri uolunt inſaniam, aut maliciam potius, qui rem ſacram ac digniſſimam ita turpiter, ſcandaloſe ac impie tractant, ueriſſime quod dicitur margaritas ante porcos ſpargentes, & ſanctum dantes canibus. Cum uero annunciare cum predicatione nihil cōmune habeat, imo cum mutus etiam qui predicare non poteſt, annūciare poſſit, plane ſatanas ille Lutherū in grammaticis illis uoculis egregie decepit, perinde ac in dia

lectica etiam,ubi ad Rom.iij.Pauli uerbis adiecit,perinde ac ipse ita sen-
sisset,per solam ac unicã fidem nos iustificari. Quod ne per somniũ qui-
dem Paulus cogitauit,sed Cacodæmon ille bona opera ferre nõ potest,
proinde hac sua astutia fretus,solam, dictionem inseruit, ut nouos hæ-
reticos solarios faceret, ac bona opera penitus aboleret, & ut deinde
nostra insania ac errore liberius frueretur. Nos autem, deo sit gratia,
intelligimus hæreticorum fallacias in dictione & extra dictionẽ, utcun-
que satanas fortiter ac strenue in cathena sua tumultuetur. Omnes etiam
hactenus catholici optime compertũ habuerunt,missam nihil aliud esse,
quam passionis dominicę cõmemorationem, namq; hoc per integrũ an
num, singulis deniq; dominicis,festiuisq; diebus annunciatur,& ob hãc
causam sacerdos sumit hoc sacramentũ sub utraq; specie: Lutheri autem
missa,mortẽ domini potius sepeliuit. Nos in gloriosissimo die Parasce-
ues solemus per totum diem nihil aliud agere,quam canere,legere,ora-
re ac predicare de passione domini, est enim ille dies expiationis ac pro-
piciationis:Lutherani autem rursus iubilant, debacchantur,saltant,com
messantur,infarciunt sese suillis farciminibus,& cum domino exhibetur
amarissima illa potio ex felle & aceto composita,ipsi nullo magis die de-
liciantur ac triumphant. Tum aureus ille uitulus lętatur, cum suos habe
at saltatores,quodq; hoc die non amplius cum pane ac aqua homines ie
iunent.Iob tamen de ijs ita scribit:Ducunt in bonis dies suos,& in pun-
Iob.21. cto ad inferna descendũt. Atq; ita Cacodæmoni Lutherano tertium ar-
gumentum oppugnauimus.

Restat quartũ,ubi ita loquitur Cacodæmon: Age uides Luthere uir
doctissime, eam ob rem iniciatus ac consecratus es in sacerdotem ut ex
sacramento faceres sacrificium,tuus enim suffraganeus ita tibi dixit: Ac-
cipe potestatem consecrandi & sacrificãdi pro uiuis & mortuis, imo sa-
tanas addit,O abominatio, o abominatio non potest esse sacrificium.
Hic merito oportuit Cacodæmonẽ omnes ingenij uires extẽdere, per-
multum enim sua interest, nam hactenus sacrificium hoc sacrosanctę mis
sæ multum ei nocumenti ac impedimenti attulit, ut nobis multæ sacræ
demonstrant historię.Non eñ hoc solum constat illi quod magnus ille
ac uere S. Gregorius,qui ante noningentos annos per missæ sacrificiũ sa
tanæ multas animas ex purgatorio ablatas esse docuit,uerũetiam exacte
nouit, quod Satyrus sancti Ambrosij frater in naufragio per hoc sacra-
mentum seruatus fuerit, quodq; tempore S. Augustini ui ac potestate
huius sacramenti Cacodæmones eiecti ac exterminati sint ex domo ac
possessionibus Esperij. Satanas enim nullum locum sibi esse nouit,ubi
est hoc uenerabile sacramentum. Rursus uero angelos esse ac uer-
sari apud hoc sacrosanctum missæ sacrificium testat̃ S. Chrysosto. Nec
minus satanas exploratũ habet, quid in Carthagine,ætate D. Cypriani
contigerit,cũ hoc uenerandũ sacramentũ esset cõtemptũ ac conculcatũ.
Vtcunq; tñ omnes illi uere orthodoxi, pij,et docti patres,ac ecclesię do
ctores,omnes inq̃ unanimiter docuerũt, nullusq; hactenus de doctrina
eorum du-

eorum dubitauerit, quam quod hoc sacramentum sit genuinum ac uerum sacrificium, pro mortuis ac uiuis: Lutherum tamen nihilominus suus satanas familiaris docuit hoc sacramētum non esse sacrificium, & hæc quidem doctrina non minus est diabolica ac impia, quā cum Lutherum induxit scribere, nos per nudam ac solam fidem, etiam contra Pauli uerba ac sententiam, iustificari ac saluari, quod singulum bonū opus, sit peccatum, & quidem mortale, præterea nos deū exorare non posse, omnia prouenire ex absoluta necessitate, neq; etiam ut is affirmauit quenquam Christifidelium iam inde ab ascensione domini in coelum peruenisse, neque quenq̄ eō usque post nouissimum diem peruenire posse. Nunquid hæc sunt quatuor egregia Euangelica præcepta? Hic certe satanas ridere potuit, cum hic a suo discipulo extorsit, unum secundum Matthæum, alterum secundum Marcum, tertium secundum Lucam, & postremum secundum Ioannem, si dijs placet.

Nonne hoc est erigere cum Ieroboam duos aureos uitulos? alterum in Dan, alterum in Bethel, atq; interim edicere ne quisquam amplius in domum domini ad Hierusalem proficiscatur? Si enim sola fides saluum facit, quid est quod Paulus dicit: Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum? Si quodlibet opus bonum peccatum est mortale, cur tam frequenter bona opera nobis Christus ac sui discipuli præcepere? Si omnia ex absoluta necessitate proueniunt, quid est quod orationem dominicam oramus, aut quid mala punimus, & bona remuneramus? Si nemo iā inde ab ascensione domini in coelos peruenit, quo gentium profectus est S. Stephanus, qui etiā coelos uidit apertos? Quo Paulus? qui dixit: Cupio dissolui & esse cum Christo. Ad hæc, cum nullus apostolorum hactenus in coelos peruenit, quo referendum est illud Christi dictum: Vado uobis parare locum, ut ubi ego sum, uos sitis, & ubi ego sum, illic minister meus erit? Si eñ Christus in coelis est, necessario consequetur etiam ibidem esse ministros suos. Hæc sunt itaq; commenta satanæ, qui quū est a coelo propter superbiam deturbatus, omnibus aditum eo præcludere conatur, ac intēdit huc omnes neruos. Proinde docet suum organum Germanicū illum Apostolum, in sermone de diuite & Lazaro, quod nemo nisi post extremū iudicium in regnum coelorum peruenire possit, quodq; Petrus, Paulus; ac alij adhuc sint in limbo patrū, ac inferni uestibulo, ut antiqui illi patres, Moses ac alij fuere. Quemadmodum uero Lutherus hic agit, ita etiam nulla scriptura fretus contra sacrosanctum missæ sacrificium deblaterat, ac inanem sumit operam.

Quod uero cacodæmon Lutherum suum perperam ac male docuerit, ac seduxerit, quodq; uniuersalis illa ac orthodoxa ecclesia bene ac recte hoc sacrificium obseruarit ac crediderit, affirmare & corroborare ex sacra scriptura aggredior. Et in primis nobis proponemus purum illum ac sanctum prophetam Danielem, quem etiam Christus seruator noster adduxit dicens; Quando uidebitis abominationem desolationis Math. 24

I iij stantem

ſtantem ubi non debet, quod Matthæus uerbis clariſſimis exprimit, ſic: quando uidebitis abominationem deſolationis (quę dicta eſt a propheta Daniele) ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat. Vbi conſtat Matthæum hic aperte innuere, quod tempore extremi iudicij ſtabit in loco ſancto eius abominatio deſolationis. Et cum Chriſtus ipſemet, ſua, Danielis uerbis confirmet, uidebimus quō & quid tandem ipſe Daniel ſcripſerit, Et ita ſcriptum reperimus Danie. ix. Et ciuitatem et ſanctuarium diſſipabit populus cum duce uenturo, et finis eius uaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autē pactū multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, et erit in templo abominatio deſolationis, & uſq; ad conſummationē & finem perſeuerabit deſolatio. Et rurſus in undecimo ait Daniel: Brachia ex eo ſtabunt et polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificiū, & dabunt abominationem in deſolationem. Ex his duobus Danielis dictis clare intelligere poſſumus hoc ſacrificiū permanſurū uſq; ad conſummationem ſæculi, & quod primum ſub aduentū Antichriſti abominatio hæc ſiſtetur in loco ſancto ac templo. Quod uero hoc tempus ſit & quādo futurum, docet idem Daniel nominatim deſcribens tempora, tempus, ac dimidium temporis, ubi per tempora duos, per tempus unum, & dimidium temporis, medium annos intelligimus, tunc enim ut eſt Danielis nono, deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo deſolatio abominationis, per hoc tum auferent, ut Daniel inquit, iuge illud ac inſigne & uenerabile ſacrificium, quod Hebrea ſcriptura Thamit, Grȩca aūt ἐνδελεχισμὸν appellat, hoc, inquam, fiet ultimis illis tēporibus. Et cum tum tandem futurum hoc ſit, ſcilicet tribus & ſemis annis ante extremū iudicium, ubi tum primum hoc purum ſacrificium auferetur, ſequitur quod interim fuerit in uigore ac precio, & hoc iuge ſacrificium offeratur quotidie in eccleſia dei.

Nec nos mouebunt Lutherus, Carolſtadius, Zuinglius, ac alij qui ſcribunt non eſſe ſacrificium, proin miſſam abrogādam, admoniti a ſuo Cacodæmone ac Idolo Moaſin. Ipſi em̄ in huius ſacrificij locum ſurrogare uellent ac nituntur illum panem ſuū piſtoriū ac fermentatum, nihil tamen agunt, ante tempus ſurgentes ac expergefacti, quanquam Antichriſti illius præambulones aut præcurſores merito appellari poſſint, pro quo contemptu ac abominatione ſuam proculdubio accipient mercedem, perinde ac ſacerdos ille Heli, Oza, Michol, ác omnes ferme Philiſtei ore contuſi, prophanatores archę dei in qua manna reconditū erat, ultore deo ſenſerunt ac experti ſunt. Niſi enim hoc uenerabile ſacramentum ſacrificium eſſet, quod nemo unquam in dubium uocauit præter illos hæreticos, iam inde a mille quingentis annis in templo catholicæ eccleſiæ tanq̄ abominatio ſtetiſſet idololatria, qui pro Chriſto panē uenérati fuiſſemus piſtorium, neq; interim Chriſtus nobiſcum, ut nobis pollicitus eſt, uerſaretur, Et ſolus ille Lutheri ſatanas nos pro ſuo arbitrio regeret ac diuerſos traheret, Sed nobiſcū potius manebit ad cōſummationem

onem usq; sæculi, quamobrem hoc iuge sacrificium non semel atque iterum per Danielem tangitur.

Sed ut hæc res manifestior fiat, ecce quid in capite duodecimo Danielis legitur. Impie, inquit Daniel, agent impij, neq; intelligent omnes impij. Porro docti intelligent & a tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta. His nihil apertius dicere potuisset propheta, illã igitur prophetiam etiam saluator approbauit. Quis uerò nunc ita stolidus ac ineptus fuerit, qui cum audiat Lutherum ac Zuingliũ perperam trãstulisse iuge sacrificium in Daniele, nosq; id ipsum recte ex ui uocabuli hebraicæ linguæ, in qua Thamit appellatur deducere ac interpretari, tandem aliquando non sentiat esse sacrificium, sacramentum altaris. Nisi enim esset ita uenerandum sacrificiũ quod ad sæculi consummationem usq; ac aduentum Antichristi permansurũ est, profecto nullo pacto opus fuisset Christum saluatorem nostrum testimonium extremi iudicij ex Daniele mutuari, imo quid eum mouisset, ut predicaret tum temporis fore abominationem desolationis in loco sancto, ac ut scriptura uult in tẽplo, eo enim tempore templum Salomonis locus erat sacrificij, et quasi ueneran di illius sacrificij typus ac repræsentatio. Lutherus tamen ac Zuinglius ut locum darent satanæ ipsorum Moasin, quem Aquila ἐπιθυμίαν γυναικῶν appellat, omni conatu quantum per eos licuit purum hoc iuge ac quotidianum sacrificiũ exterminarunt ac ablegarunt, in locum uero eius abominationem panis illius fermentati ac pistoritij in templo posuerunt.

Nos tamen freti certissimis Danielis uerbis proculdubio credemus, etiamsi multi apostatæ diuersum in suam perniciem sentiant, quod hoc iuge Sacrificium suum locum ac dignitatem semper obtinebit, Ita enim Irenæus qui discipulus discipuli Ioannis Apostoli & Euangelistæ fuit, aduersus hæreses libro quarto & capite tricesimo secundo, in hæc uerba scripsit: Dominus noster suis discipulis dans consilium primitias deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigẽti, sed ut ipsi non infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus, & calicem similiter qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab Apostolis accipiens in uniuerso mundo offert deo. Exaudis ne perniciosissime Satan ac Moasin potius, quod ante mille ac trecentos annos Irenęus secundus Lugduni in Gallia, & post Photinũ martyrem Episcopus aperte testat̃, quod hoc sacramentũ apostoli nobis quasi per manus reliquerint, q̃dq; id ipsum quotidie deo obtulerint, offeramusq; in uniuerso mũdo quotidie. Certe hic uir, imo sanctus potius, longe probior, constãtior ac religiosior Luthero tuo est, nã cũ primus Lugdunẽsis Episcopus Photinus martyriũ perpessus fuerat, eò per discipulũ S. Ioannis Euangelistæ missus est Irenęus, nec ullũ supplitij genus ꝓpter fidẽ auersatus est aut recusauit. Qualis uero martyr sit Lutherus, certe Veneris delicatissimũ man-

 cipium,

cipium, quidq; consortiũ illud malignorum spirituũ in suo regno agat, suo malo Germania didicit. Et præterea quod hoc sacramẽtum uerum ac efficax sacrificium sit, testatur etiam alius propheta Malachias, qui omnium prophetarum nouissimus fuit, sic tacite hoc sacrificium innuens ubi sic scribit: Non est mihi uoluntas in uobis dicit dominus omnipotens, & sacrificiũ non accipiam de manibus uestris, quoniam ab ortu solis ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificiũ purum, quoniam magnum est nomen meum in gẽtibus dicit dominus omnipotens, manifestissime significans per hoc, quoniam quidẽ prior populus cessabit offerre deo, omni autem loco sacrificiũ offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificabitur in gentibus. Et præterea anteq̃ Malachias hæc scribit, increpat Israẽlitas quod altari domini maculatos quosdam panes imponerent ac sacrificarent, non ait enim esse hoc sacrificium de uoluntate domini, imo dominus exercituum aliud sacrificium per prophetam nobis indicat, purum, immaculatum, ac ab omnibus sordibus remotũ, quod certe aliud esse non potest, q̃ sacramentum Eucharistiæ, id est ipsum domini nostri corpus ac uerus sanguis, ita ut eum etiã scriptura speculũ absq; maculis, & agnum absq; labecula appellet, hoc est illud purum sacrificium, quod omnes catholici sacerdotes iam multis sæculis ab oriente in occidentem usq;, quotidie ac iugiter domino unanimiter obtulerunt ac offerunt, de quo & ipse ista subiũgit: Ecclesię, inquit, oblatio, quam dominus docuit offerri in uniuerso mũdo, purũ sacrificium reputatum est apud deum, & acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius. Hoc autem male habuit satanam quod per eiusmodi sacrosanctum sacrificium multæ sibi animæ ablatæ, ac ex purgatorij cruciatibus redemptæ ac liberatæ fuerunt, liberanturq; quotidie. Nouit enim quod tempore D. Tertulliani, qui sub Seuero Pertinace, ac Antonio Caracalla uixit, annis iam prope millibus trecentis, missæ celebratæ fuerunt & exequiæ, & iusta anniuersaria pro defunctis habita sint, semper enim summo studio conuellere hęc connisus est, quod tamẽ non fieri potuit, eo quod ecclesia firmissime stat supra firmam petram.

Porro cõtra nostrã catholicã sententiã hactenus, o maledicte diabole ac Sycophanta perniciosissime, a nullo præterq̃ a te ac tui similibus controuersum est. Sed frustra laboras, Nam etiam adiuuat hæc omnia non parum typus ac figura Melchisedech ac agnus paschalis. Melchisedech enim propter sacerdotium patre ac matre omniq; prosapia caruit, atque adeo neq; principium aut finem sui ortus habuit, ille inquam summus sacerdos in figura panem ac uiuum obtulit, uocatur enim Hebraice Cohen el Elion, id est, sacerdos dei altissimi, & hic quanq̃ Zuinglius uoluerit cohen præfectum aliquem aut Satrapam significare, toto tamen coelo, & quasi in tenebris Cymerijs oberrauit, Pro maiori eñ parte Cohen Hebraicæ in scriptura pro sacerdote reperitur, Et certe magna est

cæcitas ac insania potius, istorum Sacramẽtariorum, qui Melchisedech nolunt esse aut extitisse dei altissimi sacerdotem, cõtra septuaginta interpretum ac Pauli et totius ecclesię sententiam, & audent aliud alienum eidem indere nomen. Si enim ipse Melchisedech pręfectus aut satrapa quidam fuit, cur quęso eum ita frequenter Paulus sacerdotem ad Hebræos appellat? Imo quid est quod psalmographus eum sic appellat dicens: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech? Si enim nouis illis grammaticis cohen satrapam aut aliquid huiusmodi sonat, necessum est etiam Christũ talem fuisse prouinciæ præsidem, præfectum ac satrapam. Quod si satrapa fuit aliquis, quomodo ergo Pilato respõdit: Regnum meum non est de hoc mundo? quomodo ergo non ipse stipatur militibus? & tandem, quo recidit suum sacerdotium, de quo ita multa S. Paulus scribit? Ego certe septuaginta illos interpretes ęque ac illum scripturæ corruptorem Hebraica intellexisse crediderim, et ÿ quidẽ pro cohen, Iereus posuerunt, quod sacerdotẽ designat. Quod aũt plerumq; cohen pro sacerdote ponatur, cernere est i.Paral.v.Exod.xl.Leuitici.xxij. ij.Regum xvij. i.Regũ v. Psalm.xcix. Tren.i.Numeri. xviij. ac in alijs locis quam plurimis. Psalm.109

Adde huc non necessarium fuisse, ut scriptura mentionem faceret potentissimi dei, quem hoc fortissimo nomine El cum adiecto Elion uocitat, si hac parte uoluisset Melchisedech predicari deberi satrapã, et si Melchisedech pręses aut præfectus prouinciæ dumtaxat erat, mirum qui fieri possit, ut & is commendetur extitisse rex in Salem, si saltem præfectus fuit, proinde adhuc firmiter in scriptura stat typus Melchisedech pro sacrificio Missæ.

Nec non etiam figura agni paschalis pro nobis est, nam sicut agno paschali non repugnat ut sit agnus, sit oblatio, sit & memoriale, ita sacramẽto Eucharistiæ non contraluctatur, ut sit uerus agnus Christi, uera oblatio, atq; uerum memoriale, etiam si rumpantur ilia Cacodæmoni atque Luthero, quippe & ipsa figura agni mendacissimam Lutheri opinionẽ prosternit. Quum itaq; diabolus ex corde Lutheri Lutherizans scribit dominum dixisse de sacramẽto, Hoc facite in mei commemorationem, Si ergo, inquit Lutherus os & organum diaboli, hoc sacramentũ, cõmemoratio est, non est ergo sacrificium. Ad quod ego ita respondeo: perinde ac agnus paschalis uere figura, etiam uerum sacrificium aut uictima, ac etiam monimentum, memoriale atq; cõmemoratio transitus ex Ægypto fuit, ita est hoc sacrificium Missæ uerum sacrificium, uerum corpus ac uerus sanguis Christi, & interim etiam commemoratio ac iuge memoriale passionis dominicæ.

Lutherus autem cum hoc uerbum facere in uernaculũ nostrum transfert, ait, **Ihr sollent das thun.** Quid si dicerem hoc facite, id est. **Ir sollent machen:** scilicet per uerba dei omnipotentis, ex pane corpus domini, & ex uino sanguinem? quomodo ergo quadrat Lutheri sententia qui transsubstantiationem non concedit, & ita seruum supra dominum col

locat, &

locat,& creaturam creatori præfert, ipſumq; panem in menſa domini, honoratiori loco præponit ac pręficit, & contra parabolam Euangelicam digniori ſuum locum eminentiorem non concedit, interim deniq; recubentem in menſa domini,neq; cum ueſte ornat nuptiali,Sed obgāniat hic quicquid uelit Lutherus, nos firmiſſime tenemus traſſubſtantiationem quam paſſim quiq; optimi tradidere ac docuere.

Neq; etiam ſi dicerem ita,facite,id eſt,offerte Lutherus poſſet refutare,ea enim conſuetudo loquēdi ſcripturę familiaris eſt,ut Hębraice Aſa, ποιεῖν Græce,&facere Latine,pro ſacrificare accipiatur,Niſi enim re uera ita eſſet quod ſcriptura acciperet,facere,aliquando pro ſacrificare, quomodo Lutherus hoc intelligere poſſet in Leuitico:facietis hircū pro peccato,& rurſus in Ezechiele: Faciet princeps in illa die pro ſe & uniuerſo populo terræ uitulum pro peccato. Et ſequitur : Faciet ſeptem uitulos, & ſeptem arietes,& rurſus in Ezechiele: Agnum eiuſdem agni immaculatum faciet. Adhęc dixit Manue ad angelum:Faciemus tibi hœdum de capris. Hæc omnia ſic accipi uel intelligi nō poſſunt, quaſi coitu naturali faciendus ſit hircus, faciendus ſit uitulus, aut faciendi ſint arietes agni: ſed potius iuxta ritum legis offerendi ſint. Aſa enim hebræis ſacrificare eadem dicendi ratione ſonat, ut habemus Gene.xviij.Exod.xix.Numeri.vi. Leuit.vi.xv.xxviij.& xxix.& in Deuteron. xvi. Ioſue. v. & ſemel

Deut.16. atque iterum in Eſaia. Hinc ſequitur quod etiam facere in ſcriptura prō ſanctificare ſumitur,quod græcis ęque ac latinis plane familiare eſt. Homero quidem,Theocrito,Plauto,Cicerone & Vergilio ita teſtibus,prę terea quomodocunque ſeptuaginta tranſtulere aſa, illud etiam ita latini uerterunt facere.

Deinde cum Lutherus ac ſui ſectatores ita paſſim cognitionē linguarum uenditent, quęro ex illis quodnam uocabulum ſit miſſa & unde ueniat ac originem ſumat? Certe hanc uoculam hebræam eſſe conſtat,& in Deuteronomio poſitam,quo in loco etiam ſignificat oblationem,id q̃d linguarum periti norunt omnes. Eſt etiam uerum quando dico : Miſſa eſt Miſſa. Veriſſima enim ſunt ut logici uolunt, quæ de ſe prędicantur, ut homo eſt homo,proinde utcunque uos diabolici uiri adhuc miſſam torqueatis,Miſſa eſt miſſa.i. ueriſſimum ſacrificium,Siue itaq; uelitis, ſiue nolitis, Chriſti fideles, pro receptiſſimo uſu ſuo,ſemper ad Miſſam, hoc eſt miſſę ſacramentum ac ſacrificium,deuota mente ibunt.

Pro ſecundo ait Paulus,eos uiuere debere de altari qui altari deſeruiunt.Hic ego quęro ex Luthero quo nomine gręci, altare nominent,nec alio pacto mihi reſpondere poterit quam quod θυσιαστήριον uocitent quaſi locum ſacrificij dicas:ut ἐργαστήριον, βαπτιστήριον, et alia huiuſmodi uocabula,Si ergo in altari nullū offertur ſacrificiū,non eſt etiam in euangelio locus θυσιαστηρίῳ id eſt altari, Et quomodo intelligendū eſt hoc quod ipſe dominus docet munus ad altare offerendū eſſe? Sed & pro ſua conſuetudine hic Lutherus tergiuerſatur,&ait:Ego non appello θυσιαστήριον uel ſacrificij locum, altare, ſed potius menſam domini uel cœnam domini,

quibus

quibus ita obuiari poteſt, uerum eſſe quod Paulus ſcribit nos non poſſe participes fieri ſimul menſæ dominicæ ac dæmoniorum. Sed quid quæſo aliud eſt menſa diaboli quam altare diaboli? in quo ipſis ſua offerebantur donaria? Et nunquid Paulus ad Corinthios frequenter meminit ſacrificij quod cacodæmonibus offerebatur. Ergo perinde ut eſt ſacrificium diaboli, a quo nos Paulus abſterret, ita eſt Chriſti ſacrificium cuius nos debemus reddi participes, Si uero per menſam diaboli altare intelligitur, neceſſario ſequitur per menſam etiam domini inſinuari altare domini. Quod uero in ſcriptura Schilchan hebraicæ pro altari ſumitur, argumento eſt nobis Malachias ex prophetis illis duodecim non minimus, cuius uerba de menſa hoc eſt altari dei hęc ſunt: Dicit dominus exercituum: ad uos o ſacerdotes qui deſpicitis nomen meum, et dixiſtis: In quo deſpeximus nomẽ tuum? Offertis ſuper altare meũ panem pollutum, et dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis, menſa domini deſpecta eſt. Ecce ut ex Malachia propheta menſa pro altari accipitur, et ad hunc uſum loquendi Paulus, de menſa domini, ac menſa id eſt altari dæmoniorum præcepta dedit. .Cor.10.

Cum uero ille Babylonicus cacodæmon ita doctus & in cognitione linguarum uerſatus eſſe fertur, ex eo quærere uelim, quid cauſæ inſuper fuerit cũ Act. xiij. legatur, quod Antiochiæ prophetæ ac doctores, Barnabas, Simon, cognomento dictus niger, ac Lucius Cyreneus, Manana el & Saulus domino ſacrificauerint, Non enim gentiliũ more, Apollini, Veneri ac Mercurio ſacrificaſſe ueriſimile eſt, neque eos credendum eſt, arietes, hircos, uaccas, uitulos aut oues more Iudęorũ ſacrificaſſe, ex quibus ſequitur eos liturgiam uſurpaſſe, ut etiam hodie græci ſuas appellãt miſſas, quod teſtatur textus Lucæ apertiſſime. Si itaq; ſacrificarunt, nullo alio ſacrificandi uſu ac more fecerunt, quam eo quem tota hucuſque ſeruauit eccleſia, alioqui uel idololatrę uel in Iudaiſmum relapſi fuerunt.

Quo circa tu Lutheranæ ſatana, aut potius ſatanice Luthere inferorũ mancipium obmuteſce, furore tandem ceſſa, & tu maledicte diabole ac damnande, exi ab homine, exi a monacho & illius immundo pectore, ac egredere tandem aliquãdo pectus Lutheri, tu inquam ſpurciſſime ac inquinatiſſime cacodęmon, tuis em̃ innatis ſordibus ac labeculis ſacroſanctum illud & purum miſſę ſacrificium aſpergere ac coinquare pro uiriſi hucuſq; anniſus es, nihil tamen agere potuiſti, quamlibet ſedulo operã dederis, Omnes enim ferme uno conſenſu ueteres, pij, ac catholici doctores, impreſſionem tuam fortiſſime ac ſtrennue ſuſtinuere, ac te tuis diuerſis, contrarijs ac inconſtantiſſimis opinionibus irretitũ tenent ac facile cõuincunt, Ex eorum autem numero unus eſt claſſicus ſcriptor D. Dionyſius, qui etiam regnante Domitiano de Miſſa ſcripſit, quo in loco ſacramentum hoc aperte appellat ſacrificium. Ignatius etiam diſcipulus Diui apoſtoli ac Euangeliſtæ S. Ioannis, in ſexta epiſtola ad Trallianos aperte hoc adducit Sacramentum oblationem eſſe, Ac ad Epheſios clare ſic ſcribit: Studete ut ſæpius Euchariſtiæ faciatis ſynaxim, Quotieſcumque

enim hoc

enim hoc facietis, omnes omnium diabolorum depelluntur potestates.

Restat Cyprianus ille uir sanctus ac Episcopus in Aphrica Carthaginensis, qui adducit purum hoc sacrificium sæpissime, signate uero ac clare in secundo libro, ac tertia Epistola ad Cecilium ubi copiose prosequitur historiam Melchisedech, quod illa fuerit typus huiusmodi sacrificij, & quod sacramentum hoc, sacrificium sit, Quod iam inde ante mille ducentos annos a Cypriano scriptū est. Accedit eidem quod de Basilio magno Episcopo Cæsariensi legitur, qui clarissimis uerbis noscitur sacramentum hoc adduxisse sacrificium. Et S. Ambrosius idem testatur in historia S. Laurētij. Hoc Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Damascenus, et ut breuiter dicam, omnes ueteres ac pij ac catholici et sensere atq; scripsere, Omnes, inquam, antiqui patres, partim martyres, partim confessores ac predicatores, dein pontifices, utpote Clemens, Anacletus, Alexander, Eusebius, Iulius, Syricius, Innocentius, atq; alij qui supremi Episcopi, ac plerunque ex ijs martyres fuere. Hoc docuerunt sacrosancta concilia, Nicenum quidem in Nicea Bythiniæ, celebratum sub Constantino magno, quam synodum etiam Lutherus omnium antiquissimam ac sanctissimam arbitratur. Approbarunt præterea hoc totidem præclari Episcopi in Concilio Ephesino, Constantinopolitano, Carthaginensi, Toletano ac Cabilonio. Et quis tam excellentibus uitæque sanctimonia quosuis superantibus temere contradicere ausit, nisi qui pessimo sit diuexatus spiritu? Sed quid dicā? Totus ad id satan intendit, ut quouis pacto nostram missam impugnet, ut Liturgiam Sancti Iacobi, Clementis & Basilij, ac aliorum Græcorum etiam Indorum ac Asianorum abroget, antiquet ac aboleat, ita enim fore speret ut sacrificium deinde pro uiuis ac mortuis nullum habeat locum. Sed utcunq; etiam Turca sit immanis ac truculentus tyrannus ac dominus, omnes tamen Christianos qui in Seruia, Bulgaria, Bosna ac tota ferme Græcia degūt, suam celebrare Liturgiam non impedit aut prohibet: Lutherus interim, ut uno uerbo dicā, omni conatu hoc agit, ut missam e medio tollat, id quod detestandum est plurimum.

Possem pro reliquo etiam ad confirmationem orthodoxæ nostræ sententiæ plura adducere ac in medium proferre, & in primis hoc, quod nō absq; re ac causa quilibet catholicus sacerdos Sacramentū inter celebrandum eleuat, ac in altum leuans ostēdit populo, Id quod iudicio ac argumento nobis est, q̄d iam a primis ecclesiæ catholicæ institutis ac moribus ecclesiæ sacrificium acceptum ac creditum est, Vbi em̄ sacerdos uenerabile hoc Sacramentū in altum tollit iuxta ueterē morem ac ritū ueteris religionis, hoc innuitur, ut hac eleuatione agnoscant homines, hoc Sacramentū uerum esse sacrificiū. Quippe in ueteri testamento quæ oblata fuere deo, eleuata fuere coram domino, ac plerumq; ostensa populo. Sic habetur enim in Leuitico quod oblationes eleuatæ fuerūt. Ita agnus eleuatur, & aliæ oblationes multæ, quæ omnia breuitatis studio omitto.

Ex his atq; alijs liquido ac luce meridiana clarius apparet, Lutherum

a Cacodæ-

a Cacodæmone uexari multo magis noxio, quam ſpiritus ille malus regis Saul fuiſſe perhibetur, quanquam merito etiam ei cõferri poſſit, qui ubiq; data occaſiõe Dauidem, lancea ſua parieti affigere conatur, Deus ergo illi fanatico Sauli citharœdum mittat, qui eum bene depexũ ac decomptũ det, refocilletq; ut recedat ab eo ſpũs malus et neq̃. Ita enim fiet ut tandẽ tot furta, latrocinia, tumultus ac ſeditiones ſopiantur, fiat, fiat.

Redeamus ad id unde digreſſi ſumus, & præcipue Hebraicis inſtituti diſciplinis, quando doctiores Iudæi præmonẽt atq; loquuntur de ruah ra, hoc eſt de maligno ac noxio aliquo ſpiritu, mentionem faciunt cuiuſdam Cacodæmonis cui nomen eſt Iehetza, quod ſemper aliquod proſmoueat atq; adinueniat malum. Hoc etiam nomine Lutheri ſpiritus appellari poſſet, qui in quinto illo ſuo colloquio, quod cum Luthero habet, nihil boni, tanquam oẽs Satanæ, appetat. Non enim contentus eſt, quod omnibus uiribus miſſam ac altaris ſacramentum exterminare ac proijcere conatur, uerumetiam catholicum illud ſacerdotium in Euangelio cõfirmatum, pro nihilo ducere nititur. Nec mirum hoc eſt, nam et antea ſub Aaron ſacerdote idem egit, ubi Coreb, Dathan, Abiron ac alios perſuaſit, ut ſeſe huic negocio aduerſus ordinem tabernaculi immiſcerent.

Et rurſus, quæ eſt iſtius Cacodæmonis aſtutia ac malignitas, filios etiam ipſius Aaron, utpote Nadab & Abiu, aduerſus ſacerdotium ſubornauit, atq; adeo ipſum Regem Oſiam perſuaſit, ut locum ac ſacerdotis officium ſummum occupare præſumeret. Deus tamen omnipotens ſemper mirifice ſacerdotium defendit ac tutatus eſt, ita, ut Aaron ac ſui gregis ſacerdotibus ſemper a deo conſtitutus ac debitus locus eſſet, neq; dubitamus quin idem in tutando ſacerdotio nouæ legis faciet, etiam ſi Lutheranus ille Ieroboam nouos uitulos quotidie erigat, ac ſubinde inauditas cudat in Dan & Bethel leges, edicto cauens ne ſcilicet amplius in Hieruſalẽ, hoc eſt ad Chriſtianam, Catholicã ac Euangelio firmatam catur miſſam. Nihilominus tñ nunquã fiet quod uult, quanq̃ omni ſtudio in hoc hęretici incũbant, eorum eñ regnũ certe ſubuertetur, ut nobis argumento eſſe poteſt, q in ſe diuiſum eſt ac ſibi ſemper contrarium ac oppoſitũ, ita eñ proculdubio ſemel, quod cito fore arbitror, exitialem habebit exitum. Omne namq; regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.

Cæterum quid dicam? iſtorum ſchiſmaticorũ opiniones ac doctrinę longe pernicioſiores ſunt, q̃ olim fuerint Ieroboamiticæ perſuaſiones, et eam ob cauſam, quod ille uiros huic muneri ac functioni ſacerdotali pręficiebat: Lutherus uero decrepitas anus, ac etiã quoſlibet e triuio in hunc gradum ſacerdotalem nouę legis collocat, temere tamẽ affirmans, quod anus illę garrulæ, ac uiliſſima quæque ſcorta miſſas celebrare poſſint, Præterea facit ex fœminis confeſſores, cum plena poteſtate etiam ligandi & ſoluendi, dimittendi & retinendi peccata, & in ſumma, mulieribus plane omnem adijcit dignitatem ſacerdotalem, excepto quod ſolum ipſis adimit publicas conciones, reliqua autem omnia ſunt ijs expo

sita ac concessa, quæ etiam Ieroboam cum suis uitulis non tulisset. Adhuc Lutherus ait: Sanctus Petrus dicit nos esse regale sacerdotium. Ad quæ ego respondeo, nos æque esse presbyteros, ac reges, etiam si in spiritu simus omnes spirituales sacerdotes, non tamen externa functione sumus sacerdotes omnes aut reges, id est potestate, ministratione, ac regimine, & præterea etiam si dominus omni populo Israël, omnis ætatis ac sexus in monte Sinai dixerit, uos eritis mihi sacerdotale regnum ac po-
Exod.19 pulus sanctus, nihilominus idem dominus in eodem libro Mosen ita alloquitur: Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis, de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi.

Hęc atque alia id generis dñs de sacerdotio dixit, prohibens ne quisq̃ ijs uteretur uestibus, quibus induti fuerant sacerdotes domini, neque frustra sub mortẽ Aarõis eiusmodi uestes filio eius Eleazaro traditę sunt. Huic sacerdotio cacodęmon olim in ueteri lege ualde fuit infestus, uidebat eñ quod per sacrificia Aaron deus quotidie placabatur, sicuti enim in Aquilone suũ posuit thronũ assimulans sese altissimo, ita in terra egit ut uitulus sibi tanq̃ deo erigeretur, Et deinceps apud Moabitas nõ solũ hircos, arietes, oues, ac uaccas, uerumetiã filios ac filias populi Israëlitici, pro propiciatorio prælij sacrificio sibi offerri permisit, propterea Dauid in Psalterio sic ait: Immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs, dijs quos
Roma.1. ignorabant, & hoc ipsum idem est quod Paulus ad Romanos scribit: Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & quadrupedum & serpẽtum. Vanitates omnes hę fuere ex persuasione diaboli, qui semper uellet in oblationibus esse similis altissimo, proin suum sacerdotium idololythicũ erigit semper, euertere uero sacerdotium nouæ legis nunq̃ cessat. Hinc est quod contra unum deum dicit ad mulierem: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Et hanc cantilenam Israëlitis inculcauit, ut canerent corã uitulo: Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt ex Ægypto. Hi quidem impudentissimi dij, diaboli sunt, multorum nominum, multarum denique insidiarum, Nam ad priores quos recensuimus Cacodęmones, etiam passim apud Hebræos de alijs spiritibus malignis leguntur uaria, utpote de Enim, Sched, Seyrim, Chereff, Schamat, ac horribili illa nocturna Lamia, cui nomen est Lillis, deque illo lymphatico spiritu quem Beelzebub Hebraice, nostra autem lingua Schvvermerum appellamus. Enim est is spiritus blaterator, qualis Lutheri est, qui hinc inde nullo delectu per scripturas uagatur, ac deinde male intellecta aut detorta effutit, ac passim deblaterat, Ille inquam Lutherus per totũ orbem debacchatus est, altera manu panem, altera lapidem ostentans, ac etiam eadem sua manu, utramque maxillam pulsans ac percutiens, si quis eidem ouum porrigat, confestim Scorpionẽ reddit, & ut summatim dicam, a nemine castigari aut aliquo pacto corrigi uult ac patitur, proinde ex eo hactenus nemo alius quam Enim ille blaterator spiritus aduersus omnia sacra, & sacramentorum ordinem, quæcunque in buccam uenere, temere effutiuit.

Ille etiam

Ille etiam Cacodæmon Lutheri Sched, omnes corrupit ecclesias, euertitque omnes ecclesiæ constitutiones, missam ac sacerdotium, quantum per eum licet, deprimit ac conculcat. Cæterum Cacodęmon ille de quo agimus iusta causa etiam poterit Schomat appellari, qui omnes uertiginoso suo afflatu in errorem ac denicq; in omnia uitia conijcit, imo etiam Chereff quasi dicas quidam interuersor uel raptor, ac ut supra dixi uerus Beelzebub, qui muscæ instar continue circumuolitat, ac circumuagatur, appellari merito suo poterit. Et quia ipse Lutherus de se scribit, quod non amplius miretur multos mane in lectis mortuos ac iugulatos reperiri, forsan ille summus Cacodæmon posset Cheteff appellari, is enim apud Hebræos noctu homines iugulare dicitur. Istorum autem omnium malorum Cacodæmonum mater dicitur Hebræis Lillis, quasi dicas, Lamia nocturna, quæ infantulos trucidat, moris enim fuit in puerperarum conclauibus, ut huiusmodi affigerent amuletũ: Adam & Eua tecum, Lillis autem hinc facessat. Est aũt Lillis illa Lamia, de qua & propheta Esaias uerbum facit, quæ hominibus & forte Luthero ualde molesta est, noctis tempore. Dan. 9

Sed quid dicam? isti omnes mali ac noxij spiritus, non possunt ferre neque missam neque sacrosanctum Missæ sacrificium, aut sacerdotium nouæ legis, quo circa operam dant ut omnes calices, patenæ, monstrantię, aurea thuribula, ac alia ecclesiæ ornamenta atq; clinodia, undequaq; a Iulianis apostatis, Antiochis, ac Nabachudonosor, ex templo Salomõnis auferantur, ac in priuatum, prophanum, spurcum & turpissimum uertantur usum.

Interim etiam pulchre sibi abblandiuntur isti belli homines, ac prætendunt hæc esse pauperibus eroganda, cum nihil minus hucusque factum sit, quam ecclesiarum uasa sacra ac preciosiora clenodia in pauperes distribui, sed &iam huiuscemodi pręstigia reperiuntur esse cognita nobis, quando etiam hoc ipsum Satanas egit cum muliere peccatrice, quę Christum seruatorem nostrum unguẽto precioso in domo Simonis perfuderat, aduersus quam pietatem mussitabant apostoli, ac murmurabat Iudas Iscariothis, e Satanæ instituto prætexens, oportuisse erogari in pauperes trecentos illos denarios, pro quibus uenundari poterat unguentum hoc. Sed quid dicit scriptura? non erat illius tanta de pauperibus cura, sed quia fur erat, & loculos habuit.

Proinde plane impiũ est, sacra dei templa ita prophanare, ac tam impia mente despoliare, contra arcam Dei tam impie cum Philisteis insultare ac agere, eam deprædare ac spoliare, quanquam non dubitem quin ipse dominus suam arcam ac eiusdem ministros conseruabit, contra superbos illos ac gloriosos Philisteos, quos proculdubio impunes non dimittet. Quod si, modo ueteribus credamus historijs, nũquam cuiquam aurum Tolosanum, uel quæcunq; rapina sacrilega bene cessit, neq; hodie cuiquam bene cedet, quod ex ecclesiasticis ornamentis ablatũ ac subreptum sibi sacrilegi uendicãt, omnia enim ita ablata rursum perduntur

 nulla in

nulla inde utilitate percepta, proinde scribens illa in Daniele manus argumento ac admonitioni etiam esse debet cunctis sacrilegis, ne ab his olim magistratus ex ultione diuina tollatur.

Postremo mihi plane mirum uideretur, cum sacerdotium fuerit sub lege naturæ in Melchisedech, ac deinde in Mose perstiterit sacerdotium Aaronis, quod illud perpetuum nouæ legis sacerdotium ita contemni ac cõuelli deberet, maxime quod pro summo sacerdote ac uicario Christi, Petro, tam impense rogauerit dominus ac saluator noster. Reliquum est ut uideamus quodnam hoc sit sacerdotium, a quo Lutherus instinctu sui Cacodęmonis una cum suis asseclis desciuit ac tanquã transfuga reliquit, Ille inquit Lutherus desertor orthodoxæ religionis, contẽptor sui sacerdotij, neglector uotorũ, quæ deo sub ingressum ordinis Augustiniani nũcupauit, a suo Cacodæmone inducitur ac persuadetur in Euãgelio, nullam esse sacerdotij ordinationem, nullum deniꝗ sacerdotium, Atꝗ ibi agit sicuti olim in paradiso, ubi quamprimũ ille serpens callidior cæteris animantibus ante Euam uerbum habere cœpit, mox ore suo mendacissimo, duo maxima mendacia uno spiritu dixit, Primum quando mulieri ait: nequaquam morte morieris, perinde ac sua & non domini uerba uera essent, deinde mox aliud mendacium addidit dicens: Eritis sicut dij scientes bonum & malum, per quæ mox deorum multitudinem statuere, cultũ uero unius dei peruertere uoluit. Quis enim non sentiret duplicatum illud mendacium patris mendaciorum, qui & mendax (ita testante Christo) fuit ab initio?

Et ita etiam hic contra catholicum sacerdotium pro innata malignitate mentitur adeo, ut mirer cur Lutherus ei tam facile in præsenti colloquio suam adstringat fidem, imo magis miror, qua impudentia glorietur Lutherus ex suo corde locutum fuisse diabolum, quando Zacharias testetur in suo cantico, quod dominus, non diabolus, locutus scilicet fuerit per os suorum prophetarum, Et beata uirgo Maria in suo magnificat dicit: Dominus locutus est ad patres nostros Abraham & semini eius. Iam Lutherus nobis in hoc colloquio ea affert, quæ ex pectore ac ore eius loquitur satanas.

Præterea quando deus ipse cum suis prophetis loqui non uolebat, suos tamen ad eos amandabat angelos, ut cum sanctis loquerentur. Ita angelum misit ad Agar. Sic angeli ueniunt ad Abraham, ac Loth, ac cum ipsis colloquuntur. Ita angelus Abraham iterum de cœlo uocat ac compellat. Eodem modo loquitur angelus cũ Manue, ac cum propheta Balaam, atꝗ cũ pio illo Helia. Similiter proficiscitur angelus cum iuniore Thobia, qui & alloquitur pium illum senem. Nec non cũ Daniele, Abacuc, & alijs multis sanctis hominibus, angeli in ueteri Testamẽto loquuti fuisse scribuntur, & in primo Euangelij limine, loquitur angelus cum Zaccharia sacerdote, dein cum perpetua uirgine Maria. Cæterum apparet Ioseph ac pastoribus, et cum ipso domino loquitur in monte olíueti. Ita etiã apud sepulchrũ loquitur cum mulieribus. Ad hęc apostoli in car

cerem coniecti, audiuerunt angelum cum ipsis loquentem noctu, & aperientem clausam portam carceris. Pariter etiã cum Philippo, Cornelio pio illo ac deuoto homine, qui etiam suas preces ac eleemosynas in conspectum domini detulit, loquitur angelus. Postremo Petrus etiam captus audiuit angelum loquentem sibi: Surge hinc confestim, &c.

Videtis ergo pij ac deuoti Christiani, quo pacto angeli cum hominibus cõuersati, atq; cum ijs coelitus loquuti fuerint, sunt enim spiritus administratorij in causis nostris, & ad ministerium sæpe missi. Rursus autẽ Lutherus contra sacerdotium nouæ legis diabolo utitur collocutore, et deinde eiusdem probat opinionem ac sententiam, eumq; sequitur in suis scriptis ac concionibus, & manifestis uerbis dicit diabolum uera dicere, uera sentire, et neutiquam esse mendacem, ita enim Lutherus ędito libro de seipso testimonium dedit. Sed re uera stat perpetuo ratũ quod conuersationem habeat cum Malachmoues id est cum angelo mortis, qui hinc inde multos, uel Petro ita atteståte, adoritur, ac ueluti leo rugiens deuorat, iugulat, trucidatq;. Quid igit̃ causæ est cur eum sequamur, qui nobis nihil aliud quam mortem ac interitum depredicat?

Cæterum cum hoc uere sibi identidem inculcari mereat̃, Vade retro Sathana, nihilominus tñ in salutem ac ędificationem infirmorum ꝓbare, ac ex textu Euangelij in mediũ afferre conabor, maxime in noua lege rationem esse sacerdotij. Et in primis S. Paulus ita scribit Corinthijs: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispẽsatores mysterioꝝ dei. 1. Cor. 4
Si igitur apostoli sunt ministri domini ac sacramẽtorum dispensatores, quid est quod Lutherus quemlibet baptisatum parem in ecclesia potestatem habere dicit? Paulus autem hoc ideo scripsit, ut suam, etiam ipsius Apollo ac aliorum demõstraret authoritatem, textus enim illius uerba sunt planissima. Proinde idem etiã uult nos esse missos esseq; ministros noui testamenti non secundum literam, sed secundum spiritum.

Hic Lutherus dicet, uerum quidem esse, quod Apostoli ministri sint, sed tamen eosdem sacerdotes, aut alios in locum ueteris testamenti Leuitarum successisse negat, quod quidem obiectum si uerum esset, ut certe non est, neq; Aaron et sui filij essent habẽdi in ordine aut numero sacerdotum, quos Hebræi Cohanim uocant. Nam in exodo dominus alloquitur Mosen sic: Applicabis Aaron & filios eius ad fores tabernaculi Exod. 40.
testimonij, & lotos aqua indues sanctis uestibus ut ministrent mihi, & unctio eorum in sempiternum proficiat, ubi quidem Cohen hebraicæ ponitur, quod septuaginta uerterũt ἱερατεύειν, quasi dicas sacerdotio fungetur. Et similiter de Eleazar & suo sacerdotio scriptum est in Deuteronomio, ubi Aaron mortuus & sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius, hic etiam Cohen uocula usus est, quã iterũ transtulerunt septuaginta ἱεράτευσεν id est sacerdotium egit, & alibi in primo libro dierum Regum sacerdotio functus est Eleazar & Ithmar, nam & hic est Cohen, & ex interpretatione Græca ἱερεύς. Et in alijs locis sexcentis licet deprehẽdere Cohen sacerdotem, & nihilominus ministrum dei Deut. 10.

 ac taber-

ac tabernaculi. Et nisi hoc esset, Christus per typum Melchisedech non posset predicari sacerdos.

Praeterea Lutherus dicit sacerdotem esse ministrum, quod non confitamus, est enim minister, & minister quidem dei, ac non uulgaris atque
1.Esdrae.8 leuis, sed sanctus & honorandus. Nam in Esdra ita scriptum est: Misi ad Nathinneos in loco Casphie, ut adducerent nobis ministros domus dei nostri. Et Numeri xviij. Tu & filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem sanctuarij, & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij uestri, sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptro patris tui sume tecũ, praestoque sint, & ministrent tibi, tu aũt & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. Ex quibus & alijs multis sacrae scripturę locis colligitur, quod sacerdotes Aaron erant ministri, fuerint ministri inquam dei, tabernaculi, altaris, ac tẽpli, Quamobrẽ Esaias merito in prophetia sua sacerdotes nouae legis pręfigurante, ita inquit: Vos sacerdotes domini appellamini, ministri dñi, ubi septuaginta transtulere λειτουργοί quod equidem factum est, dicente ita ad discipulos suos domino, quando de
Lucae 22. apostulatu contẽdebant: Qui maior inter uos est, fiat sicut iunior, & qui praecessor est, sicut ministrator, nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum sicut qui recumbit. Vbi dominus non uetat alterum maiorem altero esse debere, sed potius docet, ut si aliqua dignitas cuiq̃ contigerit, quod in ea humiliter uiuere debeat, tanquam esset unus ex minoribus. Et huiusmodi quidem diaconatum omnes adducunt Euangelistae, Marcus enim etiam ait dominum dixisse: Qui uoluerit esse inter uos primus, ultimus erit & aliorum minister. Et idem Matthaeus repetit, quando Iacobus & Ioannes a dextris ac a sinistris domini sedere uoluerunt. Sic itaque ut sacerdotes ueteris, ita etiam sunt noui testamẽti ministri, ministri quidẽ Christi, ministri ecclesiae, & dispensatores mysteriorum dei. Hoc est quod Paulus ait: Imple ministeriũ tuum, Et idem diuus Paulus scribere nunquam potuisset, quod ipse ac Timotheus ministri essent noui testamẽti, si quod dicimus uerum non esset, scilicet quod Diaconatus noui testamenti longe praestantior esset, quam ueteris. Neque praeterea est cur sacerdotes poeniteat hoc nomine ministri appellari, pertinet enim ac cedet illis magis ad honorem ac gloriam, quam ut uergat in dedecus, hac ratione, quando etiam Christus semetipsum ministrum & ministratorem appellet, praecipue quando sese non uenisse dicit, ut ei ministretur, sed ut ipse potius ministret alijs, & rursus, Ego, inquit, uersor in medio uestrũ, ut ministrem uobis. Neque grauatus est suis ministrare discipulis, quanquam esset dominus ac magister, cum eorum pedes lauit, ac linteo detersit.

Ad haec, Paulus ipsum Christum nominat ministrum circumcisionis, Et quod sacerdotes ueteris legis etiã ministri dicantur, ipse propheta Io-
Iohel.1. hel semel atque iterum in primo capite expressit dicens: Luxerunt sacerdotes ministri dñi, & iterum: Accingite uos & plangite sacerdotes, ululate ministri

ministri altaris. Paulus denicp nos non solum ministros appellat dei, uerumetiã dispensatores mysteriorum eius, quę scilicet mysteria nihil aliud sunt quam sacramenta, quæ cum orthodoxa obseruatione, omnes ad sacerdotium uocati, hactenus religiose et in salutem nostram dispensarũt, in quibus etiam est uerissimus thesaurus dei. Quod aũt eiusmodi dispensatio referri possit ad nostros Episcopos ac sacerdotes, Paulus ad Titum suum discipulum aperte demonstrat, ita scribens: Oportet Episcopum sine crimine esse, tanquam dei dispẽsatorem. Et quemadmodum in Epistola ad Corinthios hæc uocula οἰκονόμος legitur, ita etiam in proxime allegato ad Titum loco ad Episcopum refertur, et ubi Paulus etiam de ijs tractat qui uiuere debent de altari ac Euangelium predicare, ad se reuertitur ac ita ait: Dispensatio, id est, œconomia mihi cõcredita est ac demandata. De eadem sua œconomia siue dispensatione ad Ephesios etiam in hæc uerba loquitur: Audistis dispensationem, inquit, gratiæ Dei quę data est mihi in uobis, in Iesu Christo per Euangelium, cuius factus sum ego minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem uirtutis eius. Si igitur œconomia illa ac dispensatio in domo domini, id est ecclesia uniuersali cuius exposita est, ac ad tractãdum obuia, cur eandem Paulus in sese ac sui similes Apostolos, ac selectiores discipulos toties retulit ac assignauit? Quo fit ut illa Cacodęmonis consilia uana sint ac futilia. Nihil itacp refert Deo dicatos esse, ac dici Dei ministros, alioqui & angelis cederet in dedecus, quod administratorij spiritus legantur ac sunt, ministrentcp in conspectu dei semper.

1.Cor.4

1.Cor.

Ephes.3

Reliquum est, ut iam iam ille malignus mihi respõdeat Cacodæmon, si modo possit aut uelit, quid causæ sit, cum non solum inter bonos illos angelos, sed etiã inter suos infernales satellites, quidã gradus ac ordines sint, cur supremus ille architectus Christus, eiusmodi gradus ac ordines in ecclesia etiã non debuerit constituisse. Sed hic obturabit aures instar aspidis, ne uocem incantantis audiat. Scit enim ille, quod Christus a principio duodecim delegit apostolos, qui inter reliqua apostolatus officia, etiam cum senioribus in Hierusalem a principio errores de circumcisione sopierunt ac deposuerunt, ea namcp illis erat data potestas, neque enim hoc licuerat populo sedicioso Antiochiæ.

Ad hæc, illi Apostoli primum gradum inter dei ministros statuerũt, attestante S. Paulo ad Corinthios ita scribẽte: Quosdam posuit deus in ecclesia, primo quidẽ apostolos, secũdo prophetas, tertio doctores, &c. 1.Cor.12
Ecce hic Paulus manifestissimis uerbis denunciat, qui sint positi uel in primo uel in secundo uel etiam tertio loco, non est ergo uerum, quod sint æquales omnes qui baptismatis aqua tincti sunt. Et hic Paulus quęrit, omnes sint siue apostoli? an omnes prophetæ? an omnes doctores? tacite designans neque omnes esse prophetas, neque omnes esse apostolos. Iniquus autem Cacodæmon ex inferis nuper profectus, contra S. Paulum, qui in tertium usque cœlum & paradisum raptus fuit, perfricta fronte affirmat ac docet, quod uno omnes, utriuscp sexus ordine,

ſimus apoſtoli,ſimus & Epiſcopi,ſacerdotes,ac eccleſiæ miniſtri,quicun que baptizati fuerimus, ſed reuera illi ſunt pſeudapoſtoli qui ſeſe Chriſti apoſtolos eſſe ſimulāt, nec uere ſunt. Et hæc iam pro nobis elucubrata,licet clariſſima ſint, maxime ex ijs quæ ad Corinth. ſcripta leguntur, nihilominus adiuuantur etiam per ea, quæ idem apoſtolus Paulus ad Ephesios ſcribit, ubi ſic ait: Ipſe dedit quoſdam apoſtolos, quoſdam autem prophetas,alios uero euāgeliſtas,alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.

Ex his iterum aperte cognoſci poteſt, non eſſe uerum, quod Lutherus omnes baptizatos uno pariq; habet ordine, id eſt ex æquo facit ſacerdotes,ac ſacramentorum domini diſpenſatores, alias enim S. Paulus
Galat.1. non ita ſæpe gloriaretur de ſuo apoſtolatu, ſeſe uocans Apoſtolum
1.Tim.2 per uoluntatem domini,qui in ea dignitate ac precio habuit apoſtola-
2.Tim.1. tum,ut etiam ſeſe eo officio aliquando indignum cenſeret.

Si autem rurſus ſecundum euangelium Epiſcopi ac ſacerdotis officium æque omnibus expoſitum eſt,ac paſſim obuium, uel mihi calumniator Cacodæmon reſpondeat,cur S. Petrus ex pſalmis adduxerit quod
Acto.1. Iudæ Iſcariothis Epiſcopale munus,alius conſecuturus eſſet, prędictum eſſe dicens per prophetam: Epiſcopatū eius accipiat alter: imo cur undecim apoſtoli tam maximopere dominum orauerunt ac dixerunt: Domine oſtende nobis, quē elegeris ex ijs duobus ut accipiat locum huius miniſterij & apoſtolatus,a quo Iudas præuaricatus eſt. Et dederunt ſortes eis,et cecidit ſors ſuper Matthiam,& annumeratus eſt cum undecim apoſtolis. Iam & quis hic non uideat etiam in primitiua Eccleſia epiſcopalem apoſtolatum fuiſſe inſigne quoddam Epiſcopale munus,ac adminiſtrationem, neq; hæc epiſcopalis functio quæ uacabat in Iuda,omnibus conuenire poterat? Pręcipue enim ex tot,hoc eſt ex turba, quæ erat centum & uiginti,duo ſaltem ad ſortem adhibiti fuerunt, Ioſeph ſcilicet & Matthias,nec ſuper ambos ſaltem, ſed ſuper unum tantum ſors cecidit,ſors inquam magni illius officij,epiſcopatus ac apoſtolatus.

Et quid hic ſatanas argumentabitur aut cauillabitur potius,imo mihi dicat poſtquam ex omnibus uetulis delirantibus ipſe ſacerdotes conſtituit,cur Paulus hoc negocium ita ſerijs agat uerbis? An non ſum liber, inquit,An non ſum apoſtolus? Nonne Chriſtum Ieſum dominum no-
1.Cor.9. ſtrum uidi? Nonne opus meum uos eſtis in domino? Et ſi alijs non ſum Apoſtolus,tamē uobis ſum, nam ſignaculum apoſtolatus mei uos eſtis in domino. Et rurſus ad Timoth. Per euangelium poſitus ſum ego pre-
2.Tim.1 dicator, & apoſtolus, & magiſter gentium. Reſpice hic Chriſtianiſſime lector,quod Paulus ſeſe predicatorem,apoſtolum, ac doctorem gentium appellat,atqui cur hoc ita inſtanter facit, adeo ut etiam in prima ad Timotheum epiſtola ijs uerbis adducat teſtimonium, & ait: Tempo-
1.Tim.2 ribus ſuis confirmatum eſt, in quo poſitus ſum ego predicator & Apoſtolus,ueritatem dico,non mentior, doctor gentium in fide & ueritate.

Si ergo

Si ergo ſolum in eo uertitur cardo,ut ipſi uolunt,quod aliquis ſaltem ſit predicator,aut doctor, quid eſt quod Paulus hic ad Timoth. ſcribens ſemper apoſtoli officium adiungit?Dicit enim ſe predicatorem eſſe,apoſtolum eſſe, doctorem eſſe.

Proinde Cacodæmon ille ſuis cauillationibus aduerſus ſacerdotum ordinationem nihil agit,ſed ueriſſimum potius eſt quod ueteres illi pij ac orthodoxi patres,e quorum etiam numero multi martyres fuere,affirmarunt,Epiſcopos in apoſtolorum locum ſucceſſiſſe.

Accedit huc etiam,quod ſi Lutherus credit quemlibet poſſe per baptiſmum ex æquo Epiſcopum ac ſacerdotem fieri,quomodo hoc uocabulum apoſtolus ex ſua greca ſchola interpretari uelit nō uideo, Significat enim hæc uocula quaſi miſſum, quod etiam dominus in ultima cœna confirmat,ita dicens: Amen dico uobis, ſeruus non eſt maior domino,neq; apoſtolus maior eo,qui ipſum miſit.

Proinde ille qui in eccleſia apoſtolatū affectat uel ambit, non poteſt ſucceſſione hæreditaria,uel alio q̄ uocationis et miſſionis modo aſſequi. Quomodo enim ,inquit Apoſtolus, predicabunt, niſi mittantur? Aut per manuum impoſitionem electi ad hoc fuerint, queadmodum Euangelium teſtatur,Dominus enim ſuos duodecim diſcipulos miſit, &c̄,& Rom.10
rurſus:Ecce ego mitto uos tanquam oues in medio luporum.Et ij forte Matth.10
erant illi miniſtri,qui ad nuptias ad cœnamq; inuitare iuſſi ſunt. Ad hęc Matth.22
Chriſtus etiam eo nomine appellatur a Paulo,Et præcipue a Ioanne,ut Rom.8
ſcilicet a patre ſuo in hunc mundum miſſus fuerit, Proinde Paulus eum Hebr.13
ad Hebræos apoſtolum ac archiſacerdotem appellat.Atque adeo idem illePaulus appellat eum magnum paſtorem.Et Petrus,cui dictum fuit, 1.Pet.2.
Paſce oues meas,eundem uocat principem paſtorum,ac epiſcopum animarum noſtrarum, nō autem uilem aliquem, ac leuiculum paſtorem,uerum gubernatorem potius,hoc enim ualet illa uocula ποίμην in eo ſignificatu,qui eſt Homero etiam frequens & familiaris. Et ultra Petrus apoſtolus ac presbyter,adhortatur reliquos ſuos conpresbyteros uel ſacerdotes, ut exemplo ἀρχιποίμενος id eſt ſupremi paſtoris,uit ac mœorum honeſtate,concreditas oues paſcere uelint, quo tandem ab eodem accipiant coronam gloriæ.

Hic ego quæro ex Cacodæmone calumniatore noſtro, nunquid ferre poſſit,quod Petrus ſeſe presbyterum aut ſacerdotem appellet,ac reliquos admoneat conſacerdotes,ut eorū officio bene defungantur,ſintq; boni paſtores gregis domini. Si quis igitur iam interroget, an de paſtoribus illis ruſticis aut uillanis,ſin de ſacerdotibus ac miniſtris eccleſię hoc dixerit, proculdubio non de ruralibus paſtoribus illis hæc pręcepta eſſe reſpondebit. Si ergo Chriſtus eſt ἀρχιποίμην id eſt princeps & ſupremus paſtor ouium ac earum quæ in ualle Ioſaphat,olim ad dexteram ac iudicium filij hominis ſtabunt, Sequitur ergo nonnullos alios eſſe paſtores hominum illi ſubiectos, alias enim ſupremus non eſſet, Et deinde ſi omnes baptizati paſtores ſunt, quo in loco erunt oues? imo ubi locum

habebit

habebit illud Petri: Pascite quantum in uobis est gregem Christi. Et rur
Actu. 20 sus aliud in Actis Apostolorū, ubi Paulus scribitur ad Ephesum ex Mi
leto nuncios misisse, ut ad eum uocarentur sacerdotes ecclesiæ, quibus
etiam inter cætera hæc dixit: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo
uos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam dei, quam acqui-
siuit sanguine suo.

Ex huiusmodi sententijs ac locis iam constat manifestissime, esse in Ec
clesia dei Episcopos, esse sacerdotes, Dein Episcopos ac supremos pasto
res & sacerdotes pro eodem quasi ęquales nunquam poni, & Arrij hæ-
resim, quæ inter Episcopos & sacerdotes nullum discrimen habuit, iu-
ste damnatam, & ꝓpterea neq; uerum esse, quod quælibet uetula anus,
Episcopum ac sacerdotem agere possit.

Si ergo plures in ecclesia dei constituti sunt pastores, ita Petro ac Pau
lo ecclesiæ columnis docētibus, eisdemq; pastoribus pręfectus est unus,
qui est Petrus, qui & Siriace Cephas, cui & Ioannis ultimo dixit domi-
nus: Pasce oues meas, et rursus: pasce agnos meos, et tertio: Pasce oues
meas. Iam itaq; in professo est errorem in Ecclesia dei intolerabilem esse,
ꝙ iuxta doctrinam neochristianorum nostri sæculi sentiamus, ꝙ passim
omnes baptizati sint Episcopi, pastores, speculatores, sacerdotes &c.
Nam si Euangelium S. Ioannis quod græce scriptum est, recte intuea-
mur, in eodem duo uocabula ad Petrum dicta inter se longe differentia
βόσκε scilicet et ποίμαινε comprehenduntur, quorum alterum significat pas-
ce, siue ad pascua depelle, alterum autem rege siue guberna denotat, qui-
uis enim pastor non tantum pascit aut ad pascua deducit suos greges, ue
rumetiam inter pascendum cauet, ne ex scopulo aliquo desiliant, aut in
aliud periculum incurrant. Hoc nobis testatur etiam Homerus qui Aga
memnonem Græcorum regem ac rectorem ποιμένα λαῶν appellat, præ-
terea literæ sacræ eius uocabuli uim multis in locis ad similem significa-
tionem adducunt ac prosequuntur, & semper in eum sensum ac signifi-
cationem, ut pro pascere intelligatur regere, pręcipue in eo Euangelij lo
Matth. 2 co, quando euangelista Matthæus exponit dictum illud Micheæ pro-
phete de ciuitate Bethlehem, inquiens: scriptū est per prophetam: Et tu
Bethlehem terra Iuda, nequaq̄ minima eris in principibus Iuda, ex te em̄
exiet dux qui regat populum meum Israël. Ecce hic ubi nos Latini regat
legimus, Græci ποιμανεῖ τὸν λαόν μου legunt, ita Lutherus illud etiam Ale-
manice reddidit, **Er werde ein Hertzog / vnd vber das volck von
Jsrael ein Herr sein.** Legimus ergo in ueteri translatione reget, in no-
ua uero gubernaturus est, eiusmodi uero metaphora a Græcis translata
est, qui ποιμένα λαῶν pro rectore ac gubernatore accipiunt populi, nec so-
lum Græci ita loquuntur, uerumetiam ipsi Hebræi, qui Roeh uerbo in
ea significatione utuntur, nam & pascere & gubernare significat, neque
enim solum in scriptura simpliciter roechzon pro simplici ouium pasto-
Gene. 4. re, ut de Abel fertur, reperitur, uerumetiam pro rectore, gubernatore,
ac domino quodammodo Roeh plerunq; accipitur, Ita enim Dauid in

psalterio:

psalterio: Qui pascis Israël intende, & deus qui pascis me a iuuētute mea, Psalm. 80
Et in Hieremia ita dominus loquitur pastoribus: Qui regunt populum Hiere. 32
eius. Et rursus in Ezechiele: uaticinare supra pastores Israël, Ezech. 34

Ex his ac eiusmodi tam Græcis quam Hebraicis certo apparet Roech & ποιμένα regentem, aut regem potius ac dominum aliquem dominantem ac gubernantē designari, proinde mirari satis non possum, quare nonnulli uerba quæ Petro in mandatis ultimis data sunt, scilicet, ut oues ac agnos domini pascat & gubernet, impugnare conentur, omnibusq; ex æquo ecclesiastica munera tradant ac cōmittant: quum tamen in professo sit, potestatem Petro non modo oues pascendi, sed & regendi gubernandiq; traditam esse. Nam etsi apud nos Latinos ter pasce legamus, in Græco uero Euangelio duo inter se differentia uerba βόσκε scilicet ac ποίμαινε posita sunt, quasi Christus dicere uoluerit: Tu Petre, non modo meos agnos, atq; meas oues pasce, & ad pascua duc, sed & autoritate tua pasce, rege & tanquam superiorem autoritatem habens guberna.

Ad hæc plane compertum est quod in Matthæo primo loco dñs Petro potestatem dederit soluendi & ligandi, post hęc discipulis omnibus, Et deinde in Ioanne dat potestatem omnibus dimittendi & retinendi peccata, sub finem tamen iterum eam potestatem ac facultatē Petro committit, ita enim illa potestas non modo ad solum Petrum primo, uerum etiam secundo, & in fine illi tanquam principi, capiti supremo, ac primario apostolo atq; pastorum pastori committitur. Quocirca mirū uideri omnibus bonis ac fidelibus debet, cur spiritus quorundam uertigineus ac inconstans omnem potestatem ligandi, soluendi, astringendi, ac relaxandi ita penitus tollat ac explodat. Nihilominus tamē utcunq; sese torqueat satanas, portæ inferni aduersus ecclesiam uniuersalem, quæ columna & firmamentum est ueritatis, fundata deniq; supra petram munitissimam ac fortissimam, non prçualebunt. Matth. 16 Marci 18 Ioan. 20

Præterea cum iam luce meridiana clarius appareat ac constet, sacerdotes esse dei ministros, ac secretorum sacramentorum dispensatores, uidebimus nunquid ea potestas cuilibet ex æquo relicta sit aut demandata. Et in primis uidebimus de baptismate, quod scilicet sacramentum primum est limen, prima etiam & præcipua porta ad salutem, quemadmodum ea de re olim Punici loqui consueuerunt, & huius quidem baptismatis, in ueteri illa ac primitiua ecclesia non cuiuis dispēsandi ac tractandi, nisi in summa necessitate ac difficultate, facultas concessa est, Quod etiam partim Iudæi testabantur, ac eorum sacerdotes legati ad Ioannem, Ioannis 1.
qui eum interrogabant dicentes: Si tu non es Christus, neq; Helias, neque aliquis propheta, cur baptizas? quasi dicerent, non cuiuis licet hoc mysterium tractare nisi ad hoc specialiter ordinato. Nec non satis constat quod dominus saluator noster undecim suis discipulis, neq; mulieribus ad monumentum uel etiam de Galilęa sequentibus dixerit: Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij et spiritus sancti. Et hoc man- Matth. ult.

dato freti

dato freti apostoli officium suum egregie administrarunt, inter quos Pe
trus predicatione sua binis uicibus, octo milia ad susceptionem bapti-
Actuū 2 smi induxit, & Philippus apostolus Eunuchū sacro lauacro abluit, ipse
Actuū 8 uero Paulus etiam quamuis hoc muneris ei non erat delegatum, nihilo-
1.Cor.1. minus tamen baptizauit Crispum ac integrā familiam Stephanæ. Post-
quam autem idem ille uerbi domini egregius præco dixit, Christū eum
non misisse ad baptizandum, apparet q̄ huic officio singulariter quos-
dam deputarit ac præfecerit dominus & saluator noster.

Marci 1 Ad hæc Christus in Iordane non a quouis homine sed tantum a Io-
1.Pet.3. anne uoluit baptizari. Eodē pertinet quod Petrus figuram ac typum ar
cę Noe ad baptisma traducit ac transfert, cuius Noe author fuerat, et fer
me uno ore omnes doctores, ac scriptores pij ac catholici attestantur ba
ptizandi munus sacerdotibus, saltem excepta necessitate, deputatum
ac concessum fuisse, ubi etiam exemplo Christi, exorcistæ sacerdotes, suis
& ecclesiæ exorcismis Cacodęmones abigūt ac instar Christi exorcisant.
Quæ consuetudo ita deinde inualuit non solum apud græcos, uerum-
etiam apud nostram ecclesiam, ut nullus ferme aliquod suscipiat Sacra-
mentum, quin conceptis uerbis diabolo ac suo satellicio contradicere ac
illius pompis, diabolicisq́ illecebris abrenunciare cogatur. Vt ergo sata
nas ille malignus uanas suas ostentationes sartas & bene tectas conserua
ret, operam dedit, ut omnes iuxta baptismum ceremonias, etiam ipsas
abrenunciationes, ipsos deniq́ exorcismos e medio tolleret, Et tandem
nonnullos eò perduxit anabaptistas, ut suos infantulos eo sacramento
non muniant, sed sine baptismo eos mori sinant, id quod re uera detesta
bile est. Sed nouit Satan egregie, ille lubricus coluber, quid Christus do
Ioan.3 minus noster Nicodemo dixerit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi
ritu sancto, non potest intrare regnum dei, ut ergo maneant a regno dei
exclusi miseri illi infantes, eapropter totus in hoc studet, ut Anabaptistæ
suis pueris non modo aquam, sed et spiritum sanctum in baptismate ne-
gent. Sic itaq́ totis uiribus & quibusuis modis baptisma reijcit ac dam-
nat, Nec aliter ut paucis dicam agit, quam olim quando cum Michaële
archangelo prælium magnum inceptauit, ipsumq́ dominum deum pro
sua superbia neglexit, ac contempsit, similis esse uolens altissimo. Et cer-
nere licet, quo pacto hodie nostrorum temporum exagitet anabapti-
stas, quibus iam dudum persuasit, quod ipsi soli recte sapiant, soli ipsi ue
ri sint catholici. Quodque cathari sint, mundi quidem ab omni peccato,
neq́ necesse sit illis orare, dimitte nobis debita nr̄a, quum nullis neq́ de
bitis neq́ peccatis grauati sint. Persuasit & illis idē satan ut nemini obe-
diant, nō modo res sed et uxores instar Nicolaitarum communes habe-
ant. Sed hæc & forte grauiora quis prohibebit? adeo ut exclamare mihi
liceat: O insensati Galatæ, quis fascinauit uos non obedire ueritati &
credere ecclesiæ dei? At de ijs alias.

Restat aliud sacramentum, cui confirmatio nomen est, quod proinde
ac alia satanas nullo pacto ferre aut tolerare potest. Nouit enim quod
per hoc

per hoc ſacramentum datur ſpiritus ſanctus. Spiritus autem ſanctus ac ſpiritus malus una cohabitare non poſſunt, duo enim ſpiritus ac diuerſi, ſunt diuerſæ operationis. Spiritus autem ſanctus per impoſitionem manuum Apoſtolorum in eccleſia primitiua dabatur, ut teſtatur nobis Simon, qui ſpiritum ſanctum pecunia redimere uolebat. Hoc autem ſacramentum eſt datum per duos inſignes Apoſtolos, Petrum ac Ioannem, ijs qui in Samaria baptizati erant. Apoſtoli itaq; profecti ex Hieruſalē baptizatis impoſuerunt manus, et hi e ueſtigio p hanc manuū impoſitionē ab Apoſtolis factā acceperunt ſpiritū ſanctū, atq; ita aperte etiam, ut Simon pro eiuſmodi poteſtate magnam pecunię uim offerret. Actuū. 8.

Ex ijs conſtat non aniculas aut alias leuiculas ac uiles perſonas miſſas fuiſſe, ſed duos egregios ac ſelectos Apoſtolos ex Hieruſalē, ad hoc ſpendidum munus amandatos, qui baptizatis uti diximus manus impoſuerunt, ex quo confeſtim ſpiritus ſanctus datus eſt.

Sicuti etiam in eodem Actuum Apoſtolorum libro legitur, Paulus in Epheſo baptizatis manus impoſuit, atq; etiam ſuper illos uenit ſpiritus ſanctus. Cum itaq; ſoli Apoſtoli impoſitionē manuū in ſacramēto confirmatiōis in primordio naſcētis eccleſiæ ſibi uſurparint, pro hiſq; patribus, qui nimis honorati fuere, nati ſunt filij, hoc eſt Epiſcopi, proin in hanc horā per totū terrarū orbē, ipſi ac ſoli Epiſcopi iam inde a primitiuæ eccleſiæ ordinatiōibus, loco ac uice apoſtolorū, hoc excellētiſſimū confirmationis ſacramentū diſtribuerūt ac diſpenſarūt, neq; enim aduerſariorum quiſq̄ ꝓbabit impoſitionē manuum per uetulas aut triuiales aliquos ullo unq̄ tēpore factā fuiſſe. Et iam quando in diſpenſatiōe eiuſmodi Sacramenti nihil aliud agitur q̄ quod preces quędam ac ſanctæ orationes, inuocationeſq; ſpiritus ſancti pro illo cui hoc Sacramentū datur, recitantur ac fiunt, deinde frons iſtius qui confirmationē petit cruce ſignatur ex ſacroſancto Chriſmate, cuius etiam uſus ſolennis fuit tempore Apoſtolorū additis ijs uerbis: In nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti, Propterea demiror non parū, quid nōnullis in mentē uenerit, ut audeāt cum Iebuſeis conculcare Sacramentum hoc. Religioſe itaq; ac pie Epiſcopi hactenus baptizatos in eccleſia confirmarunt, ſuper eoſq; ſolenni cōſuetudine & benedictiōe, ſpiritus ſancti cooperationē ac inſtinctū inuocarunt, neq; enim me mouebit etiam ſi abuſus quidam forte interim irrepſerint, quos defendere ac tueri non eſt noſtri inſtituti, neq; etiam uolo olcum, ut dicitur, in Ægyptum inuehere, propter unam tamē aliquā ac leuem quidem illam labeculam uel paruū abuſum nō debuit integer ille de confirmatione ac eius poteſtate articulus intercidere ac labefactari, Neq; enim eo nomine apoſtolatus cecidit aut iure cōtemnitur, quod Petrus dominū abnegarit ac abiurarit, neq; facile in hoc, uerū in altero ſæculo, primū eccleſia carebit macula ac ruga, in noſtra autē hac eccleſia ſapientes ac fatuæ uirgines, boni ac putridi piſces erunt, et in hac area uel dn̄i uel eccleſiæ bonū triticum ac palea ſemp erit. Et quantum ad unctionem in hoc ſacramento confirmationis pertinet, legimus præclaram Actu. 19. Epheſ. 5. Matth. 25. Lucæ. 5.

L diui Cy-

Cyprian. de unctione Chrismatis.

diui Cypriani orationem de sacrosancto oleo in cœna domini habi- tam, in qua multa egregia de Chrismate ac sacro oleo tradit, qđ quot- annis ab Episcopis in eorum cathedralibus recte atque catholico ritu & ordine cōsecratur, Vnde manifestum fit hanc unctionem nō esse nouā, sed uetustissimam. Hic etiam possem copiose prosequi multas figuras de Chrismate, nempe quod Christus inde sibi nomē acceperit, quodq; hoc die pœnitentes ecclesiæ denuo reconciliantur, quæ tamen copiose a Cy- priano adducuntur, qui, inquam, ante mille ducentos annos sub Vale- riano et Galieno principibus uixit. Et re uera in primitiua illa ecclesia nō solum sanctum uirum uerumetiam probum sese gessit in ecclesia Cartha ginensi Episcopū, de cuius laudibus Gregorius ille Nazianzenus Barba ti ac diui Hieronymi præceptor egregiam fecit orationem, proin ni fal- lar maior fides illi est habenda, quam Cacodæmoni alicui asserenti rem non modo esse nouam sed & damnabilem, quod in confirmandis chri- stifidelibus hucusq; consueuerunt facere Episcopi.

Deinde idem ille malignus Satan periculose etiam errat in sacrosan- cto Sacramēto Eucharistiæ, præsentis ac ueri corporis et sanguinis Chri sti, cum dicit omnes ex æquo esse sacrificos, sacerdotes, ac communionis dispensatores, quodq; omnes uno ordine missas celebrare possint, Ex quo fonte deriuatum est (proh dolor) quod etiam mulierculæ quæ- dam infœlicis nostri sæculi, in comessationibus conatæ sunt consecra- re, prolatis ad hoc etiam Christi uerbis. Sed nunquid hæc nō est egregia religio iam pridem reperta, quæ passim uetulas illiteratas, sacerdotes esse fecit? Putarim ne hanc religionem nō esse ueram, non orthodoxam, sed falsam potius quum sit contraria ecclesiæ dei?

At aggrediamur hoc, utrum nam uerum sit quod nonnulli docent, omnes nos ex æquo sacerdotes esse, non ex illa Episcopali ordinatione sed ex simplici baptismate. Et in primis sat cōstat quod dn̄s Saluator no ster ultimā cœnā suam, in qua nobis hoc Eucharistiæ mysteriū traditum est, cū solis duodecim Apostolis habuerit, id quod omnes Euangelistæ

Lucæ. 22.

in descriptione cœnæ dominicæ, quasi uno ore testantur ac confirmant, quod scilicet cū solis illis duodecim selectioribus suis discipulis, agnum paschalem manducauerit, ac solis illis Sacramentū hoc tradiderit, dicēs: Hoc facite. Ad hæc doctus ille doctor gentium Paulus ubi hoc myste- rium describit, inquit quod dn̄s noster Iesus Christus panem acceperit,

1. Cor. 11.

gratias egerit, fregerit, ac dixerit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, hoc facite in mei cōmemorationem, & accepto calice similiter illis dixit: hoc facite, id est: Das solt jhr thun. Hoc soli Apostoli audierūt, neq; enim omnibus in toto mundo constitutis dictum est, Hoc facite: imo neq; mulieres a Galilæa sequentes hoc audiunt, licet in Euangelio non paruam laudem habeant. Non intererat etiam paterfamilias do- mus illius etiamsi cœnaculum habuerit grande, stratum, neq; is qui lage nam aquæ portauerat, Soli ergo duodecim audiunt, Hoc facite.

Posteaq̄ itaq; nonnulli mordicus conantur ueterem ac primam con-

ſuetudinem celebrandæ cœnæ domini tenere ac docere, miror, cur non etiam adducunt hoc, ꝙ mulieres quæ ex Galilęa Christum ſequebantur huic cœnæ etiam non adhibitæ fuerint, ubi dominus dixit, hoc facite, id quod reuera, neq; patri familias cõtigit neq; baiulo aquę neq; Ioannę uxori Cuſę, ſiue etiam Marię, ſed ſolis duodecim Apoſtolis, quibus etiã alibi commiſerat ut multiplicatos panes partirentur populo, ac cophinos de fragmentis implerent, ex qua quidẽ Euãgelij hiſtoria ueluti ex figura aliqua effectũ eſt, ut ſacerdotes tantũ ordinati ſint Sacramẽtorum diſpẽſatores, q̃ uero bene conueniãt Chriſti ac Lutheri dogmata, & pręcepta recte ſentientium eſto iudiciũ, ubi alter hoc eſt Chriſtus ſacerdotibus alter uero mulierculis, hoc facite tribuit, ac cõſecrandi poteſtatẽ aſſignat. Atqui an non illa egregia religio, egregium ſacerdotium, ac Chriſtiana ordinatio, quod inter temulentias ac commeſſationes conſecrationem illam concipiunt prophani, id quod tanta maieſtate per Chriſtũ ſolis ſacerdotibus demandatũ extitit? Sed & hoc uehementer dolendũ eſt, ꝙ nonnulli nec admodum pauci, plerũq; tam uenerabile Sacramentum in marſupium aut crumenam ſordidam conijciunt, data etiam poteſtate omnibus cõſecrandi, celebrandi, ac quaſlibet eccleſiaſticas functiones tractandi & adminiſtrandi, quum tamen à principio per Chriſtum hoc ſaltem, ut ſæpe nunc diximus, Apoſtolis & deinde ἀναλογικῶς etiam Epiſcopis, ac eorum miniſtris ac coadiutoribus ſacerdotibus, & ad hoc munus ordinatis ac initiatis traditum ac conceſſum eſt. Matth. 27 Matth. 14 Marci 6 Lucæ 9 Ioannis 6.

Sed hoc modo Sacramentum ſolenti ac longo uſu ita in eccleſia dumtaxat ab Apoſtolis ac apoſtolicis uiris uſurpatum eſſe teſtantur acta Apoſtolorum, Nam fractio panis ſaltem per Apoſtolos facta legitur, propterea ad eoſdem ac eorum officij ſucceſſores, merito pertinere uidetur, Imo Paulus etiam ubi de miniſtris altaris agit, nullius uetulæ aut mulierculæ meminit, quin potius loquendi facultatem in eccleſia ipſis mulieribus adimit, ac interdicit, nolens etiam concedere illis, ut in eccleſia publice loquantur, aut concionandi fungantur officio, ſed iubet ut taceant. Videat ergo quiſquis fuerit quid doceat, quid ſtatuat, ubi mulieres ipſas etiam ad altare uſq; producit, & celebrandi miſſam illis dat poteſtatem æque ac ſi eſſent uocatæ aut ordinatæ ad munus conſecrandi, quę omnia quum ita ſe habeant, profecto nihil reſtat aliud, quã quod & grauiſſime dicamus hic eos & toto cœlo errare circa Sacramentum Euchariſtiæ qui contraria ſentiunt. Lucæ 24. 1. Cor. 14

Nec cum minori animarum interitu Cacodæmon multos uſq; in infernum aberrare in Sacramento pœnitentiæ facit, quando mulierculas conſtituit pœnitentiarias, ac auditrices confeſſionum, perinde uti Chriſtus conſtituit ac ordinauit pœnitentiarios & confeſſionarios, cũ ea etiam poteſtate quam Chriſtus Apoſtolis dedit, ligandi ſcilicet & abſoluendi, retinendi ac relaxandi peccata, nec interim cogitat dæmon ille apoſtata, quod Chriſtus Petro dixerit: Dabo tibi claues regni cœlorũ, & quicquid ſolueris in terra, hoc erit etiam ſolutũ in cœlis, & quicquid

rurſus ſupra terram ligaueris, hoc etiam erit ligatum in cœlis. Cæterum uiris Apoſtolis in unũ congregatis, per ianuas clauſas etiam ingrediẽs, non ad monumentũ mulieribus ait: Accipite ſpiritũ ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, et quorũ retinueritis, retenta ſunt. Quis hic non uidet quod Chriſtus nõ eſt hic loquutus neq; loquitur mulieribus, ſed Apoſtolis potius, quibus etiam dixit: quemadmodum pater miſit me, ita etiam ego mitto uos. Iam quis hic arbitrabitur Chriſtum Saluatorem noſtrum de aniculis ac fœminis loqui ac ſenſiſſe, quũ ſemper apoſtolis tãq̃ miſſis ait: Ite in orbẽ uniuerſum et prædicate. Dein ait, ego mitto uos ſicut oues medio luporum. Errat itaq; & circa pœnitentiæ ſacramentum etiam Cacodæmon, cui nihil tam aduerſum eſt quam pœnitentiam peccatorum uidere, ſicut enim angeli in cœlo gaudent, ſic in inferno diaboli triſtantur ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.

Marci 11 | Marci 3 | Ioã.4.et 6.

Adde ad omnia hæc, quod etiam Satanas in explodenda extrema unctione totis uiribus laborat ac operam inſumit. Nam cũ canonicam epiſtolam S. Iacobi eccleſia hactenus ac omnes doctores pij & catholici, tanq̃ piam & ad omne bonum opus inſtructam approbarunt, uiſum eſt Satanæ conuellere ac labefactare illam, ut deinde maiorem occaſionem ac oportunitatem aliorum eccleſiæ myſteriorum abrogandorum ac exigendorum haberet. In ea enim epiſtola ſcriptũ eſſe cognouit, quod fides abſq; operibus mortua ſit, ut ergo ille omniũ animarum ac
Iacob.5. bonorum operum profligator, omnia bona opera, atq; ita omnem fidem etiam aboleret, Lutherum perſuaſit, ut contemneret Epiſtolam S. Iacobi, quia doceret bona opera, propterea hanc epiſtolam ſtramineam uocat. Sed miris præſtigijs in hoc præſenti Dialogo ſeu in nocturno colloquio cacodæmon aduerſus Lutherum eandem pro authentica adducit, quod etiam nos credidimus ſemper ac etiam credemus. Quum itaq; illa canonica iam in hoc colloquio fide digna ac authentica reddita ſit, age uideamus, num ſacramentum extremæ unctionis, ex ea firmare queamus. Hanc autem ſanctam infirmorum unctionem ex ea canonica
Iacob.5 probamus ac ſtatuimus, S. Iacobo ita dicente: Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuiabit eum dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Hanc conſuetudinem ungendi ægrotos, omnes fideles ac catholici ſemper cũ magna ſolennitate ac ueneratione huc uſq; ſibi uſurparunt.

At quid hic Zuinglius ac alij tentant ac moliuntur, nempe aiunt ſeniores ex ciuitate aduocandos, quaſi uero πρεσβύτερος non ad ſacerdotem referatur. Paulus autem nulla ætatis habita ratione ſic appellari ſacerdotes ſcribit. Noli negligere, ait, gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij, hæc meditare. Vbi
1.Timo.4. græcus textus habet πρεσβυτερίου, & bene Eraſmus uir doctiſſimus & in linguarũ cognitione bene uerſatus, tranſtulit authoritate ſacerdotij. Et
1.Tim.5 rurſus in eandem ſententiam idem Apoſtolus ait: Qui bene præſunt presbyteri,

presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in uerbo et doctrina, Et quis hic presbyteros non pro sacerdotibus acciperet? ut etiam docet Cyprianus in cõcione de spiritu sancto. Si itaq; hic seniores ętate essent pro sacerdotibus accipiendi, quid ad Paulum pertinuit, ętate seniores per ciuitates constituere, quum hoc potius forte magistratui licuisset? aut cur discipulo suo Tito scribit, eam ob rem reliqui te Cretę, ut ea quæ desint corrigas et constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ecce quid hic Tito scribit Apostolus, quod scilicet corrigat, quod & presbyteros constituat, quemadmodum ipse sibi constituerit aut ordinauerit. Et hoc aliter intelligi non potest quam quod Titus non debuerit sexagenarios, aut centum annos natos, constituere, qui iam antehac in his ciuitatibus erant, sed sacerdotes potius, ut in mandatis habebat ordinare, & ita mandatum Pauli est referendum non ad Apostolas, non ab presbyteras, sed potius ad presbyteros. Et similiter Lucas scribit quod Paulus quando Iconium ac Antiochiam uenerat, singulis ecclesijs suos ordinauerit ac constituerit presbyteros, siue sacerdotes, atq; adeo, ut noua fert translatio, cum suffragijs. Et neq; hoc quod ibidem in actibus Apostolicis legitur, ad seniores alicuius ciuitatis transferri potest, proinde hæc doctrina damnanda est, qua docetur ut dumtaxat seniores per ætatem in ecclesia debeant præfici & ordinari, & licet Moses iussu dei debuerit seniores eligere in populo, quod ita tamen est intelligendum non quo ad ætatem, sed quo ad habilitatem ac alia uirtutum ornamenta.

Tim.1.

Acto.14

Et si soli qui per ætatem seniores sunt, huic dignitati deberent præfici, ipse Timotheus per hanc legem sacerdos & mysteriorum dei dispensator esse non potuisset, nam Paulus ita scribit: Nemo contemnat tuam adolescentiam. Ecce tibi, iuuenis fuit Timotheus, cuius adolescentiam nullus contemnere debuit, nihilominus & is in hunc locum Episcopalem & sacerdotalem ordinatus est, & statim sequitur quod non debeat obliuisci eorum donorum quæ ex potestate sacerdotum ac manuũ impositione consecutus fuerit. Si ergo Timotheus dona consecutus est ex impositione manuum sacerdotalium, quomodo ergo rustici stiuam aratri tenentes in manu, absq; ulla sacrarum manuum impositione, & sine ulla unctione pro sacerdotibus habendi sunt? Proinde hinc apparet quod non parum aduersarij ecclesiæ hic errant.

1.Tim.4

Hæc autem reuera sunt opera diabolorum, Belial, Beelzebub ac aliorum spirituum malorum, quibus bene constat quod primi sacerdotes in ecclesia Christi fuerint apostoli, ac deinde eorum sequaces ac successores Episcopi, per quos exterminati ac depulsi sępius fuerint ipsi maligni spiritus, adeo ut etiam genua coram illis flectere coacti fuerint, solo Iesu Christi nomine inuocato atq; prolato. Tentent itaq; siue moliantur quicquid uelint omnes aduersarij ecclesiæ dei, nihilominus tamen sacerdotium illud in Melchisedech præfiguratum, in suo precio ac honore permanebit, ac stabit incolume, in æternum et ultra, ueritas enim est ut nõ

Gene.14
Psalm.109

 sine iu-

ſine iudicio & paſſim ſecundum ætatē, ſed potius ſecundum ſacerdotij dignitatem ei qui bonū teſtimoniū habet, in quauis ciuitate, ſacroſanctę unctionis myſterium per Epiſcopum catholicum tradi debet.

Hebræ. 7. Et ſi Paulus ſcripſerit, tranſlato ſacerdotio neceſſe etiam eſſe, ut ſit tranſlatio legis, idem tamen Paulus hoc dicto non uoluit necꝫ adiecit, ut omne ſacerdotium uel etiam nouę legis ſecundum ordinem Melchiſedech, ceſſaret ac ſepultum eſſet, quoniam de ſola dumtaxat tranſlatiōe, uel tranſlato ſacerdotio dixit. Scimus autem id quod transfertur nō extingui penitus, licet itacꝫ ſacerdotium Aaron ſub Euangelio ceſſauerit ac ceſſet modo, tamen in locum illius, perfectius ſacerdotium in lege noſtra inſtitutum eſt.

Præterea ſingulariter eſt animaduertendum, quod licet Lutherus in libro de moriente homine doceat & ſalubre eſſe affirmet, ut in agone mortis laborans per presbyterum ungatur oleo ſacro, nec tamen illud poſt Saxonicam uiſitationem per ſuos ſeruatur. Vides itacꝫ catholice lector quod iuniores noſtrorum temporum, non ſolum ſcripturam ſacrā quam ubicꝫ pro ſuo arbitratu flectunt & depredicant, nobiſcū noſtras non obſeruant, uerū etiam ſuas conſtitutiones & ceremonias proximas, & quas nuper induxerunt plane pro delictis habent, proin non modo graue, ſed inconſultum eſſet, nos debere renunciare huic tam cōſtanti ac piæ, orthodoxæ, ueteri religioni ac fidei, quam maiores noſtri deuote & conſtanter, etiam aliquando cū ſanguinis & uitæ periculo hucuſcꝫ conſeruarunt: uiciſſim autem neochriſtianorum dogmata tam uaria, tamcꝫ inter ſe diuiſa & diſſidentia acceptare, quæ inſtar arundinis in ſolitudine quaſſatæ ſunt, quæcꝫ quilibet uentus prauæ doctrinæ huc il-

Matth. 11. Lucæ. 7. lucꝫ impellit & circumagitat.

Nam abſit dicto inuidia, æquius puto quod Lutherani, Zuingliani, Oecolampadiani, Carolſtadiani, Schwenckenfeldij, Schwertleri, Stebleri, Kleinhauſleri, Sabatharij ac alij nouæ doctrinæ profeſſores, quotquot exierunt a nobis, ſemel inter ſe conciliabulum habeant & de ſuis diuerſis & minime concordantibus opinionibus conueniant, ac unanimem religionem primo loco præſcribant, deindecꝫ nobis priſtinæ et catholicæ religionis imitatoribus dicant: En reconciliati ſumus, concordiam fecimus, & ita permanere uolumus perpetuo, nec poſt hac immutare quicq̄ uolumus, quemadmodum huc uſcꝫ fecimus ac quotidie facimus. Hæc olim audientibus nobis, quid aliud reſtaret agendum, quā recte pro conſuetudine patrum decernere, quid ſanctum, quid uerum, quid catholicum, quid amplexandum, quid denicꝫ cauendum eſſet? Interea uero incertas, & omni die labentes amplecti doctrinas non uideo conſultum eſſe. Non igitur eſt cur indubitatam fidem catholicam abijciamus ac controuerſias illas & ambiguas opiniones acceptemus.

Reliquum eſt, quod etiam noſtras Ceremonias ex Euangelio deſumptas nonnulli conuitijs proſequuntur, abſcꝫ frōte dicentes, ſi mētio

de ſacro

de sacrosancta unctione chrismatis aut olei cathecuminorũ seu infirmorum incidat, sese uelle hac calceos oblinire ac obungere. Sed hic quid dicam aliud, quam id quod uerum est, quod dominus quum suos discipulos emisit, data illis potestate eijciendi dæmonia, multos quippe malignos spiritus expulerunt, multos deniq; ægrotos unxerunt oleo, & eos pristinæ sanitati restituerunt, dicant hic mihi neochristiani, si ex illorum numero fuissent, quos Christus amandauit in uniuersum orbem, nunquid oleum non in pium usum collocassent, sed potius eo abusi ad rotarum axes ac calceos obungendos fuissent? Et proculdubio respondebunt mihi, se nullo pacto quidem tam temerarios sese exhibere uoluisse, ut pedibus terram sanctam calcante Christo, ipsi oleum apostolorum instar porcorum calcare prætendissent. Matth. 6. Lucæ. 10.

Quid igitur causæ est quæso, cur extremam hanc unctionem, etiam regum & Christi fidelium, ex qua ægrotis ac sanis tot commoda accedunt, ita contemnunt, dicentes unctionem hanc esse quandam ceremoniam externam? Si enim ita facere uolent, omnia propemodũ Sacramenta procul exterminabuntur & in primis baptisma, quod Christus instituit, Ad hoc enim aqua utimur. Imo quod maius est ipsum Christum summum ceremoniarũ magistrũ (si ita pergere uolent) negligent ac cõtemnent, nam in Euangelio legimus eum quibusdam ceremonijs etiã in orando usum fuisse, præcipue in monte Tabor, in mõte Oliueti ac prope Iordanem, ubi sese inclinauit in genua, sicuti etiam de Iob, Salomone, Esdra, ac sacerdotibus prope sacrificium uespertinum, & deinceps de S. Stephano, Petro, ac alijs sanctis legitur. Adde his quod Christus inter orandum in faciem procidit, sicuti Abraham, Tobias ac Iudith fecisse perhibentur, & quidam fuerunt qui expansis brachijs sicuti Moses contra Amalechitas, Salomon & Esdras orauerunt. Matth. 14. Marci. 6. Lucæ. 6. Marci. 14. Iob. 24. 3. Regũ. 8 Actuũ. 7. Matth. 26. Exodi. 17. 3. Regũ. 8.

Et si eiusmodi ceremoniæ contemnendæ forent, scire uelim quid causæ esset, cur Christus seruator noster ita sæpissime oculis cœlũ aspexerit, sicuti eum fecisse legimus, cum uellet Lazarum resuscitare, cum quinq; panes ac duos pisces benediceret, atq; adeo quando surdum ac mutum sanitati restitueret. Eodem pertinet quod etiam manibus quasdam peregit ceremonias, quando scilicet manum extendit, & leprosis imposuit, quando etiam manum posuit super socrum Petri, filiamq; Iairi, quando deniq; attigit duos cæcos in patria sua, Et sicuti ægrotis manus imposuit, ita etiam suos discipulos facere uoluit, illisq; ut super ægrotis manus imponerent, præcepit. 2. Esdra. 8. Ioan. 11. Ioan. 17. Lucæ. 9. Marci. 7. Matth. 6.

Præterea legimus in Euangelio quod quædam mulier ut a profluuio sanguinis sanaretur, præcipue intendit, ut domini uestem saltem contingere posset, Quæ ceremonia illi mulieri quæ & in medicos totam substantiam absumpserat, in utilitatem non mediocrem cessit, nam sanata est ex illa hora. Insuper hoc legimus quod Paulus sua sudoriola ægrotis miserit. Compertum est etiam quod dominus suos digitos in cuiusdam surdi aures miserit ac in cœlũ eleuatis oculis respexit, Actuũ. 19.

 ingemueritq;,

ingemueritqꝫ, nec non quod cuiusdam cæci nati oculos luto quod ma-defecerat sputo obunxerit, ac eum ad natatoria Syloë miserit.

Ad hæc quod Christus salus nostra bis sese inclinauerit ac in terram scripserit, sat cōstat ex illo quando mulierem in adulterio deprehensam absoluit. Porro sub eius ex hoc mundo discessum ascendit manibus in cœlum eleuatis, & dedit benedictionem. Taceo interim quod discipulis pedes lauit, tunicam deposuerit, sese linteo præcinxerit, aquamqꝫ in peluim fuderit, cuius exemplum hodie omnes Cæsares ac reges Christiani sequuti sunt hactenus, ac sequuntur quotannis, in die cœnæ dominicæ.

Postremo dominus mulierculam quæ oleum ac unguentum attulerat non increpauit, etiamsi multis uteretur ceremonijs, neqꝫ hactenus comperimus Nicodemum ac Iosephum ex Arimathia perperam ac male fecisse quod Christum sindone ac alijs preciosis linteis inuolutum nouo sepulchro intulerint, neqꝫ etiam dominus reprehēdit illos qui uestes asinæ substrauerant ac ramos & frondes proiecerāt clamantes Osanna, & eiusmodi plusq̃ sexcentæ ceremoniæ in Euangelio passim adductæ leguntur, quas breuitatis studio in medium afferre nolumus. Proinde liquido apparet, maximo quorundam periculo Satanam eiusmodi pias ac orthodoxas ceremonias conuellere & eruere uoluisse, ac uellicare quotidie.

Cęterum redimus ad presbyterorum ordinationem, quam etiam Lutherus contempsit, & quamuis superius multa pro hac re in ecclesia dei non contemnenda induxerimus, nihilominus tamen plures adhuc adducemus scripturas, quo eam rem in qua sanctæ religionis cardo uertitur, maioribus argumētis roboremus, & certe uerum est quod et antea induximus quod Diuus Paulus & Timotheus suos sacerdotes ex impositione manuū ordinauerint, Ad Timotheum enim ita Paulus scribit:
1.Timo.4. Ne neglexeris quod in te est donum, quod tibi datum est per prophetiam cum impositione manuum, autoritate sacerdotij. Ex quibus certe uerbis clarissime apparet quod Timotheus per impositionem manuū Pauli id quod etiam Episcopi facere solent ordinatus ac initiatus fuerit, & ob eam rem ita frequenter, ut diximus, Paulus sacerdotes ordinatos, appellat ministros & quod nemo eiusmodi sacerdotium sibi usurpare ac uēdicare debeat, nisi a domino, sicuti Aaron, uocatus fuerit. Proinde etiam spiritus sanctus dixit: Ordinate mihi Barnabam ac Saulum ad hoc
Actuū 13. opus ad quod eos uocaui. In summa, illa manuū apostolicarum impositio nihil aliud fecit, quam Episcopalis hodierna illa ordinatio facit. Et sicuti singularibus quibusdam ceremonijs Christus usus est, quando discipulis spiritum sanctum ac potestatem ligandi & soluendi dedit: ita etiam Episcopus nihil aliud agit inter ordinandum, quam quod Christus, Paulus ac alij discipuli egerunt, & deinceps ecclesia consensu sanctissimorum patrum in nos transtulit. Et ob eam rem hi qui primorum Pontificum utpote Petri, Anacleti, Euaristi, ac aliorum uitas descripserunt, semper subiungunt, quomodo & quot quisqꝫ Pontificum ordinauerit Episcopos,

ſcopos,ſacerdotes ac Diaconos, & de ea re quilibet Platinam hiſtori-cum, ac alios de uitis Pontificum conſulere poteſt.

Quod autem non cuiuis prophano & laico liceat concionari, teſta- Malach.2.
tur Malachias propheta dicens: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum eſt. Ecce quid ſcriptura dicat, ut lex domini requiratur ex ore ſacerdotis. Ad hæc legitur in Leuitico, quod dominus locutus eſt cum Aaron & dixit: Leuit.10
Tu ac filij tui non debent bibere uinum acomne quod inebriare poteſt, quando ingrediemini tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia pręceptum ſempiternum eſt in generationes ueſtras, & ut habeatis ſciētiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſq; filios Iſraël omnia legitima mea quæ locutus ſum ad eos per manum Moſi. Quid quod, ſecundum legem Moſi, rex legem a ſacerdote accipere debet, te ſi quid dubij acciderit in lege, hoc ſacerdos etiam reſoluere debet. Et rurſus Oſeas propheta: Quia tu, inquit dominus, repu- Oſeæ.4
liſti ſcientiam, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Idemque dein Paulus ad Timoth. docet eos ſacerdotes qui bene ſuum munus ad- 1.Tim.5.
impleant, eſſe duplici honore afficiendos. Et præcipue hi qui in uerbo domini laborant, primo loco honorandi ſunt: Dicit enim ſcriptura, q́ boui trituranti os non debeat obligari. Et rurſus: Quilibet mercenarius Deut.4
dignus eſt ſua mercede. Et rurſus: Quis plantat uineam, & de fructibus 2.Thim.4
eius non edit?

Quis igitur nunc fidem ſuam adſtringat ſatanæ aſſeueranti quod omnes æque obuiam predicandi conſecrandique habeamus poteſtatem, quum omnes omnium legum, prophetarum ac apoſtolorum ſententiæ ita aperte refragentur?

Deinde ſubijcit ſatan, etiamſi, inquiens, ſit hodie aliqua ſacerdotij ſpecies, nulla tamen eſt inter illam differentia ac diuerſitas, ſed eſt eadem omnibus autoritas ac poteſtas. Cui ita reſpondeo, q́ eiuſmodi hæreſis etiam ab Aetio et longe ante tempora Diui Aurelij Auguſtini in medium allata fuerit, nihilq; noui hic molitur ſatan, nam ea ſepulta ac damnata eſt longa ante tempora, quemadmodum Auguſtinus in libro de hæreſibus recitauit.

Cæterum admirari ſatis nō poſſum, q́ nonnullos ita perſuadeat ſpiritus ille malus, ut pertinaciter affirmēt, Epiſcopos ac ſacerdotes eiuſdem autoritatis eſſe, quodq; illi non perpendant, quomodo eiuſmodi hæreſis ac opinio non ſolum contra ſacroſanctum Concilium Nicęnum, uerum etiam contra puriſſimos ſcripturæ locos ſit, ac eiſdem ubiq; aduerſetur. Docet enim ſcriptura, quodnam ſit Epiſcopi officium, rurſuſque quæ ſacerdotibus, presbyteris ac diaconis ſint agenda, taceo quod Paulus Titum doceat, quo pacto presbyteros ordinare debeat, quodque diaconi ſingularem quandam habeant adminiſtrationem. Imo Paulus differenter & non promiſcue præſcribit officia Epiſcopi, munera ſacerdotum, ac diaconum actus.

Ad hæc

Ad hæc dictiones illæ ἐπίσκοποι & ἀρχιερεῖς, id eſt ſummi ſacerdotes, at Pontifices oſtendunt peculiarem quandam officij fuiſſe rationem, & ciuſmodi loci ita clare & liquido in ſcriptura tractantur, ut merito quiuis hic excandeſcere poſſit, quod primum eos noſtrorum temporum neochriſtiani in diſceptationem ac dubium uocent, quodq; eos defendere ac tutari cogimur.

Addunt inſuper, etiamſi in Euangelio exprimantur ſacerdotes, illos tamen perperam facere qui non ſub utraque ſpecie Euchariſtiæ Sacramentum populo porrigant. Ad hæc autem ita obuiamus, quod hoc Sacramentum ueri corporis ac ſanguinis Chriſti, ualde afflixerit ac conturbauerit cacodæmonem, ſua enim maxime intereſt, nam ſæpius nonnullos ita docuit ut ſcriberent Chriſtum in nullo ſcripturæ loco præcepiſſe quod aliquis teneatur hoc Sacramentum ſub utraq; ſpecie accipere, quodq; eam ob rem Bohemi errent, qui ex Euangelio Ioannis communionem ſub utraq; ſpecie prætendunt. Hęc plus ſemel infra decennium ſcripta ſunt.

Rurſus uero nonnulli in præſentiarum ſic docent ꝙ quilibet certo teneatur ſub utraq; ſpecie eius Sacramenti ſynaxim facere. Quid autem hic aget aliquis ſimplex & deo deuotus, qui a pſeudoapoſtolis ita diuerſas, ambiguas, & incōſtantes audit doctrinas? Nihil aliud certe aget meo iudicio prudentius, quam quod reuertatur ad priſtinam eccleſiæ conſuetudinem, eamq; ex ſacris literis comprobatam, nam etiamſi Chriſtus ſaluator noſter in Capharnaum de utraq; et una dumtaxat ſpecie loquatur aliquoties, pro maiori tamen parte unam repetitis & pluribus uicibus inducit, imo in Ioanne cum dominus octodecies meminerit eius Sa-

Ioannis 6. cramēti, quater tamen ſaltem illius ſub utraque ſpecie meminit, Perinde ac ſpiritus domini dicere uellet: ſoli ſacerdotes q̃ in eccleſię numero pauciores reliquis ſunt, illud ſub utraq; ſumere: reliqui uero qui plures ſunt, hoc Sacramento ſub una ſpecie contenti eſſe debent, quamobrem Chriſtus incipit ſuam concionem ſub una ſpecie & eandem in eadem finit, & omnes promiſſiones quæ in utraq; dantur, ad ſimplicem etiam referuntur. Nam ſicuti homini in Sacramēto ſub utraq; ſpecie promittuntur uita ac ſalus, ita etiam ſub una ſpecie ſumentibus eadem promittūtur, proinde etiam dicit: Ego ſum panis uitæ, panis qui de cœlo deſcēdit, de quo qui manducat, non morietur in ęternum. Ego inſuper ſum panis uiuus, de quo pane qui manducauerit, uiuet in æternum. Et qui manducauerit me, uiuet propter me. Hic eſt panis ille qui de cœlo deſcendit: non ſicuti patres ueſtri manna comederunt & mortui ſunt: qui hunc panē manducauerit, uiuet in æternum. In hoc loco quilibet orthodoxus cogitare poterit, ſi hoc ſacramentum ſub una ſpecie accipiat, quod panem uitæ accipiat, dominus enim bis repetit uno non contentus & dicit, qui manducat hunc panem uiuet in æternum. Si igitur per panem aliquis æternam uitam ac ſalutem conſequi poteſt, non uideo quid maius, quid abſolutius, beatius ac perfectius aſſequi poſſit, nam neq; Chriſtus neq; eius apo-

ſtoli præ-

ſtoli præſtantius quoddam pręmium nobis predicarunt q̃ æternam ui-
tam,quæ ei proculdubio conceditur qui hoc Sacramentum ſub una ſpe
cie digne acceperit.

Ipſi uero Capharnaitæ aiunt, dominum dixiſſe,quicunq; carnem me
am manducauerit,& ſanguinē meū biberit, is manet in me et ego in eo,
quod ego etiam affirmo.Ne quis autem ſeſe perſuadeat perperam, q̧ ſi
hoc Sacramentum non ſub utraq; ſpecie acceperit, quod ſalutem æter-
nam conſequi non poſſit,dominus ipſe ſtatim ſubijcit: Sicuti me miſit ui
uens pater & ego uiuo propter patrem,ita qui manducauerit me & ipſe
uiuet propter me.Hic dominus clariſſimis uerbis dubitationem illā ſim-
plicibus eximit & certa ſpe confirmat,ut ex duabus coniunctionibus καὶ
aperte liquet & cōſtat, hoc dixiſſe ac uoluiſſe dn̄m,ut qui manducat me,
&, hoc eſt,etiā ipſe uiuet propter me, debēt em̄ ſcire illi egregij rhetores
ex ſuis grāmaticis inſtitutiōibus quod qn̄ hæ duę coniunctiones &, inui
cem ſe ſubſequuntur,q̧ poſtrema, etiā ſignificat quamobrem uerba hęc
idem ſignificāt ac ſi dn̄s dixiſſet: Quicunq; me manducauerit ac biberit,
habet ęternā ſalutem, uerum non ſolū ille ſed etiam is qui ſaltem mandu
cauerit,habebit etiam uitam & uiuet propter me. Si igitur Lutherus no
ſter toties docuit nō eſſe neceſſum quod quis utramq; accipiat ſpeciem,
quodq; Chriſtus utramq; ſpeciem ſumendam Chriſti fidelibus,iuſta oc
caſione non præceperit, miror cur nunc contraria & plane diuerſa tra-
dat ac præcipiat.Nam quod Antiochię de circumciſione factiones quę-
dam ſint ortę,quod Cyprianus,Lactantius ac alij errauerint,non ita mi
rum eſt, uixerunt enim ſub primo creſcentis eccleſiæ ortu ac progreſſu,
in quibuſdam enim articulis conuenire non potuerunt,qui etiam a con-
cilijs ac ſede apoſtolica nondum deciſi erant.

Atqui quod poſt tot annos ſemel atq; iterum iam omnibus huiuſce-
modi hæreſibus & erroribus, bono ordine,iuſtaq; ſententia in uniuerſa
libus ac particularibus concilijs ſiue ſynodis damnatis, oriuntur noui ac
pernitioſiores religionis nouatores,qui religionem longo annorum ſpa
cio ac uix enarrando Chriſtifidelium unanimi conſenſu ac pia deuotio-
ne compoſitam atq; firmatam,conuellere, ac nouis opinionibus labefa-
ctare conātur,maxime ueteres ac abolitas hæreſes (egregij illi homines)
quaſi ab inferis reuocarunt, partimq; de ſuo nouas ac peiores concita-
runt, plane in Eccleſia dei intolerabile eſt. Nam ut ex primi Hieroſoly-
mitani quidem concilij decretis percipitur, concilia e ſpiritu ſancto gu-
bernantur,quod ſi uerum eſt, quod ſcilicet ſpiritus ſancti inſtinctu Sy-
nodi regantur, ſequitur exinde quod maligni ſpiritus eiuſmodi decreta
per ſpiritus ſancti gratiam compoſita,ſufferre non poſſunt, ſed ea corrū
pere & coinquinare conantur,ſicuti etiam Ananiam, Saphiram, Simo-
nem ac Nicolaitas feciſſe ſcripturarum teſtimonia perhibent.

Antequam autem concilia, Conſtantienſe quidem ac Baſilienſe, non
abſq; ſpiritus ſancti cooperatione ac inſtinctu habita ſunt,per totū Chri
ſtianum orbem unanimi conſenſu obſeruatum fuit, quod Laicis Sacra-
mentum

mentum hoc Eucharistię sub una saltem, neque sub duplici specie traderetur, imo etiam cum Ioannes Hus, res nouas in Bohemia moliri cœpisset, eadem consuetudo communionis sub una specie longo ante tempore, non solum per inclytam nationem Germanicam, sed etiam per uniuersam Bohemiam, concordi obseruatione in usu fuit. Si enim hoc antea etiam per inclytum Bohemię regnum fuisset usitatum, ut scilicet nullo habito delectu, omnes sub utraq; specie eius Sacramenti synaxim fecissent, iam Ioannes ille Hus nihil noui attulisset, neq; tot sessiones eam ob rem Constantiæ ac Basileæ habitæ fuissent, neque etiam opus fuisset cur magister Ioannes de Roggenzan, tamdiu hoc negocium agitare in concilio Basiliensi debuisset.

Ioannes etiam Hus in frequentissima ac antiquissima illa urbe Pragensi, primum, calicem omnibus propinauit, et deinde moti nonnulli Bohemi calices suis appinxere ecclesijs ac earum ualuis, sicuti etiam in Praga ueteri etiamnum uidere est in prima ecclesia.

Ex his itaq; clarissime patet quod ante supradicta duo concilia, consuetudo sub una saltem specie cõmunicandi ubiq; sub S. Romana ecclesia fuit. Dicat ergo mihi nunc antiquus ille insignis ueterator, qui similia
Apoca.12. ementiri quotidie studet, quisnã põtifex, quod conciliũ, aut deniq; quinam Episcopi, aut sacerdotes, alteram utpote calicis speciem in uniuersali ecclesia aboleuerint, Et certe nihil aliud adducere poterit, quam hoc a nullo pontifice, concilio, aut sacerdote, sed potius ab ipso spiritu sancto factum fuisse, qui etiam lõgo tempore passus fuit, baptismum saltem
Actu.2.10 in nomine Iesu fieri, cum tamen Christus suos discipulos docuerit, quod in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizare deberẽt. Ita etiam idẽ ille spiritus sanctus paracletus noster, de quo dictum est quod nos oẽm ueritatem docturus esset, ex certis & urgentibus causis tulit, aliquandiu in Corintho Asiæ & in Carthagine Aphricæ, hoc Sacramentum sub utraq; specie porrigi ac dari. Nam cum in primitiua illa ecclesia multum sanguinis martyrum effusum fuisset, merito calix ille, in quo est sanguis Christi concessus fuit: Deinceps uero & per successum temporis, uinea domini iam sanguine martyrum bene fœliciterq; plantata, spiritus sanctus rem aliõ transtulit, & induxit, Atq; hoc modo communio sub una specie sensim in ecclesia dei radices egit. Et ideo quomodocunq; noui illi concionatores non modo e suggestu, sed & pro eorum male imbutis moribus, tanquam ex plaustro, conuicia in nos catholicos sparserint ac dixerint, papistas alteram huius Sacramenti partem communi populo abstulisse: sciant se nobis iniuriam facere & spiritui sancto, qui eius rei autor est, suam authoritatem detrahere. Satanæ tamen ea in re bene seruitur, ut suam in loco sancto abominationem sistat, imo uult, ut Dagon et
1.Regũ.5. Moasin in pistoritio illo pane regnent, expulso & procul exterminato
1.Mach.10 Christo.

Ad hęc, utcunq; Lutherani illi a principio cœnam domini reuerenter sub utraq; specie peregerint, paulatim tamen ab ea etiam opinione descicere, ac

uere,ac Sacramentum hoc uenerabile neq; sub una neq; utraq; specie ullo unquam tẽpore sumunt, dicentes cum Capharnaitis & cum populo Israël,contra cœleste illud manna: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.

Ex hoc fonte statim Sacramentorum oppugnatores illi, Carolstadius quidem, Zuinglius, Oecolampadius, Fridbergerius,& id fecis integræ legiones exortæ sunt,adeo ut saltem ex uerbis quatuor breuissimis, scilicet: hoc est corpus meum,diuersæ imo decem sectæ natæ sint. Tutistæ quidem,Sophistæ, Figuristæ, ac retrogradistæ qui prædicta uerba retrogrado modo legunt, nam unus suum τοῦτο ad id quod retro erat, retulit,nempe ad corpus sedẽtis Christi in cœnaculo,Alter ad instar Sophistarũ qui, est, uoluit designare significat,Tertius ex est figurat intelligi debere dixit, Vltimus ex ijs ea uerba cõuerso legit ordine instar Iudęorum & sic: Meum corpus est hoc,Et si deinde cur in eum sensum accipi at interrogatur,respondet hoc id est spirituale aliquid.Et sic Manichęorum errorem denuo reducit ab inferis.

Ex eiusmodi erroribus multorum re uera capitum,uerisimile est spiritum erroris mirificam sibi delectationem comparasse. Quippe cum uideret,Crucifixum qui ei omnem potestatem ademerat,iterum per tot hęreses affigi cruci,ac eidem procacissimis quibusq; conuicijs illudi,statim sibi hos rerum euentus futuros diuinauit, maxime cum uideret simplicem plebeculam ita ex archa Noẽ,id est ex ecclesia dei seduci,ac in semitam erroris abstrahi.

Eodem pacto superiori sæculo cum Ioanne Hus actum est,qui quum primus ecclesiæ ordinationem ac consuetudinem circa communionem Eucharistiæ infregisset apud suos Bohemos, mox apud eosdem deinde longe grauiores sectæ ortæ sunt, Valdensium scilicet ac Pickarditarum, ut uocant,qui etiam in Sacramento nihil aliud quã figuram esse uolunt, sumentes frustum ex pane cõmuni & quotidiano, deinde uerba consecrationis superaddũt,& cuiuis absq; delectu panis bucellam distribuũt, nihil id aliud esse affirmantes quam figuram quandã ac memoriale, perinde ac si quis iter faciẽs, saxum cruce signatum reperiat,dicatq; hoc esse signum hominis hic latrocinio trucidati. Pickarditæ eñ dicunt hic & in manu consecrantis esse figuram; corpus uero ac sanguinem Christi esse in cœlo,adeo ut nihil aliud esse credãt, quam manus illa index in biuio, ac statua Mercurij,in compendium itineris demonstrans.

Ex his deinde abusionibus atq; erroribus etiam euenit, ut nonnulli etiam pueris hoc Sacramentũ dent,nondum eius maiestatem ac reuerentiam intelligẽtibus.Quã absurda uero res hæc sit, ex diuo Paulo clarum fit, nam idem Paulus scribit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat,& de calice bibat,Proinde nemo debet hoc Sacramẽtum accipere 1.Cor.11.
nisi is qui se probare potest,utrũ digne an indigne hoc accipiat, imo certe differentiam nouisse oportet cõmunicantem,inter panem illum pistoritium ac corpus domini,Pueri autem illi aut infantes potius,in cunis et

M iamnum

iamnum uagientes, sacrosanctum illud Eucharistiæ Sacramentum quomodo dijudicabunt? Et quam turpe sit uidere, q persæpe pueri in gremium nutricis, aut in linteum præbitum Sacramentum euomunt tanquam saliuam, dici non potest.

Sed ita contingit omnibus ouibus, quæ cũ a cõmuni grege ac pastore multũ diuq; errauerint, tandẽ a lupis rapacibus rapiũtur ac dilaniantur.

Rursus autem firmi ac catholici Christifideles, qui in statione ecclesiæ permanserunt, uel ad minimum semel in anno præcipue ad pascha hoc Sacramentum accipiunt, cum magna profecto deuotione ac contritione, spe ac charitate hoc facere consueuerunt. Insuper morientibus etiam Sacramẽtum hoc tanquam uiaticum datur, ex quo sumentibus nihil aliud sperandum est, quam quod ex eo pane uitæ, fortitudinem animi contra quoscunq; inimicos accipiant. Et quemadmodum legimus angelum Heliæ prophetæ panem attulisse, in cuius uirtute ac potentia sanctus ille senex profectus est usq; ad sanctum dei montem Oreb: ita uiaticum in extrema morte sumentibus uirtutem & fortitudinem præbet, proin dolendum est maxime, q tam inclytę nationis Germanicę pars non parua, nihil uel parum de Sacramento tenet. O sæculum omniũ infœlicissimũ.

Satanam hic & in præsenti contra Missam libello bene capio, qui cũ sciat multos adhuc esse probos ac pios sacerdotes in Germanica natiõe qui nullo pacto a celebratione Missæ dimoueri ac alienari uolunt, sedulo dat operam, ut principio Missam expugnet ac abijciat, deinde facile sacrilegos in suam opinionem protraheret, ut ex sacris uestibus deo dicatis, sua concinnent ornamenta, sibiq; diploidas ac subuculas ex templi sacris uestibus ac uasis sacris comparent, instar Balthasaris, qui et conuiuia e spolijs templi sibi inter uoluptates adornauit. Hinc facile etiam cognoscere possumus sedulitatem ac instantiam satanæ, quod in hoc dialogo nec solis ortum expectare potest, sed ipsum Lutherum in ipso noctis cõticinio excitat, nec sinit eundem dormire, modo quãtocyus efficiat, q catholicorum Missa abrogetur, cæremoniæ ac omnes ecclesiæ ritus antiquentur ac rejciantur, sacerdotes deniq; ac monachi qui reliqui sunt, a celebratione ac omni orandi deuotione alienentur.

Sed, ni fallar, ille est ipse idem spiritus, qui uxorem Pilati noctu ualde afflixit ac uexauit, ut passionem domini remorari posset, sic & hic idem spiritus facit, ut sacerdotes a memoria Christi ac eius passione, quę fit per Missam absterrere ualeat, eiusmodi enim res sacras ac deo acceptas ferre non potest, quin potius totus ad hoc intendit, suasq; uires adhibet, ut S. Iacobi in Hierusalem, S. Marci in Alexandria, ac S. Petri in Antiochia, imo totius ecclesiæ Missam funditus euertat atq; demoliatur.

Et quo facilius catholicorum Missam conuellere posset, principio sibimet propriam cõfinxit Missam, canonemq; proprium, qui tamen cũ reliquis nouarum Missarum canonibus ex diametro distabat, Singulæ enim sectæ, singulas habent Missas ac suos canones.

Quum itaq; manifestum sit ex uarijs sacræ scripturæ locis, Missam ac

Missæ sacrificum in ecclesia dei non esse abominationem, in professo quoque sit, sacerdotium nouæ legis in Euangelio suam habere basim, & quæ contra sacrosanctum Eucharistię Sacramentum hucusq; a nonnullis attētata fuere, prorsus ab institutione Christi esse aliena, Proin omnes Christifideles merito studere debent, ne maligno spiritu seducti, in grauiores præcipitentur errores. Studeāt, inquam, spiritui sancto adhærere, qui uere paracletus est noster, qui errare non potest, quiq; nobiscum manebit in æternum. Certo enim certius est, spiritum sanctum gubernare Ecclesiam, quæ est sponsa Christi, columna & firmamētum ueritatis. Huic Ecclesiæ catholicę quicunq; in finem usq; adhęserit, uitā consequetur ęternam.

Fiat, Fiat.

AD LECTOREM.

Deprehendisti, Candide lector, hac nostra æditione ut necesse fuerit nouum & antea uix auditum disceptandi genus adire. Quando alijs sat fuerit aduersus hæreticos homines pugnare, nobis uero ansa & occasio data est, ut aduersus diabolum dimicare oporteat. Quod si hoc nostro conflictu forte nonnulla acerbius, duriusq;, quam forte par fuerit aut liceat, in hostem dicta ac detorta sunt, æquiori animo istud feres, si tecum perpenderis, ut zelus domus domini comederit me. Quod si Ioannes Baptista Pharisæos ac Saducæos uocauit progeniem uiperarum, Matth. 3. Et ipse Christus scribas Pharisæos & Hypocritas comparauit sepulchris dealbatis, Deinde simili modo uocauit eos, serpentes genimina uiperarum, Matth. 23. Postremo loco si & ipse Paulus tantum sibi indulsit, ut uocaret Galatas insensatos & stultos, Pseudoapostolos uero operarios subdolos appellet: Forsitan et ego indignitate rei motus non potui tantum affectibus meis amplius imperare, quin nonnulla in satanam illiusq; asseclas ęque asperius, ac uerius dicerem, Id quod tamen boni æquiq; consulere inq; meliorē partem accipere uelis qsquis hæc nostra legeris rogo, ac Bene uale.

LIBRI ADVERSUS M. LUTHERI CACODAEMONEM SCRIPTI de sacrificio missæ & sacerdotio nouæ legis, FINIS.

IOANNIS FABRI

EPISCOPI VIENNENSIS DISPVTATIO DE prȩcipuis rebus orthodoxȩ religionis, aduersus Balthasarem Pacimontanum Anabaptistam.

EZECHIELIS XIII.

AVdite uerbum domini. Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequũtur spiritum suum, et nihil uident. Quasi uulpes in deserto prophetȩ tui Israël erant. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die domini. Vident uana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait dominus, cum dominus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare sermonem. Nunquid non uisionem cassam uidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis? Et dicitis: ait dominus, cum ego nõ sum loquutus. Propterea hæc dicit dominus Deus: Quia loquuti estis uana, & uidistis mendacium, ideo ecce ego ad uos, ait dominus Deus, & erit manus mea super prophetas, qui uident uana & diuinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur, nec in terram Israel ingrediētur, Et scietis quia ego dominus Deus: eõ quod deceperint populum meum, dicentes: Pax pax, & non est pax.

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, ET DOMINO, DOMINO GEORGIO, Dei gratia Saxoniæ Duci, Turingiæ Lantgrauio, Marchioni Misniæ, Orthodoxę fidei, ecclesiæq; catholicæ assertori fidelissimo, omnium quę hæresum hosti quàm acerrimo, Domino suo clementissimo, Ioannes Fabri Doctor, gratiam ac pacē optat ab eo qui est benedictus in sęcula, Amen.



NON IGNORAS, ILLVSTRISSIME PRINceps, q̄ sæpe et fideliter ueteris legis prophetæ cunctum populum Israëliticum præmonuerint, ne pseudoprophetis, mendacia ac uana diuinantibus, aures accommodarent. In ea re & ipse saluator noster Iesus Christus, haudquaquam mediocribus curis solicitudineq; multa affectus fuisse uideri potest, cum nullibi non in Euangelijs a pseudoprophetarum technis, simulata pietate illorum, & fermento cauendum nobis esse inculcarit. Secuti hanc sententiam Euangelij præcones apostoli, ac reliqui orthodoxę fidei uates, sanctiq; dei homines, qui proculdubio e spiritu & instinctu dei maioribus nostris simili præcepto in Ecclesia primitiua loquuti, omnes Christifideles ut sibi cauerent a falsis doctoribus, summe precati, nec minus enixe cohortati sunt. Inter quos nō e carne & sanguine, sed omnino reuelatione patris, qui in cœlis est, Simon ille Petrus piscator, apostolorum coriphæus, nonnulla euentura prædixit, fore scilicet, ut in nouissimis diebus orirentur pseudoprophetæ, magistri mēdaces, quos clam introducturos sectas pernitiosas ἀιρέσεις, hoc est negantes Christum, testatur, Quorum luxurias, & exitia non pauci sint sequuturi, qui & ueritatis uia deserta, in auaritia fictis uerbis negociarēt, carnem sequentes, in concupiscentia, dn̄ationem cōtemnentes, audaces, perfrictæ frontis, sibi philautia sua non parū adplaudentes, nō uerentes conuitijs incessere, uoluptatē existimantes si in diem delitijs fruant, delitijs in cōuiuijs affluētes, luxuriātes oculos habētes, qui a peccando cessare nesciāt, pelliciētes animas instabiles, cor habētes exercitatū rapinis, execrabiles filij, q relicta recta uia aberraturi essent, sequuti uiam Balaā, filij Bosor, in deceptione illusores, iuxta ꝓprias cōcupiscentias ambulātes, libertatē ꝓmittentes, quū ipsi sint serui corruptionis. Hos esse fontes sine aqua, & nebulas turbinib. exagitatas, non sine mysterio idem Simon, q Cephas, tradidit. Ea tempora tantaq; mala nos, cūctosq; Christifideles adprehendisse quis non uidet? qui ipsissimis manibus nostris palpemus, Germaniam tam populosam, fortem, et tot sæculis laudatissimam huiusce modi pseudoprophetarum fermento undiquaq; corruptam esse? Vnde uero, & quo autore hęc lerna, & ilias malorū omniū exorta sit, nō est quod dubitemus. Nam uelimus, nolimus, hoc ingenue fateri cogimur,

Pseudoprophetarum descriptio.

φιλαυτία

Fons mali M. Luther

utroq; pede claudicantē fecerit, sed & ab eadē abstraxerit, deterruerit, et auerterit. Ecclesiasticū sacerdotiū e medio sustulit, et funditus deleuit, impudenter effingens, cunctos laicos, etiam uilissima scorta, sacerdotes & episcopos esse. Matrimoniū tam spurce tam fœde, & in omnem uenerē ita tractauit, ut iam passim graduū nulla ratio habeatur. Quid? quod in aliquot Germaniæ locis impune sibi licere putent, sororem uxoris loco ducere germanam, ac si quis parū uir sit, riualis ac socius adhibeatur. Bone deus, quot mulierculas molliter educatas hac opinione & libidinandi licentia, in sectā suam allexit? Et hic dicere nō ausim, hunc in causa esse, ut in plerisq; locis anabaptistæ Cynico, Socratico, et Nicolaitarū more uxores communes fecerint, turpiora dicere non ausim. Monachos & sanctimoniales, quos Ægyptijs uocabulis Nonnos et Nonnas, id est, castos & castas adpellare consueuerimus, e monasterijs abduxit, et hic perdiligens extitit author, quo cuncti religiosi, repudiato castitatis uoto, & omni iureiurando contempto, monasticā uitam destruerent, calicibus, reliquis quoq; aureis & argenteis uasis, Deo diuinoq; mysterio dicatis, ualde onusti Vuittenbergam, quasi in breues Giaros, profugerent, ibiq; reliquū uitæ in delitijs absumerent. Explicari insuper (etiam si centum linguæ oraq; sint centū) uix poterit, quanta monachorū, & monialium turba, nuptias Vuittenbergæ, Luthero sic instigante copulanteq; celebrarint. Et quid amplius? In cunctis locis ubi secta præualuit, Monachi ac sacerdotes sese opificibus pedentarijsq; operis uilioribus addixerunt. Et quo optimū uiuendi exemplar præberet alijs, e quodam monasterio aliquot plaustra sanctimonialiū onerauit, e quibus unam cæteris forma præstantiorem, & genere nobilem sibi coniugio copulauit, & hæc plurimorū mortalium mentibus tam fœde inculcauit, ut iam quicquid bonorum operum laudetur & efferatur, pro nihilo & contemptissimū sit. Inde breuissimo tempore factū extitit, ut ieiunia in luxus, precationes in blasphemias, & cætera omnia, quæ catholici benefacta putabant, in scelera cōmutata fuerint. Quotquot etiam sese tam nephariæ & petulanti sectæ addixerant, nulla sanctorū temporū ratione habita, porcos, porcellos, & uitulos, & omniū animantium carnes absq; ulla necessitate, in grande offendiculū proximi, quasi Miloniana uoracitate deuorarunt. Dies festos, etiā Dominicā, Ritus & cæremonias, tot sæculis pie per œcumenicā, hoc est uniuersalem Ecclesiam obseruatas pene cunctas extinxit. Purgatoriū aliquoties damnauit, et post hac, ut quauis in deserto arūdine instabilior ē, restituit. Sanctorū intercessionē ac patrocinia in plerisq; locis tam ualide stabiliuit, roborauit, ut nemo sanctius religiosiusq; firmare posse uideretur, mox tñ ab his miracula ędita contempsit, Et quo in sanctos blasphemiam tyrannidemq; omnem exerceret, dæmoniaco spiritu obsessus, audenter tenuit & affirmauit, post Christi in cœlum ascensionem, sanctorū neminem conscendisse cœlos, neq; nos aut quenq; e posteris ascensuros in cœlum usq; ad extremi iudicij diem, Quæ etiam hæresis apud Catabaptistas, qui in præsentiarum turbant omnia, receptissima

Sacerdotium cōturbatum.
Matrimonij fœda tractatio.
Nonni. Nonnæ.
Vuittenberga est hodie Giarus.
Insignis bonorum operū cōtemptus.
Virtutes in uitia duce Luthero abierūt.
Tempora commixta
Festi dies.
Cæremoniæ extinctæ.
Purgatorium in dubiū uocatum.
Iniuriæ sanctorū.
Nemo à Christi ascensione Luthero cœlū ascēdit.

tissima habetur. De beatissima uirgine ac genitrice dei tam prodigiosa monstra Lutherus peperit, ut etiam ea recitare non uelim, nec ob impietates audeam. Et res abominanda nimis, cunctisq; stupenda fidelibus, ut authoritas, & fides ueterũ sacræ scripturæ interpretũ (qui non tam uerbo quam sancta conuersatione, etiam proprio sanguine taberna culũ templumq; dei erexerant) pedibus conculcata & penitus adempta sit. Et licet in ore illi frequentissimũ semper fuerit, legi & uerbo dei nihil addendũ, nihil detrahendũ, nec quicq̃ immutandũ, Attamen in confesso est, apostatam hunc mille quingentis & pluribus erroribus testamentũ nouũ defoedasse, et crimine falsi conspurcasse. Hinc obortæ sunt & aliæ diuersæ ac propemodũ infinitæ hæreses etiã circa uerũ & sacrosanctũ eucharistiæ Sacramentũ, ut cœperint aliqui Carolstadiani Tutistæ, tuto defendere. Gigantes illi sophistæ Zuingliani ex alia parte moti sunt, qui Est pro significat docere cœperunt, Et repente Oecolampadianæ illę tenebræ multos excæcarunt, qui, est, pro figurat in uerbis dei pertinacissime tradiderunt. Et dies me deficeret, si ex ordine recensere pergerem hęreses iam pridem ortas et renatas. Tot igitur hæreses, tot schismata, & tam nepharia dissidia ab hoc quasi fonte uno impetu profluebant, & per coniurationẽ aliquam, quauis Catilinaria duriorem, cõtendebant, ut subrueretur legũ reuerentia, ecclesiæ authoritas, Cæsareæ maiestatis & reliquorũ regum & principũ potestas pœnitus euersa iaceret, quod ut Lutherus plene præstaret, Cæsaream maiestatẽ plus semel traduxit, quasi fidem salui conductus interpositam non seruaret, sed prę ter candorẽ uiolarit. Edictũ cæsareũ modis omnibus catholicũ impurissimis glossematibus ac plane temerarijs defœdauit, hoc scomma impudenti ore euomens, Cæsarem nimirũ e fumario aliquo conflatũ, hoc edictum accepisse. Quicquid deniq; pro religione absente Cæsare, ab electoribus, principibus, proceribus et statibus Romani imperij statutũ est aliquando, uix dum finitis comicijs irrisit, sub sannatione, conuitijsq;, & mox, canino dente damnauit, Testes huius rei sunt libri per illũ æditi. Et ne subditi procerũ imperij mandatis parerent, imperiosissime quasi ipse imperatoris imperator esset, mandauit. Porro serenissimum Regẽ & inuicti animi principem Ferdinandum, dominum meum clementissimum, tum probris, tũ salsis dicterijs insectatus est, atq; sępe illi pueriles annos obiecit, qui etsi erat tum ætate admodũ iuuenis, tamen in consilijs, & rebus obeundis maximus: ut totus mundus testatur in rebus agẽdis nullo unq̃ tempore hunc cessisse etiam natu maioribus, Ante annos animumq; gerens, mentemq; uirilem. Quin etiam (ne quid ille inausum relinqueret) machinator ciuiliũ discordiarum Lutherus, & intestini belli author, primũ agrestes aduersus Reges, principes, Proceres, cunctosq; nobiles ad arma stimulauit, Mox ubi populi magnitudo, in locustarũ numerũ aucta, à Sueuorum liga plus semel in fugam pulsa, cæsa, grauissimisq; ac cruentis cædibus superata fuit, quasi alter Protheus in aliam figuram sese transformauit, Et ut est homo furoris, qui uiam pacis non cognouit,

Mariam blasphemi is degraua uit.

Noui testamenti corruptio.

Errores 1500.

Errores circa Eucharistiam

Potestatis subuersio.

Seditiosa scripta Lutheri.

In Cęs. M.

In regem Ferdinan.

In Proceres.

In rusticos

cognouit,nec dei timorem habet ob oculos, cuius deniq; ueloces sunt pedes ad effundendũ sanguinem) ilico nobiles, in quos plebeios & ignobile uulgus paulo ante iritauerat, ut rusticorũ plebem omnẽ itemq; reliquias perderent, audenter animauit, Etiam interfectoribus indulgẽtias apostolicarum condonationũ loco,nouas statuit.Et hic, ni me mea fallat sentẽtia,hoc intestino Germaniæ bello,nihil pernitiosius,nihil pestilentius,tetrius,aut fœdius contingere potuisset, quippe quo amplius centena milia uirorũ desyderata sunt. Quid dicam? Perpetuo decennio fere nullũ scelus admissum,nulla cedes patrata est,nulla exorta rebellio, aut intestina seditio per Germaniam,quæ non de capite illo,inimico scilicet ecclesiæ ac pacis publicæ,tanquã seminario malorũ omnium, nata fuerit. Certe dum hi tanti tumultus per Germaniam fierent,ipse e plaustro maxima cum uoluptate risit,& præ gaudio exultauit, ut hanc prophetiam,qua sanguinis diluuiũ inter Germanos futurum esse predixit, compleri uiderat.Et quo totam reliquã Germaniæ partem perderet,en

Pro turcis.

Illustrissime Princeps iterũ atq; iterũ docet, affirmat & cunctis populis inculcat,ne in Turcas inimicos crucis Christi stringamus ferrũ,quorũ et rabiem & immanissima scelera sustinenda esse censuit. Ex his itaq; tam absurdis,impijs,& furiosis dogmatibis, Illustrissima celsitudo tua facile existimare poterit,quanta pericula,ac q̃ multos interea pertulerit casus,

Regis Ferdinãdi uirtus et encomium.

Inclytus ac potentissimus Rex Ferdinandus,anteaq̃ tam uaria monstra & portenta exitiosa oppresserit,eliserit, extinxerit,nullum quippe aliud bellũ,quamdiu floruit orbis terrarũ,consurrexit unq̃ difficilius, tetrius, periculosius,Siquidem aliquot centena milia hominũ passim per germaniam ad arma uno impetu concurrerunt. At Ferdinandus ille uere beatus uir,qui non abijt in consilio impiorũ,& in uia peccatorum nõ stetit, sed in lege dñi uoluntas eius,& in lege eius meditatur die ac nocte, fuit, est,atq; erit tanq̃ lignũ,quod plantatũ secus decursus aquarũ,quod fructum dabit in tempore suo,cuius foliũ non defluet,& omnia quæcunq; faciet,semper prosperabuntur,Etiam hac terribili et ab Arrianorũ tempore seditione non audita,parua militum manu,et non ualde ingenti copia,non humana potẽtia,sed ope mere diuina uictoriam habuit. Cæterum cum iam spes esset tot malis finem impositum iri, ecce subito alia

Anabaptistarum secta.

anabaptistarum secta execrabilis in apertum prodit, quæ & usum rebaptisandi induxit, non contenta priori in infantia suscepto baptismo, & nouam seditionem struere, secretiores conuentus habere, ac sub ementito Euangelij nomine cœnam dominicam agere cœpit. Illorum antesignanus & præcipuus author quidam doctor Balthasar, qui cum

Balthasar Pacimontanus.

se Pacimontanũ scriberet, bellorũ & rebellionũ suscitator fuit assiduus. Is, inquam, tam erecti spiritus homo fuit, ut se sua eruditione cunctos Zuinglios,Oecolampadios,ipsumq; adeo Lutherũ præcellere & lõge anteire gloriatus fuerit,non contentus quod in germania multis in oppidis,& potissimũ sub Inclyta Austrię domo tumultus concitauerit horribiles, & iam pridem iureiurando apud Tygurinos retinctionis errorem ab

rem ab

rem abiurauerit, sub anatemate quoq; damnauerit, & publice testatus sit. Mox in Morauia repudiato uniuersalis ecclesię ritu, in eandem Catabaptistarũ hæresim, ut canis ad uomitũ, impie relapsus est, ac reiecto infantium baptismo, grandęuos tantũ & homines canos, silicernos, & iã prope edentulos sacro illo fonte censuit esse tingẽdos, Qua de re libros & tractatulos scripsit sane non paucos. Isq; nouus & detestabilis abusus nouas populi coniurationes, illicita ueneris connubia, et cætera id genus scelera propemodum infinita quotidie parit, Et inter hos Catabaptistas inuenti sunt, qui uetus testamentum, Manichæorum more, prorsus abnegantes, nouo dumtaxat fidem adhibendã esse statuerunt: E regiõe quoq; non pauci fuere, qui nouũ testamentum negantes, ad legem Mosaicam, quasi in Ægyptum redeuntes, ollas carnium, allia, & cucumeres desyderarunt. Quam rem abhorrendam, neq; apud Christianos ullis sęculis auditam, ubi serenissimus Christianissimusq; Rex ac Princeps Ferdinandus animaduertit, & (ut est in rebus fidei & religionis diligentissimus) consyderauit, ac expendit, perspicue intellexit quod nisi tanto sceleri obuiam iretur, simul diuinas humanasq; leges euersum iri, atq; haud procul abesse, quin omnia quæ sancta ac iusta inter mortales & sunt & habentur, exitio darentur. Ad hæc ut magna illorum pars, non modo Christum & Deum creatorẽ coeli & terræ negare cœperunt, Balthasarem illũ tam perniciosæ rei authorem capi, & captum in uinculis teneri iussit. Qui nuper in sese descendens, suorumq; ipsius atrocitate scelerum expensa, iam cũ de uita ac salute desperaret, anteq̃ pœnas dignas lueret, mecum super nonnullis rebus disserere cupiens, facile obtinuit ut regis iussu (cuius incredibile est dictu, quanta sit in tuenda uera pietate, ac reducẽdis ad sanitatem tam diro ueneno corruptis hominibus, cura ac solicitudo) ad captiuum proficiscerer, comitantibus magnificis uiris, D. Marco a Leopolsdorff, quæstore ęrarij Austriaci, ac Rectore gymnasij Viennensis, Ambrosio Saltzero Licentiato. Quod eo quoq; libentius feci, quod iam inde a compluribus annis hominem & noram, & eo familiariter eram usus, cum adhuc esset incolumi mente & sensu, ac conscientia incontaminata, & uterq; cõmunibus studijs uno in Gymnasio sub eisdem præceptoribus operã daremus. Ad quem ubi uenissem, nihilq; librorum quam Biblia, quorum & illi copia erat, mecũ attulissem, de illis ipsis hæresibus, quarũ uel author ille, uel doctor & assertor fuerat, cũ eo placide fraternoq; & Christiano affectu & more disserere cœpi, ita ut alter alterum uicissim interrogaret, & ad interrogata responsitaret, Quemadmodum sequẽti in libro, qui est dialogi instar, cõtinetur. Quæ quidem inter nos disseratio hoc sane fructus pepetit, statim ut retractationum librum composuerit, Quarum capita breuiter perstringam. Primum multis ac grauibus argumẽtis ostendit, solam fidem non satis esse ad animæ salutem. Deinde bona opera, quæ iam pridem ab eo explosa erant, per eundem reducta sunt & cõprobata. Libertatem Christianã, a Luthero tantopere laudatam, ac pertinacissime defensam, etiam cum insectatione

[Margin notes: Prouidentia Regis Ferdinan. — Colloquium D. Ioan. Fabri cum Balthasaro. — Balthasari Reuocatio in aliquot articulis. — I. (beside "ad animæ salutem") — II. (beside "erant, per eundem") — III. (beside "Luthero tantopere")]

IIII. sectatione damnauit. Rursum incutiendum esse mentibus hominū corruptorum metū dei ac reuerentiam, & summa ope adnitendū, ut rectę conscientiæ aculei in intimis sensibus figantur, sane quam efficacissimis rationibus docuit, falso & impie persuasos esse homines, ut crederent omnia ex adamantina quadam & ineuitabili necessitate geri, contra uero solidissimis argumentis liberū arbitrium constabiliuit, nixus authoritate utriusq; testamenti. Pœnitentiam criminū cum resipiscentia uel ex
V. Euangelio cōmonstrauit. Sempiternū illibatæ uirginitatis decus beatis-
VI. simæ matris Mariæ, contra Heluidianos acerrime defendit, Simul Ne-
VII. storianorum errorē, & nefandam opinionem refellens, qui illam non
VIII. θεοτοκον fuisse nefarie probare conati sunt. Perfidissimæ hæreseos autho
IX. res qui asseruerant Christum neq; ipsum deum esse neq; adeo dei filiū,
X. palinodia recitata insectatus est. Neq; inficias iuit purgatorij locum esse.
XI. Precationes Christifidelium adprobauit. Confessionem præterea ser-
XII. mone factam apud sacerdotem tum utilem, tum necessariam, & a Christo institutam esse asseuerauit. Opinioni ineptę impiorum quorundam, nouissimum diem intra bienniū affuturum sentientiū, uehementer est re-
XIII. fragatus, Tum imaginariam illam ecclesiam, ceu idæam quandam deri-
XIIII. sit, & nullā esse fassus est. Cōseruatam puellarū, uiduarūq; pudicitiā deo
XV. immortali cum primis cordi esse, constanter credidit. Ieiunia commenda
XVI. uit. Diem dominicum celebrandum esse iudicauit. Esum carnium die-
XVII. bus, quibus indicta sunt ieiunia improbauit. Excōmunicationem suum
XVIII. robur ac uires uoluit obtinere. Neq; frustra esse sanctorum pro nobis
XIX. deprecationes. Ad ultimum ita legū reuerentiam, authoritatem magi-
XX. stratuū, ac principum potestatem extulit, ut crederes, nil eius animo alienius esse a seditione, & cupiditate rerū nouandarum. De baptismo tm̄ paruulorū seu infantium & sacramento Eucharistiæ uarians, statuit in regis sententiam & academiarum concedere, Id quod suæ manus propria scriptura testatus est. Hasce igitur dissertationes ac potius defensiones pro orthodoxa & catholica fide, unum in librū conflatas, & in publicum emissas tuæ illustrissimæ celsitudini multis de causis nuncupaui, sed præcipue, ut magis magisq; intelligat tua celsitudo illustris. quantum impendeat periculorū, & quā haud procul sit, ut Christiana orthodoxa fides apud tam inclytam nationē germaniæ funditus euersa collabatur.

Nuncupatio huius libri.

Tuum autem clarissime princeps in orthodoxam fidem uniuersalis ecclesiæ studiū, neq; admirari satis, neq; amplexari ualeo, utpote qui euidentissimis argumentis, indubitatæ fidei acerrimū, nec non amicissimum defensorem te nunq̄ non esse declaraueris, Maxime autem eo nomine, quod quantum ad Cæsareum edictum pertinet, in omnibus per omnia huic parueris, adeo quod hactenus tuæ celsitudini subditos populos ueteris fidei studiosos cultores, tum quod omniū maximum est, tranquillissima in pace, a tam tetra huius callidissimi serpentis illuuie, subdolaq; insinuatione tutos prorsum atq; immunes in tempore ipso conseruaris, in idem nimirum exemplar eundemq; regendiq; typum, commode cū

Sereniſſimo ac Chriſtianiſſimo Hungariæ Bohemiæꝗ Rege Ferdinan- do cōueniens atꝗ conſentiens, qui nimirum ad tuendā religionē, & qc- quid uſquā ad ſacroſanctam Chriſti fidem pertinet, nihil neꝗ curę neꝗ laboris remittit, et huc ſua ſponte fertur, quāuis non deſint, qui ſuſpicen tur, ad hoc negocij, ſtudiumꝗ tam pium Reuerēdiſſimū, et Ampliſſimū Principem Bernardum Epiſcopum Tridentinum uirum omnibus natu ræ dotib. ac bonis inſtructum, ac nuper propter ſingularem prudentiā, perſpectamque in rebus omnibus fidem ab inclyto rege Ferdinando in Cancellarium ſummum creatum, doctorum hominum cunctorum, ac qui uirtutes & artes ſequuntur meliores, unicū patronū & cultorē, faces admouere, Quin etiam iactant, clamitantꝗ publice & priuatim in conci onibus & colloquijs, Maieſtatem eius per me inſtimulari, ut eorū Euan gelio obnixe aduerſetur. Idcirco in me fremūt, ac plus ſemel uitę meę in- ſidiati ſunt. At ego nō timui, neꝗ trepidabo, quid faciat mihi homo, nō timebo a timore nocturno, nō a ſagitta uolante in die, nō a negocio per- ambulāte in tenebris, nō ab incurſu & dęmonio meridiano. Iacto cogita tū meū in dn̄m, & ipſe me enutriet, id q̄d re ipſa expertus ſum, Quippe ha- ctenus ex dei benignitate fruſtrati fuerunt in me illorū conatus, cadetꝗ poſtremo in irritum tot impuriſſimorū hominum perfidia, potiſſimum principibus duobus Cæſare ſcilicet & Ferdinando res humanas mode- rantibus. Quos exiſtimandum eſt, tam difficili tempore nobis tantum in diſcrimen adductis diuinitus contigiſſe, et ueluti duo clariſſima ſyde- ra, in tam dēſa ac profunda errorem caligine uerſantibus illuxiſſe. Teſtes rei ſunt huius, tot fœlices uictoriæ quarum compotes facti ſunt, Vterꝗ aduerſus hoſtes ſimul & plures & maximis uiribus præditos proſpere dimicando, ut iam nemo addubitare poſſit, quin diuini numinis ductu, tot ac res tantæ a maieſtatibus illorum gerantur, Quæ omnes principes pietate, iuſtitia, clementia, & animi magnitudine antecellunt. Proinde non ſine fama & opinione miraculi, tot ac tam diuerſis hoſtibus iugum ex inſperato impoſuerunt, ac quanto magis illi tam bene catholicæ affe- ctos religioni principes, uolebāt oppreſſos, ut olim Pharao immanis ty- rannus Iſraelitas, tanto uiderunt eos ampliores, auguſtiores & eminenti ores, Quos haud dubia ſpes eſt, toto orbe omnes Chriſtiani nominis hoſtes deiecturos eſſe & refixuros crucis & crucifixi ſigna, iam olim a tru culentiſſimis Turcarum tyrannis capta. Verum longius ne morer illu- ſtriſſimam tuam celſitudinem, tot ac tānta negocia, atꝗ eadem maxima ſuſtinentem, Quamobrem enixe humiliterꝗ oro celſitudinem tuam, ut hoc quicquid eſt libri, tuo illuſtriſſimo nomini dedicatum, benigne ſu- ſcipiat, acceptum ubi a grauioribus uacabit curis legendo percurrat, le- ctum poſtremo boni conſulat, cuius illuſtriſſimam celſitudinem Deus immortalis pro fœlici ſtatu ſacroſanctæ religionis quam diutiſſime ſo- ſpitem & incolumem tueatur ac conſeruet, Amen.

Preconia Regis Ferdinandi.

Epūs Tridentinus.

Duo lumi naria mundi, Carolus & Ferdinandus.

Datum Pragæ I. Iulij, Anno ſalutis humanæ,

M. D. XXVIII.

ELENCHVS ARGVMENTORVM ET CAPITVM TOTIUS OPERIS.

Præfatio

PRAEFATIO

D. IOANNIS FABRI AD D. BALthasarum in carcere detentum.



EXPETENTI TIBI SVPERIORIBVS DIEbus ardenti desyderio, cum in custodia ac carcere teneRere, interprete atque internuncio domino quaestore, ut quoniam tibi liquido constaret moriendum esse, te tamen authorem impij alicuius erroris esse uehementer nolles (es enim mi Doctor, homo, saepius proinde errare ac labi, etiam in scripturae sacrae locis potuisti) pientiss. ac inclytus rex Ferdinandus, dominus, ac princeps meus clementissimus, me tibi, si in errore implicitus (ut sunt res humanae) haereres, qui te expedirem liberaremque, arbitrū ac cognitorem daret. Quocirca idem Sereniss. Rex genuina & plane insita pietate animoque eo, quo Christianū principem esse decet, adductus, tuis precibus benigniter concessit (nihil enim aeque regi optimo curae est, quam ut animarū salus in aeternae mortis damnationisque discrimen non rapiatur, ac ut & ipse tu resipiscens, & qui tuo dogmate sunt seducti a nefario errore liberati, ad sacrosanctae ecclesiae Catholicae communionē redeatis) meque cōtinuo e Strigonio (quae Hungariae est ciuitas) ad te huc uoluit proficisci, simulque mādata dedit, summo ut studio elaborarē, quo tibi ita affecto medicinam faciens, plurium mentes simili contagione aspersas recrearē, eosque hac foeda eluuie errorum ereptos, in arcā Noë, id est orthodoxam Ecclesiam Catholicam saluas reducerem. Ferdinandus quid studio habeat. 1. Petri 3.

Et quanquam sane molestum ac graue foret, iter ita latrocinijs infestū ingredi, ac tanta celeritate (biduo enim illinc digressus, huc ad te ueni) conficere, impulit tamen me peruetus quaedam familiaritas, qua & in studijs olim una in Academia, atque alijs deinde pluribus in locis mutuo usi sumus, & amor ille singularis, quo te semper cōplexus sum, quoad opinione, nescio qua, transuersus in hanc errorum sentinam delatus, me tua (ut Ioannes fugit olim Nicolaitarū) instituta, dogmata ac facta refugere coëgisti, ut iuxta illam Mosi legem (Non uidebis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & praeteribis, sed reduces fratri tuo, Etiam si nō est propinquus frater tuus, nec nosti eū, duces in domum tuam, & erunt apud te, quādiu quaerat ea frater tuus & recipiat. Similiter facies de asino & uestimento, et de omni re fratris tui quae perierit, si inueneris eam, ne negligas quasi alienam. Si uideris asinū fratris tui aut bouem cecidisse in uia, non despicies sed subleuabis cum eo) te non bouem, non iumentū brutumue fratris mei, sed fratrē errabundum, & in uia ueritatis collapsum, non ignotum sed olim mihi magno usu familiaritateque cōiunctum subleuarem, et domino ac deo meo saluum reducerem, illiusque consilium secutus, nouem & nonaginta ouibus relictis, amissam unam atque errantem uindicarem. Antiqua familiaritas. Apoca. 2. Deuter. 22 Ouis ab errore reducenda. Lucae 15. Pium candidumque D. Fabri propositū.

Hoc itaque animo, tuae ut saluti consulerem, huc accessi, ut uere dicere queam id,

1.Timo.2 Acto.9 Roma.1 queam id, quod ad Roma, diuus Paulus apostolus, doctor gentium, ac electionis uas: debitor sum sapientib. & insipientib. græcis, barbaris, ac latinis, neq; in hac parte, aut ullo in loco erubesco euangelium. Tentabo itaq; si tuam possim animam saluare, summopereq; studebo si quo modo te spiritualis gratiæ queam facere participem. Tuarum itaq; partium erit, hæc bono æquoq; animo suscipere, uenio enim ad te non in uirga ad corrigendum, sed in spiritu mansuetudinis, lenitatis, & humilitatis, non animo contentionis studio elato, sed ad fraterne beneuoleq; monendum instruendumq; parato.

1.Cor.4 Phil.1. &2

Absq; cōtentione disceptandū esse. Quare Christum ac Euangelium non per contentionem, aut uanam gloriam, sed concordes ex charitate tractemus. Tu igitur scripturam diuinitus inspiratam, eiusq; sanum intellectum, liuore aliquo, superbia, cōtendendi studio, aut quauis humana libidine, pro tuo sensu pertinacius tractare desiste, quo modo quidā, ut Paulus scribit, adulterantes uerbū domini facere soliti sunt: sed animū syncera charitate, ac pietate nō ficta exerce. Atq; tibi etiam atq; etiam uidendum est, ne quod de populo Israelitico dominus queritur, duræ ceruicis cum sis, proprio sensui indulgēs, propriæ prudentiæ inniti, tibiq; solus sapere uideare in oculis tuis. Quod ne facias, Regū sapientissimus Salomon, & Paulus apostolus p̄monuere, Non ergo simus alta sapientes, sed humilibus consentientes.

2.Cor.4. 2.Cor.6 1.Timo.1 2.Tim.1 Exod.32 Prouer.3. Esaiæ 5 Rom.12.

D. BALTHASAR. Etsi omnino mihi moriendum uideo, & quę me manent supplicia sane commerui, nolim tamen d. Doctor miseram plebeculam, mea doctrina imbutam, me authore impio in errore uersari, desertamq; relinqui. Quæ hactenus uel scripsi uel docui, non mea ut cōmoda augerē feci, sed q̄d ita me dei spiritus rapere uisus est. Neq; uero hoc tēpore in terris homo est, quē & uidere & audire q̄ te mallem lubētius, sæpeq; inij rationem, qua de meæ doctrinæ articulis te audirem, ut per te edoctus, ab errore, si quis esset, deducerer. Ago itaq; Regiæ maiestati cum summa humilitate gratias, q; te dignata est huc ad me mittere, atq; utinam meis precib. diuinæ aures pateant, uellem profecto tali pro merito, deum iugiter orando, me gratum exhibere, meum porro animū talem esse scito, ut te differentem de his reb. libentius sim auscultaturus, obtemperaturusq; quam cuipiam alteri in terris mortali, Vnum hoc flagitans, ut scripturis errata mea conuincantur, hacq; ratione languenti cōscientię meæ succurratur. Ad hæc domino Quæstori pollicitus sum, me ceruicosum non futurum.

DOMINVS QVAESTOR, D. MARcus a Leopolsdorff.

Res domine Doctor Balthasar, ut uoluisti, ex sententia tua cecidit: Proinde quoniam doctor Faber, quem tanto desyderio expetiuisti, hic coram comparet, tuum erit, quæ mihi es pollicitus, nunc præstare.

D. BALTHASAR. Equidem quæ recepi, sane præstabo: hac tamen conditione, ut scripturæ, unde conuincar, producantur, ne contra conscientiam facere compellar.

De sacra

DE SACRAE SCRIPTVRAE SANA EXPOSITIONE INTELLIGENTIAQUE.

CAPVT PRIMVM.



ANTEQVAM D.doctor articulos præcipuos, ac capitales aggrediamur, & scripturam tractemus, constituendum est id quod uerissimum est, scripturam sacram non in lectione multa, neq; in litera, quæ occidit, positam esse, sed in sano, pioq; intellectu. Nam ipse etiam diabolus, cum suum dominum tentaret, & super pinnaculum templi constituisset, scripturam ex Psalmista adduxit, potiorẽ tamen illius autoritatis clausulam non adiecit, ut custodiant scilicet te in omnibus uijs tuis. Et seniores, scribæ & pharisęi, percontante Herode ubi nam Christus esset nasciturus, Michææ prophetæ dictum proferentes, Bethleem designarunt, scriptum enim esse aiebant: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principib. Iuda, ex te enim egredietur dux qui reget populum meum Israël, Quod propheta præterea addidit, egressus eius a dieb. æternitatis illius, reticuerũt. Neq; uero Paulus citra rationem gloriatur, se non (ut plurimi faciunt) uerbum dei adulterare, torquere, deprauareq;, Quinimo docet, seruum domini uerbum dei recte tractare debere, cum enim contra fit, inde multa, & uaria fidei nostræ naufragia fieri necesse est. Et Simon non ille Bar iona, sed a Simone Petro correptus, fide etiam suscepta errore lapsus est. Petrus uero Christi in terris uicarius, Paulum fatetur epistolas quasdam ad intelligendum difficilimas scripsisse, quas quidam peruersi ad prauum suum intellectum exceperunt, ita obliquatas, ut eis ipsis officerent, qui usi sunt etiam in propriam ipsorum perditionem, quæ non scripturæ, sed errantis interpretis culpa atq; ignorantia uenit. Quod si, D.Balthasar, propositum sit, ita scripturam pro libidine tractare, torquere, rapere quo uelis, omnis conatus frustra suscipietur, omnisq; in auras labor profundetur.

Formula tractandæ sacræ scripturæ. *2.Cor.3* *Matth.4* *Psalm.90.* *Matth.2.* *Michæ.5* *2.Cor.2* *2.Tim.2.* *1.Tim.1* *Actuũ.8* *2.Petri ult.*

D. BALTHASAR. Historijs quas adduxisti & scripturis te plane in loco, apteq; usum esse cõfitetor. Atqui regula hac, cũ scriptura aut ad intelligendum obscurior, aut pugnans, sibique aduersa uidetur, uti soleo: ut plurib. locis conductis, scripturam scripturæ contendens uerum elici am. Exempli gratia: Parentes mihi honorandos esse in præcepto etiam est, honora patrem & matrem: & alio loco scriptura patris & matris odium præscribit. Hinc tertius locus est, qui Christum plus quam patrem & matrem amare docuit, Vnde clarus intellectus superiorum duorum locorũ, honorandos uidelicet esse parentes, neq; odiendos, ast his Christum pręferendum, Vnde ait: plus quam me. Concludo igitur scripturã scriptura exponendam, quod si factum fuerit, facile deuitabimus ea, quę de diabolo, Petro, Paulo, alijsq; sunt inducta.

Scripturã scriptura exponi. *Exod.20* *Lucæ 14* *Marci.10* *Matth.10*

D. FABER. Consentanea uero hæc nostra regula est, tum præcipue cum de re una plures extant sacræ scripturę loci. Sed te nõ fugit, ab omnibus

Non omia in scripturis expressa esse.

omnibus Euangelistis nõnulla scripta esse, quædam a tribus, non pauca a duobus, plurima ab uno tantum. Quemadmodum ille sermo prçclarus, ac plane diuinus, quem habuit in ultima cœna saluator noster ad discipulos, qui ab uno Ioanne a decimoquarto usq; ad decimumoctauum caput est perscriptus. Plurima porro Paulus literis mandauit, quæ euangelistæ ne attigere quidem, quale est illud quod de apparitione post res-

1.Cor.15. Actuū.20 surrectionem facta narrat, & alibi docuisse dominum, beatius dare quã accipere, & plura id genus reperiuntur. Multa igitur esse uideo scripta sigillatim, quæ unum tantum authorem habent.

Ecclesię iudicio acquiescendum est.

Consectaneum itaq; est, sacræ scripturæ intellectum referendum & recipiendum, ad iudicium, existimationem, censuramq; fidelium orthodoxæ ecclesiæ Catholicę, cuius demum communi consensui nos stare necesse est, quod testatur diuus Paulus ad Galatas.ij.cap. præcipue, quando post xiiij annos Hierusalem ueniens, contulit euangelium, quod interim predicauerat in gẽtibus, Etsi quinto quoq; capite scriptum sit confidenter: Si circumcisi fueritis, Christus uobis nihil proderit, nihilo tamen

Actuū.15. secius, cum Antiochiæ super hac eadem re multæ uariçq; quęstiones exortæ essent, atq; tumultus, una cum Barnaba Hierusalem se legari non est dedignatus, Petri, Iacobi aliorumq; apostolorum sentẽtiam expectaturus, quam ipse quoq; una cum reliquis ratam habuit. Deq; ea re apostoli, senioresq;, quid spiritui sancto, & ipsis uisum esset, Paulo, Silæ, & Iudę literas dederunt, quibus inquiunt: Spiritui sancto placuit et nobis. Hic aduerte & nobis, Sed super his postea sermonẽ instituemus. Nunc ut ad capitales, præcipuosq; articulos ueniamus.

De Baptismo Paruulorum — CAP. II.

PRIMVM omnium quidem de Baptismo, ut porta seu ianua, iuxta plurimorum sententiam, et primo ad salutem aditu uideamus. Age domine Doctor infantum paruulorumq; Baptismum, quem amplius mille quadringentis annis maiores nostri, iam inde ab apostolorum temporibus obseruarunt, ac tutati sunt, qua mente, quoue consilio abrogasti?

Baptismus a 1400.annis & amplius fuit.

D. BALTHASAR. Dic mihi, quomodo probabis, infantes esse baptizandos? aut oportere, aut omnino necesse esse ut baptizentur?

D. FABRI. Ego & ecclesia mea (in qua consisto, & cui constanter adhæreo, & summo deo ita uolente in ea moriar) quæ firmæ atq; inconcussæ tam diu innixa petræ altius radices egit, sumus in possessione, per Asiam, Aphricam, Europam, a temporibus Apostolorum ad nostram usq; memoriam. Hunc igitur nobis morem a maioribus acceptum, & quasi per manns traditum atque transmissum, confirmatum stabilemq; tuebimur: uestra autem doctrina noua est, a mille annis non audita. Etsi non ignorem Pelagium hæreticum ante mille & centum annos, perinde atq; uos facitis, paruis infantib. ac pueris cœli portas obstruxisse, cuius non modo non audita atq; accepta, sed communi ecclesię meę consensu

Lõga possessio ueritatis .i. Ecclesia Catholica.

Hiero.cõtra Pelag.

damnata

damnata & neglecta opinio est, At quoniã non nisi authoritate côuinci uis, age tuo ingenio obsequamur. Est apud Ioan. iij. cap. scriptum ubi dominus & legislator noster ad Nicodemum sic ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Quando itaq; pueris Christus regni cœlorum spem porrigit, et necesse est eos ex aqua & spiritu sancto renasci, eamq; nos renascentiam, regenerationemue consueuimus catholicorum more appellare baptismum, ergo ut baptisentur & utile ipsis & necessarium est.

Baptismus est renascẽtia.

D. BALTHASAR. Quod Ioannis dictum attulisti, non est de renascentia siue regnãtione accipiendũ, quoniã iuxta græcam & nouam eius translationem, natus, non renatus est, neq; extat testimonium scripturæ de renascentia illa, quod etsi fuerit, per aquam tamen hic uerbum accipiendum, aut spiritus sancti gratia, quomodo in plurib. sacræ scripturę locis, Ioan. vij, liquide expressum patet, Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, et Ioan. v. ubi aqua ab angelo commouetur, et prima Ioan. v. Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis etc. Nõ potest igitur hic, nec debet textus Ioãnis de baptismo intelligi. Infantum autem, & puerorum regnum cœlorũ esse plane nego, ad pueros quod attinet breuiter sic statuo, eos neq; saluari neq; damnari affirmo debere, sed cõmittendos omnipotenti deo, is faciat ut uelit.

Corrupta expositio de renato.

D. FABER. Miror qui fiat, ut textum Ioan. iij. intelligendum neges de regeneratione, quando eius historiæ initium his uerbis constat, quæ sunt seruatoris nostri ad Nicodemum: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum dei, quod animaduertens Nicodemus, qui fieri possit miratur, ut natus Silicernius senex denuo renascatur, num iterum in matris uterum ingrediatur? quo quid potest ad regenerationem probandam esse manifestius? ut interim de denuo et iterũ, in Euangelio sileam, quæ plus semel in hac historia repetita uidebis, ad tua non grauia obiecta refellenda non leue argumentum præmissura.

Ioannis 3

D. SALTZER. Est ita dñe doctor, ut Faber dixit: Sequitur dein id, q̃d saluator noster dixit, noli mirari q̄ dixi tibi, oportet uos renasci denuo, spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde uenit, aut quo uadat.

Ioannis 3

D. FABER.

Nihil uerius, ideoq; ad intelligendum scripturas uidenda sunt & pensanda acri iudicio, tam quæ ante, q̃ quæ post, scripta sunt. Quod autem dñs doctor negat etiam alijs scripturæ locis de regeneratione ex aqua et spiritu quicq̃ uspiam reperiri, non parum demiror. Nam Paulus ad Titum iij. ostendit, quod per misericordiam dei saluatoris nostri salui facti sumus per ablutionem siue lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti. Et Petrus: Benedictus sit deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundũ magnam misericordiã suã nos regenerauit in spem uiuam Iesu Christi a mortuis. Hęc regnãtio uno loco græce παλιγγενεσία dicitur, alio uero loco ἀναγέννησις a παλιν & ανα, sed non ea consyderatione qua Pythagoras olim παλιγγενεσίαν animarum asseruit, ideoq; error apud

Reprobatio illius.

1. Petri 1.

uos est, non esse in scriptura regenerationem. Quod autem hæc ad baptismum referenda sint, confirmant omnium orthodoxorū & ueterum doctorum enarrationes, perinde atque ego de baptismo loquētium. His concordant, quæ Paulus scribit ad Roma. vi. Nos omnes qui baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, per baptismum enim una consepulti sumus cum illo in mortem.

Amor Christi erga paruulos. Quod autem dominus Doctor negat puerorum esse regnum coelorum, manifeste contra Euangelium est, Matth. xix. Mar. x. & Luc. xviij. Quando allati siue adducti sunt ad Iesum pueri, quos cum prohiberent discipuli, eos corripuit, uel, ut cum nostra trãslatione dicam, increpauit, sinite inquiens eos ad me uenire, & nolite prohibere, talium enim est regnum coelorum, quæ uerba ter in Euangelio repetita legūtur. Et Matt. xviij. dominus Iesus puerum in medio discipulorum constituit, per hoc uiam aperiens, qua eos ad uitã ingredi oporteret. Eis insuper proprios angelos præfecit in coelis, qui faciem dei patris semper intuentur. Noli, noli, te quæso per mansuetudinem Christi, esse eorum in numero hypo-
Lucæ xi. critarum, qui cum ipsi regnum coelorum ingredi nequeant, etiam alijs coelum occludere non uerentur.

Aqua probaticæ piscinæ uera aqua fuit. Quod deinde dicis aquam accipi pro uerbo, aut spiritus sancti gratia, cum multa alia commemorasti, tum de aqua in Bethsaida mentionem fecisti, quam naturalem fuisse in dubium uocari non puto, ubi destinatæ aris oues eluebantur, inde piscinæ probaticæ ab ouibus nomẽ inditum,
Ioan. 5. quinque autem porticus habebat, quas iuxta multi ægroti, claudi, cæci, alijsque malis afflicti accubuere, aquæ commotionem atque angeli aduentum expectantes, & tunc qui primus aquam ingressus erat, sanatus est. Propter hanc aquam naturalem homo quidam iacuit triginta octo annis, quem seruator noster Iesus integræ ualetudini restituit. Constat itaque eam aquam ueram ac naturalem fuisse, quemadmodum & illam, qua in
Ioan. 2. Cana Galilææ hydriæ sex repletæ fuerunt. Iam si ista Christi uerba, nisi
Ioan. 3. quis renatus fuerit ex aqua, ita intelligenda forent, ut ex aqua sit, id est, spiritus sancti gratia, nugatio fieret, Redundarent enim quæ sequuntur, cum dicit & spiritus sancti, coniunge ex gratia spiritus sancti, & ex spiritu sancto, quæ quam consentiãt, aptaque inter se sint, tu uideris, mihi quidem ab Euangelio abhorrere eiusmodi superflui loquendi modi uidentur. Quin etiam Euangelista ipse sui interpres est, Ioan. vij. cum ait: hęc locutus est de spiritu quem accepturi erant credẽtes in illum, nondū ẽm
Act. 8. 19. illis spiritus sanctus tributus erat. Et hoc est, quod quidam baptizati legun-
Matth. 3. Mar. 1. tur aqua, qui nec dum spiritum sanctum acceperant, qui & utrum esset
Luc. 3. spiritus sanctus non audierãt. Ad hunc sensum Ioannes quoque baptista
Ioan. 1. inquit: Ego baptizo uos aqua, ille uero spiritu sancto. Esset itaque penes
Act. 1. uos baptismus Ioannis idem qui Christi, quod a ueritate Euangelica est alienissimum, Nam certo certius est baptisma Christi, non Ioannis, abluisse originale peccatum.

Aquam allegorice grãm spiritus dici. Attamen non nego allegorice in nonnullis scripturis per aquam posse gratiam

se gratiam Christi intelligi, ut est uidere in propheta Esaia: Vos qui sitis tis uenite ad aquas, Item: haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Et Ioan. iiij. dixit dominus ad Samaritanam mulierem, circa fontem Iacob: qui bibet ex ea aqua quā ego daturus sum, non sitiet in æternum, sed aqua quam sum daturus, erit in eo fons aquæ salientis in uitam ęternam. Sed hoc loco qui de Nicodemo est, pro spiritu sancto aqua accipi non potest, quod alterum (ut supra est ostensum) redundans nugationem pareret, id quod nemo probe scripturam tractans negauerit. Esa. 55. Esa. 12. Ioan. 3.

D. BALTHASAR. Nō scio de alia generatione nisi ea, de qua est Ioannis i. de quibusdam qui ex deo nati sunt. D. FABRI.

Atqui hæc alia est generatio, ab ea qua matris ab utero nascimur, Ideoque Nicodemo iuxta prædicta uerba ostendit dominus, quod natum est e carne, caro est, quod e spiritu, spiritus est, Hunc igitur baptismum hanc regenerationem spirituale dico, non (ut Petrus ait) abluere aquam corporis sordes, sed signum esse ablutæ & ab omni labe purgatæ animæ, Et idcirco lauacrum dicitur regenerationis. D. BALTHASAR. Ioan. 3. 1. Pet. 3.

Constat nobis maioribus nostris placuisse triplicem baptismum esse, quorum ego etiam iudicio subscribo, spiritus, aquæ & sanguinis Iam si dictum de regeneratione intelligatur, semper ut per spiritū sanctum, & elementum aquæ fiat, duo baptismi genera uana erunt, Multi præterea sancti, quomodo legimus, absque baptismo aquæ mortui, in numerum beatorum sunt recepti. D. FABRI.

Maiores hic nostri, flaminis, fluminis & sanguinis baptisma profitentes, erroris non sunt damnandi, recte enim & scite dixerunt, modo certo ac ratione usi, Quando eñ ad aquæ baptismum, cum expeterent, uenire nequirēt, ut de sancta Emerentiana Agnetis collactanea, ac alijs pluribus cathecuminis sine aquæ tinctione mortuis legit, tū ipsis, ut in necessitate, illa quoq; & usui et satis fuisse statuimus: non tamen continuo D. Doctor quod necessitate in Euāgelio excusationē habet, pro regula quadam communi est habendum, Christo autore, qui Dauid excusat, quod panes propositionis, quoniam sancti, non prophani panes sub Achimelech sacerdotis custodia fuere, absumpserit, permittitq; ut sabbato iumentum e puteo extrahatur, ut interim taceam de eo, cui manus fuit arida, de cęco, hydropico, paralytico, discipulis per sata sabbato spicas uellentibus, cuiusmodi historijs refertum Euāgelium est. Neq; uero dubito Cornelium, si antequam a Petro est baptizatus, expetito baptismo de uita decessisset, in beatorū numerum adscitum, Cum uero dominus eius & orationes & eleemosinas accepisset, Petrum e Ioppe subornasset qui spiritum sanctum & aquę baptismum prædicaret, hic si baptismum Cornelius contempsisset, culpa sane nō uacasset. Sic statuo de omnibus cathecuminis qui fide suscepta nondum baptizati moriuntur, hinc illud Pauli i. Cor. xv. esse in Corinthijs quosdam qui pro mortuis baptizentur, ductum esse arbitror. D. BALTHASAR.

Triplex baptismus Fluminis flaminis et sanguinis.

Necessitas nō est pro regula tenenda. 1. Reg. 21 Matth. 12. Mar. 2. Luc. 6. Mar. 3. Luc. 13. Ioan. 7. Luc. 14. Act. 10.

Hunc Pauli textum non intelligo, aliquos esse pro mortuis sed super

mortuis

1.Cor.15. mortuis baptizatos, in græco enim est ὑπὲρ, id est latine super. Hunc denique fuisse morem existimo, ut qui baptizaretur, super mortuo constitueretur, eicꝫ diceretur: Ecce tibi hoc baptismo in mortē domini nostri Iesu Christi baptizabere, ut Christi nomine mortem non declines, sed ad mortem usqꝫ perseueres, ut hic super quo es constitutus mortuus.

D. FABRI. Quod locum diui Pauli ita & intelligis & interpretaris, Lutherismum redolet, ac plane somni simile est, nihil enim de hac re scriptum usquam reperitur, Accedit, quod hæc interpretatio e græco, ut uelle uideris, subsidij nihil habet, nam usu linguę trita etiam hæc particula ὑπὲρ est, ut pro significet, quod quanq̃ late e græcis monumētis probari possit, tamen Euangelio contentus ero. Dubium autem mihi non est, quin teneas illa Lucæ, hoc est corpus meum quod pro uobis datur, et hic est calix noui testamenti, in meo sanguine qui pro uobis fundetur. Et Paulus ad Corinth. hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur, trinocꝫ in loco græcis ὑπὲρ est, quod plane, pro, significare, nemo inficias ierit, quemadmodum in Matth. & Marco eadem de re. Ideocꝫ ut non recte potes, ita non debes affirmare, ὑπὲρ nunquam non super, significare. Cum in prædictis locis non super sed pro significet. Adde ꝙ in Petro ac Paulo plerunqꝫ, cum de Christi passione sermo fit, ὑπὲρ non nisi pro significat. Sic i. Petri ij. Christus passus est pro nobis, ubi Græce ὑπὲρ ἡμῶν, ij. Corinth. v. Si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui uiuūt iam non sibi uiuāt sed ei qui ꝓ ipsis mortuus est, et resurrexit. Ecce ter, pro, latine, toties uero ὑπὲρ græce positum est. Ad Roman. v. Christus pro impijs mortuus est, uix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? Ecce iterum ter ὑπὲρ idē est q̃d pro. Et sequit: Christus pro nobis mortuus est i. Corinth. xv. Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas i. Petri iij. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis. Hæc & sexcenta præterea testantur ὑπὲρ gręce pro latine facere, Error est igitur in ea, quam mente extruxisti notione.

Hyper græce latine plerunque significat, pro.

Lu.22.
1.Cor.11.
Matth.26.
Mar.14.

D. BALTHASAR.

Assentior uero, atqꝫ his tuis argumentis acquiesco, ac muto sententiam, Sed iam ad pueros redeo, quos adductos ad dominū Iesum ratione iam præditos fuisse puto, & habet textus non ipsorum, sed talium, id est horum similium, quę duo quam differentiam accipiant uides. Voluit autem plane dominus humilium regnum cœlorum esse, ostendere.

Luc. 18.

D. FABRI. Cautissime mihi, ut uideo, tenendus es, ne in anguillæ morem e manibus elabaris, At si te ęquum auditorem mihi docenti prębueris, sane te Lucæ authoritas ab errore eximet, qui græce βρέφη, id est, infantes habet, qui scilicet fari per ætatem nequeant, sic exultauit infans in utero Elizabeth, Lucæ i. sic inuenere pastores Mariam & infantem Lucæ ij. sic ad uerbum Petri conuenit, esse nos ut modo genitos infantes, ubi semper βρέφος gręce legimus. Est præterea apud Marcum, quod dominus eos complexus sit & benedixerit, quod si filij iræ non dei forent, qui

Mar.10.

rent, qui eos benediceret, qui tandem diceret: Regnum cœlorum qui Luc. 18.
non acceperit, ut puer iste, non ingredietur in illud? Sed quod dicis ha-
beri talium, non ipsorum, sophisticæ artis pręstigium est, ut dem ego ti-
bi, hic comparationem esse, ea tamē ad id, unde comparatio fit perpetuo
reflectitur, alioqui neq; ulla similitudo accedet, neq; comparationis no-
men habere merebitur, & sic corruet totum ædificium opinionis tuę.

D. BALTHASAR. Sæpenumero meminit scriptura puerorum, &
quales nos esse oporteat, partim quod uere pueri sumus in sensibus no-
stris, atq; hinc inde quouis doctrinæ sensu iactamur, partim ut apud Pe- 1. Pet. 2.
trum, quod omnem astum, malitiam, odium, obtrectationem, ut iam re-
cens nati pueri, ponere debemus.

D. FABRI. Consentiunt hæc omnia ecclesiæ catholicæ, Et tuam in Scripturæ
primis opinionem damnāt, meam uero assertionem confirmant. Nam in paruu-
quod dominus puerorum exemplo monet, eorum ut similes simus, ar- lorū defen
gumento est, pueros regno cœlorum destinatos esse in Christianorū ba sionem.
ptismo ablutos, neq; uoluisse dominum nos incerta opinatione duci, ut
de eorum salute hæsitaremus etiam baptizatorum. Petrus eos βρέφη id 1. Pet. 2.
est infantes, uti & Lucas pueros oblatos adpellat, quomodo idē Euan- Luc. 18. 2.
gelista Lucas puerum in Bethleem a pastoribus repertum infantem ut
audisti, uocat, qui plane innocēs fuit, agni instar, in q; eius ore non inuen
tus est dolus, et ex ore νηπίων id est infantum & lactentium, uoluit domi-
nus percipere laudem, quemadmodum ipse Iudęis respondit Matt. xxi. Esa. 53.
Inde non mediocris amor Christi erga pueros, tanquam sibi per omnia Psalm. 8.
placentes elicitur. Ideoq; toties in scriptura sancta ad puerorum inno-
centiam remittimur, unde i. Corinth. xiiij. malitia paruuli estote i. Pet. ij.
deponentes omnem malitiam, omnem dolum, & simulationes, & inui-
dias, & omnes detractiones, sicuti modo geniti infantes, rationabiles, si-
ne dolo, lac concupiscite. Ecce ut pueri non ut uasa ignominię sed hono
ris aptantur. Quare dubio procul pueri atq; infantes, pro quibus tam
sanguinem suum, quam pro adultis fudit Christus, non inuisi sunt sum
mo deo, atque adeo probabile est, eos multis adultis plus diligi, quippe
qui non proprio, ut adulti plerūq;, sed alieno duntaxat morbo laborēt.

D. SALTZER. Quum dominus in ueteri instrumento sub Mose Gen. 17.
infantibus circumcisionē cōsuluerit, qua nullo aut ætatis, aut rationis re-
spectu, concepta ab Adam labe sunt mundati, qui fit ut eos ab Euange-
lio excludas, ac si eorum deus oblitus sit?

D. BALTHASAR. Eos neq; excludere neq; admittere animus est,
quando non uideo scripturam admittere. Sed quid de fœmellis ueteris
instrumenti, quæ circuncidi non potuere?

D. FABRI. Nos uero horum fundamenta iaciemus, a diui Pauli Argumen
authoritate auspicati, ad Colossen. ij. unde liquet, in circumcisionis lo- tū sumptū
cum Euangelij tempore baptisma Christianorum esse suffectum. Iam per locū a
uero si, quomodo Saltzerus induxit, in lege irę, et furoris domini, quan maiore.
do pręcepta lapideis inscripta tabulis, per tonitrua, aliaque horrenda si- Exod. 20.
gna tra-

Gen.17. gna tradita populo Israelito, signum fuit circumcisio, qua ipsi a con-
2.Cor.1 tracta labe originalis peccati ab Adam liberi, octauo die deo uniti sunt.
Ioan.4. Quomodo uos tandem temporibus gratiç et Euangelij, quando pater
Ad Gal.4
Ad Phil.2 omnis misericordię et Deus consolationis, suum unicum filium hunc in mundum legauit, qui hunc in mundum uenit, nos omnes saluos ut faceret, ac sacrosancto suo sanguine ut ablueret, qui mundi abstulit peccata, humani generis redemptorem, benignum seruatorem, ita crudelem, ita durum putare potestis, quin signum salutis reliquerit suis paruis uel infantibus uel pueris nullo scripturæ loco exclusis, non suo sed protoplastarum parentum alieno errore ac peccato perstructis infectisque? Res (ita me deus amet) in te dolenda plurimum, qui puerum sub Mose, intra dies octo a diabolicis uinculis circumcisione libere soluis, puerum uero dulcissimi, benignissimi, optimique Iesu, satanę potestati usque in

Obtestatio. annum uigesimum, tricesimumue adductum tenes. Te itaque per uiscera
Ad Col.4 misericordiæ dei nostri rogo, oro, obsecro, reuertere reuertere Sunami
Canti.6. tis, reuertere, neque sedeas diutius, cogitato propitius ut deus nondum
Apoc.22
Hiere.1. natum, materno in utero quiescentem Hieremiam sit complexus, ut de uulua antequam exiret, eum sanctificarit.

D. BALTHASAR. Atqui Hieremias execratus est diē natiuitatis suę.

D. FABRI. Damnauit ille diem natiuitatis suæ, atqui sanctificatio-
Hiere.20 nis, & per gratiam oblatæ salutis non damnauit, habetque hæc execratio iam alium intellectum, ut in Iob. Atque in mentē tibi ueniat eorū, quæ in
Origenes Euangelio Elizabet Mariæ loquitur, & quo spectent attente consyde-
Adaman. rato, ubi uox salutationis tuę, inquit illa, audita est in auribus meis, exul
Grego.magnus. tauit prę gaudio infans in utero meo, quæ duo exempla Ioannis et Hie-
Luc.1. remiæ diuinæ & clementiæ & gratię abundāt argumentis. Et hic in precursore domini diligenter attēde, ut etiam antequam nasceretur in mundum, spiritu sancto repletus fuerit. Inde manifestum fit, infantibus gratiam dei non negandam esse. Verū quoniam post Pelagium primus pueris baptismum inuides, e tota scriptura literam unam, qua uetuerit Christus infantes baptizari, ostende, et uicisti.

D. BALTHASAR. Faciam equidem, ad inductam de circumcisione
Matt.ult. rationem deinceps, sigillatim responsurus. Dixit dominus: Ite & docete
Marc.16. omnes gentes eos baptizantes in nomine patris & filij & spiritus sancti, Et alibi: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur. Iam uero, quoniam parui pueri siue infantes, doctrinæ accipiendę non sunt per ætatem idonei, ne ad baptismum quidem habiles erunt, et quoniā quid credant nesciūt, salui fieri nō possunt.

Marc.. D. FABRI. Tu uero pueris non modo salutem cum baptismo inuidere, sed damnationi eos adscribere uideris, Ita enim argutaris: Quisquis credit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur: Infans trium dierum quisquis fuerit, non credit, condemnabitur igitur. Damnabis sane uero infantes si omnia ipsis fidei præsidia adimis, ex Euangelio enim fere liquet eos qui non crediderint damnari: Non credunt au-

dunt autē, ut uelle uideris, infantes, damnari igitur eos erit necesse. Nam omnino hoc textus Euangelij non tam meo quam omnium iudicio referre uidetur.

D. BALTHASAR. Tu uero fidem illis tribues?

D. FABRI. Maxime, idq; ita esse accipies.

D. BALTHASAR. Audiam sane lubens. Sed ad circūcisionem ut redeam, quid factum est cum pueris, qui in lege intra octauum diem sunt mortui? quid cum foemellis?

D. FABRI. Quaeris hic, quod ut inuenias faxit deus, qui tibi, ut Hieremiae, manu sua os tangat, apprehendat te Iesus, expuens tangat linguam tuam, soluatur uinculum illius. De pueris, super quorum salute recte es solicitus, affirmo & dico, eos in parentum suorum fide saluatos esse. Si itaq; ueteri in instrumento, clausis adhuc coeli portis, summi dei ea misericordia fuit, ut aut maiorum aut parentum fide liberos seruarit, uetusq; instrumentum umbra fuit & uelamē futuri gratiae regni, omnia porro tum in figuris cōtingebant, nunc uero uelum templi scissum est a summo usq; deorsum, consummata sunt omnia, Euangelij tuba in totum terrarum orbem personuit, Quanto itaq; maiori stabilioreq; fide esse debemus, speq; ueriore erga seruatorem Iesum Christum, qui toties alienae fidei caussa tam benigniter, tamq; affatim suā gratiā est largitus?

Hiere.1. Mar.7. Paruuli in parentū fide indubitanter saluantur. 2.Cor.3. Heb.10. 1.Cor.10 Matth.17. Luc.23.

D. BALTHASAR. Istud uero me ut doceas uellem.

D. FABRI. Si quemadmodum seruatori Iesu, tibi adducta fuisset in adulterio deprehensa muliercula, sane lapidibus ad obruendam iudicasses, nedum intactam saluamq; dimisisses, Iam uero alienę fidei uim, factaque cognosce. Cum uidisset Iesus fidem illorum, qui paralyticum per tectum demiserant, ait Paralytico: Cōfide fili remittuntur tibi peccata tua. Similiq; Centurionis fide perspecta, puerum illius ualetudine bona donauit, Neq; te clam est, ad Marthae preces quatriduanum iam Lasarum ac foetidum a domino excitatū reuixisse. Huc accedit uiduae filius a morte receptus, & Petri socrus ex febri recreata. Sed mirandam audi alienae fidei uirtutem, uir quidam de turba filium habebat spiritum mutum habentem, iam inde ab infantia, qui in ignem & aquam eum saepe praecipitarat, pro cuius salute sic ad dominum intercedit: Si quid potes, adiuua nos, miserere nostri. Cui Iesus: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti, Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam &c. Mar. ix. Ecce tibi patris fides obsesso filio opitulatur, Sic Marc. vij. adducūt surdum & mutum, eum ut tāgeret, & Syrophęnissa rogabat, ut dęmonium eijceret a filia, Mar. viij. Cęcus illitis sputo oculis uisum recepit ad Iesum adductus, Et Mar. v. quidam de archisynagogis Iairus sua fide filię morbum leuat. Quibus exemplis quis, nisi caeco orbus magis, non uidet, quātum ualuerit apud Christum fides aliena maiorum? Et si dicerem gratiam dei optimi maximi ita uberem, ita magnam, ita benignam esse, ut ipsis etiam pueris fidem largiatur, infantes item si fidem habere affirmarem, & quod dor-

Ioan. 8. Quomodo fides aliena prosit commodetq;. Matth. 9. Mar.2. Luc.5. Matt.8. Ioan.11. Luc.7. Luc.4. Matth.17. Luc.1.

miens fidem non amittit, qua me scriptura refelleres? dic obsecro. Habes Ioannem exultantem in utero ac spiritu sancto repletum, habes mille quadringentis annis Christianos infantili aetate tinctos, uti in praesentiarum omnes, puerilibus annis non grandaeui baptizati sumus, qua temeritate ergo audebis, hoc totius Christianitatis baptisma damnare?

D. BALTHASAR. Vt haec omnia uera esse constet, nōdum tamen

Matth.28. est de textu Matthęi satis explicatum, cum dominus pręcepit apostolis, ut irent, docerent omnes gentes & baptizarent &c.

Sana synceraque Euangelij expositio. Mar.ult.

D. FABRI. Si ita textum Euangelij anxie curioseque, ut facis, interpretari pergas, ex hoc errorum scrupulorumque pelago haud facile, imo nunquam emerges. Quid si pari acumine fraetus argutarer, quod dominus predicandum Euangelium dixerit uniuersae creaturae, ad bruta, ad rationis expertia animalia, anseres, ciconias, oues, boues & pecora campi referendum? Ego autem Euangelium non ita tracto, dictum uero illud, quod toto pede pro uestra opinione tuenda propugnandaque ut fundamentum urges, ita accipio, ut Ecclesiae consuetudo & communis Christifidelium consensus tenet, ut a testibus quos compatres appellāt Euangelium discamus, et ad fidem pie a teneris annis erudiamur excitemurque, unde etiam, adhibita solennitate quadam, de infantis fidę testantur ac promittunt. Quae sane omnia non modo non sunt contra sacrarum literarum decreta, Sed etiam multis Euangelij locis sanctissime comprobantur. Quod si mi Doctor primum docentes ita intelligi uis, eadem ratione alterum quod sequitur docentes ad adultos & intelligentes referas oportet, ita nemo unquam uel poterit uel debebit recte baptizari, nisi prius omnia praecepta, quae Christus in Euangelio praescripsit, ordine ac sigillatim edidicerit. Ita enim habet textus:

Matt.ult. docentes eos seruare omnia quaecunque mandaui uobis, Quod credo omnes anabaptistas tuos, quamuis multa milia baptizauerint, nūquam seruasse aut seruare potuisse, non enim nisi breuissimo tempore tuorum circulatorum scholas rebaptizati uisitarunt. Hac itaque ratione neque pueri neque adulti plurimis annis essent baptizati, & ad ęternam salutem destinati, Atqui non sic impij non sic, quin resipiscentes confitemini domi

Psalm.1. Psalm.117. no quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.

At quo tuis uotis obtemperem, & tu e praecipitio errorum tuorum

Ritus baptisandi catholicus. leueris, en dum iuxta ritum catholicum pueros tingimus, utimur uerbis et doctrina Christi, publice Euangelium profitemur, lectum astantibus interpretamur, precationē dominicam pio corde facimus, Symbolum apostolorum enarramus, catechismos & exorcismos ad manus habemus, abrenunciationem quam a Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, atque alijs uetustiss. autoribus, ut Ignatio, Dionysio &c. cōmemoratam accepimus, non negligimus, compatres duos, tres, atque aliquādo plures tam de propria, quā futura fide testantes adhibemus. Secus ne igitur facere tibi uidemur in corde tuo, quam Euangelium annunciare, ac domini praecepto docere? ecquis dubitaret tot ac tantorum hominum pre

ces ab

ces ab eo non exaudiri, qui petere præcepit, ſpopondítq; petita acceptum iri, & palam nos in parabola docuit, quæcunq; orãtes petetis credentes accipietis, & alibi: Vbi duo aut tres in nomine meo congregati fuerint, in medio illorum ego ſum, Et nos fere mille quingẽtis annis ad baptiſmi fontem orauimus, & tu pro Christo Belial nobis in medium ſiſtas? Lucæ. 11. Ioan. 16. Matth. 18.

D. BALTHASAR. Non ego ſolus, et primus auctor ſum huius opinionis. Nam & Hieronymus ſuper Matthęum viij. cap. & Origenes ante me ſic intellexerunt.

D. FABRI. Aſſentior te primum huius opinionis authorem non eſſe, Pelagius enim hæreticus te fuit prior, ut ante dixi plus mille annis eundem in errorem implicitus, orbis terræ conſenſu damnatus, proque hæretico ipſis etiam hæreticis habitus. Quod autem Hieronymum teſtem producis, aio Hieronymum in hoc loco infantium ne meminiſſe quidem, ueſtræ aũt modeſtiæ erat, ut ſcripturam ſcriptura, ſic Hieronymum ex Hieronymo interpretari, ita plane cognoſceretis, barbatum Hieronymum ad Lætam & aduerſus Pelagianos, duobus iuſtæ magnitudinis uoluminib. apertiſſimis ſacrarũ literarum teſtimonijs, & totius eccleſiæ catholicæ conſenſu infantes baptizari oportere confirmare. Et qua animi dexteritate Hierony. Pelagium damnaſſet hæreticum, q̃ baptiſmum paruulis negarit, cum ipſe in eadem ſententia eſſet? Supereſt igitur, ut uerba Hieronymi ad alium ſenſum trahas. Pelagius hæreticus. Hieronymi ſententia.

Et quoniam Origenis Adamantij, de cuius ſalute non pauci dubitant, mentionem feciſti, optarim ut excuſſis a uiſu ſquãmis hũc penitius intuearis, & in epiſtolã ad Romanos inuenies, q̃ baptiſma paruulorũ ab apoſtolorũ temporib. ad illius ætatẽ dimanarit. Cęterũ ſatis demirari nõ poſſum, q̃ fiat, ut integerrimi, ſanctiſſimi, ac lactei ſtyli Epiſcopũ Carthaginenſem ac martyrem Cecíliũ Cyprianum teſtem contẽnas, qui in eleganti ad Fidum epiſtola, ſcripturæ teſtimonijs uſus, infantium baptiſmũ comprobauit, unde liquet annos ante mille trecẽtos in Affrica infantes baptizari ſolitos, Cyprianus enim ſub Valeriano e uita deceſſit, uti poſthac audies. At interim quæ diuus ille Cecilius Cyprianus ad Fidum epiſcopum ſcribat, audire non graueris. Sic autem de uerbo ad uerbum reſpondit: Quantum ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecũdum uel tertium diem quo nati ſunt conſtitutos baptizari non oportere, & conſyderandam legem circumciſionis antiquæ, ut intra octauũ diem eum, qui natus eſt, baptizandum et ſanctificandum nõ putares, Longe aliud in concilio noſtro uiſum eſt. In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed uniuerſi potius iudicauimus, nulli hominum nato miſericordiam dei & gratiam denegandam. Nam cum dominus in Euangelio ſuo dicat, Filius hominus non uenit animas hominum perdere, ſed ſaluare. Quãtum in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Quid enim ei deeſt, qui ſemel in utero manibus dei formatus eſt? Nobis enim atq; oculis noſtris ſecũdum dierum ſecularium curſum Cyprian. Luc. 9. Paruulos mox baptiſare oportet.

accipere, qui nati sunt, incrementum uidentur. Cęterum quęcunque a deo fiunt, dei factoris maiestate & opere perfecta sunt. Esse denique apud oẽs siue infantes siue maiores natu unam diuini numinis ęqualitatẽ, declarat
4.Reg.4 nobis scripturæ diuinæ fides, cum Helisęus super infantẽ uiduæ filium, qui mortuus iacebat, ita se, Deũ deprecans, superstrauit, ut capiti caput, faciei facies applicaretur, & superfusi Helisęi mẽbra singulis paruuli mẽbris & pedes pedibus iungerẽtur. Quę res si secundũ natiuitatẽ nostrã et corporis quantitatẽ cogitet, adulto et perfecto infans nõ posset ęquari, nec cohærere & sufficere possent parua mẽbra maioribus. Sed illic ęqualitas diuina & spiritualis exprimitur, quod pares atque ęquales sint oẽs homines, quando a deo semel facti sunt, & possit ętatis nostrę & incremẽtis corporum secundum sæculum, non secundum deum, haberi discrimen, nisi & gratia ipsa, quæ & baptizatis datur, pro ætate accipientium uel minor, uel maior tribuitur: cum spiritus sanctus non de mensura sed de pietate, atque indulgentia paterna æquali omnibus præbeatur. Nam deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratię consecutionem æqualitate librata præbeat patrem. Nam & quod uestigiũ infantis, in primis partus sui diebus cõstituti, mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cœlestem gloriam dandam impedimento esse oportere. Scriptum est
Tit.1 enim: omnia sunt munda mũdis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod deus dignatus est facere, Nam etsi infans a partu nouus est, nõ ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato & recens nato quodammodo exosculamur, quando id quod deus fecit amplectimur.

Mysteriũ octauę diei in circũcisione. Nam quod in Iudæa circumcisione carnali octauus dies obseruabatur, Sacramentum est in umbra atque imagine ante præmissum, sed ueniente Christo in ueritate completum, Nam quia octauus dies idem post Sabbatũ primus dies futurus erat, quo dominus resurgeret & nos uiuificaret, & circũcisionem spiritualem nobis daret, hic dies octauus, id est post Sabbatum primus & dominicus præcessit in imagine, Quę imago cessauit postmodũ superueniente ueritate, & data nobis spiritali circumcisione. Propter quod neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse, ea lege, quæ iam statuta est, nec spiritalem circumcisionẽ impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam Christi, quando & Petrus in actibus apostolorum loquatur & dicat: Dominus mihi dixit, neminem hominem communem dicendum & immundum. Cæterum si homines impedire aliud ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos, & prouectos, & maiores natu impedire possent peccata grauiora. Porro autem si etiam grauissimis delictoribus & in deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo atque gratia nemo prohibetur

Actuũ 10

hibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nil peccauit, nisi quod secũdum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipse facilius accedit, quod illi remittuntur nõ propria sed aliena peccata? Et idcirco frater charissime hæc fuit in concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia dei (qui omnibus misericors & benignus & pius est) neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa uniuersos obseruandum sit atque retinẽdum, tum magis circa infantes ipsos & recẽs natos obseruandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de diuina misericordia plus merentur, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes nil aliud faciunt quam deprecantur.

D. BALTHASAR. Cyprianum quanti faciant uulgo, non ignoras, quippe qui uniuerso in concilio errans pro hæretico habitus sit.

D. FABER. O quantis errorib. transuersus, a ueri sensu abstraheris, quam densæ squamæ tuos oculos obscurant, qui Cyprianum sanctum iuxta ac pium Christi martyrem hæreticum appellare audeas. Forte Tertullianum putas, quem Hieronymus nõ esse ecclesiæ hominem dicebat. Augustinum lectum oportuit contra Donatistas de baptismo, inuenisses profecto, qua ratiõe Affricanus Affricanum excuset. Et quanquam Cyprianus atque una cum eo septuaginta uiri, hæreticum rebaptizandum putauere antequam in cõmunitatem ecclesiæ reciperetur, attamen sententiæ huius comprobatiõem ad Cornelium Papam, & Romanam ecclesiam, quam matrem et omnium ecclesiarum excellentissimam appellat, referre uoluit, neque temere ac pertinaciter sua in opinione hærere. Idcirco cum Romanæ ecclesiæ uisum esset, non baptizari denuo hæreticos ad ecclesiã redeuntes oportere, Cypriani sententia mutata est, omnesque iudicio Romanę ecclesię acquieuerũt. Quod si hæretici rebaptizandi nõ sunt, q proprio peccato forte ab ecclesia desciuerãt, qd est quamobrẽ eos, qui iam olim accepto baptismate, originalis peccati macula culpaque uacabant, iterum baptizandos statueritis? Sanctum itaque martyrẽ Christi Cyprianum inter hæreticos ego non numero, sed cathalogo sanctorum & illustrium primitiuæ ecclesiæ uirorũ libenter inscribo. Origenem autem uelim caueas, sanctus enim Hieronymus eum per multa uarijs in libris, præcipue uero in eo libro, qui Periarchon inscribitur, caute legenda cauendaque tradidisse annotauit. Proinde absit perpetuo, ut Cypriano Origenem hac in re præferre audeamus, uade, uade itaque retro satana, non sapis ea quæ Dei sunt.

Cyprian. parum probe hæreticus dicitur

Origenes caute legẽdus.

Matth. 16

Ab Aurelio Augustino multis in locis discere licet, puerorum baptisma amplius mille annis predicatũ, obseruatũ, usurpatumque esse. Ad hæc memoriæ prodit idem Aurelius, quod & tuus amicus, si dijs placet, Zuinglius aduersus te, asseclas, sectatoresque tuos, non leue argumẽtum obiecit, puerorum baptismum a tempore apostolorum, ac Christi discipulorũ, ad suam usque memoriã permanasse, perque totam fidelium ecclesiam, omnium in usu extitisse, quod apud me magnũ pondus habere scito, multa

Baptismus paruulorũ res antiqua est.

Augusti. ad inquisitiones Ianuarij lib.

to, multa siquidem sunt ex apostolorũ institutis ab ecclesia recepta, inolitaq;, ea nos non modo non reijcienda & abroganda, uerum etiam sanctissime, non secus ac scripta seruanda, tuendaq; arbitramur, quale est illud de quadragesimali ieiunio, ac rebus alijs sane permultis. Tu uero de die dominico quid tenendum asseris?

De non scriptis Ecclesiæ traditionibus, CAP. III.

D. BALTHASAR.

DIEM DOMINICAM semper teneri debere docui, at nihil me mouent, quę ab apostolorum tempore usurpata feruntur, sed ea est mea sententia, eaq; fide sum, ut nisi quæ sacris literis scripta sunt, seruanda non existimem. Sed ita uelim statuas, me idcirco pugnacem non esse, aduersariq; tibi, ut in mea hæresi opinioneq; pertinaciter inhęrescam, uerum meam conscientiam ut exonerem, dumq; tuo sermoni acquiesco, tentationes declinem.

D. MARCVS QVAESTOR. Pollicitus es mihi, te durum ac pertinacem non futurum, sed sanæ doctrinę & amicę informationi uelle concedere, Quid uero est necesse, cum e sacris literis saluos fieri infantes constet, cumq; scripturæ sensum tibi uniuersa cum ecclesia tueri licet quod saluētur, eos ut damnes, aut certe in dubium discrimenq; salutis uoces? Te ob Christi exemplum resipiscere decebat, qui infantũ ac puerorum caussa, homo natus, acerbiss. mortem, qua omnes nos saluos faceret, sustinuit oblatusq; est quoniam uoluit.

Esa. 53.

De duab. rebus sermonē hic habet.

D. FABRI. Cordi est, tuæ saluti tuæq; non sanæ ac cauteriatæ conscientiæ ut consulam, pręter alia de duabus potissimum rebus sic tecum sermonem habere: Primum utrum in Ecclesia ea tantum rata esse oporteat, quæ sunt apertissimis scripturæ testimonijs comprobata, Secundo an iuxta Euāgelij authoritates, seu potius citra Christi iniuriam fieri potuerit, ut in puerorum baptismo, Sacramento deniq; & oblatione altaris ac huiusmodi institutis & ritibus religionis, sacra œcumenica ecclesia amplius mille annis, ad Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, tua aliorumque factiosorum ac pertinatium Euangelistarum usq; tempora, in errore perstiterit, ac ueluti oues absq; pastore errantes in solitudine maiores nostri dimissi ac derelicti fuerint. De posteriore nobis sermo erit in fine nostræ prę sentis collationis, nunc de priore summi dei gratia expediemus.

D. BALTHASAR.

Placet mihi propositum. & in ea adhuc sum sententia, nihil in ecclesia ratum habendum fuisse, neq; hodie haberi debere, nisi sacris literis apertissime expressum.

D. FABRI.

Lex dei cordib. inscripta. Hebræ. 8. Hiere. 31.

Ego uero contra credo, aioq; (quod ne uos quidē negare potestis) seruatorem nostrum, Euangelium scriptum aliud non reliquisse, nisi, ut Paulus docet, in apostolorum & nostris cordibus inscriptum, Nempe Apostoli ad Hebrę os viij. uerba sunt hæc: Hoc est testimonium quod disponam domui Israël, post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas. Hac lege charitas diffu

tas diffusa est in cordibus nostris, ad Rom. v. Et hęc est illa epistola scripta in cordibus, de qua iterum pręco ueritatis Paulus ij. Corin. iij. scripta non atramento sed spiritu dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Recepimus itaq; Euangelij nouiq; testamenti fidem per spiritum sanctum, qui datus est nobis, non autem ut legem Mosi lapideis incisam tabulis.

Sed neq; omnes apostoli suarum predicationum scripta reliquere, Quippe cum approbatorum quatuor tantum Euangelium scribendum susceperint, duo ex ijs domini discipuli fuere, Matthaeus & Ioannes, id est primus in ordine, & ultimus: reliqui duo discipulorum discipuli, Marcus Petri, Lucas Pauli, qui Euangelium non primo scriptum, deinde autem predicatum, sed multo ante tempore & predicatū & seruatum, literarum monumentis commisere. Posteaq̃ Matthaeus in Iudaea, Marcus in Alexandria, Lucas in Bithynia, Ioannes in Asia, diuini pręcones, Christi uerbum seminarunt, et longo post tempore Ioannes, ubi Asiae Christum inseuit, acerbissimis mirifici uerbi, quod a sęculo fuit & antequam mundus conderetur, hostibus, Hebione & Cherinto inualescentibus, iam natu grandior, sub Traiano ad scribendum est excitatus. Firmantur ea quae dico ex Lucę prooemio ad Theophylum. Insuper palam est ecclesiam Christi Hierosolymis principio centum & uiginti hominum, deinde trium, & quinq; millium, tum plurium etiam (quorum mentio saepe fit in libro actorum atq; alijs scripturae uoluminibus) Euangelio a spiritu sancto praescripto, unanimi concordiq; uoluntate omnium fideliū, fideiq; consensu recepto gubernatam esse, cum multitudinis credentium, ut ait scriptura, tanquam unum cor, unaq; anima esset.

Euangelium longe prius predicatū est quam conscriptum.

Act. 1.

Act. 4.

Illud autem uestrum furoris, dissentionum, contumeliarumq; confertum conciliabulum, non ex deo uenit, sed ex principe tenebrarum. Donabis enim mihi, seditionum autoribus et antesignanis oculum utrumque nequam esse ac sinistrum, qui nō quo spiritus ueritatis uocabat, sed quo cārnis illecebrae incitabant, aciem direxere, ut ex aliena iactura, contra ius praetorium locupletarētur, Vnde illa uox aduersus quosuis magistratus: Nolumus hunc regnare super nos. Ideoq; uobis, ut quondam Romanis, spiritum erroris immisit ultionum deus, datiq; estis in sensum reprobrum, ut cogitetis quae non conueniant, & quae non licet faciatis. O tempora, O mores, O spectaculum, solis uobis iucundum, pijs omnibus praeacerbum. Regnum tandem uestrum contemplare in inauditas omnib. saeculis factiones dissipatū, eoq;, proh dolor, rē amentiae dicam an impietatis? deductam, ut non modo singulae regiones, singula oppida, singuli pagi, sed etiam domus singulae, ac pene anguli, inq; his, quo quenq; suus furor libidoq; rapit, singuli homines, uaria in studia distracti, propriam conflauerint fidem, contemptaq; communi fidelium societate, propriam sibi uiā munierint, falsa libertate, inaniq; persuasione decepti.

Lutheranorū euangeliū prorsus falsum ac seditiosum est.

Luc. 19.

Rom. 1.

Germaniæ ineluibilis labes.

Pone ante oculos magnas celebresq; Germaniæ urbes, quam fatali ue stro ueneno obsopitæ, ineluibilem multis sæculis labem perniciemq; al tius insidere ac serpere passæ, uanam, discordem, ab omni ueri pietatisq; sensu abhorrentem de fide persuasionem induerint, aluerint, fouerint imprudentes, Et audes ore tam improbo esse, ut hanc uestram nouam fidem (si hæc fides, ac nō potius summa factiosorum hominū, pertinaci gloriolæ studio tumidorum, perfidia est dicenda) ab extremis tenebris inferorum depromptam esse negare pergas.

Persequutio Anabaptistarū a suis.

Huttus Augustæ exustus.

Euentum postremo uide, ac dogmatis uestri constantiam. Quæ ante ciuitates illita uestra dulci ueneno decreta primum æquo animo per uulgus effundi indomitum passę, deinde summo ardore complexę, mordicus tenuere, eæ nunc non minori uehementia commotæ, uestram Anabaptistarum hæresim agitant, eludunt, persequuntur, nunc hunc, nunc illum arripiunt, carcere, crucibus, supplicijs omnibus dignos habent, ut Huttus uester, per Silesiam, Morauiam, Austriā cæterasq; prouintias pseudapostolus, In Augusta Vindelica cum ex impatientia mortem sibi consciscere parasset, iuste uulcano uindice, in cinerē redactus, conceptæ impietatis fraudem luit: qui Nicolspurgij, uestro in grege consce leratissimas aduersus Christum unicum summi dei filium quæstiones agitauit, plurimorumq; simplicium mentes uersutijs hypocriticis callidissime circumuentos seduxit.

Hęc eo pluribus narrare uolui, ut summatim edisceres, e primo Christi instituto manifestum Euangelium esse, eiusq; uim & interpretationem, non in litera occidente, sed in unitate spiritus ac spirituali unanimi
2.Cor.3. fidelium animarum consensu consistere, quod nisi fuerit, nullum malorum finem expectemus, tot hæreseon portenta, quot bibliorum noui authores, prophetæ, interpretes emergent, & omnino tot, quot capita sententiæ erunt.

D. BALTHASAR. Admitto omnia ista, uerum inuenti sunt semper aliqui falsi prophetæ, qui uerbū peruerterēt. Sed audirē libēter, quo scripturę testimonio docere posses, Christianum astrictum esse ad tenendū aliq͂d, q͂d nominatim in scriptura sacra expressum nō sit inuenire, Quod si erit, cui libuerit, mihi quod uolet imponat aut credendum aut faciendum, legumq;, Christianarum non erit finis aliquis.

D. FABRI. Aures tuæ, ut uideris, mirifice tibi pruriunt, ambiuntq; ueri prophetæ nomē, quasi uero nos prꝫterea omnes, & quod equidem demiror, uestri etiam consodales, Zuinglij, Oecolampadij &c. pro hæreticis damnandi, in errore uersemur, tu unus sapias scilicet, & ueram teneas uiam.

Antiquę traditiōes ecclesiæ.

Equidem, ut scias, non sum in ea sentētia, ut dicam, quod quisq; pro libidine citra scripturam docuerit, id sequendum esse, sed quæ reperio a tempore apostolorū plus mille annis ab Ecclesia recepta, obseruataq;, ut infantum baptisma, oblationem pro defunctis, benedictiones cruce
Tertullia. factas, unctionem & id genus alia etiam a Tertulliano uetustissimo au thore,

thore, de corona militis, & alijs patribus orthodoxis recensita, ea neq; abroganda temere censeo, neq; pro mea parte contemnere uolo.

Inficiari non potestis quotquot estis nouæ farinæ homines, multa es se a domino Iesu facta ac dicta, quæ particulatim literis non sunt commissa. Vnde Marcus scribit illum plurima seorsum docuisse & aliquot horis, & alibi eum multa docuisse in parabolis, docuisse e naui, docuisse in templo, quod plus semel eum facere solitum Ioan. sæpe meminit, Et Lucas scribit, quemadmodum sabbato in Capharnaum, per Galilæam, in synagogis docuerit, profectusq; sit per oppida et pagos, Similiter q; Ioannes in templo eum docuisse die festo. Quæ aũt docuerit, totidem uerbis, uerborũ quoq; & serie & copia perscripta non esse confitendum est, nisi quod pie credam, in genere pœnitentiam & id genus depredicata. Habet porro Euangelium, Iesum duodecim annum agentem scribas audijsse, & percontatum esse, Quæ aũt illa fuerit uel auditio uel percontatio, nos fugit, Item de Mose, & prophetis, quę duobus discipulis, cum iter haberent Emaus uersus, ex scriptura locutus sit, qualia fuerint, nõ liquet, ut neq; ea quæ digito in terram scripta scimus. Ideoq; Ioannes bis in fine Euangelij sui meminit, plurima Iesum signa in cõspectu discipulorum suorũ ædidisse, quæ scripta nõ sunt in libro illo. Et sequenti capite: Sunt alia multa quæ Iesus fecit, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum mundum arbitror capere posse eos qui scribẽdi forent libros.

Nõ omnia Christi dicta literis perscripta sunt. — Mar. 6.4 — Ioan. 7. 8. 10. 18. — Luc. 2. 24. — Ioan. 8. — Ibidẽ 20. & 21.

D. BALTHASAR.

Quod ad salutem necesse erit, scriptum existimo. Proinde Paulus: Ea quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. — Rom. 15.

D. FABRI. Quoniam Pauli authoritate tua opinio præcipue niti uidetur, agnosco uerum esse quod ex Paulo attulisti, Atqui contra me non facit: Ego uero contra sententiam tuam eundem Paulum adduco, & quidem duobus locis. Etenim ad Thess. ij. sic ait: Fratres state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram. Quo loco uides Paulum monere, aut imperare potius, nõ ea tantum quæ per Epistolam scriptam Thessaloniceñ. acceperant, sed ea quoq; quę uerbo edocti didicerant, tuenda ac tenenda esse. Porro cum scriberet (ut nosti) Corinthijs, quomodo se in cœna domini ad sumendum corpus & sanguinem eius compararent, concludit hisce uerbis: cætera cum uenero disponam uobis. Hic ex te scire uolo, uenerit ne ad Corinthios ex eo tempore Paulus, an non, & utrum circa hoc mysterium aliquid ordinarit.

Traditiones quantũuis non scriptæ tamen omni no ex Paulo sunt obseruandæ. — 1. Cor. 11.

D. BALTHASAR. Nescio.

D. FABRI. Atqui ego scio. Quando enim primo ad Corinthios uenerit, patet, Testatur enim ipse cum dicit: quando primum ad uos ueni, ueni & c̃. Verum ij. epistola ostẽdit quam propter fiduciam ante uoluerit ad eos proficisci, ut alteram gratiam reciperent, proposuisse sibi, ne ad eos redeat cum mœrore. Item alio loco, ij. ad Corinth. i. Ecce ego iam tertio paratus sum ad uos redire, neq; uobis molestus ero. Et iterũ — 1. Cor. 2.

ultimo

ultimo cap. Ecce ego uenio ad uos tertio, quibus uerbis manifestum fit, promissioni factæ prima epistola Paulum non defuisse.

2. Cor. 13 Ordinatio Pauli non scripta.

Iam si Paulus iterū redijt ad Cor. quæro utrū pollicita fecerit nec ne. Si nō fecit uanus est, neq; iam integrū est ei dicere, Sermo meus est, est, non, non, uti ipse confidēter gloriat, ac non modo nomen prædicatoris ueritatis amittit, sed mendacis etiam ac uani crimē sustineat necesse erit, a quo Paulum lōgissime abhorrere decet: Sin autem promissa secutus, de corporis & sanguinis Christi sumptione disposuit ac instituit, dicas mihi uelim, ubi Pauli instituta hæc de corporis & sanguinis sumptione in secundo & tertio ad Corint. aduentu scripta legamus? Nostro itaq; iure confidimus, quod tibi una cum sancto Paulo confitendum est, multa ab Apostolis esse instituta, quanq̃ non sunt literis commissa, tamen a maioribus nostris obseruata nobisq; ueluti per manus tradita, sarta tecta nobis tuenda esse, non minus quam si præscripta forent.

2. Cor. 1.

D. BALTHASAR. Etsi uno in loco scripta non comperiuntur, tamen alibi erumpunt, ac comparent.

Cur scripsit epistolas Paulus.

D. FABRI. Tu uero ostende mihi ex scripturis, Paulum alia instituta de sacramento corporis Christi dedisse, Equidem te cælare nolo quid sentiam de Pauli epistolis, quamobrem & scriptæ & missæ sint. Quando enim Paulus intellexit, alicubi uacillare fidelium animos fidemq; labare, Epistola sua quæ medenda, restituendaq; fuere salubriter refecit, constituit, stabiliuit. Vbi ergo Paulus discordias, schismata, contentiones, abusus oriri inter Corinthios audiuisset ab ijs qui Chloës erāt, & q; unus se Pauli, alius Cæphæ, tertius Apollo esse gloriarentur, item q; fornicatores in eorum communione ac ecclesia tolerarent, & de resurrectione dissensio esset inter fratres atq; etiam de sacramento corporis & sanguinis Christi, de cuius institutione antea a Paulo dubio procul edocti erant. Quo circa ad eos scribens ait: Accepi a domino quod & tradidi uobis. &c̃. Quem abusum cum inualuisse uideret Paulus, Epistola corrigere studuit, Instituta autem atq; ea quæ ante docuerat nō mutauit, proinde eos præcipue laudat, quod quæ dederat præcepta seruarint, Et ad Philipen. recordari debetis eorum quæ percepistis, audistis, & uidistis, Deinde ij. Timo. ij. mandat Timotheo ea, quę ex ipso audierat, ut uarijs linguis fidelib. committeret, atq; idem Paulus ad Ephesios, & Colossen. dilectiss. Tychicum misit, rogans, eum ut audirent, quem quid dixisse affirmabimus?

1. Cor. 1. Ibidem 5. & 15.

Ibidem 11.

Philip. 4

Ephe. ult. Colos. ult.

Epistola Pauli ad Laodicenses ubi est.

Ac quando scripsit Colossen. eis ut epistola ad Laodicens. prælegeretur imperauit, ubi illa quæso est Epistola?

D. SALTZER. Faber Stapulensis se inuenisse gloriatur illam epistolam, uerum qui scit utrum uera sit nec ne?

Multa in scripturis non expressa sancte obseruamus.

D. FABRI. Vidi equidem, sed multis rebus & coniecturis a Paulo scriptam esse dubito, quin plurimis annis & sæculis eam nemo habuit, in numerum insuper aliarum Pauli epistolarum non est recepta, tamen ea quæ ad Philemonem est de reb. ablatis ab Onesimo inter Pauli canonicas epis

nicas epistolas,utcunque breuis sit,numeratur. At quomodo mi doctor probabis dimidiam pene partem priorem Symboli Athanasij, si ubique scripturam apertam,& ut ipsa enunciata sonant,exigas? Athanasij Symbolū.

Quomodo denique per totum Euangelium probabis ὁμοούσιον filium id est unius cum patre substantiæ, de qua re tanti sunt tumultus,tot seditiones,tātæ clades ac cædes(si uni Hilario Pictauiēsi Episcopo credimus de Synodis) concitatæ in orientali occidētalique ecclesia,cuius malorum sentinæ causa Arrius fuit, Tota autem contentio duobus in uerbis οὐσία καὶ ὁμοούσια consistebat. Non habet in scripturis ὁμοούσιον

D. BALTHASAR.

Optime ὁμοούσιον filium probari posse puto, dicit enim textus: ego & pater unum sumus. Ioan.10.

D. FABRI.

Si quemadmodum uos soletis, captiosior esse uellem, meique amans non nisi mortuā literā spectarē, in eaque mordicus hærere nō uererer,negarē dictū illud eo referri,ut filiū essentialis eiusdem unitatis cū patre esse probet,dicit enī idē Iesus:Rogo pater,ut unū sint,queādmodum ego & tu unū sumus,quo ex dicto nemo est tam imprudens, qui possit aut uelit substantialē apostolorū unitatē elicere,sicut in patre & filio esse catholica ueritate credere tenemur, qua re ille Trimegistus fatetur monadem genuisse monadem. Hæc ea propter in medium proposui,ut cogites,quantum intersit sic uel sic scripturam torquere, aut recte more maiorum interpretari, alioqui non ignoro, eodem in capite,Ioannis. xvij. unitatis repetitæ mentionem fieri a domino. Ibidem 17.

D. BALTHASAR. Bene dicis,est uerum,Ego autem non expendi.

D. FABRI. Recte me hic accipias uelim.Sic existimo,ex sacris quidē literis probari posse filiū eiusdem esse cū patre essentiæ, Sed maxime per ratiocinationē,in sacra scriptura fundatam,atque ex circumstantijs hoc fieri necesse est,quemadmodum & de spiritu sancto contra græcorum errorem,quando eum de patre & filio procedere,per ratiocinationem catholicam profitemur.

D. BALTHASAR. Fateor.

D. FABRI. Simili ratiōe res multæ sunt, quas ueras tenemus ac credimus, non quod sacris sint literis expressæ, sed quia ueritati consentaneæ.Quid de Petro,Paulo,Andrea statues?quando nō inueneris in nouo testamento,ubi nam & quo mortis genere diem obierint? Paulū annos duos Romæ egisse legimus, eum autem ibidem mortuum esse, nisi sanctorum patrum monumentis,non inueniemus, Hinc ille error eorū qui Petrum Romæ fuisse negant. Act.ult. An Petrus fuerit Romæ.

D. BALTHASAR. Semper ego Vrbanum Regium tuum discipulum,qui a teneris annis,& quasi ab ubere materno, cū brachio ille se(ut dicitur)emungeret,educasti,suspectum habui, eumque fuisse putaui, qui scripserit,Romæ Petrum non fuisse. Vrbani Regij de Petro error.

D. FABRI. Et quam scite fecerit, probe nosti, equidem expectaui ut produceret pro ingenij sui bonitate uuas,& ecce, protulit labruscas: bona domus est,sed malus,ne dicam hæreticus,hospes. Tu,illeque a nobis Esa.5.

prodijstis,

prodijstis, ex nobis autem non fuistis.

Sed perpende de Petro quam bene acu (ut dicitur) rem attigerit, scribit enim Petrum iuuenem adhuc mortuum, statim post ascensionem domini Iesu, sub Herode passum, aduersus apertam Christi prophetiã, scriptam Ioannis ultimo, ubi seruator ait: Petre cum esses iunior cingebas te & ambulabas ubi uolebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non uis. Quod factum esse Ægesippus autor est, qui fere apostolorum tempore fuit, & excidium Hierusalem sub Tito & Vespasiano descripsit. Qui ostendit Christum obuiam Petro in uia Appia uenisse, longo post ascensionem tempore. Accedit q Hieronym. de Petro in illustrium uirorum cathalogo nõ ineleganter reposuit. Vnde apparet cum id genus homines in odium Romanæ ecclesiæ, quicquid in buccam (ut aiunt) uenit euomuere, exoculatos penitus lumen amisisse, percussosq; acrisia, ut olim Sodomitas, locutos esse quod per honestatem non licuit.

Aegesippus. Hierony. Gen. 19.

Eoq; tandẽm proruptam eorum audaciam inualuisse, ut Mariã uirginem perpetuã adhuc uiuere putent, quod in euangelio scriptũ non reperiatur eam esse defunctam, atq; in coelum receptã, Ad hęc impudentissime eam mortaliter peccasse asserunt, nihil dicam q absq; originali peccato conceptam, quod uirginitate perpetua castam fuisse negant, &c. in synagogis quoq; secretiorib. quicquid de assumptione, quicquid de uirginitate proponit, abrogandum statuunt, In eos tandẽ errorum laqueos impliciti sunt, ut eam mulierem fuisse, similẽ aliarũ, nec dignitatis præ alijs quicquam habuisse contendant. Contra quos Tertullianum ante M.CCC. annos sub Coracalla scripsisse inuenio.

Blasphemiæ in b. uirginem.

Sed ad priora redeo. Falsa assertioni persuasum est uobis, nouũ Testamentum esse debere, ut uocabularium rerum, aut Ex quo, quẽ uocãt, si quid in eo scriptum non sit, continuo negari oportere, ac quamuis receptum alioqui uocabulum, respuẽdum. Quod si ita male sane cum sanctis, et martyrib. et doctorib. ageretur, quia dubio procul ex spiritu sancto Euangelia sunt interpretati, & ex græca lingua, quæ dictionib. & uocabulis appositis abundat, hinc uocabula pleraq; græca reperiũtur quę nostra lingua difficilime trib. exprimimus singula dictionibus, Nunquid igitur quod dictiones pleræq; in Euangelio scriptę non sunt, mox lacerandi, aut comburendi sunt libri? Istam igitur uestrã regulam posthac remittas censeo.

Nouũ Testamen. est Lutheranis, quod Vocabularius Ex quo pueris esse solet.

Est sane uero illa præclara Lutheri regula, liberum arbitrium ideo nullum esse, quod totidem uerbis in Euangelio liberum arbitrium non inueniatur, etsi arbitrium hominis, ut id fiat aut non fiat, toties repetitũ in scripturis sit ac habeatur. Simulq; impudenti audacia idem apostata monachus (pudet enim hunc aut sacerdotem aut doctorem dicere, qui Christi sacerdotium ueramq; doctrinam in scoriam ac scortationem uerterit) elatus furiose & insolentissime (ut solet) foedissimum in errorem pręcipitatus est, quem neq; iudęorum religio, neq; gẽtium instituta, neque Tar-

Luthe. error de lib. arbitrio.

que Tartarorum, Turcarumqȝ immanitas, nulla deniqȝ sub coelo natio, extra Saxonum regionem, talibus portentis nescio quo fatali malo fauẽtem, ferre potuit, hodieue posset, bene enim saginatus ille uitulus, prodigioso cucullati uituli partu, nostro (ut scis) tempore ædito designatus, pertinaci animo, genuinaqȝ obstinatiõe affirmauit, ex absoluta quadam necessitate omnia fieri. Explosa omnium philosophorum scholis sententia, neqȝ ullo Euangelicæ doctrinæ fundamento nixa. Quod autem hęc duo uerba, liberum arbitrium, in Euangelio non reperiuntur, continuo rem reiqȝ ueritatem cadere non est necesse, quamuis & liberum & arbitrium tam uerbis quam re expressa sint in sacra pagina.

Cucullatus uitulus Saxoniæ.

Equidem in mea Theologia longe alia regula utor, quippe qui uerborum pugnas non adiecto, & qui nihil sum solicitus, etiam si uocabulum quoddam in Euangelio expresse ad uerbum positum non existat, modo res quam quæro, constanti testimonio comprobata constet, ac dubio uacet. Quod si nunquam Diuam uirginem dei genitricem reperio theotocon sacris monumentis celebrari, idcirco Nestorianus aut Anabaptista ilico fiam, & dicam Mariam domini matrem non esse? At facere non possum.

Miserũ est in Theologia uerborum pugnas exercere, rebus relictis.

Quin igitur ex Apocalypsi unico libro, duo tibi adhuc obijciam. Primum, scis Ioannem dicere, se odisse facta Nicolaitarum, quæ (te quæso) Nicolaitarum factio fuit? quæ hæresis? quæ male facta? an nõ quod uxores, ut Socratici, communes facere, & complexus Cynicorum more palam fieri libere uoluere? hęc nõ aliũde q̃ sacris literis depromimus, e quibus apostolorum etiam tempore uixere fideles.

HęresisNicolaitarũ. Apoc.2

Quod porro ecclesia a tempore apostolorũ Iudęorũ sabbatum non est feriata, sed sabbati loco diẽ solis, quẽ dominicũ uocamus, in memoriã resurgentis a mortuis Christi instituit, & obseruauit, modo nõ arbitror tibi displicere, Vnde autem hæc aliaqȝ ex Euangelio probabis, nisi Ioannis uisione, quam uidit die dominico, quem nos ex gentium errore Solis diem dicimus?

Sabbatum Iudæorũ.

Apoca.1.

Quum itaqȝ Homousion, liberum arbitrium, Theotocon, diem dominicam, atqȝ horum similia plurima, tam uocabulo quam re comprobes, ac reijcienda non putes, quanq̃ hæc in receptis & canonicis scripturis, quo ad nomen ita expressa non inuenias, quid igitur restat aliud, nisi meæ assertioni ut accedas? mecum sentias, hanc regulam penes uos tritissimam non undiquaqȝ subsistere, sed per multa, ac propemodũ infinita, & iudicialia & cæremonialia extra etiam biblia, tenere uerissime possimus & debeamus.

Cõclusio.

D. BALTHASAR. Solis dies in decem præceptis est, etiam in mora lib. qui non potuit, ut alia cęremonialia & iudicialia aboleri.

D. FABRI. De sabbato, mi doctor, in decalogo est, quod nos nõ tenemus, Et Lutheri terra nigra Melanchthon quidam constantissime tenet, quoniam inter decem pręcepta sabbatũ a Christo repetitum nõ sit, ideo pro abolito habendũ, affirmans nobis communiter quiescendum

ErrorMelanchthonis.

& feriandum cum Iudæis, quod tamen ipsi nō facimus, quamuis sabbati loco Saturni diem habeamus, ea autem domini dies non est. Hic tu, ut uideo, Lutheri et Melanchthonis regulam contemnis, qui aiunt præceptorum decem decalogi, quæ in Euāgelio renouata non sint, abolita & abrogata esse, Iam de nouem tantum in Euangelio denuo scriptum est, de sabbato omissum est. Nouem igitur, neq; plura Christianis sunt decalogi præcepta. Et hic patienter audi, Zuinglius, qui ad reuocationem publicam in tanto hominū coetu te adegit, ex decem preceptis undecim fecit, Impudentissimorū porro nonnorū et nonnarum scholam Vuittenbergæ cōminuto numero nouem tradere meministi, uide ut Psalterium concordet cum cythara. Cogita tecum ut Ezechielis animalia & rotæ simul eant, simul ambulent, simul eleuentur, & quam apte, sit spiritus uitæ in rotis.

Error Zuinglij.

Ironia.

Ezech. 1.

D. BALTHASAR. Lutherum ego nunq̄ probaui, quippe qui multarum Germaniæ uel potius orbi terrarū calamitatū author fuerit, mihi qdem semper errare uisus est, & præcipue de libertate Christiana, libero de arbitrio, bonis operib. & de qua ante meministi absoluta necessitate, quod ueteres fere fatum appellarunt, quū scriberet, ab eius sententia abhorrui. Dominicum diem, ac cætera festa ad uerbum dei predicandum & cultum diuinum peragendum non modo non neglexi, uerum etiam & pie & sedulo colenda semper iudicaui. Hoc tamen mihi displicuit, homines uulgo tum maxime ocio solutos, effrenos impetu ad pocula, aleam, intemperiem, luxumq; rapi.

Lutherus a suis quoque reprobatur.

D. FABRI. Non eo consilio sum, ut abusus, si qui in ecclesiæ membra irrepserint (quos aliquot & ipse uideo & esse doleo) corrigendos non existimem. Personat enim aures meas uerendum illud Esaiæ: Væ uobis qui bonum malum dicitis, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Ego oleum in Ægyptum non portabo, & dico quamdiu uixero, si dominus sit auxiliator meus, oleum peccatoris nō impinguabit caput meū. Habes itaq; mi doctor plura scripturæ loca, quæ docent abominabilem nefariumque errorē esse, nihil ratum habere nisi quod in biblijs liquide expressum inueniatur.

Esa. 5

Psal. 140.

Iam uero si nihil præterea prohibes, nisi quod Euangelio manifeste prohibitum constet, quomodo (ut unum ex infinitis producam) a sororis coniugio fratrem arcebis?

Problema de consanguinitatis gradibus.

D. BALTHASAR. Prohibitum uero est in Leuitico, cap. xviij.

D. FABRI. Si Leuiticum iterum restaurare propositū esset, multis sane rubeis uaccis, uitulis, arietibus, ouibus, turturibus, passeribus, similibusq; innumeris animantibus opus haberemus, quibus ne Pannonia quidem ea, quam uocant Hungariam, pecorum abundantissima omnibus thauris suis, bobus, uaccis, arietibus, cæterisq; pecudibus satisfacere queat. Hæc sunt præcepta legitima, & iudiciales ac cæremoniales leges, quomodo ex textu ipso planum fit, ea autem Euangelio (ut nostri) excipien-

excipiente desierunt, non enim iam dẽtem pro dente, oculum pro oculo eruimus, sed patientia iniuriam Racha, acceptamq; sinistrę alapam dexetræ exhibitione commutamus, aut certe commutare iubemur. Quanedo itaq; in Euangelio pauci gradus consanguinitatis affinitatisq; sunt prohibiti, ut ab Ioanne Herodi fratris uxor inhibetur, & Paulus Corinthiũ reprehẽdit fornicantẽ cum nouerca, Et qui diuortio sunt disiuncti, alterutro superstite neuter alteri matrimonio iungatur, inhibuit lex noestra, quanquam contrarium Luthero uideri sciam, qui impudicæ mulieeri plures maritos pro sua leuitate concessit. Quum itaq; uetus lex abrogata sit cõmuni uestra sententia, graduum prohibitionẽ non ex illa, sed aliunde sumere oportet, Nempe Ecclesia quæ a spiritu sancto regitur ac conseruatur. Quocirca, si me audies, in arca Noę te continebis, quando enim alluẽt aquarum sęuientium procellę, ab undis oppressus non subemergere. Arcam uero Ecclesiam esse iudico, extra quam nemo saluabietur. Sed de ecclesia postea: Nunc satis superq; declaratum puto, ueritates non paucas extra biblia esse, a quib. temerario ausu hominẽ Christianũ discedere nõ oporteat, ꝑinde tu quoq; ab hac parte stare nõ grauere, sic eñ non declinabis, neq; ad dextrã neq; sinistrã, sed uia regia ambulabis.

Matth. 4. Exod. 21. Leuit. 24. Deut. 19. Matth. 14. Mar. 6. Luc. 3. 1. Cor. 5. 7 Gen. 7. Deut. 5.

De baptizandis infantibus. CAP. IIII.

D. SALTZER.



REDEAMVS agedum ad infantum baptismum. Dicit scriptura, quomodo carceris custos una cum tota familia sit baptizatus. Act. 16.

D. FABRI. Sic etiam dicit de domo Stephanę, Sed et Lydiam purpurariam cum tota familia baptizatam legimus. In his domiebus, custodis carceris, Stephanę et purpurarię dubio procul pueri quoeque fuere: domum autem non eam, quæ tecto parietibusq; constat, ex lapidibus et lignis coagmentata, accipi uolo, sed familiã, atq; eos qui domum incolunt, ut Psal. cxiij. Domus Israël, domus Aaron sperauit in domino, adiutor eorum, & protector eorum est. Sic de domo Pharaoenis Gene. xlv. Sic conuocata fuit domus Iacob Gene. xxxv. & nemo est qui dubitet, nomine totius domus etiam pueros comprehendi.

1. Cor. 1. Act. 16. Domus pro familia poni solet.

D. BALTHASAR. Scriptum tamen est de carceris custode, uerebum prius domini audisse, deinde eum credidisse, tum tandem baptizaetum esse.

D. FABRI.

Non nego custodem carceris audisse uerbum domini, sed cum illius domus tota baptizata sit, ut & Stephanæ, purpurariæq; domus baptizatæ leguntur, reuera puto in his familijs etiam pueros fuisse. Quando mi doctor in statu gratiæ sumus, in quo uult omnes dominus noster Iesus Christus saluos fieri, ideoq; cum nasceretur, omnibus gentibus saluator per angelum annunciatur, quod esset saluum facturus populum a peccatis, & omnes uiæ illius sunt misericordiæ, qua repletur terra, quæ non solum in cœlum usq;, sed supra cœlos protenditur, cuius sanguine loti sumus a peccatis nostris, per quem uita uenit in mundum, qui non modo intercessor, sed etiam perfectus est recõciliator pro nostris, omnium, ac to-

Scripturæ ac rationes plurimæ pro infantib. baptizandis. 1. Tim. 2. Matth. 1. Luc. 2. Psal. 32. 118 107. 55. Apo. 1. Ioan. 1. 1. Ioan. 2.

tum,ac totius mundi delectis, cuius sanguis purificandi uim habuit. Cur igitur paruulos eos excludere pergis, qui cum mulieribus nō sunt coinquinati,ac sequuntur agnum quocunq; ierit, Et quos baptismus, quo abluti sunt,dirigit in mortem Christi ut Paulus ait, & in fide Ecclesiæ, cum in Christo baptizati sunt,iam ipsum Christum ex præscriptis Pauli uerbis induisse pie creduntur,ad Galat. iij.

Apo.14.
Rom. 6.

Et quanquam fidem suam eloqui non possunt, baptizantur tamē in Ecclesiæ fide ac parentum suorum,ideoq; ad baptizandum plures conuenire solemus, in nomine domini, contra satanam & inferorum portas,Quomodo igitur ad eorum preces diuina benignitas tot sæculis obsurdescit, cum dixerit Iesus,os ueritatis,cui tota ecclesia credit: Petite & accipietis,pulsate & aperietur uobis? Qui fieri autem poterit, ut uniuersæ Ecclesiæ uocem tam longe lateq;, & tanto tempore clamantem non exaudiat deus, qui se duobus tribusue,suo in nomine congregatis tertium & medium offert ultro? Nos pro gentibus inimicis,impijsq; preces quotidie fundimus, quotidie exaudimur: Ecclesiam pro unius infantis, non suo sed maiorū scelere reo, iam inde a capite humani generis Adam (qui ante quatuor milia annorum mortuus,in omni labe carente altero Adam Christo reuixit)culpam deprecantem, & quasi in lachrymis obsecrationem non exaudiat? Ille idem omnis misericordiæ fons et author Deus,qui Matthæum publicanum suscepit, Magdalenam consolatus est,Petrum se negantem galli cantu admonitum iterum in gratiam recepit,Latroni in cruce, momento temporis, post tot scelerate perpetrata peccata resipiscēti paradisum promisit, Zacchæū & peccatores non reiecit,sed una edendo & bibendo conuiuia celebrauit,solas,innocuas infantum animas,pro quibus suum præcipue sanguinem profundere uoluerit,ita sæuus(ceu Phalaris alter, aut Dionysius,uel potius puerorum iugulator Herodes)sine signo salutis perdi sinat?

Preces Ecclesiæ pro infantibus circa baptismum.
Matth.7.
Luc.11.
Matth.18.
Luc.5.
Luc.7.
Mar.14.
Luc.23.
Luc.19.
Luc.7.

Veniat tibi in mentem eorum,quę a Saltzero cōmemorata sunt,qua gratia infantes quantum ad circumcisionem attinet, prosecutus sit deus in umbra & sub Mosi uelamine, eos ut maiorum etiam fidei compotes faceret. Atqui in confesso est legem per Mosen datam,gratiam autem et ueritatem per Iesum Christum factam esse. Ad hæc qui scis,quod propitius & misericors deus occultum fidei donum pueris non inseruerit? q̄d in infante,ætate auctum accrescat simul,de quo est apud Marcū iiij.cap. quod dormiens semen terræ commissum adolescere non animaduertit, Neq; uero tuum est, & gratiam & spiritus benigni gloriam prohibere, qui ubi uult spirat,quiq; non absq; causa proprios singulosq; paruulis angelos adscripsit,qui eos aduersus diaboli technas tuerētur,Et nihilominus diuinæ maiestatis faciem contemplarentur.

Ioan.1.
Ioan. 3.
Matth. 18.
Mar. 8.

Quod ego & sentio & dico,orbis terrarum consensu tueor,etiam uestrorum olim Catilinarij fœderis sodalium, qui etsi multa (prohdolor) in Euangelio temere ausi sunt,hunc tñ uestrū spiritū non modo tolerare non potuerūt,sed acerbissime omnium, ut in rebaptizatione Philonicū oppugnan-

Quam infoelix & funesta sit secta Anabaptistarū.

oppugnandum putauere. Vides te ab omnibus desertum esse, & exce-
ptis tuæ factionis hominibus Anabaptistis, neminem tecũ sentire? qui
quidem qua pietate, quo spiritu agantur, eorum doctrinæ clamant, hic
multis uerbis opus non est, cum res ipsa loquatur, & omnium in conspe
ctu eorum malefacta traducantur, qui modo inferos esse negant, modo
non ferendos superiores, omnia omnibus cõmunia esse oportere docẽt,
Sacramento suos asseclas adigunt, ut horũ aliorumq; nefariorũ articulo
rum gratia, capitis, famę, rerum deniq; omnium periculũ adire nunq̃ nõ
parati esse uelint. Sed dicit Esaias: quæcunq; loquitur populus iste con- Esa. 8.
iuratio est, Et procul dubio dissipabit dominus gentes quę bella uolũt, Psal. 67.
id quod quotidie manifestis dissensionibus contra pugnantibus quę do
ctrinis fieri uidemus, Atq; hic uere digitus, hæc manus Dei, & mutatio
dextrę excelsi est, cum hi infantibus errorũ turbinibus ablati, spiritus san
cti gratiam, quam baptismo acceperant, negligunt atq; relinquunt, ac sa
tanæ (ut Iudas Scariotes) locum concedunt. Is callidus ille serpens, ten-
tator nequissimus, tenebrarum princeps, qui puerorum salutem perpe-
tuo impedire gestit, ne per innocentes pueros choros cœlestes repleri
contingat, interim nouorum Euangelistarũ seditiosiss. & multis legioni
bus dęmonũ obsessa corda, in tumultus, in seditiones, in orbis terrę per
nitiem armat, immittit, concitat. Timendũq; uehementer, ne hisce annis
impia superstitione apud Germanos inualescente, longe maior anima-
rum numerus infero Plutoni, quam summo deo ac patri cœlesti fuerit
dedicatus.

D. BALTHASAR.

His ego nunquam gauisus sum, doleoq; negociũ eo deductum esse,
neq; ita docui.

D. FABRI.

Rex & dominus meus pientiss. Ferdinandus, Christiano sane animo, Arbor ex
& quo nihil hic mũdus sanctius, integrius, præsensq; magis uidit, Quo- fructu co-
ties Lutheri, Zuinglij, ac uestri similium noua doctrina cõmemoratur, gnoscitur.
dicere solet ea, quæ a Matth. vij. cap. scripta leguntur: ex fructibus eorũ Balthasar
cognoscetis illos, Nunquid colligunt, ex spinis uuas, & de tribulis ficus? seditiosus.
Quæuis arbor bona fructus bonos profert, arbor contra mala malos Rom. 2.
fructus procreat. Luc. 22.

Et tu cum Pilato manus lauare uis, quasi ad te nihil de seditione rusti-
corũ pertinuerit. Sed o homo inexcusabilis es, Galilæus es, loquela tua
manifestum te facit, Loquela autem non oris modo, sed etiã manus tuæ Ioan. 16.
ac styli, quibus te in subditorum mentes subtili oblitum ueneno insinua
sti, delendos Principes, Reges, satrapas, solo æquanda castra, nobilitatis
nomen funditus extirpandum (ut ante te etiam Lutherus) docuisti, & e
suggestu pro concione publice predicasti, & persuasum tamen esse uo-
lebas, hac uerbi diuini insolẽti adulterinaq; interpretatione, te obsequiũ
prestare deo. Hac in re tam grandi (in qua uno anno tuis, tuiq; similium
factiosis Euangelizationibus plusquam centena milia uirorum corrue-
runt) a uero sensu, a recta scripturæ sacræ intelligentia aberrasti, quid ni
si & hic toto cœlo erres, et te mihi alijs quoq; in erroribus suspectum to

tum præbeas, qui semper ad deteriora, ad impietatem, ad Tyrannidem declinas, misericordię dei, benignitatisque oblitus. Cogita, recogita miser, quam perdita cogitatiōe misere seductus sis, qui forte triginta folijs, tua manu exaratis sperasti, ut ueluti e tripode, diuinoque oraculo prolatis uerbis tuis subditi arma arriperent, undique confluerent, conspirarent: Regibus, principibus, nobilibus cunctis præsentem interitum, perniciemque afferrent: monachorum, sacerdotum, nobilium, sacra prophanaque loca, bona, monasteria, castra inuolarent, deijcerent, funditus euerterent. Recordare quam exitiale bannum rusticano, ignobilique uulgo iam armis sęuienti præscripseris. Quæ omnia, hisque duriora, recta in oculis tuis ac æqua uisa sunt, quomodo Racemationes tuæ, utroque ex testamento per te inductæ, manifeste declarant. Igitur uelis, nolis, iam toto coelo te errasse fateberis, ac dabis, conscientia urgente, scripturam non in legendo, sed recte intelligendo et interpretatione sancta pacificaque consistere.

Duæ de paruulorū salute historiæ. Quod ad pueros pertinet, malo ego sub dulcissimo Iesu nomine pueros asserere saluari, quā manus meas innocentum sanguine foedari. Sed age semel finē faciamus, Audi ultimo loco, ut pueri Deo Opt. Max. placuerint semper, contra impietatem tuam, duas scripturæ historias, Prior est e ueteri instrumento e Genesi, ubi legitur Abraham Agar ancillam eiecisse, illiusque filium Ismaelem, quem puerū scriptura uocat. Hæc ancilla cū abijsset, errabat in solitudine Bersabęæ, cumque cōsumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborū quę ibi erat, & abijt, seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere, dixitque, morientem puerum non uidebo, et sedens contra, leuauit uocem suam et fleuit. Exaudiuit autem deus uocem pueri, uocauitque angelus domini Agar de coelo dicens: Quid agis Agar? Noli timere, exaudiuit em̄ dominus uocem pueri in loco in quo est, Surge & tolle puerū, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum. Ecce puer filius ancillæ non ingenuæ, qui heres esse non debuit, lachrymatur, & nullis præcedentib. meritis exauditur a domino. Iam ubi lachrymatus est in cruce Christus pro omnium salute, estque exauditus pro sua reuerentia, nulla ne pueris consolatio, nulla spes, nulla futuræ foelicitatis expectatio erit?

Prior de Ismaele. Gen. 21. Galat. 4. Hebrę. 5.

Item alteram audi e nouo testamēto historiam. Herodes uidens quoniam esset illusus a Magis, iratus est ualde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnib. finib. eius, a bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est, q̄d dictum est per Hieremiam prophetam: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit cōsolari, qa non sunt. Hos innocentes uocamus, eosque nomine innocentiæ per uniuersam ecclesiam ueneramur, in numerumque sanctorum receptos sacro Catalogo inscripsimus, licet baptizati non fuerāt, nam qui baptisma instituit, os suū ad enarranda per parabolas regni mysteria nondū aperuerat, fuga, adhuc paruus, contra impij regis minas suæ saluti consulens, neque omnes forte circumcisi adhuc infantes erant, tamen, nullo excepto, simul

Posterior de occisis innocentibus. Matth. 2. Hiere. 31.

ſimul omnes cœlo dedicamus, feſtumq; diem, Catholicā per eccleſiam ijs ſtatuimus, amplius mille annis ſanctiſſime celebratum.

Quocirca iam Chriſto in carne paſſo, a cuius acerbiſſima paſſione, ſe⸗pultura, reſurrectione, ſignū hoc efficaciā habet, pueris ad ſalutem præ⸗ordinatis baptiſmum nō detrectemus, aquam ne prohibeamus (Quem admodum pie in actis admonet apoſtolus Petrus) ſed baptizentur, ut ij qui ſpiritus ſancti ſunt capaces, ſicut & nos. Tu quoq; reſipiſce, noli tuo hoc uano pertinaciq; errore eos perdere ac damnare, pro quibus mor⸗tuus eſt Chriſtus. 1.Petri.4. Acto.10. Roma.14.


Hic ut meæ fidei rationem ſummatim perſtringam, non modo Theo logum ſed etiam legis peritum agam. Etenim ſanctius & religioſius eſſe duco nocentem abſoluere, quam innocentem condemnare, Miſericor⸗diam uolo, non ſacrificium. Oſeæ.6.

Et iam ſecundam horam a media nocte agi exiſtimo, approperabit ilico dies. Quoniā uero celerrimo curſu ac ex improuiſo huc ad te acceſſi, triginta miliarib. Hungaricis biduo cōfectis, integrū mihi nō fuit, quia ex tempore loqui oportet, ad hunc ſermonē me ut inſtruerē ac præpa⸗rarem. Et ipſe cogitare potes, in aula, ubi tantis, tamque innumeris ne⸗gociorum procellis ingruentib. adobruor, fieri non poſſe ut ſacris literis me totum & quietum traderem, eo autem in loco ac ſtatu ſumus, ut de⸗diſcere aliquid procliuius ſit nobis quam addiſcere, Proinde iniquum ac difficile certamē mihi proponitur cum his, qui dies noctesq; excuſſis o⸗mnibus ſacrarum ſcripturarum latebris, logices mæandris, ac fallacib. te⸗chnis ſeſe armant, ad prœliumq; ac luctam meditati procedūt. Venimus igitur ad te non ſplendidis quidem, ſed (ut confido) bene fortib. armis inſtructi & qualibuſcunq; tandem, certe fidelib. obarmati, ut de talento concredito nonnihil tibi cōmunicaremus, impartiremuſq;. Quare tua⸗rum partium erit, non elato, arroganti, ac pertinaci, ſed humili, æquo pla catoq; animo ſuſcipere, iam animus meus, ac uires defeſſæ quietem flagi tant, proinde hac noſtra informatione, quoad illuceſcat, cōtentus in do⸗mino quieſce, eius interim gratiam & lucem, qua cæcorum corda, & o⸗mnem hominem illuminat, implorato. Excuſatio D.Io.Fab. Ioannis.1.

His dictis doctor Marcus quæſtor Regius & doctor Saltzerus, ua ria ex ſcriptura bene longo tempore protulere, quæ equidem ſcribere ſuperſedi, Deinde ad ſextam uſq; horam quieti nos omnes tradidimus, a ſexta iterum congregati colloqui cœpimus ea quæ ſequuntur.

De ueritate corporis & ſanguinis Chriſti, in uenerabili Sacramento altaris. CAP. V.

DOCTOR FABRI.



IN LIBELLO, quem recens ædidiſti, repperi, id quod ualde ſum admiratus, quodq; te nūquam facturum ſperaſſem, ut de uenerabili ſacramento altaris negares, qui plurib. annis presbyter, parochus Ingolſtadij, prædicator Ratiſponæ atq; alijs lo⸗cis fueris, qui in Vualtzhut toto bienno, uerno & æſtiuo tempore, ſub Qualis olim fuit D. Balthaſar.

ædis sacræ portas procedens, uenerabile sacramentum prętendens, tempestates aduersas deprecatus sis, & festa paschæ die corpus domini populo de more impertiens, ac in corporis Christi uenerabili festaq; celebritate nouis Cęremonijs quibusdam, per te primum institutis, corporis Christi sacramentum ornaueris.

Quã peruersus postea factus est.

Nunc uero uide quantum sis mutatus ab illo, ubi mente bona dimotus, Satanæ technis te præbueris, ut sensim te ablactans ad summam impietatem protruserit. Primo namq; huius factionis scelerosissimæ ingressu, Euangelium & Epistolas lingua uernacula, inter missarum solennia sacra legebas, interim Eucharistiæ sacramento uim nullã afferens. Deinde sacrum Canonem mutasti, execrabilem Zuinglij canonem inducens, necdum tamen sacramentum demoliri tentabas. Tum missam integram uernacula lingua legere cœpisti, sacramenti etiam illęsa maiestate, nisi q sub utraq; specie illud populo tradebas, corpus tamen uerum, & sanguinem Iesu esse semper strēnue predicasti, cũ interim gloriareris perpetua & quasi Stentorea uoce, præter uerbum dei nihil te predicare, quod aliter atq; tu diceres, se habere minime posset, coelum prius & terram interiturã, quam hęc tua doctrina, quæ ex deo esset, labefactaretur euerteretur q;. Postea autem pane & uino madens ebriosorum symposium e cœna dominica instituisti, & quem antea creatorem & saluatorem nostrum uere predicaras, panem a pistore confectum, uinum uuis expressum esse docuisti. O audaciam leuitatemq; singularem, O perpetuo deflendam, miserandamq; tuam tanto in negocio inconstantiam: ita enim te spiritus erroris domitum subactumq; reddidit, ut quo uellet, ueluti
Matth. 11. Luc. 7. arundinem, de qua in Euangelio Christus, uento agitatam impelleret,
Ephe. 4 quod in Paulo ne omni uēto doctrinę circumferamur prohibitum, an-
Iudas. te uerissime commonstrasti. Te tuiq; similes suis coloribus reuera Iudas
Iudæ. 1. frater Iacobi recte depinxit, dicens: Hi sunt sine timore se pascentes, nubes sine aqua, quę a uentis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia, quib. procella tenebrarum cõseruata est in ęternũ.

D. BALTHASAR. Est uero ita, ut ais, idq; me perinde ut recensuisti ordine fecisse fateor, Reuelatio em̃ ueritatis serius mihi uenit, neq; Euangelium principio recte acceperam, tandem mihi spiritus uenit.

Matth. 3. D. FABRI. Bene esset si eum spiritum accepisses, qui ad Iordanem
Matth. 8. in specie columbæ uisus est. Equidem uereor, imo non dubito spiritum
Matth. 5. Luc. 8. uestrum esse eiusmodi, cuiusmodi apud Gerasenos porcos in mare præcipitauit, radices concepti errores altius egere, dicere ut possis, ueni in ꝓfundũ, & non est substantia, sed dei auxiliũ imploremus, is ignē & linguã
Psal. 68. spiritus sancti quemadmodum apostolis, sic & nobis tribuere dignetur. Loquuturi itaq; de uenerabili sacramento, summo in ecclesia mysterio, quod nobis de hac uita discessurus seruator noster Iesus sui in memoriã reliquit, amice monendum te duximus, ut quemadmodum in alijs omnibus secretiorib. fidei nostræ articulis facias secundum electissimi uasis & doctoris

doctoris diui Pauli (qui non absq; ratione gentium doctor est appellatus) consilium, ut in obsequium Christi intellectū tuum captiuum redas, inq; carcerem conijcias, Neque hic ratio Euam curiosam & nimium solicitam, sed potius humilem & ad pedes Iesu sedentem Mariam agat, quod nisi feceris, mittasq; tuum intellectum in carcerem pœnitētię, ac persuasum habere cœperis, quæ fidei sunt non e corporib. ac materialibus pendere, anxieq; ac plus æquo solicite, ne impie dicam, iam hoc iam illud scrutabere, cades sane ut Eua, mortuorum resurrectionem ut impossibilē cū Saducęis pertinaciter defendes, atq; ut Capharnaitę, Christi sermonē durū esse dices, nauseā cōtrahes ueritatis, & tandem relicto dño ad ollas carniū, ad allia, ad cucumeres, animi cogitatū cōuertes, modisq; omnibus ut populus Israēliticus sup māna de cœlo obmurmurabis. 1.Timo.2 2.Cor.10 Gene.3. Lucæ.10. Ioan.6 Exod.16

D. BALTHASAR. Et scio, & fateor ea quę fidei sunt nō externis, ꝓprijsq; sensib. indaganda, sed sola fide, ꝙ sit fides rerum non apparentiū argumētum, proinde lubens captiuum meum intellectum præbebo ad seruiendum Christo, Sed tum maxime Christo me seruire iudico, cū uerbum ipsius intelligo, & uerbum per uerbum, ut dicitur, reddere studeo. Insuper in sacramento altaris esse corpus & sanguinem Christi, non est articulus fidei, quare non teneor ad credendum. Heb.11.

D. FABRI. Ecce tibi, quam te & Oecolampadium, qui eodem hoc argumēto nititur, orbarit Deus, Habēt enimuero maiores nostri symbola quędā, Athanasij uidelicet ac Nicęni concilij, et alia quædā, sed unū & et in reliquis pręcipuum habemus, apostolorum, cuius omnes articulos e scriptura sacra probari posse censeo, Sed apostolorum esse, quomodo omnes serui dei credunt, me scriptura non docebis, Nos tamen ueteres Christiani non deseremus, quin tuebimur a maiorib. acceptum apostolorum symbolum, qui nos a teneris (ut gręci dicunt) unguiculis illius articulis imbuerunt, hocq; apostolos a spiritu sancto edoctos contulisse docuerunt, unde et symboli nomen quasi collatio, aut cōportatio, quemadmodum ante aliquot sæcula Eusebius, Cyprianus, Hieronymus, & alij Catholici doctores sane multi nobis præscripsere, parentumque prima institutio insevit adhuc teneris. Symbola Apostolorum. Eusebius Cyprian. Hierony.

Quod autem putas, quia de ueritate corporis et sanguinis Christi in altari, articulus fidei in symbolo Apostolorum expressus non sit, idcirco credādum non esse, neq; te ad credendum astrictum, Mira res, & inaudita illa uestra tot errorum parens regula, quam nisi orbis terræ iusta improbatio, uobis extorserit, sexcenta Euangelij loca indubitatę ueritatis, uana cassa abrogandaq; clamare nunq̄ cessabitis, Sed age tua polita regula utere, dicasq; de Petri ac Pauli predicationibus aliorumq;, de quibus fidei articulū proprie non habemus, qd colliges? Et si quę fidei sunt apostolorum symbolo perfectissime comprehensa confitemur, nihilq; prӕterea damnose non credi, dic mihi quid alio egemus symbolo? quid opus Euangelijs, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis? qui usus Pauli epistolarum, qui Ioannis ac Petri canonicarum, qui cæterarum scripturarum?

Licet in te

Esaię 30 Licet in te illud Esaiæ dicam: Quiesce tantum, superbia est.

Atq; hic me admiratio tenet, quomodo uerba clarissima, quæ sunt apud Matth. xxvi. Mar. xiiij. Lucę xxij, et Pauli prima ad Corint. xi. de seruetis, quibus quid potest esse apertius? Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Vos qui alioqui tãtis tragœdijs scripturas iuxta literã uerborumq; seriem accipiendas contenditis, hic quod os domini locutũ est negare non formidatis, sed nugacissimis insomnijs trahitis, torquetis, rapitis in sententiam a genuina intelligentia alienissimam.

Hoc est corpus meum.

D. BALTHASAR. Quando quis uerba Christi interpretari uolet, non modo initiũ, sed finẽ etiam ac uerborum ordinem spectare debet, Et hoc loco præcipue dedit dominus panem, concluditq; μνημοσύνην esse id est memoriam, & nihil pręterea, quod Lucas & Paulus ita describũt, acsi dominus dicere uoluerit: Ecce discipuli mei, do uobis panem, do uobis uinum, Hæc memoria est passionis meæ. Quod ita neq; odio neque gratia cuiusquam mortalium adductus credidi in mea conscientia.

Regnum in se diuisum corruit.

D. FABRI. Quam admirabiliter satanæ regnum in se diuisum ruinæ expositũ, nequit consistere, labant muri, dissipati concidunt parietes, lapis lapidi non cohæret. Væsanus Carolstadius, latine grammatices nõ ualde gnarus, græcum τοῦτο produxit, dixitq; dominum Iesum per τοῦτο se corpusq; præsens in mensa uisibiliter sedens denotasse. Confitetur tuus in cista (in Christo dicere uolui) frater Zuinglius, Sophistam agens non inuenustum, Est pro significat accipiendum. Hinc repẽte tertius exortus Oecolampadius, qui suas offundens tenebras, priorum acumẽ nouo inuento obtundit, Est inquiens, id est, figurat. Sunt qui corpus crucifigant, illud spirituale quoddã esse fingentes. Et nonnulli Silesitæ Christi uerba interpretari audent, inuerso ordine legentes hoc modo: meum corpus est hoc, id est aliqd spiritale. Archihęreticus porro Lutherus creatori uno in Sacramento creaturam coniungit. Tu septimus alium adhuc sensum paris, quis igitur spiritũ ueritatis habet? Apostoli estis, Euangelistæ uocamini, de spiritu prophetiæ omnes gloriamini: at ita consentitis, ut Christus & Belial, Michaël & Draco antiquus, interim miseram plebeculam utroq; pede claudicare facitis. Viderem lubens, atq; utinam uita mihi tamdiu frui liceat, neq; ante uideam mortem, quã uideam uos nouas Euangelistas proprio conciliabulo congregatos de re tam uarie pertinaciterq; agitata si ageretis, quæ uestra futura concordia esset.

Lucæ.11 Carolstadius homo Væsanus. Zuinglius sophista. Oecolampadius tenebricosus. Crucifixores corporis. Silesitę inuersores. Lutherus archihęreticus. Balthasar septimus euariator Eucharistiæ.

Tametsi Carolstadius suam, qua totam pene Germaniam contaminarat, opinionem reuocauit, ita enim constans uestra doctrina est, ut quauis bulla citius euanescat, in mortalium tamen cordibus insiti ueneni exitiabilia uestigia relinquat, Et bone Deus, nõdum desistitis, nos, qui constanter ueterem religionem, fidemq; sanctam Catholicam seruamus, impie iudicare, nobis noua, insolentia, inusitataq; decreta pręscribere, uetera instituta inconstantib. uestris, nullo ordine, nulla ratione fultis insomnijs elusa configere, ac abrogare prætenditis capitosissime. Zuinglio accedere in animo est, contrapugnat Carolstadius, absterret Lutherus, re-

2.Cor.6. Apoca.12. 3.Reg.18 Hęreticorum ingẽs inconstantia.

therus,reclamāt Silesię,cohibet Oecolampadius,ac Pacimontanus nescio quis,e specu Trophonij repente prodiens,dum de sancta reuelatione gloriatur,alio nos uocat,sicq; in Scyllam incidit oportet,qui uult uitare Charybdim, hæc sane Sychimitarum turba est. Magna uestrū copia sit oportet ad ecclesiam,id est congregationem faciendam, uestri eñi moris est congregata dissipare,concordia disiungere,quieta solicitare,cędib.incendijsq; omnia miscere, Parce quæso parce,si quid durius dixi q̃ debui,Zelus domus dei comedit me, ferre æq̃ animo nō possum,miserā lugubrib.calamitosis,exitiabilibusq; uestris institutis Germaniā ac foedissimis erroribus implicitā, ad æternę dānationis exitiū præcipitem agi. Hæreticorum mos. Ioan.2

D. BALTHASAR. Adduxisti Matthæum,Marcū, Lucam & Paulum,uerum constat Matthæum & Marcum Micrologos esse,etiam locutos per Aposiopesin,ideoq; Lucas et Paulus rem apertius expressere inter alia memoriam esse docentes,si igitur tantum memoria est, cur dicam aut credam,corpus & sanguinem Christi adesse?

D. FABRI. Quum hæc uerba faceres uulgo, & imperitæ multitudini,aut ruralibus indoctis presbyteris,admiratione ducebanť dubio procul sapiētię et sciētię tuæ,&cū nescirēt q̄d grçce esset Micrologia et Aposiopesis,sermonē a spiritu sancto ꝓficisci crediderūt,coelitusq; delapsam doctrinā arripientes,sese ceruicib.submissis seducēdos ilico ꝑbuere.Ego aūt plane uideo te quid sit Aposiopesis, ignorare, declarabo igitur tibi.

Est enim Aposiopesis apud Rhetores figura,quā latine reticentiam uocant,quando quis sermonem, uel lætitia,uel dolore nimio præpeditus, præcidit,effari cum nequeat, quod ex Virgilio, Terentio & reliquis prophanis autorib. multis exemplis planum facere possem:uerum sacra tractantes,ab Euangelio Aposiopesin petamus.Refer itaq; animū ad Lucæ caput. xix. ubi legitur: Cum uidisset Iesus ciuitatem Hierusalem,fleuit & dixit,si cognouisses & tu. Aposiopesis est,ac si diceret: Fles res sane mecū,& quidē in hac die tua, q̃ ad pacē tibi. Itē Aposiopesis est, q̄d lachrymis præpeditus, sermonē perficere non potuerit.Hic archihæreticusiterū Lutherus extitit,qui plus millies quingenties nouū testamētum uitiauit,non aliter quam si homo impostor ac falsarius homini frugi,ac uiro bono,literas & sigilla adulterat & corrumpit,Christum integrum ac plenum sermonem extulisse contendit, quod uerum non est. Vides igitur te toto coelo errantem,Aposiopesin ignorare. Aposiopesis. Lutherus errorū architectus ut qui 500 locis deprauauit nouū testamentum.

Quod autem Euangelistas duos Micrologos esse ais,id est, de re concise atq; anguste loquentes,Amabo si sic agerem,an non ex plaustro pleno pulmone me risu obrueres? Fugit ne te Ezechielis uaticinum,rotam in rota esse,& adhuc spiritus dei erat in illis? Hæc eo pluribus dixi,ut in memoriam tibi redigerem concordiam Euāgelistarum, ac auream illam cathenam,qua conuincti,dissentientia dicere non queant, quam uocant concordantiam nostri,Tu uero de Aposiopesi & Micrologia Græcistam consulas licet,nos alia persequamur. Quod existimas contra scripturam esse,rei alicuius memoriam præsto esse cum re coniunctam,id fieri posse Micrologia. Ezech.1

Præsentia Christi memoriam passionis auget, non minuit.

eri posse declarabo. Si S. Laurentius martyr, qui Decio imperante, annos ante mille trecentos martyrio absumptus est, & ante hunc Stephanus prothomartyr lapidibus extra muros Hierusalẽ adobrutus coram adessent, an non deuote magis utriusq; passionis memoriam recoleremus, quam si signum tantum adesset? Eadem ratione nemini pio Christianoq; animo prædito unquam persuadebis, ut aut ego, aut quiuis alius non plus deuotionis, pietatisq; concipiamus, ex quasi præsenti, existentiq; cõmemoratione, recordationeq; passionis Iesu Christi, si ipsum præsentem esse firmiter credamus, quam ex uestro illo pistorio pane ac uino, quibus penum cellamq; uestram complestis, liberaliusq; amphoris appositis in cœna uestra dominica græco more potatis.

Act. 7.

Quocirca et Paulus sui ipsius interpres est, quum scribit quemadmodum Christus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem, hoc facite quotiescunq; biberitis in meam commemorationem, interpretatur quæ sit ista commemoratio, dicens: Nam quotiescunq; ederitis hunc panem, et hunc calicem biberitis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Hic intelligitur commemorationem esse passionis, & tamen ante et post meminit Paulus hic uere esse corpus & sanguinem Christi.

1. Cor. 11.

Hęc interpretatio etiam habet suam prophetiam & figuram. Psalmo enim c x. ita scriptum legimus: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus, escam dedit timentibus se. Ecce escam, ecce memoriam, quam uos μνυαρ dicitis, id est memoriam mirabilium, ut Mannæ, aliorumq; psalmista appellat, & escam timentibus eum, utraq; simul consentiunt, ac constant. Hoc uaticinium Dauidis Ecclesia, id est, fidelium congregatio, semper ad hoc retulit sacramẽtum, Verum me dicere & lectiones priuatæ, & cantus publici, quas Antiphonas uocant, testantur.

Audi iam aliud quod maiori etiam cum admiratione excipies. Exodi xij. Scis quomodo agnus ille paschalis fuerit oblatus tum in synagoga, & (quomodo textus habet) imolatus idem agnus est, & memoria exitus ab Ægypto, Phase enim dicitur, Insuper Hebraica ueritas et septuaginta interpretatio planum facit, esse memoriam, sicq; res ipsa, agnus qui imolabatur, & memoria aptata coniunctaq; simul sunt. Quare non nouum, non inauditum mysticum est, & corporis et memorię passionis Iesu Christi, sed ipsis etiam Iudæis usurpatum, Ideoq; sacramentum hoc quotiescunq; recolimus ac tractamus, in memoriam redimus spiritualis exitus ab Ægypto per mortem innocentissimi agni Iesu Christi, a qua sententia ne te quidem abhorrere confido.

D. BALTHASAR. Zuinglio sæpenumero ipse dixi, cum hęc agitaret, hanc opinionem cum suo sophistico, significat, frustra eum laborare fidelium mentibus ingerere, semperq; mihi displicuit. Hæc uero mea semper opinio fuit, quando seruator Iesus panem accepit in innocentes manus suas, illum discipulis dedisse in signum passionis suæ, ac ut esset memoriale.

D. Fabri.

D. FABRI. Non transilire oportet Christi uerba, & ante tempus quædam præripere, uanum est uobis ante lucem surgere, surgite postq̃ sederetis. Continuo uenis ab his uerbis, hoc est corpus meum, hic est calix aut sanguis & c. Sed hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur, adiunctum habet, quomodo Lucas & Paulus scribunt, & ad calicem pertinent ea quæ a Matthæo posita, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus uero ait: hic est sanguis noui testamenti qui effunditur pro uobis. Similiter Lucas: qui pro uobis effundetur. Et Paulus: hic est calix noui testamenti in meo sanguine. Hic sunt duo relatiua exponenda, quod & qui, ea quidem ad uerum & ipsissimum corpus & sanguinem, non ad panem, non ad uinum referri oportet. Nam si ad panem referrentur & ad uinum, consectaneum esset panem furnarium ac pistum, & uinum ex uite procreatum, pro nobis & passum & effusum esse. Sed deus prohibeat ne tantis erroribus inuoluamur, mētisque oculis ita orbemur, ut tantæ impietatis rei agamur, qui panem pistorium pro humano genere passum, traditum & crucifixum fateamur, & uinum uuis expressum pro nobis in cruce effusum doceamus, Faxit deus, ut deleantur quotquot huius uiæ uiri sunt de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur, interficiatq; illos dominus spiritu oris sui.

Psalm. 126. Matth. 26. Marci 14 Lucæ 22 1. Cor. 11 Quid referunt ibi quod & qui. Psalm. 68. 2. Thes. 2

D. BALTHASAR. Quando quod uerissimum sit expēdo, demonstratiuum plane pronomen esse uideo, Hoc, quod denotare aliquid necesse est, Nihil autē aliud denotat q̃ panem, Est ergo panis signum, per quod passio Christi in memoriam ingeritur.

Quid demonstrat hæc uox Hoc.

D. SALTZER. Atqui non consyderas ea quæ D. Fabri paulo ante in medium protulit, eam uerbis uim inesse, ut corpus sit quod pro eis tradatē, et ille calix suus sanguis, qui pro eis et multis effunderetur, Hoc autem in panem sanguinemq; non cadit, tuus igitur intellectus errorem habet.

D. BALTHASAR.

Si particula, hoc, aliquid necessario uel demonstrat uel denotat, quid nam sit aliud quod denotarit atq; panis scire cupio.

D. FABRI. Et demonstrauit, & denotauit id quod manibus dulcis Iesus iucundo in cōuiuio tenebat, Atqui post benedictionē se ipsum tenuit et corpus suum quod dedit discipulis suis, quod cũ fecisset, aliud demonstratiuum hoc, subiunxit dicens: hoc facite in meam cōmemorationem, ac si diceret, quemadmodum ego benedicendo e pane confeci corpus, & e uino sanguinē, uirtute diuina, ita uos quoq; facere debetis, Verba enim clarissima, & corpus et sanguinem indicant, Atq; iterum dico, si sic (quomodo tu tibi sumis) intelligerentur uerba textus, necessario confiteremur panem emptum, pistum, tostum nos redemisse, & uinum profusum in remissionem peccatorũ, quod neq; esse, neq; fieri potest. Et quid tandem noui esset, si panis & uinũ a benedictione permansissent, præcipere ut facerent in suam cōmemorationem? Certe nihil sancti nihilq; iustæ admirationis induceret, cum præceperit facere in suam cōmemorationem. Præterea non reperies discipulos, in tam magna re

Lucæ 22

Q quicquam

quicquam, ut sæpe alias in parabolis hæsitantes percontatos esse, sed do mini institutis contenti cum essent, æquo animo obtemperarunt. Atq; 1.Cor.11. id planius ut fiat, nõ citra causam fieri iudico, quod in Paulo, qui uerbis præ alijs clarioribus hæc manifesta studuit facere, ubi alij habent, hoc est corpus meum, græce est, hoc meum est corpus, Ac si diceret, quod meis Luc.22. manibus prætendo, corpus meum est. Et Lucas, quem tu non micro-logum sed polylogum facis, scribit dominum dixisse, se ex hoc tempore pascha una non celebraturum, et dedisse calicẽ quem inter sese distribue-rent, & dixisse, quod ex procreatione uitis amplius bibiturus non esset in hoc mundo, finitoq; hoc sermone, tum primũ panem accepisse, grati-as egisse, fregisse, dedisse discipulis suis, & dixisse: hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam cõmemorationem, Simili-ter & calicem, postquam cœnauit, accepisse, & dixisse: hic est calix no-uum testamentum in meo sanguine, qui pro uobis effunditur, Idcirco Exod.12. primum pascha in azymis, significat panem non fermentatum, quo cum celebrarent Iudæi pascha, ex lege Mosi utebantur, inde toties dies azy-morum in scripturis sanctis cõmemorati leguntur. Deinde mentio facta est de genimine, id est, procreatione uitis, quod uinum de uite enatum erat. Duabus hisce rebus, hoc est azymo pane, & uitis geniminæ ante o-mnia pro celebritate festi paschalis acceptis, tum primum huius reueren-di Sacramenti institutio, qua corpus & sanguinem uere adesse catholice profitemur, subsecuta est: alioqui nihil noui traditum esset.

D. BALTHASAR. Certum est Paulum etiam a cõsecratione quam tenetis, panem appellare, necesse igitur est unum e tribus sit: aut corpus est panis, aut in pane est corpus, aut corpus extat sub specie panis,

D. FABRI. Est sub specie panis. Quod autem Paulus ante, & post Panis qd signat. consecrationem panem appellat, non est idcirco ea illius mens putanda, panem a consecratione, eundem, id est materialem a pistore confectum mansisse, alioqui idem mihi de uino ex Paulo ostendas, a consecratione Declaratio Pauli per se ipsũ ita appellato. Ad hæc, Paulus ut multa, ita hoc declarat ipse alio loco, Panis quem frangimus nonne communicatio corporis domini est? & calix cui benedicimus nonne participatio sanguinis domini est? Et ibi-1.Cor.10. dem ad Corinth. cum loquitur idem Paulus de hoc sacramento, consy-Ibidem 11. derare oportet, quare Paulus Corinthios obiurgarit, et quare laudibus extulerit, quod scilicet inter cõmunem et domini cœnam discrimen non Ibidem 10. habuerint. Et supra de duabus mensis, earumq; differẽtia loquens, ma-nifeste probauit, nos non posse esse participes mensæ domini ac mensæ dæmoniorum. Deniq; cum institutionem ut a domino acceperat, ita tra Ibidem 11. deret, grauissimis sacræ scripturæ locis fidelium studia acuit atq; inflãma uit, dicens: Quid dicam uobis? In hoc laudo, in hoc non laudo. Ego enĩ accepi a domino quod & tradidi uobis, quoniã dominus noster Iesus, qua nocte tradebatur accepit panem, gratias agens fregit & dixit: Hoc Suinicẽs apostata. est corpus meum quod pro uobis tradetur, Hic certe uini mentio nulla fit, nisi uero uoles, ut quidam Suinicẽ. apostata, & fidei & ordinis sa-

cerdotalis

cerdotalis desertor, palam ausus est predicare, ubi ubi in sacris literis calix esset, uinum intelligi. O lepidum caput, quasi uero Christus, cum in mõte Oliueti patrem precaretur, a se calicem ut auferret, uinum auferri uoluerit, ac uinum epotandũ usque adeo ter repetita oratione deprecatus sit. Ac deinceps quid sequatur uides, homo seipsum ut probet, tunc primum de pane isto ut edat, & de calice bibat. En iterum hic doctor gentium & ueritatis predicator non uini sed calicis meminit, sanguinis scilicet noui testamenti. Ac rursus ad eos qui indigne percipiunt conuersus ait: Quicunque manducauerit panem hunc, et biberit calicem domini indigne, is reus fit corporis & sanguinis domini: imo quisquis manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicãs corpus domini. Ideoque sunt inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Audis credo minas, uides atrocia supplicia proposita, reus fit, qui indigne manducat & bibit, corporis & sanguinis Christi, iudicium sibi manducat & bibit, eumque ualetudinis aduersę manẽt incõmoda. Quod autem Paulus (quę res tibi scrupulum iniecit) huiusmodi sacramentum etiam post consecrationẽ panem appellat, mirum tibi uideri non debet, Proprium enim & peculiare scripturæ est, rem nominare non ut est, sed quomodo anteq̃ uerteretũ fuerat, ut de uirga Mosi de qua ij. lib. cap. iiij. & clarius sequenti cap. vij. scriptum legitur, uirgam Aaron uirgas magorum seu maleficorum cõsumpsisse, erat autem Aaron uirga in serpentem uersa, et magorum uirgę coram Pharaone in dracones transformatę, atqui uirgę utrinque appellantur. Itidem de aqua, quę in Cana Galilææ in uinum uersa fuit, affirmare possumus. Sic mirum nõ fuerit, sacramentum panem appellari, non quod panis sit elementis et materijs consistẽs, sed quod panis iam benedictione uirtuteque diuina sit in aliã uersus substantiam.

Math. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Quomodo dicitur panis post consecrationem. Exod. 4. Ioan. 2.

D. BALTHASAR.

Atqui uerum ne esse ulla ratione posset, si dicerem, panis est corpus Christi, sæpe mecum diu ac multum cogitaui, quando Euangelium non dicit, corpus sub specie panis delitescere. Nostros scholasticos ex sese huiusmodi effinxisse statui, quid enim uero fuit quod manu tenuit, quodque denotauit seruator noster?

D. FABRI. Si de pane emptitio loquerere, eum esse corpus domini, nequaq̃ uel crederem uel admitterem: sin autẽ de pane coelesti supersubstantiali seu supercoelesti & diuino, quomodo sese Christus panem de coelo descendentem nominat, aut de excellentissimo pane in Theologia negatiua, de quo iuxta Dionysij prima principia nihil uerius dicitur, quam quod per abnegationẽ ponimus, sane admitterem. De pane autem emptitio minime hoc affirmare ausim, ac ne cogitare quidem. Neque uero me quicq̃ eorum mouet, quæ Lutherus Piggardos, Vuiclefistas Valdensesque suos docuit, uolens etiam post consecrationem manere panem. Nam hunc panem carnem fore prędixit, & æquum esse existimo iuxta Euangelicam doctrinam, hac in parte domino seruum, creaturam creatori, tanquam longe honoratiori ac digniori ac locum supremum, Ioan. 6.

ut in nuptijs Euangelicis est constitutum sine ullo impedimento præbe-
Luc.14. re,corpus porro esse sub specie panis cum dico, nihil refert dicā nec ne,
cum particula,Hoc est corpus meum (in qua totius rei cardo uertitur)
omnibus scripturæ locis appareat.

Quomodo autem hic sit,qua habitudine quaue circumscriptione,hic
ego nimium alte sapere nolo, ne diuina maiestas, illiusq; inaccessus glo-
Simplici- riæ splendor,me humano errore hallucinantem prorsus exoculet.Satis
ter credere satis mihi est,ut homini simplici,et credere & scire,uerbū quod ab æter-
tutissimū no fuit,carni humanę unitum esse,spiritum sanctum superuenisse in Ma
est. riam,quam et post Gabrielis Archangeli dictum uirtus altissimi obum-
Ioan.1. brauit. Nolo hic incautus cum Oza arcam dñi,in qua manna admirabi
Luc.1. le seruatur,attingere.Panem deniq; propositionis panem sanctum curi-
1.Para.13. osius contrectare nolo, sto, staboq; semper huic uerbo, constanter cre-
do,non hæsito,non uacillo, Catholica ueritate frętus fidenter pronun-
cio ac profiteor,hic esse corpus domini, hic illius esse sanguinem,habeo
enim uerbum,& quod ueritas dixit constantissime credo,os domini lo-
Argumen cutum est,ipse,nō Pythagoras sed ueritatis unicus autor & magister,uel
tum per ipsa potius ueritas dixit,quæ mentiri nō potest,Ille est qui nouit omnia,
locū a ma- iore adeo- est omnipotens, qui quæcunq; uoluit fecit, ipse dixit & facta sunt,ipse
que dei po mandauit & creata sunt,ipse est qui in principio creauit cœlū & terram,
tentia. & qui(ut est in Ecclesiastico)creauit simul omnia. Quod si ex nihilo o-
Psal.113. mnia fecit, quo ore negarē eum panē in corpus suum, uinū in sanguinē,
Psal.148. uirtute diuina posse conuertere, qui uideam quotidie,aquam in uinum,
Gen.1. Eccl.18. uinum in sanguinem,operatione etiam naturę conuerti? Eapropter uer
bo domini in æternum manenti perpetuo ac simpliciter acquiesco, sic
Esa.40. enim existimo,non esse apud deum impossibile omne uerbum.Ad hæc
Luc.1. textus in decretis de cons.dis.iiij.cap. liquido,Ambrosij uerbis scriptus,
mihi uehementer placet,propter maxima ibi enumerata mirabilia facta
e ueteri testamēto,ut creationē rerum omniū ex nihilo,de uirga Aaron,
de ligno in Marath,de aqua ex petra, plurimorumq; aliorum,quorum
e nouo etiā testamēto magna copia induci posset. Verbum habeo non
Esa.9. futilis alicuius hominis,sed regis regū,domini dominantium,cuius prin
cipatus super humerum eius, quod me solatur & firmat, de quo nulla
me glossa deijciet unquam, nulla sophistarum commenta, nullæ callidi
serpentis tendiculæ deturbabūt,cū pręsertim uideam, & quasi manibus
(ut dicitur)palpem,omnia ita cōgruentia,et ꝙ tam ea quę pręcedunt,q̃
quæ consequuntur,meā ubiq; sententiam declarent, & accedant figuræ
ac prophetiæ inconcusso robore, meam de uenerabili sacramento toti-
Psal.110. usq; ecclesiæ opinionem circummunientes. Voluit itaq; misericors &
miserator ille dominus, cum ad patrem ex hoc erumnoso mundi diuer-
sorio migraturus esset,escam modis omnibus diuinam cunctis se timen-
tibus Christi fidelibus solacij plenam relinquere,qua maiores nostri tan
ta pietate sese castissime reficere soliti,eaq; sacra (quæ uos in speluncis &
abditis locis,latronum furumq; instar,lucem exosi peragere instituistis)
summo

summo studio sanctissime semper obierunt, unde tanta bona sunt consecuta, ut enarrare nemo queat.

Ex uestra autem noua uinolenta cœna quæso te quæ pietas? quę deuotio? aut quid omnino boni consecutū est? Equidē plurima (proh dolor) mala, plurima inauditæ leuitatis exempla enumerare possem, quæ ex uestris nouis institutis emersere, ut non Christi, sed tenebrarum principis cœna esse conuincatur. Quid illud sibi uult, dic mihi, quod qui paulo ante omnia summa imis miscere, ferro uindicare illam uestram luculentam cœnam ac mordicus tenere parati erant, eam neglectam, pessime omnium exosam habēt, & quicquid uspiam religionis fuit, Iebusæorum more pedibus calcant, sputis deturpant, & anathema faciunt? Hæc nimirum dextera et mutatio dextrę excelsi est. Non erat ista Bacchanalis ebriosorum synagoga supra petram firmata, sed grāmaticorū poëtarumque arenæ leuiter innixa, ad Dianæ nympharumque aquas erecta, Quocirca leui uento istam Babylonis molem quassatam, is qui omnia uidet, oris sui spiritu, solo adęquauit, iacet igitur æternumque iacebit, multarū (proh dolor) animarū ruinam secum trahens. Quod scire porro uis quid denotarit, quidue manu prætenderit, dico eum corpus suum & denotasse & prætendisse, fuisseque idem illud corpus quod mensæ adsederit, nisi quod ad mensam uisibile fuerat, in manibus autem uisum fugiens latuerit, Hęc ipsa est ueritas, & non modo mea, sed omnium Christi fidelium recte sentientium fides, ac orthodoxa sententia. Et quanquam Berengarius in hanc olim errorum sentinam inciderit, tamen resipiscens, impiam opinionem exuit, ac detestatus est, & iureiurando abnegauit Carolstadius ut & ipse ignorare non potes, ideoque in hac parte non parum firmitatis consolationisque habeo, qui sciam neque te, neque Zuinglium, neque Carolstadium, neque Oecolampadium, ac ne Lutherum quidem, antesignanum uestrum, cum omnibus uestræ factionis sectatoribus in hāc horam ullam uspiam apud orthodoxos sententiā obtinuisse: sed omnibus Pontificum, Imperatoris, Regum, comiciorū imperialium, academiarum, synodorum sententijs damnatos, Sicque una cum imperita uestra furiosaque plebecula, molestis quibusdam quaternarijs clamatoribus neglecti iacetis, frustraque olim Turonensi ac Vercelleñ. concilijs, Nicolao Papa sedente, explosam & damnatam hęresim, nimio uestro malo, renouare conatos experimini.

Hæreticorum cœna uinolenta, ac principis tenebrarū est.

Quid Christus manu denotarit.

Berengarius.

Toto itaque pede cum mea ecclesia, quę tenet ab ortu solis in occasum, a meridie in septentrionē, etiam eorum qui aliquot sæculis pro schismaticis habiti, præsidio tutus maneo in possessione, Vnde me si deturbare satagitis, melioribus titulis, firmiore testimoniorum prędidio uos agere oportebit, Isti quidem uestri leuiculi, nitidæ ac bene curatæ pellis præstigiatores, & in uere religiōis militia plane tyrones ac rudes, nos nihil mouent, fortissimus enim ille heros armatus atrium possidet, turrisque Dauid tot pręmunita clypeis, utcunque hæreticorū quassata arietibus non mouebitur in æternum, nedum corruet, neque eorum inefficacibus complana

Ecclesia super petrā, hæresis super arenā ędificatur.

Cant. 4.

bitur in-

Gen. 11. bitur insultib. exturbatis nobis, Est enim meliore ratione atque turris Babel exaedificata, quam fortis ille uenator Nemroth Lutherus ex confusione linguarum, falsis & inter se pugnantibus doctrinis excitauit, ruinae expositam: nostra uero supra petram aedificata est, cum propugnaculis aggere & fossa circumsepta, mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium: Coepistis ipsi aedificare nouam, non computatis sumptibus ideo medio in labore deficitis.

Lutherus est uenator Nemroth ac turris Babel aedificator.

Can. 4. Luc. 14. Merito igitur mundus uobis ciconiam pinsit, pollicem praebet, irridetque uos homines grammaticos, leues apostatas religionis, qui aedificare coepistis quae consummare nequeatis: uos qui diu risistis, iam flebitis: omnes spreuistis, ab omnib. spernemini: qui contempsistis, uestris iam discipulis & qui panes uestros edunt contemptui & ludibrio estis. Quotus enim quisque est textorum, lanionum, pellificum, tonsorum, calceariorum, ac miscellaneae turbae hominum, qui spiritum Luthero non adimat, illius doctrinā e spiritu sancto profectā nō neget, seque non meliore spiritu imbutum clamat ac glorietur? Attende quaeso qui uestri tēpli Architecti, quam sint artis imperiti primo illi quidem neanisci poëtae, haud aliter q̄ de quibus ipsi scribunt gigantes, montem monti imponētes, bellum Ioui facere conabantur, sic his praeteritis annis omnes ecclesiae angulos tentantes, tecta, parietes, columnas, imagines, tabulas, & ipsos etiam parietibus columnisque ferreos clauos, atque alia id genus, quaecunque eorū furori, temeritatique obuia fuerunt, arrepta uiolarunt, cōminuerunt, dissiparūt, quin diuo Petro, atque adeo ipsi Christo manus afferre ausi, homines omnium quos terra tulit sceleratissimi. De haereticis aut peruersis ac factiosis poëtis & grammaticis, non de pijs iuxta ac eruditis, quorum magnam partem adhuc sibi seruauit altissimus, mihi sermo est.

Ridiculi facti iam haeretici.

Ac ne longius abeam, Huttum tuū uide, qui in tuo Nicolspurgeñ. grege disputare, & ut uerius dicam pertinaciter impieque tenere non dubitauit, Christum neque deum, neque dei filium fuisse, sed simplicem prophetam, in originali labe conceptum, & natum. Sunt & inter Lutheranos inuenti, qui Christum ob sua scelera a Iudaeis ultimo supplicio iure affectum temere predicarūt. Hoccine uero est Christum predicare? hoccine est Christi apostolum in euangelium dei segregatum agere? & putabis ultionum deum uindictam non daturum? Amen amē dico tibi, non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Impietas eorum in Christum.

Psal. 120.

D. BALTHASAR. Hac me mēte nunq̄ in uia fuisse scito, quin Huttum cum ea agitaret grauiter obiurgaui, ac nostrum plures, huic malo ut subueniremus ac mederemur, cōuenimus, neque mediusfidius Huttus nisi elapsus fuisset, impune tulisset.

D. FABRI. Tamen in fide uestra, quasi ex praescripto, cuique quodlibet licet & credere et in populum euulgare, ac omnino facere: ita Lutherani uno ore omnes predicant. Tu autem in Huttum animaduertere te paratum fuisse denuncias, quasi uestro in Euangelio, non quod cuique cōmodum est credere & dicere licitū sit, etiam disputare ac publice docere. Sed

Credere quicquid libet.

re. Sed hac uafricie usi, ni fallor, estis, ut dum Catholicos numero pręcellueritis, ui & rusticana coniuratione reliquos in uestras hæreses pertrahere possetis. Proinde deo Opt. Max. gratias nocte ac die ago, qui me ad eam diem seruarit incolumen, qua uideam uos nouos Euangelistas uestram illam regulam lutulentam, luculentam dicere uolui, tandem resipiscētes uanam fateri, edoctos scilicet usu, minime ferendū esse, ut cuiqꝫ liceat, quę uelit credere ac docere, & quęcunqꝫ in buccā (ut dicit) ueniant publice predicare. Nempe sal si infatuatū fuerit, hoc est, doctor si impie errauerit, quid prodest amplius nisi foras ut proijciatur ab hominibus conculcandus? Doctor aberrās est conculcandus sicut sal infatuatum. Matth.5

Sed quæ te tandem caussa impulerit in eam mentem, ecclesiam ut desereres, ac manifestū scripturę sensum grauioris iam ætatis uir pręterires, ostende, te quęso. Ego contra pro uirili mea faciam quod Philippus Eunucho reginæ Candacis fecisse legitur, Euangelizabo tibi Iesum filium Dei. Acto. 8

D. BALTHASAR. Dixit dn̄s, si quis dixerit uobis: ecce hic est Christus, aut illic, nolite illi credere, Iam tamen dicitur: in hoc sacramento est Christus in hac aut in illa ecclesia, altari, templo &c̄. Equidem ita constitui, iuxta Christi doctrinam, credendum non esse, nam ne crederem, in tempore me uia ueritatis præmonuit. Matth.24. Marci 13 Lucæ 17

D. FABRI. Verba quæ adduxisti sunt apud Matth. cap. xxiiij. & Mar. cap. xiij. sed quo spectēt quamuis in partē intelligi ac trahi possint, etiam atqꝫ etiam consyderandum iudico, nempe multi uenient, dicit dominus, qui dicent ego sum Christus, qui seducent multos, & deinceps sequitur, Ecce hic est Christus, si quis uobis dixerit, nolite credere, surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ. Hi autem sunt de quibus nos ut caueremus pie seruator noster pręmonuit, nō enim alium Christum Ioannes digito denotarat, q̄ hūc, quem ad Iordanem deambulantem uidit, quē nos crucifixū predicamus, quem diuus ille Simon Petrus, nō ex carne & sanguine, sed paterna reuelatiōe fidēter cōfessus est esse Christū filium dei uiui, qui ipse coram Caypha, alijsqꝫ nunquam non se filiū dei, seqꝫ Christum appellari passus est. Quando igitur olim erupturi sunt Iudæi, uti iam aliquoties, falsa opinione de aduentu Messiæ decepti affirmare ausi, ut dicant, Ecce in Babylone Christus natus est. Quando Turcæ Mahumetum in Moccha ut Christum ostenderint, iam noli, noli credere, Nam ueluti de deo legitur in ueteri testamēto: audi Israël, dominus deus unus & zelotes est: ita saluator noster Iesus Christus pseudochristos, Christi nomen usurpantes ferre nullo modo potuit, pręuiditqꝫ aliquos aliquando suborituros, qui sese pro Christis uenditaturi essent, foreqꝫ qui in solitudine Christum aut alibi monstrarent, at illis ne crederent imperauit, multos itaqꝫ Christos, ut summatim Christi uoluntatem expendam, hac sententia prohibere uoluit. At nos in hoc Sacramēto nō multos deos, non multos Messias, non Christos statuere præsumimus, sed ubiqꝫ tam cœlo quam terra, uno pluribusue templis aut aris, nō nisi Ecce hic est Christus aut illic. Marci. 13 Ioannis.1 1.Cor.2. Matth.16 Matth.26. Exod.20

unum & eundem Christum, quamuis plurib. locis diuina uirtute esse, Christiana ueritate nihil hæsitantes, docemus & confitemur. Ideoq; graue esset horribileq; auditu, hunc statim a Christi Iesu in coelum ascensione errorem irrepsisse, etenim in uniuerso mundo hoc sacramentũ & creditũ & usurpatum est, perinde ut ad hanc usq; diem tenemus, minimeq; hæsitamus. Et tu triginta ac plurib. annis constantiss. docuisti unum & idem corpus Christi simul esse plurib. in locis, neq; hic & alibi esse, aliud & aliud, sed ubiq; in coelo & in terris unum & idem corpus Christi, & ipse in tuis collectaneis ac racemationib. uidi quæ ex perspectiua, quæ ex physicis notasti ad hanc rem pertinentia, ut anima in toto tota et quælibet eius parte esset, ut speculum integrum unam repræsentaret imaginem, fractum pro particularum numero effigies totidem redderet, ut de Sole illiusq; splendore mirabili, de anguilla in partes dissecta, quibus omnibus oculis subiectis & perceptibilib. fidem uenerabilis Sacramenti firmare conatus es.

Racemationes Balthasari.

1.Cor.13. D. BALTHASAR. Cum paruulus eram, loquebar ut paruulus: nũc uir factus sum ea sententia, ut credam textum Matth. sonare de ultimis mundi temporibus, eaq; a Christi statim ascensione incepisse, & q̃ Paulus, Petrus, Ioannes, eorum meminerint.

D. SALTZER. Sit sane uero ita, quando nos in ultimo sæculo sumus uel potius ultima ætate, Quinq; enim Christi ętatem præcessisse ętates constat: Est tamen nihilominus uerum, hanc prophetiam paulo ante extremum diem iudicij completum iri. Hinc est quod erunt signa in Sole, luna & stellis, & in terris pressurę gentiũ, eruntq; terræ motus, ac Sol obscurabitur, luna non dabit lumen, multaq; id genus prodigiorũ præcedent, neq; antea erit consummatio sæculi, & filius hominis ueniet in tuba ac uoce archangeli, ueniet in maiestate sua cum angelis, &c.

Lucæ 21 Signa multa sæculi consumationem anteibunt.

D. FABRI. Scutare scripturam Euangelij, & inuenies, horum initium a Christi continuo ascensione existere non potuisse, quo modo tu uelle uideris, idcirco falsum est de Sacramento prędictam scripturam intelligi oportere, Nam Matthæus docet, antequam ueniat cõsummatio, predicari oportere Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium gentib. Ostendit porro uenturos pseudochristos & pseudoprophetas, qui facient signa & prodigia, non multo post tribulatione illorum dierum inualescente. Sol & luna non dabunt lumen suum, stellæ de coelo cadent &c̃. Ac in fine sic cõcludit: De illa die & hora nemo scit nisi solus pater, & probatur hoc per dies Noẽ, de quibus ita subinfert: Sicut in diebus Noẽ, ita erit aduẽtus filij hominis. Sicut enim erant in dieb. ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usq; ad eum diem quo intrauit Noẽ in arcam, & non cognouerunt, donec uenit diluuium et tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis, tunc duo erũt in agro, unus assumetur, et unus relinquetur duæ erunt molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquet̃. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora uester dominus uenturus

1.Thessa.4

Matth.24.

turus sit. Et uos estote parati quia nescitis qua hora filius hominis uentu rus est, Hęc Matthæus. Similiter Marcus discipulis signa quę pręcedere debent præscribit.

Atq; ut iterum tibi error pateat de ascensione Christi, refer animum ad hęc Marci. xiij. ubi legit: multi uenient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & multos seducent. Et sequitur: & in omnes gentes primum oportet predicari Euangeliū. Quæ omnia ut ita sint, quod tamen non est, non potes adductos locos aduersus Sacramentum, eiusq; ueritatem uere obijcere, multi Antichristi fuere tempore Ioannis, qui cum se Christos esse gloriarētur, nemo illis, iure optimo, fidem adhibebat. Et ut dem ego tibi Theodan, Iudam Galilæum, de quib. Gamaliel, & alijs in locis id fecisse, tamen Ioannes uerus propheta negauit se Christum esse, & eū q̃ uerus a deo missus Christus uenit, digito designauit, Et uere Andręas ait Simoni Petro: Messiam inuenimus qui est Christus, & Philippus ad Nathanaël: eum quem scripsit Moses in lege & prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. Non alius igitur Christus in solitudine ac angulis, ab Anabaptistis quæri debet, hic ille est Iesus ante sesquimille annos ab angelis predicatus, summi patris filius, ad Iordanē & in monte Thabor multo ante dilectus filius declaratus, nō ergo credendus aut quęrendus est hic aut illic, in templo, solitudine, aut agro Christus alius, nos enim Christiani unū eundemq; Christum ubiq; gentium colimus, eum per quem, ex quo & in quo sunt omnia, per quem salus, uita & resurrectio, qui solus potens, Rex regum, Dominus dominantium, Noli ergo hic trepidare, ubi non est timor, atq; aliud argumentum si uidetur deprome, hoc enim inualidum est gladij instar tuum in iugulum retorti.

Vnus uerus Christus seu Messias. Acto. 5 Ioannis. 1 Matth. 17 Roma. 11 Apoc. 19

D. BALTHASAR. Depromam uero, non q̃ in hac opinione pertinaciter hęrere uelim, sed ut conscientiam meam & intellectū purgem, Dicit scriptura, eum ascendisse sedere ad dexteram dei patris, quomodo igitur potest pluribus in locis esse?

Marci. 16

D. FABRI. Nihil in tota scriptura sacra superfluum aut ociosum esse nosti, cuius unus apex nō interibit, id quod nemo curiosius q̃ Hebręi tradiderūt, Qui non modo quoties dictio aliqua, uerum etiam quoties alphabeti quæuis litera in lege repetita sit, suis numeris et mysterijs declararunt, eaq; omnia ad mysticū quendam intellectum retulerunt. Quare hic opus tibi foret, ut dominus tibi panem frangeret, ac mentis oculos et sensum, ad uidendam scripturā, quasi a natiuitate cæco illo, & in Emaus discipulis aperiret, ut ab oculis tuis squammę, ut Pauli in Damasco reciderent, oblitiq; luto oculi uerum introspicere possent.

Matth. 5 Diligentia Iudęorum in scripturis. Ioan. 9 Lucæ 24 Acto. 9

Iuxta hoc tuum argumentum tria rogabo, Primum uerum est neq; mihi negare poteris, scripturam sanctam aliquib. locis dicere Deum sedere iuxta Cherubin, supra arcam, in excelso throno, et Iesum sedere ad dextram dei patris. Et ita Paulus narrat ad Hebræos: sedet ad dexteram maiestatis suæ. Et Matthæus: uidebitis filium hominis sedentē a dextris uirtutis dei, & uenientem in nubib. cœli, & ea ipsa uerba repetita inuenies in Mar-

Christus in plurib. locis. Hebr. 1. Matth. 26.

Marc. 14 es in Marco, qui & in ultimo Euangelij capite sic ait: assumptus est in cœ
Psalm. 109 lum, & sedet a dextris. Et psalm. cix. sede a dextris meis. Attamen in actis
Acto. 7 uidit Stephanus cœlos apertos & gloriam dei ac Iesum stantẽ a dextris
uirtutis dei. Cæterum alio loco inuenimus ut ad Hebræos primo: sedet
ad dexteram. Ad Ephesi. i. cõstitutus ad dexteram patris in cœlestibus.
Ad Colos. iij. ubi Christus est in dextra dei sedens. Ad Hebręos. x. sedet
in dextra dei. Et ibidem. xij. in dextera sedis dei sedet. At in plerisq; locis
a dextris sedere proponitur, ut iam cõmemoratũ extitit. Sic Mat. xxv. sta-
Acto. 7 tuet oues a dextris dei. Ita Stephanus uidit Iesum a dexteris uirtutis dei.
Matth. 22. Quemadmodum & ipsius Dauid prophetæ dictum in Euangelio repe
Psalm. 109 titum legitur: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et tertio
Marci ult. loco non ignoro, non sane sine mysterio Marcum scripsisse, eum assum-
Acto. 1. ptum esse in cœlum. Et in actis apostoli uiderũt eum euntem in cœlum.
Ad Colos. iij. dominum in cœlo habetis. i. Petri. iij. profectus in cœlum
subiectis sibi angelis, potestatib. et uirtutib. Attamẽ Stephanus uidit cœ
Acto. 7 los apertos, & ibi Iesum stantem. Iam dicit propheta q; ascenderit super
Psalm. 67 cœlum cœli ad orientem, & extat articulus fidei nostræ ascendit ad cœ-
los, sedet dexteram etc. Liquet igitur alias cœlum, alias cœlos sedem dei
esse. Sic Esaiæ. lxvi. Cœlum mihi sedes. Et nos precantes dicimus: pater
Sedes dei noster qui es in cœlis, Et Matth. xvi. potestas datur Petro in cœlis, Et
cœlum uel Matth. xviij. alijs discipulis in cœlo, alibi cœlum, alibi cœli habitatio dei
cœli est. describitur. Iob x. excelsior cœlo est. Psalm. xiij. dominus de cœlo pro-
Matth. 6 spexit. Psalm. viij. a summo cœlo progressus eius. Psalm. cij. dominus in
Lucæ. 11 cœlo parauit sedem suam. Psal. cxxxviij. si ascendero in cœlũ, tu illic es.
Eccle. v. deus in cœlo est. Matth. v. cœlum thronus dei est. Ioan. iij. qui
de cœlo uenit, super omnes est. i. Cor. xv. secundus homo de cœlo cœle
stis. Ad hæc angeli uident faciem patris qui in cœlis est, Matth. xviij. Ad
Psalm. 148 Hebræos. iiij. penetrauit cœlos. Ad Hebræos. vij. excelsior cœlis factus,
& illum laudant cœli cœlorum. Per quæ perspicue ostenditur, illum nõ
uno loco dũtaxat claudi, sed q; in plurib. simul sit locis, uerum est quod
Deus in iij. Regum. viij. legimus cœlum et cœli cœlorum eum capere nequeunt.
pluribus Quid multa? Sole meridiano fit illustrius, iam patrẽ dici in cœlo, iam in
locis est si- cœlis, Dic igitur mihi, quid tria hęc sibi uolunt, sedere et stare ad dextrã,
mul. & ad dextras, in cœlo & in cœlis, aliud, q̃ q; spiritus domini ꝓuidit ali-
quando fore tui similes, qui cum fidei nostræ articulum audituri essent,
sedentem ad dexteram dei, errore seducti, interpretarentur ac si pater
dextra ac sinistra manu præditus esset, illicq; Christus dei filius, perinde
ut clauis affixus, ita sederet, ut latum unguem se inde mouere non pos-
set. O bellum dogma.

D. BALTHASAR. Hoc fieri non debet. Fuerunt enim hęretici, qui
Anthro- deo materialia membra adscripserunt, manus, pedes, oculos &c.
pophormi D. FABRI. Verũ est Anthropophormitę siue Vadiani dicti sunt,
tæ. qui cum e psalmo excepissent, oculi domini super iustos, & aures eius in
Psalm. 33. preces eorum, ac de manibus, digitis, pedibus audijssent, scabellum item
Psalm. pedum

pedum suorũ, prophetas quoqȝ faciem domini expetiuisse, os domini locutum, occidente litera & carnali sensu seducti, deũ materialem & corporeum fecerunt, ut illi, qui quum in Daniele deum uirum ætate prouectum ac grandęuum legerent, barbam ei canam affinxerunt. Psalm. 109 Exod. 33 Esa. 58. Danie. 7

Sic de dextra, & sedere ad dextram, si hanc susceptã imperitorum animis notionem sequi uoluerimus, semper sedentem deum intelligemus, Stephanumqȝ eum sese stãtem uidisse cum fatetur sane mirabimur, uno porro in loco non aũt in coelis foret, quin dexteræ omnipotentis perenniter affixus adhæresceret, diuinamqȝ naturam quæ ab æterno fuit, humana assumptione longe imbecilliorem factam esse dicemus, quandoquidem antea quam uerbum ab æterno caro fieret, ubiqȝ locorum fuit, & iam non nisi uno loco, eoqȝ exiguo quasi cãcellis quibusdam circũscriberetur. Nunquid credis in unum deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli & terrę, & in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum? Nonne uerum est, quod Athanasius docuit, omnipotens est pater, omnipotens filius, omnipotẽs spiritus sanctus? Et ipse de se q̃d ait Gen. xij. Ego deus omnipotens. Exod. xv. omnipotens nomen eius. Thob. xiij. non est deus omnipotens pręter eum. Et de filio scriptum legimus: dum medium silentium tenerent omnia, omnipotẽs sermo tuus domine de regalibus sedibus uenit, Et Iob toties uocat eum omnipotentem, Ipse quoqȝ se omnium, quę sunt in coelo & in terra potestatem habere profitetur. Quid igitur omnipotẽti manus & pedes ligas, atque amputas potius? Credo ego de deo, quod regius ille propheta, Psalmo cxxxviij. quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam: si ascendero in coelum tu illic es, si descẽdero ad inferos tu ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim manus tua deducet me. Tu quoqȝ cogitato qua uirtute, dum illum de monte præcipitare Iudęi, ac lapidibus adobruere tentassent, ipse euaserit, post resurrectionem in Emaus qui se uisibilem exhibuerit, tumqȝ ex oculis repente euanuerit, & hoc uno eodemqȝ resurrectionis die ut in plerisqȝ alijs fuerit locis, ac uisibili forma apparuerit Simoni, Magdalenæ, discipulis præsentibus, in Emaus, reliquis deniqȝ apostolis, idqȝ in locis a sese lõge distantibus, neqȝ lapide prægrandi ne nuncius sepulchrum exeat, aut etiam clausis ianuis ut non intret, ullo pacto prohibetur. Reprobatio huius erroris. Sapien. 18. Iob. 8. 13. 22. Matth. 28. Lucæ 4. Lucæ 24

D. BALTHASAR. In mentem mihi uenit plurium sacræ scripturæ locorum, ut Pauli illud, nos mortem domini annunciare debere donec ueniat. Et duo uiri induti candidis dixerunt: uiri Galilæi quid admiramini aspicientes in coelum? hic Iesus qui a uobis assumptus est in coelum, ita ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in coelum. Si itaqȝ tunc primum ueniet, atqȝ in aduentu secundo, præsens in sacramento altaris esse non potest. 1. Cor. 11. Acto. 1.

D. FABRI.

Si textum penitius introspexeris, alium interpretem nõ requires, uenturum eum affirmant illi uiri quomodo uiderũt eum euntem discipuli, uiderunt autem uisibilem, & uisibiliter coelos conscendere, cuiusmodi uidebunt Matth. 19

debunt eum omnes gentes, quando ueniet sedens in sede maiestatis suę, iuxtaq; duodecim, totidē sedibus iudicaturi duodecim tribus Israël, inde credentes profitemur ut signum illius apparuerit in coelo, sit iudicaturus uiuos ac mortuos, & saeculum per ignem, daturus his qui bona egerunt resurrectionem uitae: his uero qui mala egerunt, resurrectionem iudicij, quomodo de eo aduentu scripturae cecinere prophetarum, & Iohelis prophetia locupletissime testatur. Hic autem Christum in sacramēto esse non negatur, aut dicito mihi, quando dixit discipulis suis, Ecce uobiscum ego sum omnibus diebus usq; in consummationem sęculi, nunquid uerum sit, quod ipse ultimo in recessu promisit? (Matth.28.)

D. BALTHASAR. Per gratiam suam nobiscum est.

D. FABRI. Hęc iam alia glossa, alia interpretatio est. Si autem dixero nobiscum esse omnibus diebus, non modo per gratiam, ut tu ais, sed in sacramento etiam corporalem, qui num eius uerbum habeant, quis me refellet? aut quo pacto me haereseos reum conuinces, si simili modo cum Paulo dixero, in multorum milium fidelium cordibus habitare Christum?

D. BALTHASAR.

At si pluribus in locis est, plura corpora habeat necesse est.

(Matth.26. Mar.14. Luc.24.) D. FABRI. Hoc nos Christiani nequaq̄ admittimus, Corpus enim quod sacratissimis manibus sustinuit, ultima in coena, idem esse quod ad mensam assederit confitemur, Et in presbyteri manu corpus idem est quod in coelis est, non autem duo, tria, pluraue corpora sunt, error ergo est, cuius te poenitere debet, plura Christi corpora esse pluribus in locis affirmare, quum unum esse idemq; diuersis locis asseremus.

D. BALTHASAR. Verum, equidem non reperio in scriptura sacra ipsum pluribus in locis fuisse.

(An deus in plurib. locis.) D. FABRI. Es tu magister in Israël, et quę in Actis apostolicis sunt nescis? Capite enim nono & xxij. ubi Paulus acceptis literis, aduersus Christi fideles toto impetu ruebat, spirans minarum & caedis in discipulos, antequā Damascum uenit, uocē audiuit: Saule Saule quid me persequeris? Respōdit Paulus: domine quis es? Cui dominus: ego sum Iesus quem tu persequeris. Tum Paulus trepidans: dn̄e quid uis ut faciam? Cui dominus &c. Hoc factum est lapidato Stephano, longo post tempore a domini ascensione, nihilominus tamen Paulo praesens fuit ante Damascum, sedetq; ad dexteram dei omnipotentis. D. BALTHASAR.

Visionem fuisse puto, aut Iesum coelitus ei uerba fecisse.

(Quō Christus a Paulo uisus est. Acto.9. Acto.7.) D. FABRI. Quomodo autem uox illa uera fuisset, cum diceret, ego sum Iesus, ut capite nono scriptū est, aut ego sum Iesus a Nazareth quem tu persequeris, si non aderat ipse Iesus? Vanum ergo est tui capitis somnium, quod uisionem fuisse respondes, aut Christum de coelo locutū, glossa tua est nullo scripturae nixa fundamento. Nam si ita facere Christus uoluisset, perinde ut Stephano coelis apertis & stans a dextris uirtutis dei, apparuisset, & ille mox Iesum stantem aut loquentem cognouisset, sed uox illius primo aures perstrinxit, ideoq; interrogat qui sit, cui Iesus respondeat:

respondeat: Ego sum Iesus Nazarenus. Hoc neq; angelus neq; spiritus praeterea alius diceret quisquam. Quod autem eum corporalem uisibiliter intuitus sit, ex Paulo iterum palam faciam, Visus est Cephe, inquit, 1.Cor.15 deinde duodecim apostolis, tum plus quingentis fratribus, ex quibus multi manserunt ad hodiernam diem, reliqui obdormierunt, post uisus Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissime autem omnium, tãquam abortiuo uisus est mihi. Hoc uero non potuit fieri ante ascensionẽ, quia Paulus diu iratus fuit Christiano gregi, & ad persequendum tam uiros quam mulieres, literas ac potestatem accepit, quibus fretus captiuos Hierusalem duceret. Acto.9 Restat ergo post ascensionem hanc perfectam esse historiam, uno eodemq; tẽpore Christum Paulo uisum, & in coelo sedisse. Et proculdubio si quispiam angelorum hac legatione functus esset, sese exhibuisset uti Gabriel Zaccharíae apud Lucam fecisse dicitur. Sed Lucae 1 quid hic difficultatẽ facimus, quum aperte promat historia, dominum dixisse: quid me persequeris? quis es domine Paulus interrogat, & audit, Ego sum Iesus, Domine quid uis me facere, et ait ad illum dominus. Tandem ubi Paulum Ananias conuenerat, inquit Ananias: Saule frater, dominus Iesus misit me, q apparuit tibi in uia qua ueniebas, En qui apparuit tibi, & sequitur: Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis, quomodo in uia uidisset dominum & quia locutus est ei. Nolo hic commemorare ut idem Paulus dominum in templo uiderit, Acto. xxij.

D. BALTHASAR. Quando factũ sit, nihil moror, tam Pauli quam Stephani uisionem coelitus factam aio.

D. FABRI. Quando igitur Paulus, ut dicis, dominum coelitus apparentem, non autem in terris iuxta astãtem uidit, necesse erit Cepham, Ioan.20 Matth.28. undecim Apostolos, Iacobum, quingentos fratres dominum in terris similiter non uidisse, proin mentitos fuisse cum dicerent, uidimus dominum. Et quid de mulieribus dices, quas Iesus ad sepulchrum salutauit, quae eius pedes contrectarunt? Quid de undecim, qui in Galilaea Iesum uiderunt in monte? Marci.16 Quid de Magdalena, quae ipsum apparentem oculis est contuita? Luce 24 Quid etiam q undecim paruae fidei insimulati? Acto.1 Quid de duobus in Emaus? Ioan.20 Quo tandem illa Luc. cap. ult. Surrexit dominus uere & apparauit Simoni? Marci 16 Quomodo eis manus & pedes exhibuit, una manducauit, Lucae 24 in Bethania apparuit? nihil dicam q Ioannes eum ad mare Ioan.20 uiderit, quę nisi uere uiderint, ementita omnia et uana fatebere. Valeant igitur istae leues uestrae notiones, quae Christi maiestatem ac potentiam comminuere conantur.

D. BALTHASAR. Imaginari non possum, qua ratione idem corpus, eodem tempore uaria loca occupet.

D. FABRI. Nicodemum physicis rebus intentum agis, & plane naturalisans es, nec dum splendorem solis, multiplicationem grani, secretionem speculorum, ad unam imaginem reflexiones multiplices, sonas in auribus diuersas, uirtutes spirituum, angelorum agilitatem, & sexcenta Similitudines quõ in plurib. locis sit deus

R id genus

id genus, etiam animam totam in toto corpore, ac qualibet parte iusta ratione expendis. Etenim ex his uisibilibus hoc inuisibile, quod disputamus, facile noscceres, & in hoc sacramento quod miraris forte apud homines impossibile, atqui apud deum, cui omnia sunt possibilia, fieri posse admitteres: non est enim, Gabriele archangelo authore, apud deum impossibile omne uerbum, cuius potentia etiam talis ac tanta est, ut ex lapidibus filios Abrahæ excitare possit. Quod si credenti omnia possibilia sunt, quomodo illi cui subiecta sunt omnia impossibile fuerit uno eodemq; momento pluribus in locis esse? Et te non preterit similitudo de grano synapi, cuius similis fides si cui fuerit, etiam mõtes transferre queat, de quo etiam Paulus meminit. Es sane uero Nicodemus, nimiumq; naturę rationibus intentus, neq; unquam satis expendis, qui fieri possit, homo denuo ut renascatur. Si in fide ac religione nostra ita philosophari, omnia oculis cernere, manibus digitisq; palpitare perges, iam nõ Christianus, sed Physicus eris, neq; quicq̃ credes, nisi manus digitosq; tuos Christi Iesu inseras uulneribus, ut ille male credulus Thomas. Quod tibi tandẽ erit de fide meritũ humanis experimẽtis omnia metienti? Quomodo fidẽ deinde definies rerũ nõ apparentiũ argumentũ? an nescis, beatos esse eos qui nõ uiderũt & crediderũt? stultus reuera & corde, & ad credẽdũ tardus, cito auditurus, modicæ fidei q̃re dubitasti? Iam de fide (proh dolor) quã perpetuo inculcas ac ore p̃dicas, mẽte excidisti, & quantũ cõiectura assequor, resurrectionẽ etiã & inferorũ supplicia uix credes, tametsi Mosen habeas & prophetas, nisi pater Abraham tibi unum e mortuis resuscitet, qui hęc, quæ credimus, uera esse pronunciet. Nisi sensibus rem comprehendas impossibilem putas, oblitus quæ in Peripateticorũ schola aliquando tractauimus, sicut se oculus nycticoracis habeat ad lumen solis, ita nostrum intellectum in manifestissimis naturæ offendere ac hallucinari. Eorum quę cõdita sunt, Salomon, omnium quos terra tulit sapientiss. rationem inuestigare non ualuit, Tu diuina mysteria omnia rationis examine expendes? Quin resipisce, ac in simplicitate cordis Deo adhæresce, in illius uerbo indubitanter fide, & bene erit animæ tuæ.

Marginalia: Lucæ 18 · Lucæ 1. · Matth. 3. · Marci 9 · Matth. 17 · Credibilia multa supra naturę uires. · Ioan. 3 · Ioan. 20 · Hebr. 11 · Ioan. 20 · Matth. 14. · Lucæ 16 · Eccle. 1

D. MARCVS QVAESTOR Si ita scripturã intelligere uoles, non erit fides nostra, nisi eorum, quę oculorum approbationem non effugiunt. Quę eiusmodi tandẽ fides est? Et si ita de Christo imaginari perges, omni eum potestate spoliaueris, qui fons est omnium.

D. FABRI. Si cuiq; quod libet imaginari licuerit, ut quo pacto Christus coelos conscenderit, ubi sedeat &c. & in nihilo assentiri uolemus, nisi coram cernamus, et imbecilli discursu nostrę rationis ilico comprehendamus, non uideo quomodo symbolum apostolorum, ipsa etiam trinitas queat subsistere, ut cętera interim taceã, quę quis erit qui suo captu inueniet, inuentis ut assentiri tuto audeat? Vanũ est itaq; ad stultæ conscientiæ regulam, æternæ sapientię secretiora expendere, sed recte & pie fieri puto, conscientiam nostram in fide (ut ante admonui) ueluti captiuam continere, in obsequium Christi, ne nimiũ alta sapiamus, neue

Marginalia: Nõ omia humana ratione cõprehendi posse.

altiora

altiora nobis contra Salomonem curiose nostram in perniciem inquiramus. Scis illud non abs re Paulum scripsisse: fide stas, noli alta sapere sed time, & eundem Paulum docuisse non plus sapere q̃ oportet, sed sapere ad sobrietatem. Et idem Paulus non mediocriter gloriatur ad Corinth. quod non in sublimitate sermonis, id est bene culta & ornata dicendi facultate ac copia, necq; in humana sapientia ad eos uenerit. Cumq; de dei prouidentia ac prædestinatione & alijs rebus diuinis multa idem gentium doctor disseruisset, quasi desperans tandem exclamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, q̃ incomprehensibilia sunt iudicia eius, quam inuestigabiles uiæ eius, Quis nouit sensum domini? quis consiliarius eius fuit? Quocirca id consilij dedero, ut nos in hac uita tales simus, atq; ita in uia domini ambulemus, ut olim cum gaudio, qui hic in speculo, umbra, ænigmate ac ueluti nubilo, libere & secure uideamus, cunctisq; bonis perpetuo fruamur. Ad hæc meæ conscientiæ tibi rationem reddo, me scilicet nullo pacto grauari, etiamsi intelligere aut comprehẽdere non queam, qui fiat, ut uirgo inuiolata sine sexu feminecq; uirili concipiat, & mortui ad archangeli uocẽ excitẽtur, ac Lazarus quatriduanus, iam foetẽs cũ audierit, Lazare ueni foras, ilico ex sepulchro prodierit, ut cæcus natus lumen receperit, etsi a sæculo non sit auditum. Quę si peruestigare non possum, cõtinuo ne idcirco fidei desertor fiam? Procul procul absit, idq; summus deus prohibeat.

Rom.2. Roma.12 1.Cor.2 Rom.11 Lucæ 1. 1.Thes.4 Ioan.11 Ioan.9

Quod ad hanc rem attinet, bene quieta, summi dei gratia, conscientia sum, quando & de sacramento & alijs eiusmodi scripturam habeo, quæ nullis ambagibus imo clarissimis & e medio sumptis uerbis, congruentibus plurimis locis me erudit, mihi fidei mysteria aperit, eam apprehendam, eam tenebo manibus utrisq;, a mecq; non dimittam: uox dilecti dulcis est in auribus meis, quę testatur hic esse corpus Christi, hic esse sanguinem: dulcia sunt & semper erunt eloquia illius faucibus meis, & super mel ori meo. Quid murmurẽ cum Israelitis? Quid dubitẽ cum Capharnaitis? Quomodo discedã ab illo, cuius uerba spiritus & uita sunt? Quin tibi uno uerbo cum Pythagoricis discipulis respõdeo αυτοσ εφη id est, ipse dixit, nempe ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Quid hic ergo detraham de testamẽto nouo & ęterno? Præter hoc aliud non habeo, aliud necq; didici necq; scio, manebit itaq; hoc solo ueritatis uerbo apud me integrum quam diu uiuã, et simplicitate columbina credam, panem in corpus, uinum in sanguinem mutari. Cæterum qualiter & quomodo fieri possit nihil laboro, Accipio ex Euãgelio dñm magistrum cęco nato lumen reddidisse, id constanter credo, necq; pertinaciter, Iudæorum more, obluctor qui fieri posset. Credo insuper, ut Euangelio doceor, paralyticum pluresq; alios pristinam ualetudinem recepisse, de oleo, unguento, syrupis, pharmacis, emplastris, de curandi modo nihil sum sollicitus, necq; qua ratione conualuerint quæro.

Eucharistiæ mysteria simpliciter credẽda, non in dubiũ uocãda sunt. Psalm. 118. Exod. 16 Ioan.6 Psalm.148 Ioan.9 Matth. 9

Atq; unum hic præterire non possum, quin tibi dicam de Oecolampadio consodali olim tuo, qui tamen te omnium maxime de puerorum

Error Oecolãpadij de ianuis clausis.

baptiſmo hodie oppugnat, cum ad diſputationem Badenſem confluxiſ-
Ioan.20. ſemus, ueniſſemuſq; ad hiſtoriam, qua ratione Chriſtus clauſis ianuis ad
diſcipulos ingreſſus ſit, cum id ſuo intellectu quō factum fuerit, non in-
uenire potuiſſet, ianuam apertam reſpondit, & tum primum cum Ieſus
ingreſſus eſſet, clauſam fuiſſe, Perinde atq; Chriſto ante fores prӕſtolan-
Acto.12. dum fuerit, quemadmodum Petro cum e carcere liberaretur. An nō im
pia eſt hæc interpretatio & plane uiolenta prædatio, a Chriſto aufer-
re poteſtatem, clauſas fores penetrandi? Quid, quod amotus eſt lapis
Mar.16. ualde magnus a ſepulchro, & dominus reſurrexit, auditaq; uox: Ieſum
Nazarenum crucifixum quæritis, ſurrexit, non eſt hic, uidete locum ubi
poſuerūt eum? Idem mare obambulabat, Eiuſq; diſcipulo Petro a pedi-
Matth.14. bus ſponte ſolutæ cathenæ recidebant, mediaq; nocte ianua patebat,
Acto.12. Omnes ianuӕ Paulo & Sylӕ ſeſe aperiebant: Vnus Ieſus apoſtatæ mona
cho pro ianua ſtare cogitur, nec quoad aperiatur, ingredi poteſt. An nō
Acto.16. iuſte precabor hic, qui Chriſtum negat omnipotentem, anathema ſit ma
1.Cor.16. ranatha? Suſpectiſſimum uere mihi eſt hoc hominum genus, Zuinglia-
num, Oecolampadiumq;, quod minimæ credant, perfrictæ frontis ho-
mines, Chriſtum cœlos conſcendiſſe, quoniamquidem qua ratione id fi
eri poſſet, in mentem includere nequeant.

D. BALTHASAR. Facere non poſſum quin confitear, primū Oeco
lampadium fuiſſe, qui meæ de puerorū baptiſmo ſētētiӕ propria manu
ſubſcripſerit. Iam non ſentio Chriſtum clauſis ianuis ad diſcipulos pene-
trare nequiuiſſe, Nam huiuſmodi, & quod de reſurrectiōe eſt, e philoſo-
phia uideor probare poſſe. Quare diſplicuit mihi ſemper, hac tempeſta-
te eſſe quoſdam, qui & leges & philoſophiam damnant.

Anabaptiſtis ſubſcripſit Oecolampadius

D. FABRI. Atqui amabo ſtemus Pauli textui ad Rom. primo, inui
ſibilia dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpici, ſem-
piternam quoq; eius uirtutem & diuinitatē ad contemplandum diuina
prodeſſe, neq; fruſtra eſſe quod toties nos ſaluator noſter ad creaturarū
conſyderationes adhortatus eſt, Hinc uolatilia cœli, lilia agri, ſemē in ter
ra, uitem, ficum, flaueſcentem ſegetem, arborem, triticum, paleas, ſolem,
uulpes, & oues, lupos atq; alia id genus naturæ exēpla proponit, in qui-
bus ſi nō omni, aliqua ſaltem ex parte maieſtatem creatoris, & ut omnia
numero, menſura, pondere ab eo conſtituta ſunt, contēplari & animad-
uertere liceret. Articulos aūt fidei omnes e philoſophia probare impoſſi
bile eſt. Loquere tamen, licet, quomodo Ariſtoteles, de primo motore,
de uno ente, de bono optimo, Apud Peripateticos, principium & cau-
ſam rerum om̄ium ſummam, primum motorem eſſe probabis: Cum ue
ro Iudæus aut gentilis aliquis a fide abhorreat, neq; te neq; quenq̄ mor-
talium audiet, neq; te tanti et tam acuti ingenij philoſophum eſſe tamq;
potētem exiſtimo, ut, niſi ipſe uel gentilis uel Iudӕus ſponte animum in-
duxerit, perſuadere poſſis. Sed ad hoc quod forte inciderat abeamus, &
ad dictum domini Ioan. vi. ueniamus, & ueritatem huius ſacramenti ma
nifeſta, & indubitata confirmatione comprobemus.

Ecce ait

Ecce ait dominus, panẽ quem ego dabo caro mea est, dabo pro mũdi uita, hic quanq̃ uetus translatio unum tantum dabo habet, tamen geminum est sic: panem quem ego dabo caro mea est, dabo pro mundi uita, hinc equidem excipio, quum dominus ueritas sit, & os domini locutum, qui ut Paulus ait mentiri nequit, neq; mutatur ut homo (ait in numeris Balaam ad Balach) sed quæ promisit incõcusse seruat, cum et promissa ex omni potentia quidem sua potens est facere. Quocirca nunq̃ mihi placuit, q̃ noui Christiani, nouorumq; dogmatũ autores, suo impietatis more argutantur, uerum quidem esse promissas Petro claues per uerbum, dabo, nunq̃ autem datas in Euãgelio reperiatur, Petrum itaq; habere claues pertinacissime negant, sic illi homines belli mendacem faciunt Christum, qui datas Petro claues iam promisit, promissas uero non præstiterit. Simili modo polliceatur se panem daturum qui caro sua sit, hunc uero nullibi reddiderit. Hæc prophetia de carne quidẽ est quemadmodũ de baptismo, uel potius pactio quædam, & testamentum, neq; patitur aut uult ueritas ut in uẽtum abeat, Vnde psalm. ciiij. Memor fuit in sæculum testamenti sui, uerbi quod mandauit in mille generationes. Et iterum Psalm. lxxxviij. Neq; prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Aperuit itaq; os suum, promisitq; se daturũ panem qui caro illius esset, seseq; daturũ illam pollicitus est pro mũdi uita, & ille, nisi nihil aut uideam aut sentiam, alius esse non potest præter hũc panem impositum in cœna dominica, qui benedictione & uirtute diuina transit aut mutatur in corpus. Ex illis itaq;, & iam inductis uerbis liquet hic uerum sacrosanctum corpus domini nostri Iesu Christi tractari & esse. Hic de te mihi sic persuadeo, si fuisses Nicodemus ille, cui diceret Iesus ea quę apud Ioãnem cap. iij. sic scripta legimus: Quis ascendit in cœlum nisi qui descẽdit, filius hominis qui est in cœlo? In mentem tibi quid uero uenisset? qualis uisus tibi filius hominis in cœlo esset, qui hæc stans in terra dicere auderet, utpote filius hominis qui est in cœlo? Proculdubio quemadmodum olim Capharnaitę submurmurasses, dixissesq; durum esse sermonem, Magna itaq; me de uobis omnibus admiratio tenet, qui huic sacrosancto sacramento uim afferre paratis, Indies pleno ore tonatis de Euangelio, de uerbo, de Christo, & ut cadat flos, areat fœnum, nihil stabile sit, solum uerbum domini maneat in æternum, etiam Stentorea uoce clamantes, Et hoc loco non Mosi, non Esaiæ, non Hieremiæ, non alterius cuiuspiam prophetæ aut uiri alicuius sancti uerba tractamus, sed plane illud quod os illud aureũ, os ueritatis manifeste testatur, dicẽs: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, & adhuc tu modice fidei, quare dubitasti? clamabis itaq; ad dominum, ut tibi fidem adaugeat, ut adiuuet incredulitatem tuam. Hòc fac & uiues.

Veritas Sacramenti Eucharistiæ. Ioan. 6 Nume. 23. Roma. 4 Matth. 16 Ioan. 6 Ioan. 3 Ioan. 6 Ioan. 6 Increduli Christo Anabaptistæ. Esaiæ 40 Lucæ 22 Matth. 14 Lucæ 17 Marci 9 Lucæ 10

D. BALTHASAR. Si saltem intellectu meo assequi possem qui fieri uel etiam qua ratione hoc ipsum fieri posset, nempe quod idem corpus in cœlo sit atq; in terra.

D. FABRI. Pergis adhuc esse Nicodemus naturalizans. Propone
Ioan.3 tibi caussas, & quur Christus anteq̃ coelos ascenderat, locutus ad discipu
Matth.28. los, quæ consolationem summam habent, Mihi data est (inquit) omnis
Omia possibilia Christo. potestas in coelo & in terra. Cōsyderato itaq; utrum ad credendum faci
lius, hoc ne quod de sacramento, an illud quod & tibi & mihi scriptura
Matth.24. loquitur, non uno in loco? Quid Matthæus: ueniet filius hominis in nu-
bibus coeli, ueniet in gloria maiestatis, ueniet ut iudicet uiuos & mortu-
Ioan.5 os, nam pater omne iudicium dedit filio, Et insuper scriptura, ut sicut pa
Ioan.11 ter quem uult uiuificat, ita etiam filius. Neq; id solum uita gratiæ & spiri
Lucæ 7. tuali, uerumetiam qua nos uiuimus corporali, quod de Lazaro, de uni-
co uiduæ filio &c̃. manifestum fit, & Ioannis x. potestatem habeo ponē-
di animam, & iterum sumendi eã. Et in hoc capite perpende quæso, quã-
do Iudæi ei manus afferre conabantur, quam mirabili uirtute eorũ ocu-
los uimq; declinauerit, deuitaueritq;. Neq; absq; ratiōe dixit: Cũ exalta
Ioan.12. tus fuero a terra, oĩa trahã ad me. Ideoq; alio loco fatetur sibi patrẽ de
disse potestatẽ omnis carnis, dixisseq;: omnia mea tua sunt, et tua mea. Et
Ioan.17. Paulus scribit ad Roma. xiiij. In hoc Christus mortuus est et resurrexit,
ut & uiuorũ & mortuorũ dominetur. Quomodò igitur admittis apud
nos, imo in cordibus nostris ac pluribus in locis Christum esse per gra-
tiam, & recte admittis, Christus enim nutrit et sustẽtat ecclesiã ad Ephe.
Roma.15 v. Ideoq; Paulus dicit, se loqui non audere quicquam eorum, quæ Chri-
stus per se non fecerit. Cur igitur eum hac potestate exuis, ut non in hoc
aut alio loco esse possit? Vtcunq; potẽs sit ille in coelo & in terra, fatebe
Ioan.21 re mihi, nisi antieuãgelistam agere uelis. Christus ipse omnia nouit, ut Pe
trus apud Ioan. ingenue expressit, dicẽs: Tu oĩa nosti, tu scis quia amo
Lu.4.11.21. te. Cognouit Phariscorũ et seniorũ etiã nõ loquentiũ corda, & a resurre-
Ioan.20 ctione legimus quodam loco biseum clausis ianuis ingressum ad discipu
los penetrasse, hoc si cōsyderas, quid audes caperata frōte sua omnipotẽ-
tia eum spoliare? An te fugit quę de Christi natiuitate scriptura loquitur,
Sapien.18 & ecclesia cantat, Omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus uenit?

Quapropter mi doctor te quęso mecũ Paulum hominem & imita-
Paulũ imitari debemus. torem Pauli age, confiteare cum eo, hoc est nobili illo Tharsensi docto-
re gentium, qui nõ modo ad pedes Gamalielis aliquandiu paternas tra-
ditiones hausit, atq; edidicit, sed & in tertiũ coelum raptus uidit & audi-
Acto.22 uit quæ non licet homini loqui, quiq; uere dicit i. Corinth. ix. se uidisse
2.Cor.12 Christum dominum nostrũ, sicuti & antea ex i. Corinth. xv. tibi osten-
1.Cor.11 di. Diffidere non potes Christum esse omnia in omnibus, Confitere ita-
1.Cor.15 q; rursus cum diuo Paulo, hunc solum sanctum & potentem, rege mre
1.Cor.12 gum, dominum dominãtium. Iterum cōfitebere cum eodem Paulo, de-
Colos.3. um iuxta Dauidis prophetiam illi omnia subiecisse. Quod si omnia sub-
1.Tim.6 iecit illi, nihil ergo prętermisit quod non sit illi subiectum. A te itaq; ite-
Hebr.2 rum, mi doctor, gloriam, uirtutem, omnipotentiam, gratiam, bonita-
Psalm.8 tem Christi, in hoc Sacramento ne reijcito, sed iuxta scripturam in sim-
Sapien.1. plicitate cordis tui dominum quære, & secundum uerbum promissaq;
illius

illius cum inuenies, si simplex fueris ut columba, quod ut possis tribuat tibi is, ex quo, per quem & in quo sunt omnia, Cui sit laus, honor & gloria in æternum & ultra, Amen. Math. 10 Rom. 11.

De Sacrificio Missæ CAP. VI.

In his dictis D. Marcus quæstor & doctor Saltzerus cum pluribus uerbis uarie mouerũt, ut illa scripturę uerba de institutione sacrosancti mysterij eo modo atq; ita intelligeret, quo modo omnes Christi martyres, omnesque pij ac sancti uiri dei, qui etiã suo sanguine Christi uineã irrigarunt, tot sęculis et plene et recte intellexissent, & ut a cõmuni fideliũ & simplici intellectu nõ discederet. D. Marcus & Salzerus.

D. BALTHASAR. Etsi crederem hic esse uerum corpus & uerũ sanguinem Christi, Vnum tamen solicitum me habet, quod sacramentum, oblationem, sacrificiumue esse nõ credo, quomodo uulgo ecclesia tenet.

D. FABRI. Apud me non memini ullum unquam fuisse uel Christi fidelium uel hæreticorum qui in dubium disputationemue traxisset, hoc Sacramentum, sacrificiũ an esset an non. Sacrificium autẽ esse omnes in uniuersum doctores Christiani, etiam hæretici docuerunt, & ita communis usus ecclesiæ seruauit semper, quoad orbis terræ p inimicũ hominem, religionis nostræ pestem abhominabilem, Germaniæ maculam impuram Lutherũ defœdatus est, Qui ut impie nefarieq; multa nouauit, sic huius etiã sceleratę opinionis autor primus fuit, Missam non esse sacrificium, & sublato eo abominationem in sanctum templum dei inuexit. Altaris sacramentũ esse sacrificium. Lutherus. Danie. 9.

D. BALTHASAR. Hic mihi memoriam acuis ad argumentum aduersus Sacramentum. Nempe hoc scriptum est: scimus deum non habitare in templo manu facto. Non igitur potest hoc uel Sacramentum uel sacrificium esse ullo modo. Acto. 7. Esa. 66.

D. FABRI. Eo argumento duabus de causis nihil conficies, Nam Stephanus ideo dictum usurpauit, ut probaret deũ omni in loco esse & ubiq;. Ideoq; illud Esaiæ. lxvi, induxit, quod cuiusmodi sit uidere oportet, Ait enim: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorũ. Verbis his uoluit ostẽdere prothomartyr ille, et uere coronatus a Deo, plurib. locis Deum esse, quod tamen non admittis, neq; hoc contra me sed aduersus te facit argumentũ, tuoq; gladio peris. Esaias hęc locutus in uoce domini fuerat, At angelus e Seraphin tibi optandus est, qui tua ut Esaiæ labia calculo, quem forcipe de altari sumpserit, purget. Esa. 6.

Veritas est & diffiteri non poteris, q̃ ideo templum Salomonis, tot sumptibus in sextum et quadragesimum usq; annum extructum, nõ solo æquatum est, cum Deo sedes cœlum sit etc̃, de quo templo iij. Regũ, in quo & gloria domini adparuerit. Ad hæc neq; ideo cecidit prophetia quæ dicit domũ dñi domũ orationis esse, Alioqui iniuria affecisset Iesus ementes & uendentes in templo, cum indignatione accensus eos de funiculis quasi flagellum faciens e templo eijceret, dicens: Domus mea domus orationis est. In quo q̃dem tẽplo plurib. annis prophetissa illa Anna Phanuelis filia ieiunijs et orationib. uacans Deo seruijt, In quo & Simeon Templum frequentari debere. Ioan. 2. Esa. 66. 3. Reg. 8. Esa. 56. Ioan. 2.

meon ille uir iustus & timens Deum in ulnas suas puerum accepit. Scis præterea Euangelium Lucæ, quo fine claudatur, Nempe sic ait: Fa-
Luc.2. ctum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in coelum. Et
Luc.24. ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, Et erant
Acto.3. semper in templo laudantes & benedicentes deum. Ita Petrus & Ioan-
Acto.10. nes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Et quamuis
1.Tim.2. Petrus in Ioppe etiam in superiori parte domus, et Paulus in statione publica, in littore, in naui, atque aliis in locis orauerint, imo uiros orare omni loco permiserint, eam tamen ob causam neque arca foederis, supra quam sedit exercituum dominus, neque templum euertitur.

Quo circa uobis nouis Euangelistis adhuc ad orandum locus in templo idoneus Christiana religione obseruatur, qua ergo Euangelii autoritate armati, nefario ausu tēpla omnia labefactare, spoliare, solo æquare conati estis? Atque dictum hoc Esaiæ si (ut tu existimas) intelligatur,
Esa.66. quasi in templo tanquam electo loco non sit dominus, certum est Chri-
Luc.2. stum deum & hominem in templo in ulnis pii Simeonis, etiam duode-
Ioan.10. Ibidem 18. cim annos habentem, simul & in encæniis, non suspectum non fuisse, neque uera erant quæ ad Caypham locutus est dominus, quod quotidie docuerit in templo. Nam iuxta uestrum intellectum Christus neque corporaliter neque sacramentaliter in templo esse potuit, eoque procedetis, ut damnatorum Manichæorū impiis decretis uobis standum sit, qui cor-
Apo.2.3. pus Christum habuisse fantasticum impie asseuerarunt. Quamobrem si aures habes audiendi, audi quid spiritus dicat ecclesiis.

D. BALTHASAR. Quomodo probabis hoc sacramentum esse sacrificium, ut hæc missa faciamus?

Esa.12. D. FABRI. Aquas hauries de fontibus saluatoris. Principio Danie-
Missam esse sacrificium. lis sancti prophetæ dictum proponamus, qui cap. xii. scribit in hæc uerba: Impie agent impii, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent, & a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem. Ex his Danielis uerbis reperis sacrificium, quod lingua Chaldaica et Hebraica Tauid adpellatur, secundū nos iuge sacrificiū, quod & sub Antichristi tempus e medio tolletur, habetque tempus suum in Daniele & Apocalypsi Ioan. cap. xii. ubi loquitur utrunque de tempore temporibusque & dimidio temporis.

D. BALTHASAR. Quot tandem anni sunt?

Quid tempus, tempora, & dimidiū temporis. D. FABRI. Per tempus annum unum intelligo, Tempora uero annos duos, & dimidium temporis dimidiū annum. Erunt itaque tres anni cum dimidio. Et hi sunt dies & tempora, etiam in Daniele expressa, moxque præcedit ultimam sæculi consummationem, & deinceps Cap. x. xi. & xii. propheta Daniel legitur de Antichristo, qui priusquam intereat, tribus annis cum dimidio ante, hoc sacrificiū cessabit: Contra abominatio excitabitur in templo.

Cum itaque in tribus locis iuge sacrificium multo tempore duraturum Daniel propheta pronunciet, neque aliud in ecclesia iuge sacrificium præ-

ter quod in altari offerimus reperies, restabit ut hoc sacramentum recte predicatum, sit iuge, purum, ac per omnia incontaminatum sacrificium, quod saluator tam uiuis quam mortuis in salutem prestiterit, Aliis ex lege Mosi sacrificiis lapsis & abolitis. Matth. 11 Lucae 16 Ro. 6. 7. 8. Galat. 5

D. BALTHASAR. Saepe ego prophetam uidi reuidique, in eo inueni Idolum Maozim, cuius mentio fit a propheta Daniele cap. xi. Hunc ego missae autorem iudicaui, In patria enim mea Bauarico ideomate missa a Maozim nomine non multum dissonat. Hanc ego abominationem in templo oriri id est a missa & idolo Maozim missam uocari semper cogitaui. Maozim Inepta allusio.

D. FABRI. Ego uero aliam rationem dico. Nam ex. viij. ix. xi. & xij. cap. Danielis liquet, prophetam grauiter ferre, tempore Antichristi iuge sacrificium ablatum iri, eiusque loco abominationem imponi. Quod cum ita sit, iam Maozim non Idolum missae est, Vos autem Maozitae plane estis, illius Antichristi ingenium, mores, instituta omnia repraesentantes, quod perspicue ca. xi. Danielis expressum est. Primo, inquit propheta, faciet quae patres eius non fecerunt, & patres patrum eius. Age mi doctor libet dicere ut scriptum est, Interroga patres tuos, interroga maiores per omnes generationes, & dicent tibi, quando maiores nostri ex omni memoria adeo insania furoris amentiaeque plena scelerate, impie, nefarie cum summo dei hominumque cōtemptu abominabilia instituta tenuerunt aut secuti sunt, qualia (proh dolor) nuper uestris concionibus a paucis annis concitata per uniuersam Germaniam proruperūt? Quamobrem haec ad uos, non ad nos neque ad sacerdotes catholicos prophetia pertinet. Vos itaque designat impios, propheta, Nos uero non taxat, qui honesto pioque cultu uno spiritu unanimes & concordi deuotione Deo seruimus. Maozitae Anabaptistae sunt & Lutherani

Secundo scribit propheta de rapinis & praeda, refer nunc animum ad rusticorum articulos, quorum tu primus, & praecipuus autor extiteras, in quibus sub Euangelii praetextu docebas eiiciendos reges, euertenda castra, perdendos nobiles, nouos magistratus instituisti, ita quod rapinis & praedae exposueris omnia. Tu quaeso oculos ad usuras conuerte, quas uestri belli euangelistae absque omni conscientia mercatoribus exercendas admittunt, ubi uera apud illos Theologiae studia contempta concidere. Danie. 11. Rusticanorum articulorum auctor.

Tertio propheta mentionem facit ingentium tumultuum ac bellorū. Iam ab Arrio mihi tempus ostende, in quo tot agrestium milia, tantus subditorum numerus aduersus magistratus dominosque suos etiam in locustarum morem insurrexerint? Qui etsi magnis cladibus perculsi iaceāt, tamen non est incendium prorsus restinctum. Ideoque sequitur: Rex Austri prouocabitur ad bellum multis auxiliis & fortib. nimis, & non stabunt, quia inibunt aduersus illum consilia, & comedētes panem cum eo conterent illum, exercitusque eius supprimetur, & cadent interfecti plurimi, Duorumque regum, rusticorum & Lutheranorum malefacta praedixit pro- Danie. 11 Rusticorū saeuitia. Danie. 11

xit propheta dicens: Cor eorũ erit ut male faciant, & ad mensam unam loquentur mendacium &c̄. Hic plane & rotundo ore dicam quod sentio, ab orbe condito eiusmodi tempora fuisse non credo, totq; pestilentium mendaciorum Lerna confecta, atq; hæc nostra. Quid enim aliud noui euangelistæ agunt, q̃ ut nugas speciosas nugis, mendacia mendacijs cumulent?

Lutherus gerro ac mendaciorum patronus.

De alijs ut taceam, audi de me patienter, quid gerro ille & mendaciorum patronus apostata Lutherus in me effinxerit, quando sub (fœlicis recordationis) sanctissimæ uitæ & præcellentissimæ doctrinæ summo pontifici Adriano sexto, ego catholicæ ueritatis tuendę studio, illius scriptis me opposuissem, mox, ut solet in optimos quosq; uindictam cogitare, super primam ad Corinthios epistolam cap. vij. impudentissimo ore suo, spurcissima quæq; in castas deoq; dicatas uirgines deblaterans, mendacium hoc effingere non est ueritus, me magnum uolumen contra sacramentum matrimonij scripsisse, quo me ad imperitum, ignobile, & iam furijs Lutheranis incitatum uulgus traduceret. Hæc publice impręssa multis milibus exemplarium, Almanico sermone diuulgauit, & licet hanc rem tentare mihi in mentem nunq̃ uenit, at multa milia hominum in hanc sententiam pertracti sunt, qui quasi pro aris & focis pugnaturi cordibus suis imbiberunt, me matrimonio sancto aduersari, neque eam opinionem de me male conceptam eruere facile poteram. Existunt præterea innumera admirabiliora mendacia (quod te non fugit) quæ profecto non ex deo, sed ex eorum patre diabolo proficiscũtur, qui huiusmodi mendacijs ab Eua prima parente mundum uexare non intermisit. Et hic uide quam eleganti & breui compendio Lutheranos depinxerit cytharœdus ille propheta regius Psal. xiij. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est q̃ui faciat bonum, non est usq; ad unum. Sepulchrum est patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant, uenenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infœlicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, non est timor dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis? En quã scite, q̃ proprie Cretenses & inquietos Lutheranos depinxit propheta.

Ioan. 8. Gen. 3. Lutheranos depinxit propheta. Psalm. 13.

Sed ad Danielem redeo. Propheta ait, quemadmodum contra ciuitatem sanctam impij impie agant & iuge sacrificium ablaturi sunt atq; in testamentũ fraudulenter simulabunt. Hoc aut uos facitis, qui quantumuis loca sacra contemnitis, uiolatis, diripitis, solo ęquatis, ut canes omnia sacra laniatis, ut Iebusęi, & porci margaritas conculcatis, omnium diuorum imagines, simulachra, statuas, tum ipsum crucifixum uiolenta manu tẽtatis, rumpitis, crematis, abolere conamini, iuge porro sacrificium, quantum in uobis fuerit, abrogastis, abominationem, de qua xi. cap. Daniel, induxistis. Hic plane deus est Maozim, quem uos reuera colitis, etsi nomen eius in nos inuidiose & per iniuriam torquetis. Vos enim ueritatem sa-

Danie. 11. Sacrilegia Lutheranorum. Matth. 7.

Maozim deus.

tem sacrosancti sacramenti aboleuistis, coenam domini pane, uino, delicatisque epulis, quibus corpus pasceretur prophanastis.

Et ut Daniel recte praeuidit, uestri anabaptistae, Morauia & multis alijs in locis, Apozella scilicet, patres, filij matres, fratres sorores &c. beluarum & Cynicorum more nefarie abutuntur, turpitudinem hanc de qua Paulus ad Romanos capite primo, ni fallor, subodoramini atque intelligitis. Vestri igitur sectatores circa hoc Idolum nouum, ut populus Israël circum uitulum aureum saltat ac tripudiat, & haec uestra est noua Maozim missa, quam dei gratia orthodoxae ecclesiae animi perpetuo respuerunt, atque hodie exibilant. Quapropter huius prophetae uim experimini, abominationemque Danielis, de qua & Christus Mat. cap. xxiiij. et Mar. xiiij. concitastis, & adhuc dicitis tandem coenam esse dominicam, quod diaboli symposium potius & Maozim, abominationem Molochicam uerius adpellamus. Abominationem hanc Lutherus docuit, ac promouit, qui uirginem negauit amplius undecim annis castã posse manere, qui mulieribus uiros plures, sub specie & umbra Euangelij pietatisque conciliat. Haec plane abominatio iugis sacrificij loco recepta, faxit uelitque deus, ut ante corporis nostri dissolutionem manifesta fiat inter Socraticos notissima turba Cynoedos. At unũ q̃d dicam praeterire non possum, quando iuxta hanc nouam consuetudinem, in nos conferre criminum culpam soletis, summa cum iniuria festucã ex nostris oculis eruentes, prominentem uero trabem in oculis uestris ut non uideatis, maxime miror. Itaque uos esse eos ac tales puto, de quibus praedixerit Paulus ad Thessal. qui fidem deserturi sitis. Haec tibi enarrare ac liberius edicere oportuit, quando te mensam domini, mensa daemoniorum cõmutasse, idque animo indurato concepisse sensi. Alioquin tecum, ut antea, paulo mitius egissem. At si sapis, iniquo animo nõ feres, tu de missa contra nos catholicos dicere coeperas quae uoluisti, audire te itaque oportuit quae non uis.

Anabaptistarum turpitudo.

Exo.32.

Abhominatio Molochica.

Hanc Lutherus docuit.

Matth.7.

2.Thess.3.

1.Cor.10.

Terẽtius.

D. BALTHASAR. Aequo animo ferre uolo, quae de Maozim dixisti, nam mihi ut forte uenit in mẽtem, sic protuli, missam a Maozim deriuari.

Insulsa allusio.

D. FABRI. Maozim Chaldaice, ut Daniel magna ex parte Chaldaice scriptus est, significat habitationem roboris, Missach uero Hebraice, unde missae nomen est, Ex v. Mosi libro idem quod oblatio. Hinc etiam & nomen & sacrificium ortum habere noscuntur, unde & liquet missam sacrificiũ dici, & esse. Hoc te fateri magis decuisset, quam quę de Christo & missa Christianorum in ecclesia fidelium catholica imaginaris. Verum quando me prouocasti, Danielem secundũ intellectum meum interpretari uolui.

Dan.11.

Quid Maozim, & quid Missa

Deut.16.

Iam alium audi prophetam, omnium postremũ, scilicet Malachiam, qui post omnia scripta Mosi, ac reliquorum prophetarum, ita inquit: Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. Et in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia

Malach.1.

magnum

magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Iam oblatio munda non aliud sacrificium est, quam quod hactenus ecclesia usurpauit, neque hęc prophetia intelligi potest de sacrificio, de quo ad Romanos xij. ubi corpora nostra exhibere oportet hostiam uiuētem, sanctam, deo placentem, ut ipse cogeris agnoscere. Cæterum non est sacrificium laudis uel iustitiæ, Quis enim potest dicere, mundū est cor meū? Quo circa est hoc sanctum sacrificium, quod non ex alio q̃ uirtute altissimi obumbrante & superueniēte spiritu sancto, non in peccato originali a matre, sed absque omni labe conceptū formatumque est, habeturque mundum, quum sit agnus sine macula.

Psalm. 49. Missa sacrificium. Luc. 1.

D. BALTHASAR. Duo habeo obiecta, unum sacramētum, ut ante ostendi, memoriam esse, ideoque non sacrificium, etsi ex ista imaginatione ex textu Exod. xij. pene sum liberatus. Secundum quod expresse reperio scriptum in epistola ad Hebræos: Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos, & Christus semel oblatus est. Idcoque non potest quotidie offerri.

Duo obiecta. Heb. 7. 9.

D. FABRI. Audiuisti de agno paschali, Exo. xij. fuisse sacrificium, simulque memoriam, non ideo contrarium scripturæ est, Possemque de holocaustis atque alijs oblationibus ac sacrificijs similia exempla inducere. Neque a communi sensu abhorret, rem aliquam uere pręsentem et coram adesse, & nihil omnino memoriam esse actus præteriti. Quod autem e Paulo ad Hebræos dictum adduxisti, est quod ipse demiror, nam Lutherus Pomeranusque & multi alij nouæ doctrinæ homines constantissime negant, hanc epistolam Pauli esse. Iuxta tuam Vuittenbergeñ. itaque scholam, quę uerissime Christianitatis lupanar haberi & perpetuo censeri debebat, hac epistola incerti cum esset authoris, nihil obtineres. Atqui ego illam uti a Paulo scriptam, euitandę contentionis gratia, lubens do. Interim tamen & quod huc pertinet, non ignoras, Paulum de hoc sacrificio sermonem instituere a v. cap. epistolæ usque ad decimū, sed enumerat antequam ad rem explicandam ingrediatur, quemadmodum Christus sacerdos sit secundum ordinem Melchisedech, Et is sacerdos quomodo per sanguinem propriū ingressus sit sancta sanctorum. Tandem si totam epistolam collustraueris, ipsum Paulum loqui comperies de passione Christi & oblatione quæ omnium in conspectu in cruce & modo facta est uisibili iuxta hanc mentē, & semel oblatū esse Christum ex hac epistola planum fit. Hoc autē sacrificium quod ab ecclesia in missa commemoratur, noua & uisibili sanguinis effusione neque esse neque fieri constat, neque quispiam est, qui hoc affirmare ausit.

Lutherani negant epistolam ad Hebræos esse Pauli. Schola Vuittenbergensis christianitatis lupanar. Psalm. 109

D. BALTHASAR. Sed necesse erit, si sacrificium sit, sanguinem fundi, non enim est oblatio absque sanguinis effusione.

D. FABRI. Hoc nos catholici perpetuo negamus, oblatio enim ex simila, de qua in Leuitico, sacrificium fuit, sanguis tamen non est illic effusus, & hanc oblationum uarietatem etiam Hebraismus indicat, in quo aliud est Sabach, id est hostia, aliud Mincha, & aliud Misath. Et ut hāc

Leuit. 2. Oblationum uarietas apud Hebræos.

regulam

regulā uestrā falsam esse deprehēdere queas, Doctor gentiū nō sine causa ad Hebr. i. dicit: omnia pene in sanguine secūdum legē mundanī, & sine sanguinis effusione nō fit remissio. Attende quę dicit, omnia pene, quasi non cōmunem sed limitatā regulā ex ueteri testamēto elicere uelit.

D. BALTHASAR. Quid autem de sacrificio Melchisedech?

D. FABRI. Multæ disputationes nostra memoria ex textu Gene. xiiij. propter uerbum, proferens, obortæ sunt. At existimo ego oblationem uini et panis, quam Melchisedech fecit Abraham, ubi e prçlio redijt, figuram fuisse huius & sacramenti et sacrificij. Sacrificiū Melchisedech.

D. BALTHASAR. Si figura est, panem & uinum esse oportet, quę mea fuit opinio.

D. FABRI. Hic alio in errore te esse uideo. Sic enim uideris existimare, figuram omnibus circumstantijs esse similem debere rei figuratæ. Quod ita non est. Lex futurarum rerum umbra fuit, non tamen idcirco Christus illa fuit petra in deserto, quam in solitudine Moses uirga percussit. Alio in loco similitudinē de se depromit Christus, ac dicit: quemadmodum Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Vides ut serpens æneus Christi Iesu pendentis in cruce figura fuerit, non tamen Christus est serpens æneus, qualem erexerat populo Moses in solitudine, aduersus noxios serpētes. Rursus dicit dominus: quemadmodum Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Quæ sane figura non per omnia, sed aliqua ex parte duntaxat figuratæ rei sequenti respondet, alioqui Christum in mare proijci & in uentrem ceti recipi oportuerat. Id genus similitudines & figuras plures reperimus, non tamē necesse dicimus eas in omnibus circumstantijs conformes esse, satis est aliquibus congruere. Sic de Ioseph uendito a fratribus figuram facimus, etiamsi Ioseph uiginti non triginta argenteis, ut Christus, uenditus sit. Imolatio deniq; Isaac figuram fuisse dominicę passionis nemo est qui ambigat, per omnia tamen res quæ præcesserant, & quæ secutæ sunt, quadrare non possunt. Figura nō undiquaque similis figurato. I. Cor. 10. Exod. 17. Ioan. 3. Num. 21. Matth. 12. Gen. 37. Gen. 22.

Sic & in præsentiarum quando de figura Melchisedech summi sacerdotis uerba facimus, sunt quæ aptissime respondeant. Nam ut Melchisedech est sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec finem habens: Ita figurate Christus est Melchisedech, sine patre in terris, sine matre in cœlis, neq; habet principium, cum ab ęterno sit, neq; finem habebit, regnabit enim in æternum: ipse est quoq; summus sacerdos, cuius officium præter alia est, offerre seu sacrificare, orare, benedicere, ac consecrare. Quapropter credo Melchisedech erga Abraham sacerdotale officium exercuisse, quod ex textu etiam patet. Et quando iam diu nihil ratum habuisti, nisi sacra scriptura apertissime fuerit expressum, cum Psalmista dicat, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Hebraice est, Al dabar, secundum uerbum, ritum uel ordinem Melchisedech, Quid dabar illud, id est ritus uel obseruatio Melchise- Hebr. 7. Ioan. 8. Apoca. I. Luc. I. Hebr. 7. Summi sacerdotis officium. Gen. 14. Psal. 109. Secundū ordinem Melchisedech.

S dech erat

dech erat declara, ac responde si potes, in quo consistebat ille ritus summi sacerdotis Melchisedech? nonne, ut præsumpsimus, in oblatione ac in benedictione ritus ille consistit? Restat ergo ut Melchisedech obtulit benedixitq;, Et hoc est quod scriptura testatur, quod protulit panem et uinum, benedixitq; deo excelso. Ex quibus manifestum fit, ea quę de Melchisedech passim in scriptura leguntur, recte ad missæ sacrificium aptari posse.

Sed hæc missa faciamus, & ex actorum libro capi. xiij. alium locum depromamus, ubi legitur, in ecclesia Antiochena fuisse prophetas & doctores, in quibus Barnabas & Symon & Lucius Cyrenensis, Manahes et Saulus, qui ubi sacrificassent et ieiunassent, eis spũs sanctus locutus est. Hic quanq̃ habeat uetus translatio, ministrantibus, est tamen in noua, sacrificantibus. Et quanq̃ in exemplari recens excuso, & tuo (quod equidem uidi) liturgũton est tua manu adscriptum, id est ministrantibus, nõ sacrificantibus, Ego tamen Erasmum his irreprehensibilem iudicaui semper. Est sane uerum quam nos in latina ecclesia missam appellamus, inuenio in terris eorum qui se Pauli fidem habere profitentur, liturgiam dici, atq; equidẽ aliquot grece scriptas liturgias aut missas penes me habeo, semper tamen uideo inscriptionem missæ per liturgiam fieri, atq; his diebus Mosgouiæ gentis in septentrione oratores, qui a mari usq; congelato, quod græce cronium, latine glaciale uocamus, ad regem nostrum Ferdinandum, reipublicæ Christianæ causa, per maxima difficilimaq; itinera, Strigonium uenere, tum alijs de rebus, tum quo nomine missam adpellarent solicite quæsiui, Itidẽ mihi liturgiam dici responderunt, quo circa recte sacrificantibus in Apostolicis actis legi posse iudico, unde & sacrificus, sacrificulus, sacrificare. Cum uero iam Barnabas, Saulus ac reliqui uiri religiosi non Marti, Neptuno, Saturno, non Herculi, necq; alijs idolis sacrificarent, aut ieiunarent, restat ut hoc altaris & nullum aliud sacrificium obtulerint, quod etiam per apostolos in uniuerso mundo predicatum legimus.

Apostoli Sacrificabant & ieiunabant.

Missa grece liturgia dicitur.

Legati Mosgouitę ad Regem Ferdinandũ.

Acto.13

Sacrificarunt Apostoli Sacrificium altaris.

Et tu qui non modo ex Paulo, sed & ex Euangelio altare, & eum qui altari deseruit, habes, hoc θυσιαστήριον græce a θυσία id est, sacrificio nomẽ habet, Quod si sacrificium altaris ademeris, iam nõ est altare, et propheta Helias lamentabitur contra te tuiq; similes: Altaria suffoderunt, prophetas occiderunt.

1.Cor.9

Matth.5.8

3.Regũ.19

Iam uero in fine huius partis meam te sententiam nõ cęlabo, Sic enim sentio, nõ frustra seruatorẽ dixisse, hoc facite, pluribus enim scripturę locis facere plane offerre est. Hæc ego claris testimonijs docebo, Leuitici xxiij. Et facietis hircum pro peccato. Ezech. xlv. Faciet princeps in die illa pro se & uniuerso populo terræ uitulum pro peccato. Et sequitur: faciet septem uitulos & septem arietes, &c. Et iterum Ezech. xlvi. Agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie dño, semper mane faciet illud. Et iterum: faciet agnũ etc. Sunt præterea plura exempla in libro Regum, & potissime in libro Iudicum de angelo qui loquebatur &

Lucæ 22

1.Cor.11

Plerunq; in scriptura facere offerre est.

batur et apparuit Manue. cap.xiij.ubi Manue ad angelum ait:faciamus tibi hœdum de capris, cui respondit angelus: Si me cogis,nō comedam panes tuos. Si autem uis holocaustū facere, offer illud domino. Taceo quod Plautus facere pro sacrificare ponit, Et Vergilij uerba hæc sunt: Cum faciam uitulum pro frugibus ipse uenito. Theocritus uero ita scribit:Quum facies agnum nymphas ueneratus agrestes.Hęc autem ita accipi non possunt, atque si principi aut sacerdoti faciendus sit uel procreandus hircus aliquis aut uitulus:Verum ꝓ sacrificare. Atq; ita usurpari hebræis, græcis & latinis manifestum est. Ideoq; seruator noster Iesus Christus cum institueret uenerabile hoc Sacramentum, eodem uerbo uti uoluit,quod non modo significatione referret apostolos eorumque successores,diuina ui uerborum Iesu Christi eiusmodi facere, uerumetiam sacrificare solere. Iudicū 13 Vergilius iij. Aeglo. Theocrit.

Ac quando ista hæresis aduersus uenerabile sacramentum,id sacrificium non esse, primum Luthero autore cœpit agitari, non paruo studio in unum collegi principes nostræ religionis milites, iustos uiros, qui mille & plures ante annos etiam suo sanguine Christi uineam magna in parte irrigatam coluerunt, quorum quisq; fidenter cum diuo Paulo potuit gloriari,se nihil loqui nisi quæ Christus per eum operaretur,putaretque se habere spiritū dei. Ad hos igitur Christi fideles,egregios martyres ex consulto te relegare audeo, quando & Petrus & Paulus nonnunq̄ religionis nostræ causa sanctorū autoritate posse firmari crediderunt. Iam primum inuenio aduersus te tuæq; factionis impios assedas,pro me uel potius pro tota orthodoxa ecclesia facere Dionysiū, quem Paulus Christum sapere docuit Athenis, qui Gallorum apostolus adpellatus,Martyrio quidem Luteciæ uel Parisijs sublatus, Domiciano imperatore, Anno a Christo nato nonagesimo.Is non semel hoc sacramentum sacrificiū adpellat,Neq; me mouet quibusdam alium fuisse Dionysium uideri,Satis enim contra Zuinglium scribens planum feci, eum Pauli & apostolorum tempore Dionysium, quem dico,fuisse. Item Ignatius uir deuotus, qui diui Euangelistę Ioannis discipulus,& ante mille quadringētos annos sub Traiano imperatore martyrio coronatus fuit,ad Smyrnę Episcopum scribens,itidem sacrificiū adpellat. Et Hyrenęus,qui tot annis iniuriam temporis expertus latuit,a me ex Italia allatus,iamq; diuulgatus omnium lectioni patet,Qui Lugduni post Photinum primū præsulem ac martyrem Episcopus successit,quiq; Polycarpi Ioannis discipuli discipulus fuit.Is hoc sacrificium per Malachiam prophetam probat. Antiquissimorum testimonia de sacrificio altaris. Roma.15 1.Cor.7 Dionysius Acto.17. Ignatius. Hyrenęus

Hic audi quid de Oecolāpadio ordinis sanctę Brigidę apostata sim dicturus. In disputatione Badensi apud confœderatos, Oecolampadius persuadere uoluit concioni,Hyrenęum de Sacramento suæ opinionis esse, Quæ res fidelium, & eorū qui ueterem religionem probant,animos grauiter habuerat,neq; immerito. Cum autem Oecolampadius fortasse in orbe terrarum Hyrenęum nullum esse existimaret,Ego manu scriptū (necdum enim diuulgatus erat) mecum ut plerosq; alios authores me- Oecolampadius ꝑstratus.

Hyrenæus lib.4. ca.3. liores curru aduexerã. Inde palam omnibus audientibus hæc uerba pro concione prælegi: Et dominus noster eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meũ, Et calicem similiter qui est ea creatura quæ est secundum nos, suũ sanguinem confessus est, et noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis recipiens, in uniuerso mundo offert deo. Vbi Oecolampadius hæc audiuit, perturbatus in erecta sua cathedra, non tamen usquequaq; firmata, subsedit, aliquamdiu nõ ausus assurgere (tanta uis est ueritatis) neq; oculis hominum aspiciẽdum sese exhibere.

Tertul. Et Tertullianus, qui sub Seuero et Caracalla, anno a Christo nato clx. fuit, in libro de corona militis similiter sacrificium nũcupat. Itidem de uelandis uirginibus ad uxorem.

Origenes. Origenes quoque, qui sub Seuero ad usque Volusium uixit ante annos M. C C C. sacrificium item adpellat li. primo in Iob.

Cyprian. Cyprianus sanctus præsul Carthaginensis ecclesiæ & martyr, Imperium tenente Valeriano & Galieno annos ante M. C C C. quoties huius Eucharistiæ meminit sacrificium adpellat & probat, Id manifeste deprehenditur plus minus triginta locis iij. epistola ad Ceciliũ lib. ij. et ij. epistola ad Cornelium Papam lib. i. Item epistola ad Maximũ, epistola cõtra hęreticos, in sermone de cœna dñi.

Eusebius Emisenus. Itẽ Eusebius Emisenus imperante Cõstãtino ante M. C C. annos sacrificium adpellat.

Basilius Basilius magnus episcopus Cæsariensis sub Gratiano ante mille C. annos sacrificium adpellat in libro de Barilio martyre.

Ambrosi. Et Ambrosius Mediolanensis episcopus, imperante Valentiniano, Valente, Gratiano & Theodosio ante M. C. annos pluribus locis sacrificium adpellat, ut epistola ad Marcellinam sororem. v. lib. Epistola. xxxiij. quarto lib. Idem in libris de sacramentis sępissime hoc sacramentum sacrificium uocat. Et hic negat eos libros Ambrosij esse Melanchthon, quẽ ego nõ uidisse arbitror Augustinũ, qui hos libros Ambrosio authore subscribit, & ad hæc illa deuotissima oratio Ambrosij, quã missæ pręparatoriam inscripsit non parum pręstare notissimum est.

Hierony. Barbatus Hieronymus tot linguarũ peritia clarus, Stridonis (quod optimi regis Ferdinandi dicioni oppidum olim Dalmatiæ insigne paret) Anno a nato Christo C C C. X X X V I. natus, contra Iouinianum & pluribus locis sacrificium adpellat.

Augustin. Et Augustinus Hypponeñ. Episcopus ante mille centum annos testatur & probat pluribus locis, sacrificium esse, & præcipue in Enchiridio ca. x. in libro quo erudit Petrum diaconum quõ se gerere debuit ubi mare traiecerit ca. xviij. de ciuitate dei lib. x. ca. xx. Item in ca. x. Item ad inquisitiones Ianuarij cap. ij. iiij. v. vij. In lib. ij. cõtra epistolam Parmeniani cap. v. Item libro. ix. confessionum cap. xi. & multis alijs in locis.

Ioannes Chrysost. Ioannes Chrysostomus, qui olim predicator uerbi Antiochiæ fuit, Deinde archiepiscopus Constantinopolitanus, uere aureum os, & nobilis & doctus in primis græcus autor, itidem statuit sacrificiũ esse. lxxxiij. Homilia super Matthæum, Homilia xvij. super epistolam ad Hebræos cap. ix. Homilia lx. ad populum, & Homilia lxix. ubi testatur ab

Aposto-

Apostolorum tempore ad suam usque memoriam ita obseruatum esse. Et Ioannes Damascenus Theodosio imperante iiij. libro idem docet, ad figuram Melchisedech, legem quæ est in Leuitico. cap. xxiiij. & prophetiam Malachiæ accommodans & c. Hæc sane illustria sunt religionis nostræ lumina, doctores reuera sanctissimi, qui annos ante mille omnes uiguerunt. His uiris, qui ita uixerunt, docuerunt et pro Christi nomine mortem oppetiuerunt, nemo sane dubitare debet plus fidei adhibendum esse, q̃ nouis istis circumforaneis molestis clamatoribus. Ioan. Damascenus.

Insuper manifestum est, Clementem, Anacletum, Alexandrum primum, Lucium, Eusebium, Iulium primum, Siricium, Innocentium primum, Leonem similiter primũ, Gelasium, Gregoriũ similiter primum, qui sub Imperatoribus uixerunt, Domitiano, Traiano, Adriano, Antonino, Valeriano, Cõstantio, Constantino, Valentiniano, Valente, Theodosio, Mauricio, Phoca & c̃. simili neque diuersa scripsisse sententia. Omnes hi uetustate uenerandi mille ante annos floruere. Ex his quoque multi martyres, sanctorum in numerum relati sunt. Pontifices sancti.

Constat etiam patres CCCXVIII. Nicęa Bithyniæ ciuitate congregatos hoc uenerabile sacramentum sacrificij nomine celebrasse. Ducenti item Episcopi Ephesi similiter statuerũt, & Constantinopolitanum sextum concilium, & tertium Carthaginense, Aphricanum et conciliũ Toletanum duodecimum, aliaque plura concilia, ut Cabilonense &c. superiorem sententiam autoritate sua corroborarunt. Dubitabimus igitur, mi doctor, quin sua ijs salus, tanquam nobis nostra curę fuerit? Aliam tamẽ quam uos noui Euangelistæ sententiam constantissime defenderunt. Cõcilium Nicenum. Cõcilium Ephesinũ. Cõcilium Constantinopolitanum. Concilia plura.

Quod si quę a mille annis fuere concilia, testimoniaque sanctorũ Martyrum adducere uellem, exercitum sane luculentum, & ab omni parte instructum paratumque conficerem, cuius aspectũ uestra imbecillitas sustinere nullo modo posset. Cum itaque in ore duorum triumue omne constet testimonium, mecumque faciant non modo summi pontifices, doctores, martyres, sed uno ore omnis ecclesia catholica, eque thesauro gazophylacij interioris & reconditi, in Ezechiele deprompserim nouam & ueterem, Tuæ bonitatis esse debet, propriæ prudentię nimium pertinaciter non inniti, ne tuis oculis nimium indulgens tibi placeas, tuis applaudas, et tibi soli sapere uidearis, Quod ne facias, te impense hortor, teque ut resipiscas fraterne moneo. Deut.19. Ezech. 40

Sæpe contingit hominem labi, errare, falli, qui si redeat in uiam, inque spiritum sanctum non peccet, omnia in integro erunt. Et non abs re ueteri prouerbio dictum est, Labi & resurgere per pœnitentiã humanum esse: cecidisse uero ac odire perpetuo diabolicũ. Lapsus est & q̃dem grauiter Petrus, sed respiciente dño foras exiuit & fleuit amare. Paulus ab errore resurrexit. Quo uero animo primum fuit Paulus? Nempe eo, ut Christũ suosque persequendo, sese deo gratum obsequiũ facere existimaret. Atque is tum resipisceret, non modo gratiã inuenit, uerumetiam uas electum & doctor gentium constitutus est. Neque uero te reuocare retra- A lapsu resurgendum est. Matth. 12. Prouerbiũ Matth.26. Acto.9. Acto.8.

Augustinus retractauit.

ctareq́ʒ pigeat, cum uideas diuum Aurelium Augustinum, rerum humanarum diuinarumq́ʒ peritissimũ, duo retractationũ uolumina ædidisse.

D. BALTHASAR. Expendam omnia quæ audiui diligentissime, & quod mox conscientiæ, quæ hactenus ualde fluctuans inquietaq́ʒ fuit, porrigam quietem, ei me dare sum paratus, quando mihi plane moriendum esse scio.

De Sanctorũ intercessionibus pro nobis ad deum CAP. VII.

D. FABRI.

Luc. xi.

De sanctorum intercessione salubri.



CAVE CONSCIENTIA tua pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem apprehendat. At ad alia accedamus. Et si ita tibi uideatur, primum omnium de diuæ Mariæ, aliorumq́ʒ sanctorum intercessione uerba faciamus. Deinde de purgatorio, imaginibus, quas gręci εικόνας uocant, atq́ʒ eius generis alijs rebus.

Vigilantij error.
Hierony.
Ioannes Vuicleph
Pighardus.
Lutherus sensit hæreticos comburendos.

Vigilantius ille dormitabundus añ. M. C. annos in eo errore fuit, ut putaret sanctos intercessores, pro nostra salute non esse. At os illi Hieronymus obturauit. Ab eo tempore intercessiones inuocationesq́ʒ sanctorum, orando, legendo, psallendo, a toto fidelium grege sunt receptæ. Vnus extitit Pighardus qui inauditis alijs, nefarijsq́ʒ hæresibus commotus, hunc itidem errorẽ studuit renouare. Sed est a bene cordatis omnibus refutatus. Ideoq́ʒ Lutherus, quando adhuc uerum fidei nostræ lumen super se signatum habebat, ędito magno uolumine super decẽ pręcepta, non semel pighardos traducit, ut insignes hæreticos, quos cõburendos omnes putat, ꝙ intercessiones sanctorum negarent.

D. BALTHASAR. Tamen nostræ omnino sententiæ est.

Lutherus de homine moribundo.

D. FABRI. Quin aliud audi, libellum quendam Lutherus confecit de homine moribundo, ubi docet, aduersę ualetudini implicitum, inuocare debere matrem deiparam, angelum uniuscuiusq́ʒ uitæ & custodiæ deputatum, apostolum suum aliosq́ʒ sanctos, quibus cum uiueret, seruiebat. Quod autem ab hac opinione desciuit, mirari non debemus. Sic

Lutherus sibi aduersatur plerumq́ʒ.

enim Cacodæmon spiritu furoris & amentię eum cõpleuit, ut sibi fluctuabundus subinde aduersetur, uti Christus & Belial, Lux & tenebrę, mensa domini & mensa dæmoniorum, Et mira uideres, quæ in antilogias illius collegimus, ut sibi dissideat, contraluctetur, & gladio proprio se perimat.

Oecolampadius sui dissimilis.

Sic Oecolampadius in Chrysostomum cum scriberet psegmata quædam in uitam Babilæ, aliorumq́ʒ martyrum, probauit sanctos inuocari posse, qui pro nobis ad deum etiam intercedant. Idem Canonicam Ioannis exponens, negat esse scripturam, quę nos erudiat sanctos pro nobis intercedere. Deinde in disputatione Badensi publice sanctos pro nobis intercedere negauit, eos tamen inuocari oportere dicebat.

Inconstantia omniũ Lutheranorum.

Vides igitur imperitum miserum uulgus, utrinq́ʒ ambiguum & inconstans uacillare, claudicare, & tandem, num deus sit aliquis, dubitare necesse habere. Commune enim & protritum est uobis, hodie hoc, cras aliud docere. Facitis ut inconstans luna, crescitis & decrescitis, ad populi

aures

aures seruitis, acclamantis (ut apud Esaiam ca. xxx.) dic nobis placentia. Atqui Paulus contra fecit, qui ait: si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Galat. 1.

Sed audi quàm apte uos depingit Ezech. cap. xiij. Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritū suum, & nihil uident. Vident uana, et diuināt mendacium, dicētes: Ait dominus, quum dominus non miserit eos, & perseuerarunt confirmare sermonē. Nunquid nō uisionē cassam uidistis, & diuinationem mendacem loquuti estis? Et dicitis: ait dominus, quum ego non sim locutus. Deceperunt populum meum, dicentes: pax pax & non est pax, & ipse ędificauit parietem, illi autem liniebāt luto absq; paleis, dic ad eos qui liniunt absq; temperatura quod casurus sit. Hæc dicit dominus deus: uæ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capita uniuersæ ætatis ad capiendas animas. Hæc ille. Contra pseudoprophetas

Necq; me quicquam peius habet, quam quod clam irrepunt, ut in Paradiso hostis humani generis serpens ille diabolus, affirmantes hypocritæ nefarij spiritum domini loqui ex ipsis, cum sermo eorū cancer sit, Ideo non spiritus fructus (ut ad Galat. v. Paulus) parit sed opera carnis, ut lites, iurgia, odia, inuidias, seditiones, tumultus. Sed laus deo qui strophas & nugas uestras prodit, quas & mundus intelligere cœpit, quandoquidem non parua dogmatum uestrorum suspicio accessit, quod sancta non sint, quia tot pugnantia & quæ inter se diuersissima sint, quotidie in lucē ędere consueuistis. Et hac de re excusationem sane pulchram fingitis, reuelationem uobis nondū uenisse, iam uos didicisse meliora. In hunc certe morem perpetuo nobis pręstolandū foret super aduētu ueri spiritus. Insidiatores plebis.

Et sane belle se res habet, iam plus minus decem annis cum Luthero, & his quib. cū in Saxonia sup quibusdā fidei nostrę articulis nobis bellū fuit. Ipse iam de nouo multa restituit, et postea q̄ insania deferbuit, sese captiuū dat, & ad nos catholicos tādem redit atq; declinat, Sed illius oculus reuera sinister erat, non enim ad ea quæ sursum & in cœlestibus erāt animum erexit: duntaxat ad hæc animi cogitatum adiecit, quo brucos in applausum inertis plebeculæ congregaret, ecclesiasticorum possessiones in prædā daret, omnes ad uoluptatē & illecebras carnis uiuere doceret. Ideo datus est illi spiritus uertiginis, ut diceret, doceret, & faceret quæ minime decerent, necq; ullum hominem Deo acceptiorem facerent, Sed quid opus est uerbis ubi res ipsa loquit̄, & ipse exitus acta probat? Retractatio Saxōig. Lutherus spiritū uertiginis habet.

D. BALTHASAR. Amabo te, est ne ita? Ego ne credam, ut retractentur a Saxonibus aliqua quæ tenaciter docuere?

D. FABRI. Ita sim saluus, uere credere potes, atq; id e Vuittenberga ædito libro accepi, Estq; initium eius: Quomodo populus tractandus sit & continendus in timore domini, in bona conscientia, et ut pœnitentiam agant, auricularem confessionem teneant, diem dominicam & alia solennia festa colant, sed & alia multa, quæ antea etiam potenti manu abolita sunt, de nouo statuunt, erigunt, atq; ita inconcusse seruan Vuittenbergenses resipiscere ostēdit sed heu nimis sero.

 da præ-

Visitatores.

da præcipiunt,& ut hæc constanter & illibate seruentur, uisitatores & q rebus illis intendũt, ordinati sunt, sed nimium sero hęc arbitror fieri, sero Phryges sapiũt, sero Cumani, sero hac in re Alemani, Siquidẽ fidei lumẽ, timor dei, conscientiæ sanitas plane illis excidit. Vereor ne multis accidat id quod Caroli magni temporibus Saxonibus accidisse memoratur, ut etiam fidem deserant. Non dico de omnibus, sed multis. Iam ego uidero lubens, religione omni sublata, quomodo reges, principes, primatesque suos subditos gubernaturi sint. Hoc gentibus non licuisse, imo difficilimum extitisse, Numa Pompilius exemplo erat, qui (ut Liuius autor est) cum Egeria dea sese colloqui finxit, ut religione feroces animos Romanorum mansuefaceret. De Mose, Iosue multisq; alijs populorum principibus ac ducibus, non est quod uerba faciam, qui instituta religione potius quam gladio subiectum populum gubernare cõsueuerunt. Sed mi Balthasar, ad te uerba facio, ad te sermonẽ uerto, q̃ putas atheos, Anaristos & Aneucharistos tu tuiq; similes impudentissimis damnatissimisq; traditionib. uestris excitastis, quibus male p̃catur, ut scis, in psalte. Dauid, Nabal (forte sapis q̃d uelim, quo tendã) Dixit insipiens in corde suo: nõ est deus. Et Lutherus aduersus Erasmũ scribẽs, hac tẽtatione nõ esse deũ, se acerrime urgeri & præmi fatetur ingenue. Alibi uero contra Carolstadium coniuratum Catilinam furens, religiosissimo iureiurando affirmat se scire, Carolstadium non credere deum esse aliquem. Proh pudor & nephas, hæc audiri ab his qui fidei nostræ uelint haberi et esse columnę, interim tamen nos nostrosq; maiores impietatis reos fœde et seditiose traducitis. Sed uolubiles linguę uestrę Christũ nomine tantũ predicant: Christus autem non sursum in mentem uobis ascendit, non deorsum in cor descendit: sermo uester ac speciosi clamores ad pruritum popularium aurium accõmodati sunt; ore labijsque confitemini deum, factis uero negatis.

Religione conseruari oportet Rempub. Vide Plutarchũ in uita Numæ. Lact. cap. 22. lib. 1. Val. Ma. cap. 3. libro 1. Lutheranorum magna pars Deum esse nõ credit. Psalm. 52. Math. 15 2. Tim. 4 Tit. 1.

En quantis quibusq; clamoribus summis pontificibus, sacerdotibus, monachis, importunissime insultastis, quod idiotis & prophanis alterã sacramenti speciem, sanguinem Christi uidelicet, aduersus Christi instituta negassent, Eapropter repẽte fecistis ut fere omnis populus, ubi uestræ hæreses prævaluerant, dominicis, festiuisq; diebus ad mensam domini corporis et sanguinis sacramẽto reficerentur. Sed quis non uidet, quam cito ignis ille extinctus sit, charitasq; friguerit? Iuxta commune prouerbium: quod cito fit, cito deperit. Refer, te quæso, animũ ad ea loca, ubi Carolstadij, Zuinglij, Oecolampadij, nondum etiam hęretica de sacramẽto opinio recepta est, unde clamosos noui Euangelij Stẽtores offendis, qui pluribus annis beluarum more a sacramento abhorrentes, cõmunionem exosi, ad dominicam cœnam mensamq; non accesserunt, neq; hodie accedere cogitant. Illis porro, quibus uestra luculenta cœna tantopere arridebat, iam incipit uilescere, nisi ad panem & uinum, & carnium ollæ adsint, quibus bene suffarti cõmunicare soletis, ita ut ex uini immodica ingurgitatiõe illos probe madere oporteat, Satisq; sit ut græco more bene poti

Quã cito refrixerit in populo desyderiũ utriusque speciei.

Gulosa cõmunicatio Lutheranorum.

bene poti discipuli uestri exhilarentur. Interea uero priscam cõmunicandi consuetudinem resume, & ob oculos reuolue, quãta deuotione uixerint, qui pro Christiano ritu sese ad paschalia festa mensæ dominicæ fecerunt esse participes. Quę res una ualido argumẽto est, nostram de Sacramento fidem ac sententiam, uestra opinione longe præstantiorem esse, utpote quæ propius diuino spiritui & primo instituto accedat.

D. BALTHASAR. Ego autem ita non docui, hæc & audire me pudet, neq; huc rem uenire posse unquam putaui.

D. FABRI. Atqui ita intellecta passim Anabaptistę tui more Zodomitarum coeuntes, acceperũt, neq; gladio domini .i. uerbo dei, adeo incaute dimicare oportet, ut tandem sero dicas, non putaram, hoc enim ignaui non prudentis est uiri. Multæ, mihi crede, ciuitates obuijs (ut dicitur) manibus ante aliquot annos Lutherum, ut charissimum hospitem & periucundum conuiuam acceperunt, quem si in præsentiarũ ad Læthæos fontes, infimumq; barathrum reijcere possent, nullis laborib. nullis impensis parcerent. Vident enim & re ipsa expertę sunt, q̃ nocentem ignem, & pestiferũ animal in sinu fouerint, auribusq; lupum tenuerint. Sed tam profunde in Lutheri lutũ demersæ sunt, ut emergere et ex tam uasto gurgite nisi cũ ignominia & magno periculo enatare non possint. Et res sane est admiranda plurimũ, quod qui toties pręteritis annis perpetuo depredicarunt, licere singulis credere quod animo concepissent, neq; ullum Christianum, ob hęresim aliquam supplicio puniendum esse aut poena mulctandum aliqua, nunc sine ulla misericordia, cunctos anabaptistas persequi, ac igni, ferro, aqua, omnibus deniq; suppliciorum generibus in eos, quos ipsi procrearunt & aluerunt, animaduertere coeperunt, simile quiddam lupo Æsopico facietes, qui dulci oratione demulsas anserum aures, ubi in somnum uidit declinasse, desiluit repente atq; obsopitos anseres iugulauit. Sic multis locis magistratus facile passus, leuiculis sermonibus ablactatos imperitæ multitudinis animos, a ueteri summi dei cultu, ad nouum quoddam dissolutũ, impium, ac plane Epicureum uiuendi genus prolabi: qui ubi spiritu nouo, ueluti musto efferuescẽtes aliquo, furere, fructusq; iactis seminibus dignos producere coeperunt, a magistratu oppressi, trucidatiq; grauissimas mortis poenas dederunt, Id quod quotidie exerceri scias in ciuitatibus Germaniæ clarioribus, apud quos Anabaptistæ quam primum caput erexerint, mox colla eorum spiculatori subduntur. Hæc ex consulto te cęlare nolui, quando iam aliquot mensibus in carcere hic (neq; ut Ioseph Danielue innocens, sed tuum ob peccatum) inclusus iacuisti, ut scires quatenus infoelicis lolij, spinarumq; & zizaniorum germen in agro domini enatum eradicetur, & ut primi nouæ religionis autores patroniq; uestri defecerint & resipiscant, uosq; passim, ut indignos quos terra foueat, e mundo tollãt magistratus. Quorum omniũ sane malorum Lutherus in caussa est, homo ille inimicus dei & fidei nostrę, qui per noctem obrepens, seminibus bonis zizania immiscuit, ęgre & uix multis sæculis radicitus eruncanda.

[Marginal notes: Multas ciuitates poenitet iam pudetq; Lutheri. — Persecutio Anabaptistarum. — Gen. 40. Dan. 6. Balthasar ob peccatum incarceratus. — Matth. 13.]

D. Baltha-

D. BALTHASAR. Atqui te etiam non fugit,multis abuſibus eccle ſiam infectam fuiſſe,& hic de ſanctorum interceſſione ſermonem faciēs, negare non potes,fuiſſe, qui ſanctis etiam plus quam deo tribuerunt.

Tollendas eſſe abuſiones. D. FABRI. Neq; in eam partem me accipias uolo,ac ſi abuſus,ſi qui in eccleſia ſint,tueri uelim,Qua mente me deus eſſe nolit. Trigintaquinque abuſus Germano nato, uiro undiquaq; doctiſſimo, & ſanctiſſimæ uitæ pontifici Adriano papæ, in multorum principum conſeſſu ad manus proprias ipſe porrexi,atq; adeo Ratiſponæ,ut abuſus aliquot abrogarentur,ipſe fidelis promotor extiti. Vos uero feſtuca offendit in oculo ueteris eccleſiæ,& trabem proprio in oculo hærentem non animaduertitis.

Num.16. In ueteri teſtamento,Chore, Dathan & Abyron peccarunt, non tamen idcirco dominus Aaron ſacerdotem totumq; leuiticū ordinem deleuit. Manſit ordo tabernaculi,neq; ob unum leuitici generis hominem
1.Reg.2. male miniſtrantem,tot milium leuitarum numerus extinctus eſt. Et ſi filiorum Heli ſummi ſacerdotis Ophin & Phinees peccatum grande nimis fuerit coram domino (detraxerunt quippe homines illi a ſacrificio domino,dormierunt cum mulieribus quæ obſeruabant ad hoſtium tabernaculi,ipſeq; pater Heli ſacerdos peccantes filios non eo modo,non tanta acredine,ut debuiſſet,caſtigarit)attamen Samuel propheta nō ex-
Matth.26. tinguitur. Noſti ut Petrus deum negauit,Apoſtoli cæteri turpiſſima fuga percuſſum paſtorem deſeruerunt, non tamen ideo apoſtolatus ille ſublatus extitit:alioqui Petro, cæteriſq; per orbem uniuerſum dei mandatum predicantibus fidem in predicādo nemo habuiſſet. Naufragium fecerunt in fide noſtra Hymenęus, Alexander,atq; item alij,non tamen
1.Tim.1. continuo fides Pauli, Timothei,Titiq; ac aliorum diſcipulorum ilico perijt.

Hiere. 8. Propter abuſus itaq; et eccleſiaſticorum uitia non debebat euerti ipſa
Roma.3. religio. Nunquid non eſt reſina in Galaad & medicus non eſt ibi? Quis
In eccleſia ſimul ſunt boni & mali. prohibet ut cum Paulo exclamem: Quid ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum,fidem dei euacuauit? Abſit, Scis in Area domini ſemper triticum paleaſq; agitari, Sagenaq; eccleſia eſt,
Mat.3.13. bonos maloſq; piſces congregat. Regnum cœlorum prudentes uirgi-
Ibidem 25. nes ſimul & ſtultas commemorat. Quibus parabolis manifeſte declaratum habes,ita uſq; in conſummationem ſæculi futurū eſſe, ut ſimul ſint in eccleſia boni & mali, iuſti & iniqui,fideles et impij. Eapropter in euan
Matth.5. gelio legitur,quomodo pater ſolem ſuū oriri faciat ſuper bonos & malos,& pluat ſuper iuſtos & iniuſtos. Non ergo ſtatim propter abuſus a fide diſcedendum,ſed illos malagmate idoneo tollendos eſſe uideo.

Quod autem ad ſanctos attinet,quid alij dixerint fecerintue, ipſi uiderint. At neminem tam ſtultum tam cæcumq; eſſe puto, qui ſanctum aliquem deo præferendum arbitretur. Sanctos autem hæredes dei, &
Rom.8. Ephe.2. cohæredes Chriſti(ut Paulus docet) atq; adeo neceſſarios conciues,familiareſq;,ut ex eodem Paulo & Euangelio liquet, illoſq; eapropter ue

nerari nul

nerari nulla scriptura uetuit. Sed nos profusius de sanctorū intercessione loquamur, dic itaq; mihi, ubi phibiti simus sanctorū patrocinio uti.

D. BALTHASAR. Vbi patrocinium sanctorum sit promissum, tu enarra.

D. FABRI. Secundum nouam Atheniensium regulam: Quod in Euangelio prohibitum non est, pro admisso habetur, Itaq; ut uestra secta exigit, prohibitum aliquid esse primo probandum est, deinde quae scripturae sanctorum intercessionem permittunt inducam.

D. BALTHASAR. Verum est quod in Epistola legitur ad Timotheum, unus est mediator Iesus Christus, Ioannes item eum adpellat, qui intercedat pro nobis, Non potest itaq; ad deū nisi unus mediator, unus intercessor esse. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.

D. FABRI. Scis uero etiam precationem domini eam, quam uulgo pater noster adpellant?

D. BALTHASAR. Confido me scire.

D. FABRI. Nos cum oramus, dicimus ad patrē, qui es in coelis, etsi Lutherus pro consuetudine falsandi qui es omisit, in singulariq; numero adiicimus, tuum nomen, tuum regnum, tua uoluntas, tu da, tu remitte, tu ne inducas & c̄. En ut ad patrem dirigentes uerba singulari numero loquamur. Nostram uero caussam agentes, pluratiue oramus: Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, debita nostra nobis remitte, sicut et nos remittimus debitoribus nostris, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Math. 6.

Haec itaq; orando uoluisse spiritum dei crediderim ego, nempe nos filius ad patrē sic orare uoluit & docuit, qui unam caussam & illam communem procurātes, non unusquisq; pro se solo, sed et singuli pro omnibus, atq; ita pro fratribus & inimicis orēt, alter alteri, & fratri frater mediator, intercessor & interpellator assistat. Etsi uero Christus uerus & unus mediator sit ac habeat, nihilo tñ minus uoluit unū pro altero etiam inimico orare. Qua re tacitus docere uoluit, ut unusquisq; fidelium proximi fratris mediator esset ad deum. Quo circa subinfero: aut dictū illud de mediatore ex Paulo alium intellectū habeat necesse est, aut oratio dominica sibi non consentiat & minime constet, nempe illa eadem docemur, ut alius pro alio possit ac debeat intercedere & orare, fitque quotidie, quod dico, quod predico: neq; interim Christi ueluti primi mediatoris officium uanum fit. Frater fratri ad deū intercessor esse debet.

D. BALTHASAR. In terris uero, atq; non in coelis.

D. FABRI. Persuadent sibi Lutherani passim hoc respōsum, quasi oraculi alicuius diuini & e coelo demissi esset, quum interim ego analphabetarij alicuius hominis solutionē esse crediderim. Amabo te, hi qui glossam hanc tibi inculcarunt, qua scriptura et unde probauerunt & unquam probabunt? Sed primum uideamus quid Paulus fecerit, deinde ex thesauris scripturarum pene plura ad hanc rem pertinentia depromamus, Ad Rom. Paulus gloriatur se absq; intermissione memoriam fratrum fa- Fratrem pro fratre debere orare, exemplo magno est S. Paulus.

Rom.1. trum facere in orationibus & obsecrationibus, & cōcludens elegantem
Rom.15. illam Roma. epistolam, rogat ut iuuent illum fratres orationibus suis,
Philip.1. Sic etiā recordatur Philippensium in orationibus suis, et non intermittit
Collos.4
1.Thessa.1. orare pro Colossensibus, orans etiam, pro se ut orent, & pro omnibus Thessalonicensibus orauit, cohortatus absq; intermissione ut orent, etiam pro se.

1.Tim.2 Et quanquam ad Timotheum dixerit, unum esse deum, unum mediatorem dei & hominum, hominem Iesum Christum: docuit tamen eodem in capitulo, ante orandum esse pro omnibus hominibus, regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti sunt, atque posthac docet orare uiros omnibus in locis, docet orare uiduas, Et alia epistola ostēdit Ti-

2.Tim.1 motheo, quomodo pro eo ipse deum oret sine intermissione. Cum igitur scriptura scripturæ, Paulus Paulo concordari debeat, necesse erit ali-

1.Cor.7 in fine. um Paulo ad Timotheum de mediatore scribenti intellectum dare, ne spiritus eius errasse uideatur, quod impossibile fuerit, cum uere gloriari potuerit, se dei spiritum habere.

Duplex mediator: unus redēptionis, alter intercessionis.

Sensus ergo eius est iste: Verum quidem est, Christum unum & præcipuum esse mediatorem redemptionis nostræ, Solus enim unigenitus dei filius, neque ullus de cœlo angelus hanc molem, qua grauati fuimus, sua intercessiōe sustulit, Solusq; mediator idoneus fuit inter patrem irascentem & filios natos in ira. Ideoq; Paulus subdit: Qui dedit redempti-

1.Tim.2 onem semetipsum pro omnibus. Hanc mediationem neq; Mariæ, neq; sanctis adscribimus, sed soli filio Dei et filio hominis, q̄ pro uniuerso mūdo mortem luit. Qui et si calicem profudit pro multorum salute, nihilominus tamen orandum est, ut pater nobis remittat debita nostra, Indigemusq;, uel saltem utilis est nobis intercessio sanctorum, & hæc est mediatio remissionis peccatorum nostrorum.

Qualis mediator Moses fuit.

Ita Moses fuit mediator, interpres, intercessor, inter deum & populū Israëliticū, ut ipse ait Deute. v. Ego sequester & medius fui inter Deum & uos in tempore illo, ut annunciarem uobis uerba eius. Paulus autem dicit Christum melioris testamenti mediatorem, ad Hebræos. viij. atq; noui testamenti, ad Hebræos ix. & xij. Adhuc scribit ad Gala. iij. quod lex propter transgressionem posita est, donec ueniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris, mediator autem unus non est, Deus autem unus est &c̄. Iam si peccator pro peccatore, si nos deniq; pro Iudæis, gētibus, Tartaris, Turcis intercedimus, qui fit, ut sancti intercessores non sint, quorum sunt multi qui agnum tamen sequuntur quocunq; ierit, imo cuncti assistunt & uiuunt cum agno.

D. BALTHASAR. Hæc mea opinio de sanctorum scilicet intercessione non ualde unquam solicitum me habuit, æquo tamen animo patiar te mihi huius fundamentum exponere, idq; breuissime, Neq; enim me illa unquā (ut dixi) torsit opinio, ut superiores de paruulorum baptismo, Sacramento, & sacrificio.

Articuli Balthasari præcipui.

D. FABRI. Equidem faciam, idq; (ut uis) breuiter. Si collustraueris

Leuiticum

Leuiticum, aliosq; scripturæ libros, iterum atq; iterum occurret, Deum praecepisse ut si qui peccauerint, aut purgandi sint, pro eis sacerdos oret. Iob ultimo est etiam deum præcepisse, ut Eliphas atq; alij duo Iob propinqui uenirent cum holocaustis, ut & Iob pro eorum peccatis oraret. Hoc ita factum esse scriptura testatur, & dominus Iob pro amicis orantem exaudiuit. Leuit.9.

Quod si Iob sacerdoti plurimisque alijs, ut Iudith, Hester, &cęt. datum fuit ut intercederent, & intercedentes exauditi sint, quanto Mariæ magis, cui archangelus Gabriel ferens salutem, missus a deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, eam in mulieribus benedictam prędicauit, quæ domini fuit mater, quam benedicunt omnes gentes, cuius uentrem & ubera beata esse coram populo exclamauit mulier de turba: Iudith.9. Hester.7. Lucæ 1. Lucæ 2

D. BALTHASAR. Deiparam ego matrem semper amaui, eiusque uiolari castimoniam nunquam sum passus, At alij forte dicerent, hæc ad uiuos referenda.

D. FABRI. Laudo ego te, quod non, ut alij nouæ sectæ homines impuri, portam in oriente per transitum domini semel apertam esse dicis, sed illam perpetuæ uirginitatis præconio perpetuo claudis, ita enim (ut nosti) Ezechiel uidit, ut dominus egressus sit per eã, & hic rubus qui ab igne non consumitur, uirga Aaron, Hęc est illa mater & uirgo quam dominus Ioanni inuiolatæ castitatis discipulo, uirginem uirgini cõmendauit, Is autem discipulus, quem diligebat Iesus, qui & supra pectus eius in ultima cœna recubuit, non Ioseph, non alius præterea quisquam, sed solus ille diuinus apostolus continuo in suam recepit. Perpetua uirginitas Mariæ. Exech.44 Exod.3 Ioan.19 Ioan.13.

Quod autem ad responsiõem adductam attinet, plane pro nobis magis facit quam contra, hac nimirum ratione: Cum enim in hac lachrymarũ ualle peccatores simus, clamemusq; singuli, peccauimus, iniquitatem fecimus, domine miserere: fieriq; posset, ut Iudæi dixerunt, deus ut non exaudiat peccatores, etsi uno in casu etiam uerum non sit, nam & continuo oramus pro inuicem, ita edocti a domino, & toties ad hæc facienda præmoniti a Paulo: multo magis exaudit eos qui omni macula uacui, lucent ut stellæ, fulgent ut Sol mundi lampas in cœlo, quando semper sint oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum.. Sanctos in cœlo pro nobis exaudiri. Daniel.3 Ioan.9 Psalm.33

Sed audi, apud sanctum prophetam Zacchariam filium Barachię inuenio, Angelum domini, quem antea uirum rubeo equo insidentem & stantem in medio mirteti umbrosi uidit, ita intercessisse: Domine exercituũ, usquequo tu non misereberis Hierusalem & urbiũ Iuda, quibus iratus es: Iste iam septuagesimus annus est. Et respondit dominus angelo, qui loquebatur, uerba bona, uerba cõsolatoria. Quęso te mi doctor aduerte, quid Zaccharias dicat, Angelus orat, angelus enumerat necessitatem & grauamina eorum, pro quibus orat, angelus idem audit plena consolationis uerba a domino deo, fitq; uoti compos. Quod si angeli pro nobis intercedere & solent & possunt, Deusq; eorum preces exaudit, qui & non frustra super uno peccatore pœnitentiam agente gaudent, Zaccha.1.

T

dent, in omnibusq; uijs nostris adhibiti custodes, nullāq; aliam ob causs sam custodiant, quam ut in salutem æternam in sinum Abrahæ ut olim Lazarum custoditum promoueant & perferant, ad id enim bonitate naturæ inclinati sunt, Cur ad diuæ Mariæ, unice dilectæ matris, reginæ angelorum, diuorum deniq; Apostolorum, martyrum, sanctorumq; omnium pro nobis miseris preces intercessionesq; aures clausas habeat misericors et miserator dominus? his præsertim, qui etiam angelos sunt iudicaturi? In Macchabęorum insuper libro legitur, Quomodo Iudas Macchabæus uiderit Oniam, qui fuerat summus sacerdos, uirum bonum & benignum & uerecundum uisu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in uirtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Posthac & apparuisse alium uirum, ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudinem circa illum, respondentem Oniæ dixisse: Hic est fratrum amator & populi Israël, hic est qui multum orat pro populo & uniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta dei. En ut Hieremias propheta pridem mortuus intercedit pro populo. Hinc ex ueteri testamento planum fieri uides, intercessiones sanctorum non reijciendas.

Lucæ 16

1. Cor. 6

Onias.

2. Mac. ul.

Hieremias

D. BALTHASAR. De angelorū intercessione ex Zaccharia quod adduxisti, ad confirmandum pondus habet: Quod autem ex Macchabæorum libro, non accipio. Est enim ille liber (ut scis) etiam Iudæis apocryphus.

D. FABRI. Quandoquidem de purgatorio disputaturi, Macchabæorum mentionem faciemus, in præsentiarum operęprecium uidetur, super his tibi respondere obiter. Nihil ad Ecclesiam, si quid contra synagoga decreuerit, quæ & ingenue fatetur sese multos perdidisse libros, ut libros dierum & permultos alios. Satis mihi uero est, Ecclesiam (ut prologus eorum librorum ostendit) Macchabæorum libros recepisse, teste etiam Augustino. Ac fieri posset, Hebræi Susannæ ut careāt historia, Et Tobiæ liber catholico sermone conscriptus inter apocryphos minime connumeratur, quamuis illum Hebræi de cathalogo diuinarum scripturarum secuerint. Qua uero impietate nos, autoritate antiquissimorum scriptorum religionis nostræ, de innocentia Susannæ, de Tobiæ bonitate, fortitudine, cæterisq; uirtutibus tam pie, tam multis in uoluminibus, tamq; frequenter edocti, toties in autoritatem uocatos libros ipsi reiecerimus? Ad hæc, si commentaria Hieronymi super eos ipsos libros atq; alios etiam introspiciamus, in perspicuo erit ueteres his non modo fidem non abrogasse, sed corroborandarum plurium opinionum uelu ti fundamentum esse uoluisse. Non igitur sunt contemnendi libri, quos Iudæorum synagoga non recipit, usus autem Ecclesiæ nō spernit. Prę terea non sat scio, qua ratione Ecclesiæ pleraq; tueare, si Iudæorum synagogæq; autoritate omnibus in rebus, sancti Christi sponsam inniti oportere uolueris. Sed ad Macchabæorum autoritatem quid afferri queat ex Euangelica historia, te præterire nolo. Nemo est, qui uel

Libros Macchabeorū nō esse Apocryphos.

Lib. 18. ca. 36. de ciuitate dei. Et contra secundam Gaudentij epist. lib. 2. cap. 23.

Plurimos esse dies festos Iudæorum.

triduana tantum lectione sacrarum literarum eruditus, ignorare possit, esse plurimos Iudæorum festos dies. Primo enim mense a Myson est festus dies Isaac, ut a patris imolatione fuit liberatus. Est item festum ob peccatum crimen uituli aurei adorati sub Aaron, & in eodem mense etiam festum palmarum celebratur, in memoriam ruinæ murorum Iericho, & deinde capite xxij. die festum est collectarum ad sacrificium, ac festum Godoliæ ut iiij. mense etiam ieiunium obsessę a Nabuchodonosor Hierusalem, & sexto mense ieiunium Hester, & Mardochæi. Septimus mensis porro habet paschæ festum, de quo cap. xij. secundo libro Moses. Nonus mensis festum habet Penthecostes de quinquagesima die, quando Mosi in Synai mõte lapideis incisa tabulis lex diuinitus est oblata, Ideo tabularum festum alio nomine adpellatur. Post decimo mense fractarum a Mose tabularum. Et mense undecimo ieiunium die xvij. templi Hierusalem a Chaldæorum rege combusti. At sunt præterea & alia festa, quorum etiam in Euangelio mentio fit, utputa Ioannis v. vij. & x. Quæ seruator noster ipse sua præsentia inuisere dignatus est. Ex his unum est Scænophegia græco, Hebraico autem nomine Haghassukath, latine festum tabernaculorum. Et aliud quod Encænia uocant, quod idcirco a Iudæis est impositum, uti ij. Macchabæorum ij. legitur, ꝙ cum Antiochus impetum in templum fecisset, altariaq; domini prophanasset, alia consecratio consequuta est. Huiusmodi solenne festum, ex solis Macchabæorum libris ac synagoga est institutum, hocq; ueluti celebrius festũ honorasse Christum, Ioannes autor est cap. x. quo quidem loco eius & dicta & facta in ipso festo enarrat. Hæc ego non parua esse argumenta existimo, Macchabæorum libros in receptis idoneisq; numeratos, ideoq; gręcitate donatos habemus, Vnde ad nos fluxerunt latine conuersi, ab Ecclesia orthodoxa, Romana seu latina publica lectione recepti sunt, aut tu si potes enarra festũ hoc, per hyemem celebratum, Encęnia adpellatum esse, quod quale fuerit ex te scire cupio, q̃d & (ut Ioannes x. cap. scribit) seruator noster ipse inuisere uoluerit.

Gene. 22
Exod. 32
Iosue. 6.
Hiere. 41
4. Reg. 25
Hester. 4
Exod. 31
Ibidem 32
4. Reg. ult
Scęnophegia.
Encęnia.

D. BALTHASAR. Iam mihi non succurrit quale fuerit.

D. FABRI. At ego dicam: Est (ut obiter ante præscripsi) omnibus Iudæis impositum atq; institutum hoc festum iuxta Macchabæorum ij. libri cap. ij. Cum prophanata templi loca denuo consecrarentur. Hinc quanta fides Macchabæorum libris accedit, non (arbitror) te fugit. Horum historię libros tres græce scriptos penes me habeo, licet nõ nisi duo primi cum usu sint legendi, omnia mihi humiliter & in simplicitate quadam cum ecclesia dei credenti. Satis est eos libros Ecclesię etiam inter officia probatos, eorumq; testimonijs nostræ religionis doctores pręcipuos, qui & columnæ habentur, usos esse. Tu si me audies, cum Ecclesia stabis, Iudæorumq; cohel aut synagogas ualere iubebis.

Encęniorũ festũ q̃n institutũ est.

Verum pergamus ea de re copiosius dicere, Apocalypsim, esse quosdam qui Ioannis esse negant, ideoq; in apocryphis numerandam. Quare ego nihil moror, dicũt illi longo post euangeliorum libros Apocalypsim in-

Apocalypsim uere scriptam esse a Ioan. Euangel.

psim inuentam esse, ad quod libere respondeo: Fortasse hunc librum, ut etiam Euãgelium Ioannis, sero, utputa sub Traiano Imperatore, scriptũ, ex Pathmo præsertim in Europam Aphricamq; allatum. Notissimum enim esse Christianorum historiæ faciunt, Ioannem Euangelistam annis plus sexaginta post Christi in coelum ascensionem uixisse, & in ultimo uitæ suæ tempore aduersus Hebionem Cherinthũ, et alios ędidisse Euãgelium, sicq; tardius q̃ aliorum scriptio in publicum usum uenit. Sed hic satis mihi fuerit, quod Hirenæus discipulus discipuli, Iustinus item Martyr, Melito, Primasius, Augustinus, alijq; doctores orientalis ecclesię etiam prope apostolorum tempora uiuentes, probabiliter ostendũt Apocalypsim a Ioanne Euangelista scriptam fuisse.

Apocalypsim cur inter Canonicas scripturas Lutherus nõ ponit.

Et Lutherus uester Apocalypsim inter canonicas scripturas eapropter numerare non uult, q in illa tam implicitas uisiones esse autumat, ut sese inde expedire nemo possit. At si prophetarum libris omnibus autoritatem derogabimus, hac ratione moti quod ijs magistris qui grossis plenecq; Epicureis sunt utribus & aqualiculis, quales Lutheranos uidemus, ad intelligendum obscuriores et ad inuestigandum difficiles habeantur ac sint, quid tandem fiet Danieli, Ezechieli, Esaiæ, atq; alijs, quorũ non minus quam Ioannis & uisiones & prophetiæ inueniuntur a communi sensu abhorrentes, obscuræ, & intricatæ nimis. Ea igitur autoritate Apocalypsis apud me est, qua est apud principes religionis nostræ uiros, qui ex ipsis Euangelicę ueritatis fontibus aquas hauserunt, qualemque esse ecclesia ad hunc usq; diem permisit.

Epistola Iudę Apostoli.

Cæterum non ignoras, Iudę serui Iesu Christi & fratris Iacobi canonicam epistolam ab aliquibus repudiatam, quod ab Enoch libro, qui Apocryphus est, testimonium sumpsit: attamen ob autoritatem & uetustatem & usum meruit inter sanctas scripturas computari, Id quod Apocalypseos libro accessisse dubium non est, et ex eius libri v. & vij. capitibus inuentum est intercessionem sanctorum nõ improbandam, Postea-

Intercessio sanctorũ ex Apoc.

quam etenim Ioannes fleuit, & liber apertus est, uidit quatuor animalia, et uigintiquatuor seniores cecidisse coram agno, singulosq; habere citharas, & phialas aureas plenas, odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et in alio loco uidit propheta, apostolus, & Euangelista angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorũ omnium, super altare aureum, quod est ante ante thronum Dei, Et ascendit fumus incẽsorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram deo. En quam pulchre intercessio sanctorum aperta fit.

Genesis præterea xlviij. Iacob moriturus, duobus filijs Ioseph benedicẽs (ut scis) ita loquutus est: Angelus domini qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nominaq; patrum meorum, Abraham & Isaac, & crescant in multitudine super terram. Iam perspicuum est, Iacob patrem Isaac et auum Abraham, de uita diu ante decessisse, cumq; filijs suis duobus bene precatus, ipsum

quoq;

quocꝙ morti fuisse finitimum,sicut et mortuus est,Vnde liquet iam,uita functorum nomina inuocare, nouũ non esse. Hinc illud , Exodi. xxxij. Domine recordare Abraham et Iacob,Hic mihi nõ omnia arrident,sed tamen quandam rationem quidam inducunt , Recordare domine,ut in psal.cxxxi.Memẽto domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius,Cum Dauid psallẽs et quibus adscribi psalmi possent,dum hæc peterentur,in uiuis esset,dixerunt nisi quatenus ecclesia deum in Dauid memoriam uocat,eius nomine placare sibi studet.

Si itaqꝫ in ueteri instrumento,in quo omnia per umbram fiunt, ueteres tam sæpe maiorum suorum bonitate fræti,per eos qui mortui fuerãt gratiam inuenerunt imminentiaqꝫ mala deuitarunt,Quãto magis Euangelij id est gratiæ tempore,quo cõmuniter cum Christo sancti regnant, simulqꝫ dominantur,per eos nos eorumqꝫ intercessionem deo conciliabimur,gratiamqꝫ impetrabimus?Et Hieremiæ.xv.Si steterint Moses & Samuel coram me,non est anima mea ad populum istum.En ut mortuorum intercessio commemoratur,neqꝫ enim uel Moses uel Samuel,Hieremia prophetante in uita fuerunt.Et tu iam tecum expende quæso q̃d Genesis xviij.legitur,Adducet dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.Genesis.xxvi.Benedicam & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham.Exodi.ij.Recordatus est fœderis quod pepigit cũ Abraham,Isaac,et Iacob. Iam constat Abrahã,Mosen, Samuel,& cæteros quorum merita attendit iam dudum mortuos fuisse, nisi scriptura sibi non consentiat,quod fieri nullo modo potest.

D. BALTHASAR. Quid autem dices ad illud Matth.xi.Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis?Ad me(inquit) uenite,non ad diuum Petrum aut apostolorum aliquem.

D. FABRI. Quid aũt in alio loco,Ite maledicti in ignem æternum, Item:discedite a me omnes, qui operati estis iniquitatem , Et milia his in Euãgelio similia inuenire dabitur , per quæ ira Christi manifestissima fit, quando ita ob nostra delicta illius beneficiorum obliti , hominem pro nobis factum,acerbissimo supplicio pro nobis absumptum nihil cogitãtibus diuina iustitia, imo ipse Christus irascitur. Vbi uero prohiberis ne ad irascentem tibi per Petri intercessionem ad propitiatorium accedas? Matth.25 Matth.7

Nec quod inducis refuto, imo laudo maxime, modo recte intelligas aliasqꝫ scripturas minime confundas.Fateor ego quidẽ cap.xi. Matthæi seruatorem nostrum dixisse:Discite a me quoniam mitis sum & humilis corde,unde ad normam,exemplum, imitationemqꝫ solius Christi,nulliusqꝫ alterius uiuendum esse cunctis fratribus elicere posses . Quod aũt Paulus i. Cor.iiij.cap.ait : Rogo uos,imitatores mei estote, sicut & ego Christi.Et iterum ad Corinth.eadem in epistola cap . xi. Imitatores mei estote,sicut & ego Christi.Et.ij ad Thessaloniceñ.iij.Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos,cũ tamen Christus Petro,Matthæo,alijsque dixerit,me sequere,et ipse exemplum nobis est , ut de pedum lotiõe Ioannes habet,et regula pie uiuẽdi ipse est,Nihilominus scripturam sibi congruen-

Nõ solum a Christo sed a Paulo & alijs sanctis discere debemus.
Ioan.21.
Matt.4.19
Ioan.13.

congruentem affirmare necesse est. Mihi deniq; nihil obesse puto, si ad Christũ icero per Mariam cęterosq; cõciues & domesticos dei, modo ad Christũ ueniam, cum & illi cum Christo in coelo sine fine lętentur. Neq; ego hic sum in abominabili errore cũ Luthero, qui negat a Christi ascensione quenquam sanctorum, neq; etiam matrem dei coelũ conscendisse.

Lutheri error abominabilis.

D. BALTHASAR. Nunquam eius opinionis fui, Nam aperta est scriptura. Qua refellatur, quid autẽ de illo Matth. iiij. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies?

D. FABRI. Scis eo loco esse κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Quo uerbo unius dei cultus intelligitur & λατρεία dicitur, Dulia aũt non modo non prohibetur a seruatore, sed etiam præscribitur, præcipiturq; nobis, Quod ex Petro et Paulo planum fit, cum hortãtur seruos, dominis ut obediant, ut uere seruiant, Sic ad Ephesios Paulus inquit: Serui obedite dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, Et Colos. iij: Obedite per omnia dominis carnalibus, Et. i. Petri. ij. Subditi estote in omni timore, & seruite dominis.

Latria soli Deo debetur.

Dulia nobis præcipitur.

Ephe. 6

Ioan. 10. D. BALTHASAR. Sed illi inducunt: Ego sum ianua, ego uia.

D. FABRI. Scio equidem, atque sancti id uerius norunt, qui hanc uiam triuerunt, atq; adeo ipsam per ianuã et angustam portam ingressi sunt regnũ coelorum, quorũ uestigia secuti proculdubio recte ad ęterna illa coeli palacia deducemur & nos. Et Paulus ideo sese Corinthijs dum denunciat, se aliquoties iubet imitari. Sed hic quęso ut intelligas Petrum ita loquentem: Dabo operam & frequenter uos habere post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.

2. Petri. 1

D. BALTHASAR. Est tamen abusus tot sanctis miracula adscribi.

D. FABRI. Est tamen abusus grauior, uos ita sanctos temere coelo exturbare, omñi potestate penitus spoliare, Dixit eñ Christus opera quę ego facio, ipsi quoq; facient. Neq; ignoras quod ultimo in discessu apud Marcum idem Christus dicit: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, Cõcludit Euangelista: illi autem profecti predicauerũt ubiq; domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Quid ad te pertinet, si ita placuit domino per manũ Mosi & Aaron tot signa prodigiaq; cunctis auribus stupenda facere? An impietatis aut gratiæ est, quod ante passionem Christi ipsi discipuli, eam tantamq; potestatem habuerint, ut dixerit dominus: Euntes predicate dicentes: Quia appropinquabit regnum coelorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite? Quid Petrum hic commemorem, illiusq; umbram & miracula? Scis illi prætereunti in uia ægrotos expositos esse, Memor es eorum quæ ad sanctorum intercessionem facta sunt, de Dorcade. ix. cap. actorum, quam Petrus a morte reuocauit. Recordaris adolescẽtem qui cum mortuus cecidisset de coenaculo, a Paulo suscitatum reuixisse. Forte non es oblitus toties lecti miraculi de sudariolis & semicinctis

Miracula discipulis a Christo promissa.

Ioan. 14

Marci 16

Matth. 10

Miracula Petri.

Acto. 5

Miracula Pauli.

Acto. 20

Pauli, quo

Pauli,quorum ſolo tactu ſanabantur ægroti. Acto. 19

Quantum igitur dedecus iſti non Euangeliſtæ ſuſcipiunt, quantum ſcelus audent,cum ita temerario furore perciti in ſanctorum ſacraria impetum faciunt, miracula ſanctorum cacodæmoni adſcribunt, reliquias perſequũtur,dehoneſtant,diſſipant, cęremoniarum laudatiſſimarum rituumq; eccleſiaſticorum omne genus abrogare non dubitant, nihil mouentur his,quę de ſanctorum apoſtolorum miraculis totus terrarum orbis canit perpetuoq; teſtabitur? Impia in ſanctos ſcelera Lutheranorum.

Si ut in ueteri teſtamento.iiij.Regum.xiij.Oſſa Helizęi ſancti prophetæ adhibita alterius mortuo corpori, mortuum diutius eſſe non ſunt paſſa,ſed contactu oſſium prophetæ,reuixit mortuus.Et reliquiarũ tanta ueneratio fuit,ut etiam poſt ccxxx. annos tulerit Moſes oſſa Ioſeph ſecum,eo quod adiuraſſet Ioſeph filios Iſrael dicens: uiſitabit nos deus,efferte hinc oſſa mea uobiſcum.Quæ igitur impietas hoc ferreo ſęculo hominum mentes,quæ inſania tantũ in ſcelus præcipitat, ut apoſtolorum oſſa,miraculaq; & interceſſiones ſanctorum prorſus e medio tollere parent?Plura profecto,niſi breuius agere decreuiſſem,ſuper Heliſęi & Helię miraculis adducerem. Oſſa Helizęi & Ioſeph. Gen. ult. Exod. 13.

D. BALTHASAR. Interceſſionem ſanctorum nunquam pertinacius obturbaui,Eos autem a nobis inuocari uel debere uel poſſe, nõdum conſtitui.

D. FABRI. Omnino ſancti etiam membra Chriſti nobiſcum ſunt. Iam ſi ardor ille amoris Chriſtiani corporis (ut Paulus Corinthijs teſtatur)non reſcindendus eſt,plane nos quoq; ſaluos uolunt,ſuntq; de noſtra ſalute ſoliciti,Caput dubio procul religionis noſtræ & eccleſiæ noſtrę uniuerſę Chriſtum iugiter ad noſtram imbecillitatem releuandam cohortantur. Sumus enim nos membra inuicem unius corporis, cuius caput Chriſtus eſt. Sanctos in cœlo pro nobis orare. 1.Cor.12. Ephe. 4.

D. BALTHASAR. Hoc mihi maximum argumentum e ſcriptura ſemper fuit, itaq; eſſe neceſſarium iudico.

D. FABRI. Non eſt ut multi fruſtra et temere iactitant,quaſi interceſſionis, inuocationiſq; ſanctorum ſummi pontifices autores fuerint, quin multis ſæculis in uniuerſa eccleſia,in oriente,etiam in aquilone Moſcouitas,qui ſe Pauli fidem ſeruare gloriãtur,Letania eſt decantata,utpu ta:ſancte Petre ora pro nobis.Quod ſi illorum prophano errori parcamus, neſcio qui locus Kyrieeleyſon & Chriſteeleyſon Letania reliquus fiet. Letania per uniuerſam eccleſiam.

De templis autem,S. Anaſtaſiæ,Clementis,& cęterorum ſanctorum ante annos plus minus M. C C C. non pauca,ſi uelim dicere poſſem. Et in Gallia, qua fides noſtra citius q̃ alijs pleriſq; locis eſt propagata & recepta,hodie ædes, ſeu templum quoddam uetuſtiſſimum conſpicitur Petri uiuentis nomine, quod Petro etiam dum uiueret extructum creditur, nam a uiuente Petro nomen habet, & tale quid in uita S. Sylueſtri iuxta hiſtoriam Euſebij Cæſarienſis e græco in latinum Ruffino autore Antiquiſſima per Galliam et per Germaniam templa ſanctorum.

uerſam reperitur. Nihil dicam hic de antiquiſſimis noſtrę Germanicę nationis fundationibus in diuæ Mariæ honorem ante mille & aliquot centenarios annorũ erectis, quomodo pro patronis diua uirgo, Petrus, Paulus, atq; alij permulti primitiuæ eccleſiæ ſancti martyres habiti et ueneratí ſunt. Neq; dicam magnam partem imperialium ciuitatũ horum patronorum ope exædificatas eſſe, quod tamen pluribus planum facere queam. Tantum dicam, ut ſeſe uelut Platonico in ſpeculo aliquo uideant & conſyderent quæ eos fortuna exceptura ſit, his patronis contemptis, per ſummam ignominiam contumeliamq; agitatis, exploſis, exturbatis, cum ueros diuos e cœlo nefario conatu eijcere nõ poſſent, in imagines, ſigna, tabulas, illarumq; figuras debacchati ſunt.

Ad interceſſionem, unde digreſſi ſumus, ipſe redeam. Ante annos M. C C. Cyprianus Cornelium papam obſecrauit, ſi prior e uita decederet, ad deumq; perueniret, ut pro ſe intercederet.

Multa de deo proprie dici, quę de ſanctis dicunt participatiue.
Cuſtodire
Hebr. 1.
Ioan. 8.12.

Non inficiabere, primum quidem et fidiſſimum cuſtodem eſſe deum, qui Abimelech cuſtodiuit ne peccaret, Gen. xx. Sic populum Iſraël cuſtodiuit dominus. Cuſtodit etiam animas ſanctorũ ſuorum, Pſal. xcvi. Cuſtodit introitum & exitum, Pſal. cxx. Cuſtodit omnes diligentes ſe, Pſal. cxliiij. Cuſtodit aduenas & pupillos, Pſal. cxlv. Imo licet ſit cuſtodiens paruulos dominus, & etiam pueros, omnibus tamen nobis cuſtodes ac tutores angelos fecit eſſe adiunctos, qui noſtri curam ſuſcipiunt, proq; noſtra ſalute ad deum iugiter intercedunt, ut perſpicue uidere eſt Iob. xxxiij. Zachariæ x. ut interim Tobiam ac Cornelium prætercam, Et Iudicum xiij. cuſtodiuit Manue angelus eius.

Lux.
Matt. 5.
Ioan. 10. 21.
Deut. 6.
Pſalm. 11.
Paſtor.
Deus unus & dij plures.

Chriſtus lux mundi eſt, Sunt tamẽ nihilominus & apoſtoli lux mundi. Chriſtus paſtor eſt, Eſt etiã Petrus, ſunt & alij paſtores. Quinetiam deus unus deus eſt, ſunt tamen filij dei etiam dij. Et ſexcenta ſunt eiuſmodi quæ in unum collegi ego, quibus manifeſtũ facio, multa eſſe quæ deo in primis adſcribuntur, at angelis hominibuſq;, utpote Apoſtolis, prophetis, alijſq; eminentioris uocationis, quaſi per participationem quandam adſcribi ſimiliter ualeant.

Concluſio de ſanctorũ interceſſionibus.

Quid igitur eſt, quamobrẽ cum Chriſtum eſſe fatemur mediatorem & patronum præcipuum qui utriuſq; parietem coniunxerit, non feramus, alium alij, & præcipue nobis ſanctos mediatores, interceſſores, patronoſq; dici poſſe, ad ſummum deum? Amabo ſi Chriſtus tam impie, tam nefarieq; uiuentibus nobis iraſcitur, matris erga filium, diſcipulorũ ad magiſtrum interceſſiones noli noli quęſo ſpernere, noli contemnere. Babilam ac reliquos martyres iuxta Chryſoſtomi ſententiam, indignati Chriſto capita monſtrantes & porrigentes, imo & nos potius Eccleſiæ ritum ſeruantes oremus concorditer: ſancta Maria ora pro nobis. Hæc eędem conſtanter facere pergã, una cum ſancta catholica Eccleſia, quam firmiſſime in petra fundatam ſcio, non uereor itaq; utcunq; impiorum obmurmurationes & uiolentæ turbidęq; inundationes irruant. Quinimo nec inferorum portæ præualebunt illi, eſt enim illa non modo ſupra petram

pra petram ædificata firmissime, sed recte a catholicis, ex præscripto do- ctoris gentium, columna & firmamentum ueritatis agnoscitur. 1.Tim.3.

D. BALTHASAR. Hoc ego sæpe mecum constitui, eos qui in gloria apud Christum uiuunt, ardorem amoris nostri non remisisse, deoque uelle nos saluos esse, q̃d ut assequamur, intercedere illos pro nobis huc usque in dubio non fuit.

De purgatorio Animarum CAP. VIII.

D. FABRI.

QVANDO IAM EOS qui superna inhabitant, in locum restituimus, censeo nunc ad inferos quoque hoc sermone paulisper descendendum esse, ut refractis obicibus, quosdam, qui cum crederent, labes maculasque conceptas in uita anteacta nondum plene abluerunt, ut ab æternis supplicijs inextinguibilique igne in temporale gratiæ, bonitatisque diuinæ ergasculum id est purgatorium uindicemus. Pighardi quidem purgatoriũ prorsus negant: Lutherus uero ait se scire, purgatorium esse. Dic quę tua est sententia.

D. BALTHASAR. Quando de iustitia diuina cogito, rationẽ a nobis flagitabit dominus non modo facti, sed etiam minimi, inanis, inutilis, ociosique uerbi nostri. Id ubi in mẽtem mihi uenit, nõ sine plurimis causis factum esse puto, ut de purgatorio predicaretur. Sed uestra argumenta auscultare studeo. Matth. 12.

D. FABRI. Quoniam itaque non multum a nobis dissentis, & scire cupis, quę nam argumenta nostra sint, expromam, ac lubens quid sentiam narrabo ex ordine. Argumenta pro purgatorio.

Primum omnium, in Macchabæorum libro scribitur, uirum fortissimum Iudam collatione facta xij. milia dragmas argenti misisse Hierosolymam, ut offerentur ea pro demortuorum peccatis, iuste & religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum & uanum uideretur, orare pro mortuis: sed quia consyderabat, quod hi, qui in pietate dormitionẽ acceperant, optimam haberent repositam gratiam, Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis soluantur. En ut scriptura testatur, sanctũ est ac salubre pro defunctis orare, ut a peccatis suis redimantur. Iam quod ad libros Macchabæorum, illorũque autoritatẽ pertinet, non est necesse quo uerba faciamus, nam in actu proximo ea de re profusissime locuti sumus. Restat itaque, ut in hac parte recedamus ab omni dubio, fidemque habeamus fortissimi Iudæ Macchabæi historiæ. Primum. 2.Mach.12

Secundo legimus etiam in Euãgelio, de eo, qui in carcerem coniectus, non dimittitur quoad satisfecerit etiam ad ultimum usque quadrantem. Quæ historia plane alia est ab ea, quę ingratum ad extremas tenebras iubet conijci, ubi sit fletus & stridor dentium. Secundũ. Matth.5. Mat.8. 22

Tertio est in Euangelio peccatum in spiritum sanctum, quod non remissum iri ait, neque hic neque in futuro sæculo. Vnde est intelligere, esse etiam in futuro sæculo aliquod peccatum remissibile, Id porro de his qui Tertium. Matth. 12 Mar.3. Luc. 12.

in cœlis

in cœlis ſunt, nequit intelligi. Nam quemadmodum Dauid interrogat in Pſalm. xiiij. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo? Apta diuinaq; uoce reſpondit: Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Neq; de his qui in inferno ſunt unquam intelligi poterit aut debebit. Traducit ſcriptura Origenem hic, ut is ſit erroris reus, quod aperte docet, in inferno eſſe redemptionem, Nam ignis ille infernalis, omnino iuxta ſcripturam inextinguibilis eſt ac æternus, Matth. xxv. Ad hoc inter eos qui in inferno ſunt, & qui in ſinu Abrahæ ſedent, magnum interuallũ eſt, ita ut unus ad alium uenire nequeat. Sic enim Abraham epuloni reſpondit: inter nos & uos magnum Chaos firmatum eſt, ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſſunt, neq; inde huc tranſmeare.

Error Origenis de ſaluandis dæmonib.

Luc. 16.

D. BALTHASAR. Quæſo te, quid intelligis per peccatum in ſpiritum ſanctum?

D. FABRI. Arbitror eum in ſpiritum ſanctum peccare, qui deſperat de gratia ac miſericordia dei, aut qui impœnitens ex præſumptione ab hac uita diſcedit. Nam gratia et bonitas ſpiritui ſancto tribuitur, perinde ut omnipotentia patri, ſapientia filio, in quo ſcriptura exprimit omnem theſaurum & ſapientię & ſcientię dei abſcõditum eſſe. Cum igit aliquis dei propiciationẽ & gratiã aſpernatur, deſperatq; de miſericordia tam boni clementiſſimiq; dei, puto in ſpiritũ ſanctum peccare illum.

Peccatum in ſpiritum ſanctum quid ſit.
Coloſſ. 2.

Sed ut ſemel finiamus, quod ad purgatoriũ attinet, alia quędam ſcripturæ teſtimonia prodam. Dic itaq;, quare aliqui (ut i. Corin. xv. legitur) pro uita functis baptizati ſunt, de quibus & ante hac obiter nonnulla amice cõtulimus, niſi perſuaſum habuerint, recens mortuos in uia gratię baptiſmi ſuffragijs ad ſalutem poſſe promoueri? Neq; ea eſt ſententia, quã a Luthero expreſſam, tu quoq; es amplexus, ut ſit pro mortuis quaſi ſuper mortuis aut ſupra cadauer mortuum baptizandus aliquis, ſed pro mortuis, ut tam recens quam uetus tranſlatio habet. Hanc rem antea copioſe probauimus. Quod ſi qui pro mortuis apud Corinthios uiui baptizati ſunt, reſtat ut mortuorum ex alia uita remiſſio quędam expectanda ſit, illiſq; ſuffragia uiuorum ipſis defunctis conſolationem afferant.

Quartum argumentũ pro purgatorio.

Quinto i. Ioan. v. cap. ſic legitur: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortẽ, petat & dabitur ei uita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut quis roget. Hic audis peccatũ pro quo non ſit orandum, atq; aliud pro quo deprecatione ſit locus. Hoc autem non ſit de uiuis. Dum enim homo uiuit & uiatorem agit, de eo deſperari nõ debet, maxime dum quoties peccator ingemuerit, & a peccatis conuerſus, pœnitentiam egerit, non recordabitur amplius dominus peccati illius, cum non uelit mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur et uiuat. Eapropter etiam ſi in die ſepties ceciderit iuſtus, imo ſeptuagies ſepties peccarit in fratrem, de ſalute & miſericordia, ꝗ diu uita ſuperſtes manſerit, deſperare non oportet. Eſt igitur de mortuis acci-

Quintum
Peccatũ ad mortem.
Ezech. 18.
Prou. 24.
Matth. 18.

tuis acci

tuis accipiendum, id est, non orandum pro his, qui æterna damnatione sunt damnati: pro his autem qui in purgatorio sunt, esse ornandum, tacite scriptura innuit.

Sexto, sic est apud Paulum i. Corin. iij. Secundum gratiam dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamētum posui, alius autem superædificat. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superędificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Ex hoc loco cum multa alia, tum præcipue purgatorium probatur. Sextum.

Atq; ita mihi persuadeo, hinc maiores nostros arripuisse ansam purgatorio nomen reddere, das fegfeur, id est, ignem purgatorium, quo relictæ peccatorum fæces & labes, & ueluti scoriæ aliquæ uitæ sordibus contractæ, tanquam auri argentiue, per ignem sunt purgandæ. Purgatorio unde nomen im positū est.

D. BALTHASAR. Duo hic dubito: unum, utrum homo, qui iustitię diuinæ non satisfecit in hoc mundo, reliquum in solo purgatorij loco, neq; alicubi terrarum, luere necesse habeat? Alterum, utrum inferni & purgatorij unus idemq; ignis sit? Quęstio 1. Secunda.

D. FABRI. Quæ nunc quæris, eiusmodi sunt, ut nisi experiamur, plane scire nequeamus: quod ne nobis necesse sit experiri faxit deus. Sed quid probabiliter de utroq; dici possit, uideamus.

Quod ad primum itaq; attinet, credo acerbam molestiam animæ fideli parere, cum resipiscens aut intra se cogitans, uidet se summa iustissimi & pientissimi dei præcepta transgressam, suoq; se merito creatorē ac redemptorem suum iratum habere, uelit nolit agnoscat. Hanc ego febrem plane ardentem existimo, & (ut medici uocant) ægritudinem peracutam. Ad primū responsio.

Puto id fieri posse, etiam in aqua aut solitudine, ut & deo placuerit, quod & plures spiritus exorcismis & adiurationibus etiam nostro æuo adiurati ostendere. Non igitur pono purgatorium sub Æthna Siciliæ tantum esse. Nam quāquam Gregorio illo magno in cathedra pontificali sedente mons ille efferbuerit uiolentius, flammasq; continuas dederit, tamen uis flammarum hodie tanta non comparet, quanta olim fuit. Quid, quod sub monte Schreckenberg quem uocant, aliquandó fumigationes & flammę uidentur? Non ergo nisi per coniecturas dicere certo possumus, quo in loco, quaue in parte terræ sit ignis ille. Sat fuerit apud inferos ignem esse æternum. Reliqua committo summo deo, cui magnam animarum beatarum partem acclamare credo: Nos trāsiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Possem hic inducere textum de flamma & dentium stridore, qui in perenni fluuio erit. Omnino au- Purgatorium ubi nam sit. Schreckenberg mōs flammas euomit. Psal. 65. Math. 8. 22. 24. 25. Luc. 3.

mnino autem, ubi domino placet, arbitror purgatorium esse animabus repurgandis locum diuinæ iustitiæ constitutum, ubi reliquas etiam huius uitæ erroribus contractas labes eluant.

Secundæ quæstionis dilutio. Ad secundũ aũt quod scire uis, dico fieri posse mihi uideri, q̃d & alijs non obscuri nominis, etiam inter eos, qui sacras literas erudite professi sunt, ante uisum est, idem ut ignis sit & inferni & purgatorij: hoc tamen discrimine, ut hic sit quibusdam temperarius ignis, alioqui perpetuo cruciandis sit ille, idemq́ æternus. Simile. Non aliter q̃ metalla, quorũ in igne quędam manent, quædam non manent, aut quando nos hic in arce sumus Czutzenstayn. Czutzenstayn haud procul a Danubio, ad cuius ripas, si duo sistantur, dicatq́ aliquis: utriq́ uestrum est traijciendus fluuius, unus magna cum molestia ac dolore superans fluuium, euadat ulteriorem in ripam, alter in medio fluminis submersus opprimatur: Sic animarum aliæ æternæ damnationi addictæ perpetuo inextinguibiliq́ igni immerguntur; aliæ eadem forte flamma pro peccatorum modo ac magnitudine correptę, tandem aliquando emergunt, & beatorum concilijs aggregantur.

Pia & catholica D. Fabri protestatio. Hæc aũt non asseruisse uolo, quasi secus esse non possit, Non enim instituti mei est, a fide catholica trãsuersum digitum discedere, imo si in cõmunem consensum Christifidelium unq̃ peccaui, iam retractatum haberi & esse uolo. Sat esse arbitror scriptura probari, id quod & ipsa iustitia exigit, æquitasq́ suadet, post hanc uitam locum esse inter cœlum & infernum medium in quo animæ hinc discedentes, & labe aliqua peccatorum, non tamen ad mortem æternam conspersæ pœnas luant temporarias, non æternas.

Alia quæstio. D. BALTHASAR. Quomodo autem mihi planum facies, post remissionem peccatorum aliquid adhuc remanere?

Respõsio per exempla scripturæ. D. FABRI. Apertissime hoc expressum scriptura est, de Dauide, Ad quem ubi peccauit, bis sunt prophetæ missi, Nẽpe Nathan et Gad. Dum itaq́ Nathan ordine enarrasset peccata Dauidi erga Vriam Ethęum & uxorẽ eius, confessus est Dauid se peccasse, culpa tamen nondum

I. 2. Reg. 12. sic erat ablata quin & secuta sit pœna, quam mortuo filio luit, cuius gratia orarat, ieiunarat, cæteraq́ fecerat.

II. Secundo in recensendo populo peccauit idem rex Dauid, & quanq̃ peccatum confessus, nihilominus tamen propheta Gad imminẽtem dei

2. Reg. 24. 1. Para. 21. iram illi annunciat, ac Dauid animam magnas in angustias deijcit, sequiturq́ pœna ac correctio.

III. Leprosi etiam in euangelio mundati fecerunt aliquid ad iussa domi-

Luc. 17. ni, licet non nisi unus dans gloriam deo, ueluti gratus reuersus fuerit.

IIII. Petrus ubi peccauit, acerbe fleuit.

Matth. 26. Et non satis erat prædiuitem publicanorũ principem Zacchęum de

V. peccato dolere, sed etiam dimidium bonorũ suorũ se dare pauperibus

Luc. 19. affirmabat, quodq́ si aliquem defraudasset, quadruplo persolueret.

VI. Mulier peccatrix ut impudicis oculis, manibus, pedibus, crinibus,

Ibidem 7. cæterisq́ membris peccauit, credidit & amore succensa est, adhuc tanq̃ uerecunda

uerecũda retro pedes ſtetit, lachrymis pedes Chriſti rigauit, capillis terſit, oſculabatur, et pedes ungebat, Idcirco de bono opere commendatur aduerſus calumniatores, & eum qui obmurmurare quęſtus proprij cauſa non formidabat.

D. BALTHASAR. Semper ego ad ſummi Dei miſericordiam animum conuerti, attamen exiſtimaui, nullo gratię ac miſericordię reſpectu obſtante eius iuſtitiæ ſatis fieri oportere.

D. FABRI. Recte habes, quoniam hæc duo uidi (inquit Dauid) ꝙ tibi eſt domine poteſtas & miſericordia, quia tu reddes unicuiqꝫ iuxta opera ſua. Qui locus etiam repetitus a Matthęo, & diuo Paulo declaratus, & alibi iterum in pſalmo legitur: Miſericordia et ueritas obuiauerũt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit, Iuſtitia ante eũ ambulabit, & ponet in uia greſſus ſuos. Pſalm. 61 Math. 16 Roma. 2 Pſalm. 84.

D. BALTHASAR. Sed de duabus tantum uijs mentionem faciunt, cœli & inferorum, ac Pauli dictum uſurpant, i. Theſſalo. iiij. Nolo uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent.

D. FABRI. Non continuo, quia illi dicunt, uerum eſt. Fere enim quæ noui euangeliſtæ cõtra maiorum noſtrorum ritus & ſacroſanctas conſuetudines innouarunt, edocuerunt, ſanciuerunt, uana ſunt & mendaciorũ pleniſſima. Diffiteri nõ potes, & uelis, nolis, agnoſces, nihil hoc tempore uenalius eſſe quam ſunt euangelicæ ueritatis prætextu oblitæ ac fucatæ, nequiſſimæ, impijſſimæqꝫ nugæ, impoſturę, ſycophantiæ, rebelliones, inſidiæ, proditiones, ſeditiones, homicidia & alia id genus infinita ſcelera, quibus (proh dolor) olim Germania carens, nunc repleta eſt. Putas ne hanc eſſe euangelicã uitam? Num ea propter Chriſtus acerbam mortem pro nobis ſuſtinuit. Lutheranorum nugæ ac ſcelera.

Ad illorum obiecta dico, cœlum & infernum non eſſe uias, ſed manſiones & receptacula eorum qui mortui ſunt. Per hoc purgatorium non cadit, Neqꝫ nouum eſt pro defunctis orare, ſicut annos ante, M. C. Auguſtinus docuit, cuius mater Monica ſuper terram funebribus exequijs eſt honeſtata. Ambroſius in funere Theodoſij imperatoris, mille ante annos oratione funebri planctus mortuorũ predicauit. Et Auguſtinus proprium tractatum ſcripſit de cura pro mortuis agenda. Ad hoc eccleſia non modo latinorum ſed etiam græcorum (qui ſemper perſpicaciſſimis ingenijs, ſumma doctrina uiguere) receptum uſitatumqꝫ morem iſtum approbauit. Reſpõſio cõtra obiectionem Luther. Orare pro defunctis antiquiſſimus mos eſt.

Quod autem funebres illi planctus ſiue luctus perinde hoc tempore, ut olim ſub Vigilantio & Iouiniano, ſub apoſtata fidei Luthero iacent contempti ac neglecti, & eiuſce factionis homines propheticæ maledictioni Hieremiæ de aſini ſepultura extra portas Hieruſalem ſe ſponte ſubijciunt, Ipſi uiderint, quopacto reſpondere uelint & poſſint. Scio ego in locis nonnullis quoſdam tanta dementia captos, ut iam morituri ſeſe canibus & lupis, Diogenis Cynici more, exponi uoluerint, at- Barbaries Luthe. in ſepultura aſinina. Hiere. 22.

V que in

que in testamentis ita constituerint.

1. Thessa. 4 Quõ pro mortuis lugere licet. Iam quod ad Thessal. autoritatem inducunt, hoc ita capiendum existimo, quod nobili huic doctori gentium nulla culpa prorsus impingenda est, Scribit is non esse contristandum pro mortuis, neq; enim simpliciter uetat lugere, aut contristari, alioquin metropathiam negans, apathian philosophis damnatam statueret, sed ne lugeamus, ut hi qui resurrectionem mortuorum negant, quales Saducei fuerunt, eapropter subiungit, sicuti cæteri qui spem non habent, cuiusmodi Saducæi, & quidam Corinthiorum qui etiã execrati fuerunt resurrectionẽ ex mortuis.

Matth. 22. 1. Cor. 15

Exempla luctus. Nos uero luctu mortuos prosequi, exemplo patriarchæ Abrahæ docemur, qui uxorem suam luctu est prosequutus, Id quod & Iacob de uxore sua Rachel fecisse legitur. Ioseph & eius fratres super defuncto Iacob. Populus Israel super Mose mortuo &c̃. In Euangelio insuper reperio lugentes Marias tres, ad sepulchrum Iesu. Quod si Lutherana impietas hac parte præstabit super mortuos planctum non facere, mulierculas illas Christo donatas necesse erit aut erroris aut delicti damnare, neque Ioannis discipuli culpa carebũt, Nec Ioseph ab Arimathia, qui exceptum syndone Christi corpus monumẽto in petram exciso immisit, excusationem habet siue laudem ex euangelio meretur, Neq; uiri illi sancti ac religiosi, qui Stephanum non modo tumularũt, uerum etiam lachrymis, luctuq; honestarunt, recte fecisse creduntur. Prophanus autem poẽta Ouidius multo rectius, q̃ Lutherana ista barbaries, ait: Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati flere uetat? Id quod mater illa unici filij defuncti in Euangelio clare probat. Lustra historiam in actis de Dorcade, & inuenies, ut hęc in Ioppe defuncta esset, illucq; Petrus uocatus cum ueniret, reperit illam iam lotam ut sepeliretur, et quod eandem omnes uiduæ flentes circumsteterunt.

I. Gene. 23 II. Gene. 36 III. Gene. ult. IIII. Deut. ult. V. Matth. 27. Marci 15 Lucæ 23 VI. Matth. 14 VII. Ibidem 19. Acto. 8. VIII.

Inhumana res est, nimiumq; barbarica, & quę cũ feris et bestijs nonnihil commune habet, Lutheranorum more non dolere de mortuo, non planctum sed choream ducere, et quod abominabilius est, illos inhumatos, canibus uorandos projicere, ut hoc factum esse tota Germania nouit. Habes itaq; (ut breui epilogo dicta recenseam) quæ de purgatorio illiusq; poena sentiam, & quantum ego detester mortuorum apud Lutheranos nullam esse curam.

Lucæ 7 IX. Acto. 9 X. Feri barbariq; mores Luth.

De imaginibus Christi & sanctorum. CAP. IX.

DOCTOR FABRI.



VM ITAQVE diutius traheret disputatio, incideratq; sermo de imaginibus Crucifixi, Mariæ, aliorumq; sanctorũ &c̃. quibus in ecclesijs atq; alijs locis inter catholicos uti consueuimus, Ego perpetuitate longi sermonis fatigatus, doctori Balthasaro librũ meum aduersus Zuinglium a me diuulgatum legendũ proposui, ut ea de re, quid uerum esset, cognosceret, atq; ab errore tollẽdarum imaginũ desisteret, Ita eñ propositum mihi erat cum Balthasaro disputare, ut a me ante in libris disputatum scriptumq; fuerat in eam rem ædidis.

Liber D. Fabri aduersum Zuingliũ.

Vt autem Christifideles de mea mēte fideq; fiant certiores, Quod ad imagines attinet, illa mea scripta triplici in argumento uersantur. Primo scripturas inducam, quibus imaginum euersores fræti, aduersus crucem Christi debacchati sunt, ac cunctas imagines damnarūt. Secundo, ut ueteri in testamento fuerint imagines ostendam. Tertio quamdiu, & quibus locis imagines in ecclesia Christi receptæ, usitatæq; fuerint referam.

Triplex de Imaginibus Tractatus. I. II. III.

Antequam aūt ueniam ad primū, scire est operæpreciū inter Idola, aut simulachra, imaginesq;, non paruū esse discrimen, Sine quo sane multiplices uariæq; scripturæ, beneficia, quibus imaginū expugnatores ad seducendum miserum uulgus uti solent, refutari non facile possunt. Primum quando constat Idolum græce (unde & Idolothytum fluxit) idem esse quod simulachrum, uidendum est quid nam sit Idolum, quæ notio nominis ex scriptura facile adparebit. Scripturas itaq; de hac re loquentes in medium uocare animo est mihi. Etenim deorum infinitam propemodum multitudinem Romanis fuisse, prodidere ueteres. Et q̄d mihi non mediocriter referre uidetur, Crinitus ex historiographis ostendit, Romanos plus quā triginta milia deorū coluisse, Vnde templum Pantheon omnium deorum, quod hodie ędes diuæ Mariæ dedicata Romę uisitur.

Idola, simulachra, & imagines q̄d inter se discriminis habeant. Idolum. Petrus Crinitus lib. 3 c. 14. et lib. 25. cap. 11. Pantheon

Illis ergo dijs Idola passim erecta sunt, qui & dij dicebantur, Pro dijs quoq; habiti sunt, id quod ex xxxi. cap. libri Geneseos manifestum est, ubi sic scriptum inuenio: Rachel furata est idola patris sui, & quęrit Laban: cur furatus es deos meos? Iacob uero sic ait: apud quemcunq; inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Et sequitur: hęc dicens ignorabat, quod Rachel esset furata Idola. Et iterum: illa festinans abscondit Idola subter strameta cameli, et sedit desuper. Ecce quod Idola dij, & dij Idola uocentur, etiam Iudæorum scripta idem docent. Item Exod. xx. Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, nec coles. Rursus Exod. xxxiij. Deos conflatiles non facies tibi. Leuit. xix. Nolite conuerti ad Idola, nec deos cōflatiles facietis uobis. Hieremiæ ij. prophetæ prophetarunt in Baal, & Idola secuti sunt. Psalm. cxiij. Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt, Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Sic Psal. cxxxiij. Sapien. xv.

Idola dij uocabantur.

Ita nostri Germani prope lacum (quem Ammonius Acronium, Solinus Pergantinū uocat) in insula, cui Augia maior nomen est, quendam deum Almannum coluerunt, cuius Idolum & ipse sub fœlicis memorię Maximiliano Cæsare uidi. Qui sane ab inferiori parte foramen habuit, ore quoq; hianti formatus erat, ex quo proculdubio respōsa oraculi loco per dæmonem aliquem data sunt. Ab eo Almanno, Almaniam uo-

Almannus Idolū uetustiss. in Augia.

cari non pauci crediderunt, Et ab illo multa oppida uillæq; nomen acceperunt, & in hodiernum usq; diem habent, Alespach, Almansdorff, & multa alia proxime sita loca.

Idolũ cur Teutonice dicitur Abgott.

Nostri itaq; aui Idolum, siue simulachrum abgott, adpellarunt, quod a uero deo ueroq; dei cultu abduceret, quod qui coluerũt, in illud spem suam collocarunt, neglecto uero ueri dei cultu. In Idola eiusmodi populus Israëliticus sępe sperabat, colebat illa, seq; ac uitam salutẽq; & omnia sua illis credebat, Quod Paulus ita esse ostendit ad Roma. i. capite: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, et uolucrum, & quadrupedum & serpentum: propter quod tradidit illos deus in desyderia cordis eorum, quia cõmutauerunt ueritatem dei in mendacium, & coluerunt et seruierunt creaturæ potius q̃ creatori, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen. Idolis igitur gentes, & qui e Iudæis Idololatræ fuere, seruierunt, Et hanc seruitutem ad Romanos i. Paulus latriam græce dixit.

Idololatria maxime abominabilis deo. Deut. 6.

Hanc autem summus ille noster deus noluit tolerare. Ita enim legitur v. lib. Mosi. cap. vi. Dominum deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomẽ illius iurabis, non ibitis post deos alienos, & eodem lib. ca. x. dominum deum tuum timebis & ei soli seruies. Iudicum ij. Fecerunt Israël malum in conspectu domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserunt dominum deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti & secuti sunt deos alienos, deos populorum qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos. Sic & Iud. iij. ac x. Ita Achab. iij Reg. cap. xvi. seruijt Baal, eumq; adorauit. Et in matrimonium duxit filiam regis Sidoniorum. Et populus Israëliticus, ut Psal. cv. mutauerunt gloriam suam in similitudinem uituli comedentis fœnum, obliti sunt deum, qui saluauit eos. Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum, & imolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & effuderũt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarũ suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Vana in Idola fiducia.

Fiduciam porro habuisse in sculptiles deos ac simulachra, Esaię dicto liquet, cap. xlij. Cum dicit dominus: Ego dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus, quæ prima fuerunt, ecce uenerunt. Et sequitur: Confundantur confusione, qui confidunt in sculptile, qui dicunt conflatili, uos dij nostri. De quo Psal. cxiij. & cxxxiij.

Impia consultatio Idolorum.

Nec uero hoc contenti populi, eo insaniæ amentiæq; sunt delapsi, ut Idola, contra atq; scriptum est Deutero. xviij. de futuris consuluerint, Sic Reg. iij. cap. xviij. Iezabel ad Idolũ Baal habuit Prophetas ccccl. Et Ochozias nisi angelus domini uenisset, Beelzebub deũ Accharon consultum decreuerat. iiij. Reg. i. Quo circa queritur apud Hieremiam deus de sacerdotibus, quod ex se ipso, sed ex Baal futura prædicerent, ut aduersus prophetas Samariæ apud eundem cap. xxiij. Cum adoranda non

da non essent Idola, prohibuit enim deus Exo. xx. & xxiij. Deut. v. Micheę. v. & Luc. iiij.

Populus Israël, Moses cum in monte esset, Exod. xxxij. uitulum conflarunt aureum, eumq; adorarunt, Ita Salomon adorauit Astertem Sidoniorum deum, Chamos Moabitarū Idolum, & Moloch Ammonitarum, Adorati quoq; sunt duo aurei uituli. iiij. Reg. xvij. de quo plura Esaiæ ij. Insuper Idolis sacrificarunt contra præceptum domini, Exodi xxij. Deut. xxxij. Ita liberos suos dæmonijs obtulerunt, ut supra ostensum est ex Psal. cv. Et Achan filium suum, iiij. Reg. xvi. Et Manasses ac Amō. Omnia plena sunt de hoc sacrificio dæmonijs et Idolis oblato, utpote Esaiæ i. Hiere. i. vij. xix. xliiij. Ezechielis xiiij. Danie. xiiij. Oseæ xi. Paulus i. ad Corinth. viij. & x.

Idola non adoranda.
Idololatria priscorum Iudęorū.
3. Reg. 11.
4. Reg. 21.

Ex omnibus his planum fieri existimo, summum deum idcirco prohibuisse Idola, deos sculptiles fictilesq;, quod posthabito se & neglecto uero deo, mortales his erectis Idolis, dęmonum, ludibrijs, spiritibusq; immundis diuinos honores detulerunt, proinde scriptura nullo discrimine, Idola, simulachra, dæmonia, deos alienos, dęmonesq; e diuerso deos & Idola nominat, Ideo Deut. xxxij. Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Imolauerunt dæmonijs, & non deo, dijs quos ignorabant. Noui recentesq; uenerunt, quos non coluerunt patres eorum. Dicit deinde scriptura sacra: Obtulere dijs sculptilibus Chanaan, Psal. cv. iiij. Reg. i. meminit scriptura Beelzebub deū Acharon. Et i. Cor. x. Gētes offerūt dęmonijs, Psal. xcv. Magnus dominus & laudabilis nimis, & terribilis super omnes deos.

Idola cur deus prohibuit.
Dij alieni,

Quæ si iusto examine expendamus, plane inueniemus sculptiles, conflatilesq; uitulos, simulachra, statuasq; prohibita esse, propterea, quod in his delitescens cacodæmon, hominibus illuserit, locutusq; sit, & futura prædixerit, liberorum sanguinem expetiuerit, innocentes ad eius aras iugulari iusserit, Quę etsi e sacris literis manifesta fiant, tamen etiam ex Valerio Maximo aperta sunt omnibus. Itaq; per prophetam lamentatur dominus aduersus illos quod reliquerunt deum fontem uiuum, sibiq; foderunt cisternas putridas, cisternas quę non poterāt continere aquas, contempto uero deo, ignota dęmonia, serpentes, uolucres, leones &c. Iouem, Martem, Saturnum, Herculē, Ægeriam, Floram, Iunonem &c. pro magnis dijs habuerunt, illos inuocarunt & uenerati sunt.

Cur statuę ac simulachra erant olim prohibita.
Val. Max.
Hiere. 2.
Varia Idolorum nomina.

De quibus Lactantius Firmianus ita scribit: priuatim uero singuli populi, gentis aut urbis conditores, seu uiri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa ueneratione coluerunt, ut Ægyptus Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sanctum, Romani Quirinum, Eodem utiq; modo, Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinē Delphi, Sic per populos atq; regiones uaria sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt.

Lactant. lib. 1. ca. 15.

Christiani non Idola sed Iconas habent.

Hoc aūt in nostris Christianorum imaginibus usu uenire non solet, neq; uero Idola sed Iconas uerius erigimus, quę intus cacodęmona neu-tiquam fouent, non liberorum nostrorū ambiunt sanguinem, Non ut lapis, ut æs, ut lignum latriæ cultu adoretur.

Ad quid habentur imagines. Gen. 9. Num. 21.

Idcirco aūt collocantur imagines omnibus templis, aris, sacris ac pro-phanis ædibus, ut rei sanctæ memoriale sint, ita ut imagines oblatæ men-tem nostram acuant ad dispicienda meditādaq; ea quæ facta sunt, uel fie-ri debent, Sic in signum aliquod est arcus in nubibus coeli, Sic serpens æneus in populo Israëlitico erigitur.

Quō Deus patrib. apparuit. Ioan. 1. 1. Tim. 6.

Quapropter nos Christiani dicimus, quandoquidem Deus in ueteri testamēto oculos hominum effugit, quem nemo hominum uiuentium uidit unq̄, Ideoq; inuisibilis est, locumq; habitat inaccessibilem, eoq; fa-ctum est, ut quoniā nullę imagines eum plene et ut in se et essentia sua es-set, reddere possent, imagine aliqua nō sit expressus. Etsi aūt Abrahę ad-paruisse legitur in conualle illustri, Geneseos. xij. ad puteū uiuentis & ui-dentis, Genesis xvi. in conualle Mambre, Gene. xviij. idem filio eius Isa-ac in Bersabee, Gene. xxvi. Iacob aut in Haram, ubi scalam in cœlum us-que protensam uidit, Gene. xxviij. Idemq; Iacob gloriatur in Phanuel se facie ad faciem uidisse dominum, Gene. xxxij. Adhuc tamen nemo in terris uiuens Deum uidit uti est.

Exod. 3. Quō Moses uidit deum. Exod. 33. Ioan. 1.

Dominus Mosi in Oreb & toties apparuit, ipsumq; pro amico ha-buit, Nihilominus tamen audit ille propheta dominum dicentem: Non uiuet homo & me uidebit, Ideoq; ipsum Mosen deus in fissuram seu fo-ramen petræ collocauit, qui ubi dominus transiuit nō plenam gloriam domini sed posteriora tantum uidere potuit. Hinc illud Ioannis: deum nemo uidit unquam.

Visiones prophetarum. Esa. 6. Amos 9. Dan. 7.

Addo & si uisiones quædam leguntur, Danielis, Ezechielis, Esaiæ, & aliorum prophetarum, ita ut Esaias uiderit eum sedentem super solium excelsum, Amos uiderit dominum stantem super altare, Daniel autem uisionem dei sic expresserit, Aspiciebam donec throni positi sunt, Et antiquus dierum sedit, uestimētumq; eius candidū sicut nix, & capilli ca-pitis eius quasi lana mūda, thronus eius flamma ignis, rotę eius ignis ac-census, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur a facie eius: Tamen non plane perfecte sufficientesq; fuere uisiones, neq; enim uisus est dominus ut in se & ex sua essentia est.

Filius dei formam serui acci-piēs, uisibi lis factus est. Philip. 2.

Posteaquam autē dominus decreuisset, non amplius nobis duntaxat loqui per prophetas, sed ineffabili misericordia et pietate sua placuit per uerbum æternum, suum quidem & charissimum & coæternum filium recōciliationis aperta prębere signa, misitq; nobis unicum filium suum, per quem mundus seruaretur ac saluus fieret. Is autem hominis effigiem atq; serui formā indutus, in hominū oculis uersari, ante & post resurre-ctionē, cum hominibus familiariter agens conspectus, in similitudinē ho-minū factus, et habitu inuentus ut homo, non modo cum pijs & iustis, sed & cum peccatoribus, propter quos ut eos saluos faceret, uenit, una

comedit

comedit ac bibit, uisibiliter ab impijs Iudæis in crucem est sublatus, uisibilique modo sua uiscera in quatuor partes orbis terrarũ extendit, Et non modo una & submissa, sed ualida uoce aliquoties in cruce locutus, atque inde spiritum exhalauit.

Matth. 27. Marci 15 Lucæ 23 Hebr. 5

Hinc illa imaginum uarietas pijs oculis recepta, ab optima mente profecta, ad hanc usque memoriã religiosissime obseruata est. Quid enim, obsecro te, est amabilius quam uagientem orbis terræ dominum adhuc paruulum in bouis præsepio iacentẽ intueri? Quid magis incitet piam mentem, quam uidere iam duodecimum annum agentẽ medio in templo in magno scribarum coetu docentem & interrogantem? Quod spectaculũ dulcius quam Ioanni se baptizandũ ad Iordanis fluenta præbentem, turbas salubriter erudiẽtem, languentes recreantem, mortuos suscitantem, uaria miracula ẽdẽtem aspicere? Cuius pectus adeo durum quin molliatur & mitescat, cum uideat ueluti in re præsenti seruatorem suum, pane uiuifico, ultima in coena discipulos suos pascentẽ, passis manibus in monte olиueti orantem, cui interim ubertim lachrymæ manantes faciem complеant, hinc ab impijs nefarijsque hominibus crudeliter oppressum, arreptum, uinctum, per torrentem Cedron rapi, iam Caiphæ, iam Pilato, iam Annæ, iam Herodi, sceleratis Iudeæ gentis principibus sisti, flagellari, cædi, hinc uultum, in quẽ angeli uidere desyderant, cõspui, caput sanctum corona spinea imprimi, miserãdum in modum affectum illudi, humeris innocentissime crucem baiulantem, ad supplicium duci, duos inter latrones medium cruci affigi, animam pro totius mundi salute in paternas manus, inclinato capite tradentem?

Diuersæ imagines Christi ad deuotionẽ utiles. Lucæ 2. Ibidem. Matth. 3. Matth. 26. Marci 14 Lucæ 22 1. Pet. 1.

Cum itaque & nulla æque res nobis cõmodaret atque passionis ac mortis suæ grata memoria, cuius nos non modo recordari ac meminisse, sed etiam annunciare, ueluti apostolus Petrus nos monet, & diuus Paulus signa passionis Iesu, quæ stigmata uocat se in corpore gestare gaudet et exultat, Ideoque in hoc signo crucis, quod olim adparebit in coelo, imo in ipsissima cruce domini nostri Iesu Christi, per quam salus, resurrectio & uita, gloriãdum nobis perpetuo oportere, sedulo idem Paulus inculcat, & nos ad eius memoriam in sacramento altaris præcipue est cohortatus, Idcirco dñicæ cõuersationis & passiõis in cruce frequentissimã memoriam ecclesia a Christiani nominis incunabulis etiã mẽbris imprimere uolens, in compitis, in biuijs, in angulis, in solitudinibus, & passim in locis sacris et prophanis crucem ac crucifixi dei nostri imagines erexit, ad commonendum incitandumque de memoranda Christi passione populum Christianum, neque unquam gentilium aut idololatrarum more Iconas aut imagines gentiũ simulachra aut deos iudicauit, quippe quæ unũ Deum, unum tantum dominum, unum Messiam agnoscit Iesum Christum, cui omne genu, coelestium, terrestrium & infernorum flectatur, quem unum colimus, unum adoramus, ueneramurque.

Memoria passionis Christi per imagines. Galath. 6. 1. Cor. 11. Cur tã crebrę ponũtur imagines Crucifixi dñi. Philip. 2

Hinc illa Eusebij historia lib. vij. cap. xiiij. ante annos mille scripta, de muliere, quæ totos duodecim annos sanguinis profluuio laborauerat,

Antiquissimus imaginum usus. Math. 9

V iiij a salua-

a ſaluatore Ieſu liberata, ſtatuas duas Cæſareæ Philippi, alterā quidem Ieſu faciem, alteram uero mulieris ipſius uelut genibus prouolutæ palmaſq; ſuppliciter extendentis imaginem referentē erexit, Et utraſq; ſe uidiſſe ſtatuas ære expreſſas, Euſebius confitetur, qui & Petri ac Pauli et ipſius ſaluatoris imagines deſignari tabuliſq; depingi uidit.

Crucis ueneratio p Helenam.

Præterea decimo libro eccleſiaſticę hiſtorię in propatulo eſt, quo honore annos ante mille ducētos Helena Magni Conſtantini mater inuentam Chriſti crucē ſit proſequuta, eoq; res plurib. miraculis eſt comprobata, ita ut ſuperpoſitis mortuis quibuſdam uita reddita ſit, id quod Lutheranis, dominum Chriſtum crucifigentibus & quorum deus uenter eſt, plane fabula eſt.

Imago Saluatoris a Nicodemo expſſa.

Athanaſius porro Epiſcopus Alexandrinus eodem ferme tempore memorię prodidit, eam, quam de facie ſeruatoris Ieſu effigiem expreſſerat Nicodemus, a Gamaliele, Simeōe, Zacchęo, alījſq;, Hieroſolymis in honore habitam fuiſſe non modico, eamq; ante Titū & Veſpaſianum Imperatores in Berythum Syrię ciuitatem, poſtea Tyrum et Sidonem deportatam, multis miraculis claruiſſe.

Effigies Chriſti apud Ambagarum Regem.

Damaſcenus item iiij. lib. de orthodoxa fide literis commiſit, regem Abagarum effigiem Chriſti ſibi depingi mandaſſe, id quod cum pictor ſe pręſtare negaret, dedit eis dominus ſcedulā, in qua ſua effigies expreſſa fuit. Qualem de Veronica pluribus ante ſæculis legimus, quæ a Tybe rio Romam eſt adlata.

Effigies Veronicę.
Effigies Mariæ per Lucam.
Fœliciana hæreſis.

Lucas quoq; Euangeliſta, pictor inſignis fuiſſe ſcribitur, Mariæq; effigiem pluribus tabulis effinxiſſe, Et quanq̄ in orientali eccleſia, atq; etiā apud nos Germanos error quidam exortus erat de imaginibus & ſtatuis tollendis, quæ Fœliciana hæreſis eſt adpellata, eam tn̄ Romę damnatam, ac Nicęno ſecūdo concilio a trecētis quinquaginta Epiſcopis reprobatā et exploſam, Carolus magnus quoq; Franckfordię ſimiliter ad hoc Synodo congregata reprobauit. Acta Nicęni cōcilij una cum quatuor libris Caroli de imaginibus et ſtatuis Romæ in abdito quodam Vaticanæ Bibliothecæ armario reperi incluſa, ſuntq; iam plus minus octingenti anni a Fœliciana hæreſi damnata, ab eoq; tempore ſopita ac ſepulta, uſq; ad hæc noſtra damnoſa, impiaq;, & rebellionis & ſeditionis plena ſæcula, Quæ iam Caroloſtadio autore denuo renouata, ſerpſit longius.

Imaginū uſus atq; finis.

Apud omniū uero Chriſtifideliū et recte intelligentiū mentes teſtatū eſt, imagines non niſi memoriæ reſuſcitandæ gratia paratas erigi, cuſtodiri, ut etiam ſimplici rudiq; populo, de papauere multū edenti, & obliuioſo lethæo fluuio perſępe bibenti, ſit perinde ut ſcriptura aliqua, recordeturq; frequenter ea quæ geſta fuerint. Neq; hæ imagines in hanc horam abſq; fruge erectæ tentæq; ſunt. Ita enim imbecillitate humani ingenij fieri ſolet, ut Chriſtifideles utcunq; in deum intēti ſint, in cœleſtibuſque conuerſentur, ut mille locos prætereāt, uiaſq; longinquas peragant obliuiſcerentur paſſiōis ac mortis Ieſu Chriſti, niſi ſint imagines, quas ſimul atq; aſpexerint, mētes percuſſę redeāt in memoriā paſſionis ac mortis. Quæ

tis. Quę res tam manifesta est, ut etiã impijssimus quisqꝫ nouę & peregrinæ fidei sectator inficiari non possit.

Quoniam uero imaginum hostes, expugnatoresqꝫ sola scriptura nixi, sæpe dudumqꝫ damnatam hęresim Foelicianam restaurare conantur, eorum argumenta, autoritatesqꝫ, quibus nituntur, in medium producam, eosqꝫ quantum fieri poterit diluere studebo. Dicunt illi Exod. xx. scriptum esse: Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neqꝫ omnem similitudinem quæ in coelo est desuper, & quæ in terra deorsum, neqꝫ eorum quæ sunt in aquis sub terra. Respondeo: scripturam quisquis penitius hoc loco, ut debet, introspexerit, interpretem alium non requirit, Sic enim ait: non adorabis eá neqꝫ coles. Respõsio ad argumẽtas hæretic. I.

Vnde liquet Iudæos suas imagines seu idola potius, deorum loco habuisse, adorasse, coluisse, perinde ut populus Israëliticus uitulum aureũ. Sic tertio Regum xi. Adorauit Salomon Astarthen deam Sidoniorum & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon. Sic Numeri. xxv. legitur: Morabatur eo tempore Israël in Sethim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ uocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt, & adorauerunt deos eorum, & hoc declaratur Deute. iiij. errore deceptus adores ea & coles. &c. Idololatria Iudæorũ. Exodi. 32.

Hoc autem piæ fidelium mentes non faciunt, Etenim in plurimis ecclesijs uidere est sexcentas Imagines, ubi tam simplex nemo est, qui uni ex illis diuinos honores exhibeat aut impẽdit unq̃, sed signa uidens populus in memoriã redigit ea, quorum gratia sunt collocata. Etenim Simonem Cyrenensem post Christum quando crucem portare uideo, nõ est quod formidet quisquam, ne eundem Simonem de agro uenientem adorare pergam. Sic nec ubi Iudam Iscariothen, aut Malchum abscissa auricula deformatum uideo, non illam imaginem adoro, sed quod ea repræsentat animo uoluo, Iudæqꝫ proditoris factum, poenamqꝫ legis Iuliæ de plagiarijs, ex legibus, aut Petiliani hæresim ex Augustino, aut quomodo suspensus crepuerit medius ex actis apostolicis, illiusqꝫ episcopatum ut alter, Matthias scilicet, acceperit ex psal. cviij. in memoriam reuoco. Quod si loculum illius, pro pictorũ Germanorũ usu, in collo pendentem intueor, iam ut super alabastri submurmurauerit fractione, unctionẽ mulieris, eleemosynam falso et hypocritico corde prętexuerit, nõ quod illi de pauperibus anxia cura fuerit, sed quia trium literarũ, id est fur fuerit, recordor, totamqꝫ historiam deuota meditatiõe resumo. Interim uero qs crederet me hac effigiẽ, utcunqꝫ pulchro etiã marmore excisam, adorare aut colere? Deinde dicunt: Scriptum est Exodi. xxxiiij. Ne tibi fingito deos conflatiles. Respondeo: Anteaquam hæc uerba scriberentur, monet Deus Mosen, & populum super monte, ne foedus inirent cum gentibus quæ idola colerent. Hinc sequitur supra adductus locus, qui plane ad deos referendus est, in quibus, neqꝫ crucifixi, neqꝫ Diuorum imagines numerantur. Rectus usus imaginum. Acto. 1. Ioan. 12. II.

Item: nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles faciatis uobis, Leuitici. xix. III.

Exodi.20. tici.xix.Respondeo:Iterum patet,simulachra pro dijs culta esse, At uni-
Esa.20.34 cus & uerus deus Zelotes est,qui deum alium ferre non potuit,Hinc il-
la acclamatio: Audi Israël,deus uester, deus unus est.Hinc crebro dicti-
tat scriptura, Ego dñs deus tuus sum, & præter me non est deus alius,
Deut.6. deus tuus zelotes est.Hæc omnia nos Christiani uera esse confitemur ac
Psalm. 80. credimus,nempe tres esse personas in diuinis,et unam essentiam,Vnum
Esaiæ. 43. Deum, non plures deos catholica religione firmiter & constantissime
65.& 50. profitemur.

IIII. Leuit.xxvi.Non facietis uobis idolum & sculptile,nec uitulos erige-
tis, nec in ignem lapidem ponetis in terra uestra, ut adoretis eum, Ego
enim sum dominus deus uester. Respõdeo: contra idololatras Deũ ite-
rũ loqui perspicuũ est.Quod ita esse patet, ex ijs quæ initio scripta sunt:
Ego sum deus uester.Ex quibus uerbis planum fit, dominum uelle do-
cere unum deum,non plures esse colendos.Nam quod toties adiungit,
Non facies tibi,Non facietis uobis,tacite designat,unumquemq; elegis-
se sibi deum,quem colere & adorare statuerit. Hoc est quod semper ti-
Quomodo licet erigere lapides aut titulos. bi,semper uobis,adiecit.Sed quod non sit erigendus titulus, non sit po-
nendus lapis,ita intelligendũ est,quasi nolit deus, ut titulus aut lapis ad-
oretur,Nam Iacob Gen.xxviij.mane surgens,tulit lapidẽ,quẽ supposue-
rat capiti suo,& erexit in titulum,fundens oleum desuper, appellauitq;
nomen urbis Bethel,quæ antea Luza uocabatur. Etiam Exodi. xxiiij.
duodecim tituli,per duodecim tribus Israël erecti leguntur. Et ecce pro
imaginibus quam apte quadret historia,Iosue ultimo sic legitur: percus-
sit Iesus in die illo fœdus,& proposuit populo præcepta, atq; iudicia in
Sichẽ,scripsitq; omnia uerba hęc in uolumine legis domini, &tulit lapi-
dem prægrandem, posuitq; eum subter quercu, quæ erat in sanctuario
domini,& dixit ad omnem populum: En lapis iste erit uobis in testi-
monium, quod audieritis omnia uerba domini quæ locutus est uobis,
ne forte postea negare uelitis & mentiri domino deo uestro. En ut scri-
pturam inuenimus scripturæ & obseruantiæ Christianorum de imagi-
nibus respondentem.

V. Ne colamus Deos alienos. Deut.v.Deos alienos non habebis etc̃.Respondeo: Anteq̃ hæc uer-
ba sint dicta a domino,sic exclamat:Ego dominus deus tuus &c̃. Mox
finitis illis,subinfert inquiens: Ego sum dñs deus tuus ęmulator &c. Ac
si diceret:Ego (nõ alius) dominus deus sum,& ꝓinde,tu eos colere aut
adorare nõ debes. Quapropter indigne tulit quod filij Israël in Sethim
cum filiabus Moab contraxissent, quodq; idolum Beelphegor colerẽt
eiq; sacra facerent,ut scribitur in numeris.xxv.Et sæpe prohibuit domi-
nus,ne cum alienis peregrinisq; nationibus commiscerentur, ne tandem
deos etiam alienos adorarent,sic ad hanc rem inquit Deut.xi. Ne deci-
piatur cor uestrum,& recedatis a domino,seruiatisq; dijs alienis, & ado
retis eos,Deut.xxvij.Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile,
abominationem domini,opus manuum artificum, ponetq; illud in ab-
scondito.Hic plane dominũ monere liquet atq; adeo prohibere, ne re-
sponsis

ſponſis,oraculiſq; idolorum aures prębeant.Deute.xiij.uetat dominus audire prophetas,qui ad colendos deos alienos hortarentur,ſed hęc nõ nobis officiunt quo minus imagines tueamur, quas deos nõ eſſe omnes Chriſtiani nouimus,antequam Theognis naſceretur,et Zuinglius,crucis Chriſti & Imaginum Crucifixi perſequutor,Oecolampadiuſq; Iulianus impius et ſanctę Brigidę apoſtata Monachus,qui ſane omnes fateri coguntur, cruce ſancta ſe paſſim Chriſtianos ſignaſſe,ad benedictiones etiam quamdiu Chriſtiana religione ueteres uſi fuerint, crucem in uſu fuiſſe,&non paruam deuotionem ex crucifixi imagine in populo creuiſſe, neq; imagines pro dijs, aut deabus coluiſſe nos, quippe qui uerum & unum Deum cœli & terræ adoramus, ad eumq; concordi uoce clamamus:Pater noſter,qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum,Et alibi chaldaice,hebraice,latine,ac gręce:Abba pater.Ioſue xxiij.Eſtote ſoliciti ne iuretis in nomine deorum eorum & ſeruiatis eis, & adoretis illos. Non faciunt autem hæc Chriſtiani,quorum nemo ſimulachra deos exiſtimat,Et non niſi pauciſſimi, Celſi, Iuliani,Luciani,Creſconij, & a fide excidentes,per Herculem,illiuſq; clauam & deum canemq; Socratis iurare & peierare conſuerueunt, Interim tñ adhuc etiam Chriſtianæ fidei primi defenſores eſſe uolunt. In ſumma dijs & deabus ſeruitute Latriæ non ſeruimus.

Chriſtiani ſemper ſe cruce ſignarunt.

Matth.8. Luc.11.

Rom.8. Galat.4.

VI. Sculptilia pro dijs habita.

Eſaiæ xlij.Ego dominus,hoc eſt nomen meum,gloriam meam alteri non dabo,& laudem meam ſculptilibus &c. Reſpondeo: Hic locus ueluti omnium ſcripturarum eſt interpres & enarrator, quæ contra imaginum uſum poſſunt afferri. At nemo eſt contra deum qui uelit crucifixi imaginem erigere.Eſaiæ.xliiij.Nunquid eſt deus abſq; me,et formator, quem ego non nouerim? Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis, ipſi ſunt teſtes eorum quia non uident neq; intelligunt,ut confundantur,Quis formauit deum,et ſculptile conflauit ad nihil utile? His prophetæ uerbis perſpicuum fit, ſimulachra & deos idem fuiſſe.

VII. Ne quis colat Idola ſeu deos ſculptiles.

Hieremiæ.x. docet propheta, quod ſolus Deus omnipotens,ſempiternus,omnia creauerit,nõ autem gentium dij.Nihil igitur hic locus aduerſus imagines facit Chriſtianorum, quibus creandi poteſtatem nemo unq̃ attribuit. Sic idem propheta cap.xxxvi. iram dei denũciat populo, quod auerſus a domino deos alienos adorauerit. Similiter Ezech.vi ca. fecit ubi ait: Ecce ego inducam ſuper uos gladium,& diſperdam excelſa ueſtra,& demoliar aras ueſtras,& confringentur ſimulachra ueſtra, & deijciam interfectos ueſtros ante idola ueſtra.Hieremię.xiij.Conuertimini & recedite ab Idolis ueſtris & ab uniuerſis contaminationibus ueſtris auertite facies ueſtras.Miccheæ.i.Omnia idola eius ponã in perditionem.Abacuk.ij.Quid prodeſt ſculptile,quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile et imaginem falſam, quia ſperauit in figmẽto fictor eius,ut faceret ſimulachra muta?

Et omnino e ſcripturis omnibus manifeſtũ fit,q; Iſraelitici populi & gentes

Ira dei in Idololatras Iudęos.

gentes Idola pro dijs adorarunt, illis seruierunt, sacra fecerunt, liberos mactauerunt, Ideoq; sæpe iratum dominum habuerunt. Quo circa eos toties corripit dominus, scilicet Iudicum x. quod seruierunt Idolis Baalam, & Astaroth, dijs Syriæ & Sidoniorũ, & Moab, & filiorũ Amon & Philistijm, & derelinquerunt dominum, eumq; non honorarunt iij. Regum item xi. cap. & id genus scripturas possem plurimas adducere.

Paulus cõtra Idolorũ cultum.

Atq; ut in ueteri, sic in nouo quoq; testamento, i. ad Corin. v. monet Paulus Corinthios, ne commisceantur his qui Idolis seruiunt, Et iterum cap. viij. ab Idolothytis ut caueant, Corinth. enixe hortatur, Charissimi (inquit) fugite ab Idolorum cultura, Et sequitur cap. x. Quid ergo? Dico quod Idolis imolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliqd? Sed quæ imolant gentes, dæmonijs imolant, non deo, Q̃uo in loco primum Idolum est, deinde sequitur dæmonium. Hic etiam ex Paulo intelligitur Idola pro dęmonijs, quibus seruierant & sacra fecerant, sumi, Et idem alio loco muta Idola adpellat, de quibus Psal. cxiij. proprie scriptum est: Simulachra gentium esse argentum & aurum &c. Itidem intelligendus est de seruitute Idolorum ad Galat. vi. Et i. ad Thessalo. i. laudat ingressum, quod Thessalonicenses ab Idolis, quibus seruierant, auersi, sese ad deum unum conuertissent. Et quemadmodum Paulus, ita & alij Apostoli fecerunt Hierosolymis. Præceperunt enim ab Idolothytis ut caueant fratres. Eamq; seruitutem græce adpellant Idololatriam, Paulus ad Galat. v. i. Petri iiij. In promptu autem latriam unius dei esse. Quamobrem neq; Petrus neq; Paulus ferre potuerunt Idolis fictilibus, sculptilibusq; dijs eiusmodi honorem deferri, qui summo creatori primo debetur. Ideoq; & ea quæ nostri theologi de Idololatria locuti sunt, manifeste ex supra adductis locis scripturæ probari possunt. Huc pertinet quod seruator noster satanę tentanti respondit: Dominum deum tuum adorabis, eiq; soli seruies. Et hic in promptu est, Id græce de latria scriptum esse, unde ducta Idololatria dicitur: qua creatura, nõ creatori, sed creaturæ seruit, honoremq; summi dei creaturæ exhibet. Quo circa Ioannes ut induxit in sua prima canonica pluribus uerbis de uno deo, uno Christo, non nisi sancta et diuina egit, Tandem in fine rogat et concludit ab Idolis aut simulachris ut caueant.

1. Cor. 12.

Acto. 15.

Latria soli deo exhibetur.

Math. 4. Luc. 4. Deute. 6.

Quid Idolatria.

1. Ioan. 1. 2. 3. & 4.

1. Ioan. 5.

Cur aliqui Christianorũ Imagines errore quodã ꝓhibent.

Hic plurimi in errores sunt impliciti, Non ferendas scilicet esse Christianorum imagines, Idola enim & simulachra omnibus locis reddidere uernacula lingua, Bilder, imagines. Quo circa iuxta eorũ grammaticam statuunt, scripturam imagines prohibere in Ecclesia.

Deum autem optimum maximum, non alia ratione simulachrorum usum prohibuisse notissimum est, nisi ut Idolis diuini honores non exhiberentur, eisq; sacra ne fierent, si & omnino pro dijs ne colerẽtur. Hinc adparet quod Mosi dominus pręcepit, æneum serpentem ut erigeret in deserto, ut qui allapsu serpentis morsi læsiue sint, eius aspectu sanarentur, Atq; idem dominus Mosi præcepit, ut pro tabernaculo dei duos Cherubin e regione aduersis faciebus statuerat. Salomon cum magnificentissimũ

Serpens æneus. Num. 21.

Duo Cherubin.

centiſſimum illud Hieroſolymitanum templum ædificaret, archam fœderis non tacito auro,ſed & Cherubin aliiſq; rebus adornauit,cuius ędificati templi opus diuino certe oraculo comprobauit,plurima pollicendo hiis,qui in neceſſitatibus illic preces uotaq; deo perſoluerent. Templum Salomonis.

Quod ſi tantus error,tantumq; periculum eſt,Imagines ſtatuere,ut le uiculi quidam autumant,qui ſignis crucis & Crucifixi pro populis prætereuntibus deuotione erectis,tabuliſq; omnibus primum bellum facere ſunt aggreſſi,quomodo ab errore impietateq; uindicabimus Salomonem,de duodecim leonibus,de duobus uitulis, de bobus, aliiſq; id genus plurimis Imaginibus, quibus ille regale ſolium templumq; illuſtrauit? Tametſi Zuinglius homo argutus,qui apud ſuos Tugurinos ſolus ſibi ſapere uidetur, Cherubin fuiſſe coronamenta quædam ſeu faſcias eſſe putauit & ſcripſit,Quod cum a ueritate alieniſſimum ſit, quid indiget refutatione? Neq; uero linguæ ratio fert iſtas gerras. Si enim Cherubin ille coronamẽta faſciaſue eſſe ſomniat, quid tandẽ Seraphin fuiſſe dicet? 3.Reg.8. Imagines in ueteri teſtamẽto. 3.Reg.7. Eſa.6. 4.Reg.8.

Præterea ille Ezechias rex æneum ſerpentem confregit, nihil igit̃ q̃d de ſerpente in medium citatur? Reſpondeo, manifeſtum eſſe dominum deum Moſi non ſolum permiſiſſe,uerumetiam pręcepiſſe,ęneum ut erigeret ſerpentem, quod tam ex ueteri quam ex nouo teſtamẽto ſolẽ meridiano fit illuſtrius. Ita enim ſcriptum habetur Ioannis iii. ſicut exaltauit Moſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Non fuit autem ſerpens ille Idolum,neq; pro deo colẽdus erat,ſed in ſignum ponebatur,unde dominus ad Moſen ait: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno,qui percuſſus aſpexerit eum, uiuet. Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum,& poſuit eum pro ſigno,Numeri xxi.Et quia erigendi ſerpentis præcedens figura fuit eius, qui & ipſe uiſibiliter toti mundo apparuit,in imagine ſua inuentus ut homo,inde elicitur ſimilitudine quadam ęnei ſerpentis,Crucifixum deum in triuiis,uiis,templis,ędibus, & ſanctis locis pro populi deuotione excitanda erigi poſſe, atq; deberi. De ſerpente æneo. Ioan.3. Num.21. Philip.2.

Quod autem æneus ſerpens deiectus ac ſublatus eſt, hinc factum eſſe affirmamus,quod cum annis fere ſexcentis conſtitiſſet,pro Idolo haberi cœpit,quod diuina maieſtas ferre nullo modo potuit, Eapropter illius deſtructio,iiii. Reg.xviii.hiſce uerbis deſcribitur:Ezechias uigintiquinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, fecitq; quod erat bonũ coram domino,iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius,Ipſeq; diſſipauit excelſa,& contriuit ſtatuas,& ſuccidit lucos,confregitq; ſerpentẽ æneum, quem fecerat Moſes. Siquidem uſq; ad illud tempus filii Iſraël adolebant ei incenſum. Habes itaq; hic, cur ſerpens, iuſſu dei olim ſub Moſe erectus, iam ſub Ezechia confractus fuit. Cur ſerpens æneus deſtructus eſt. 4.Reg.18.

Dicunt porro imaginũ expugnatores (qui quodam loco crucifixum ferro conciderunt, capite ablato in pyramidum ludo pro globo abuſi, per ſummam impietatem ac ſummam blaſphemiam, hæc et his peiora et ſceleratiora, auſu nephando perpetrare non uerentes) ex lege non licere,ſimulachrum imaginibus ullarum rerum fieri,quę cœlo,terra,mariq; IX. Scelus Iconomachorum.

continentur. Ita enim legem Mosi pro suo captu intelligendam esse præcipiunt, Quasi uero aurifabro non liceat ex auro anserem siue aquilam, atque alia id genus animantium effingere, neque pictori integrum sit e ueteri testamento, Abraham, Mosen, aliosque depingere. Cum tamē interim hi, qui tot tamque excellentibus opificibus præsentem perniciem meditantur, ædes suas omni genere imaginū, erumnis Herculeis, Musarum harmonijs, uarie adornent ac distinguūt, at solis in ecclesijs in peccatum statuunt, signa, tabulas, imagines.

Iconomachi aliud docent, aliud faciunt

His ego respondeo, Hoc modo nec in ueteri testamento quidem dictum acceptum fuisse, testis est Salomon, qui plura et fingi et pingi fecit. Illi e cupresso oliuaque quæ libuit formare, & in splendidissimū sanctumque dei templum picturas & cælaturas ponere licitum fuit: nobis autem neque cupressum nec oliuam pingere licebit? Siclos habuerunt Iudæi ut asseritur, quibus & aurea fuit urna, de qua Paulus ad Hebr. Hęc autem imaginem habuisse creduntur. Cæsaris insuper numisma probatum est insculpta imagine, quam & seruator noster non respuit neque contempsit, quasi Idoli formam haberet, sed ostendētibus numisma & affirmantibus imaginem esse Cæsaris, alacriter respōdit, Deo dandum quod dei, & Cæsari soluendum quod Cæsaris esset.

3. Reg. 7
Exod. 25
Hebr. 9
Matth. 22.
Marci 12

Neque uero hodie imaginum hostes acerrimi nummos argenteos uel aureos nauseant, regum, principum, satraparum imaginibus cusos, etiamsi Turcarum sint, aut Arabici, Et in illos Eudiones Plautinos, seu potius sacerdotes Bethauen pulchre hoc poeticum cadit: unde uenit quęrit nemo, sed oportet habere. Res certe dolenda nimis, id quod olim et semper apud Germanos sacrilegium erat, prophanare, rapereque, res deo sanctisque ministerijs dicatas, Hoc impune sibi licere putant, prętexunt cū Iuda Ischariote Ecclesiæ preciosiora, uel auri, uel argenti, siue etiam gemmarum eroganda pauperibus, quasi hoc minutulo possint pauperes interteneri perpetuo, & aliunde nihil ualeat suppeditari, quo etiam pauperes alantur. Timendum est igitur ualde, ut ultionum deus et dominus libere sit olim acturus in eos, qui ab Ecclesijs thesauros donatos a Cæsaribus, regibus, et principibus catholicis, temere cōtra Cęsarea ędicta, contra phas & pietatem abstulerunt, qui certe messuerunt, ubi nunq̄ seminarunt. Videbunt illi proculdubio se equo Seiano insedisse, aurumque Tholosanum rapuisse, etiamsi benignus ille deus laneos pedes ad uindictam illis habere uideatur. Et proculdubio illis eueniet, quod Acham regi, qui templum domini spoliasse legitur, ex indignatione dei euenit, ij. Para. xxviij.

Sacrarum imaginum hostes amant nummos aureos et argēteos.
Sacrilegia Lutheran.
Matth. 26.
Marci 14
Psalm. 93

Ad fidicinem autem Tugurinum, utpote Zuinglium, uenio, qui sanctorum Foelicis & Regulæ martyrum ossa sustulit, et in fluuium ꝓiecit, Res notissima est, dominorum Tugurinorum sigilla, monetas, insignia eorundem sanctorum imaginibus prędita non aboleuit, neque immutauit: quum tamen in Ecclesia a Carolo magno fundata, Cæsaris & omnium sanctorum imagines Vulcano traditæ, & in cinerem uersę sint.

Zuinglij facinus, qui martyrum ossa in fluuium proiecit.

Et tu,

Et tu, qui omnes imagines euertisti, & ab ęde sancta in Vualdschuet, & alibi per Morauiam excgisti, fregisti, comminuisti, in tua arca Coralli num Sebastianum ad arborem non sine magno precio affixum esse facile passus es. S. Ioachimum etiam tam pulchre depictum ad te pertinentem rogo quare non exclusisti? Propter quod inexcusabilis es o homo qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas, iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, putas quia tu effugies iudicium dei? Si tu requiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti uoluntatem eius, & probas utiliora, instructus per legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & ueritatis in lege, Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui predicas non furandum, furaris? qui dicis, non mœchandum, mœcharis? qui abominaris Idola, sacrilegium facis? Sebastianum hunc ad stipitem coralli preciosissimi in tuam cistam repositum ipse inueni, & hisce manibus meis tractaui. Quare eum non ut illam Leopoldi Archiducis Austriæ effigiem commaculasti, fregistiq;?

D.Balthasar sacras imagines euertit.

Roma.2

Perinde est de serpentibus, sictis, leonibus, Cherubin iudicandum, ut hodie de aris, lapidibusq;, quos terminales dicunt, quos qui contentiosus esse uelit, ex Leuitici cap. xxvi. etiam improbare & euertere possct. Sed ita statuas & lapides prohibuit deus, ut non uelut deos adorare oportcat, Qua in re peccasse grauiter per aureum statuā Nabuchodonosorem scriptum legitur. Et quanquam in eodem Leuitico prohibeat erigi lapidem, nihilominus tamen alio loco, nempe Deuter. xxvij. præcepit, lapides ut erigerent superato Iordane. Et Iosue egregius & magnanimus dei miles lapidem erexit, Iosue xxiiij. Itemq; Samuel erexit. 1 Reg. cap. vij. eumq; adpellauit lapidem auxilij. Non tamē ut Idololatrę faciebant illi, id quod Nabuchodonosor prætendit. Ita nos Christiani statuas non pro Idolis dijsue uenerandas, sed uel memoriæ, uel honoris diuini gratia collocamus imagines.

3.Reg.7

Daniel.3

Quomodo licet erigere lapides.

Error itaq; ille Fœlicianus eapropter causam præualescētem accepit, quod imperita hæc quorundam grammaticorum fex iam pridem e scholis Dianæ prosiliens, & nondum uocatione dei in interiora gazophylacij sanctuarijq; admissa, ignorauit quātum inter Iconas & Idola, imagines, & simulachra interesset. Quanquam & ipse Suidas autor græcus Idola dæmonum simulachra esse ostendit, ut etiam serpentes, aues aliaq; magna ex parte dæmonum simulachra fuerint. Sicq; ob diuinam rerum et uocabulorum ignorantiam, in Theologia magistri antequam discipuli facti sunt, nostræ ueteris & sanctæ religionis euersores, q̄ primum manum admouere aratro permissi sunt, mox ordinem tabernaculi destruere, altaria prophanare, sancta sanctorum uastare non erubuerunt.

Fœlician. error ex imperitia quorundā grammaticorum.

Querela aduersus poeticos Theologos.

Aduersus quos lachrymabundus regius ille psaltes hisce uerbis queritur ac dolet, & non sine trenis exclamat: Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusa-

Psalm.78.

lem in pomorum custodiam, posuerunt morticinia seruorum tuorum escas uolatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestijs terrę. Effuderũt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret. Et Psal. lxxiij. paulo apertius: Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui, Dixerũt in corde suo cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos dei a terra, Signa nostra non uidimus, Iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Sed tu domine reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos.

Psal. 73.
Psal. 2.

D. BALTHASAR. Tum ex hoc sermone tuo, tum ex scriptis tuis in Zuinglium, de hac opinione satis iam intellexi, Fuerũt tamen multi abusus circa signa tabulasq;, tot tamq; longę peregrinationes susceptę sunt simplicibus, ac si non omnibus locis præsens numẽ foret, et adpellabantur propicia, gratiaq; abundantia simulachra.

D. Ioan. Fabri abusuum impugnator.
Oseæ 12.
Psal. 104.

D. FABRI. Quamuis me, mi doctor, tu totusq; orbis terræ iudicetis, ea tamen uoluntate per dei gratiam emoriar, ut abusus pro ingenij mei captu, non modo nõ sim ꝓbaturus, uerumetiã constanter grauiterque nunquam non oppugnaturus. Oleum in Ægyptum quoad uiuam non importabo, oleum peccatorum non impinguabit caput meum, ut inquit Dauid, Id est, adulator esse nolo, ut me moueat imprecatio & maledictum Esaiæ, qui dicam bonum malum, malum bonum, qui ex luce tenebras, ex nocte diem faciam. Testantur scripta, dicta, factaq; mea, uel illud pręcipue, cum primum librum aduersus Lutherum scriptum dextera manu integerrimo doctissimoq; Pontifici maximo, Adriano sexto porrexissem, Eidem xxxvi. abusus ecclesiæ Romanæ cum Euangelica obedientia aduersus summum pontificem, illiusq; curiam conscriptas obtuli hac mea sinistra manu, Itaq; bis totidem atq; olim Augustinus, qui duodecim tantum scripsit, abusus attigi. Sed in eiusmodi negocio abolendorum abusuum, Lutherum & uestræ farinæ homines Euangelicum consilium sequi decuerat. Zizaniam eradicare consilium fuit, Sed id nimium cito & ante tempus euellere conati estis, contra atq; in Euangelio est, Sicq; una triticum etiam bonum perdidistis. Stultæ uirgines in Euangelio leguntur, non tamen continuo uirginitas damnanda est, si quæ stultæ, lasciuæ aliquæ repertæ deprehensæq; fuerint. Iudas dominum deum suum & magistrum, cuius panes edebat, prodidit, Negauit sub anathemate Petrus, Cęteri diu increduli hęsitarunt, non tamen idcirco repente concidit apostolatus. Paulo ad Illiricum usq; fides est adhibita, tametsi Christum & Ecclesiam acerrime omnium ante persecutus fuerat, Simon, Ananias & Zaphyra, improbe, impieq; fecerunt, non tamẽ continuo fides religioq; nostra pessum iuit. Nicolaus Antiochenus e septem diaconibus unus, a re publica Christiana abhorrendũ Cynicorum usum induxerat, atq; instar tuorum anabaptistarum uxores communes esse fecit, seq; religiose facere prætendit, at non ilico diaconatus officium a facie Ecclesiæ submotum & ablatũ extitit. Simili ratione mihi de Chore Datan

Esa. 5.
Abusus Ecclesiæ Romanę 36.
Stultũ Lutheri consiliũ in abolendis abusibus.
Matth. 13.
Matth. 25.
Non sunt boni propter aliquos malos damnãdi simul.
Matth. 26.
Psal. 40.
Matth. 26.
Mar. 14.
1. Cor. 15.
Acto. 8. 9.
Acto. 8.
Acto. 5.

re Datan & Abyron, & de Nadab & Abihu, qui alienum ignẽ, contra Num. 16.
ſacerdotium & Leuiticum ordinem Aaron ſuppoſuerũt, dicere liceret,
Nam ex Daniele atq; aliũde liquet, ut nepharios improboſq; fuiſſe per= Danie. 13.
ſæpe ueteris teſtamenti ſacerdotes reperti ſint. Atqui ob illorũ peccata,
non ſacerdotium omne deletum eſt, continuo ne igiẽ omnibus bellũ de=
nunciem, totum ſacerdotium funditus euertã, quomodo Lutherus au= Lutherus.
daciſſime (ut multa alia) facere eſt aggreſſus?

At mihi res indigna uiſa eſt, ſi quando e monaſterijs apoſtatæ fugiant, (id quod Iulianum, Sergium, Lutherum, & alios iuſto iudicio damnatos apoſtatas feciſſe legitur) mox tum montibus tum ſolitudinibus tum cauernis, ut olim in Nitria, & ad præſens monachi iuxta Libanum ſub patriarcha Antiochiæ, ad contemplationem idonei eijciantur. Haud aliter de regibus Saul, Ieroboam, atq; Achab pronunciare poſſem, qui, ſicut & alij pleriq; Reges ueteris teſtamenti, & non pauci præterea noui teſtamenti, uarijs ſceleribus flagicijſq; regiam dignitatem fœdarũt, quomodo & regum libri & hiſtoriæ memoriæ prodidere, Regum igitur nomen radicitus euellemus, delebimuſq;?

Monachi olim ut hodie iuxta Libanum. 1. Reg. 23. 3. Reg. 11. 12. Matth. 2. Acto. 12.

Et ut Eſaias queriẽ multi fuere iudices, muneribus excæcati, ad quos Eſa. 1.
cauſa uiduarum & pupillorum ingreſſa non eſt, multi Pilati, multi excoriatione ob iniquum iudicium digni fuere, Ergo iudicia omnia, Iudices omnes e mundo tollemus?

Dauid fœde muliere abuſus, adulterium commiſit, Ad ſeruatorem 2. Reg. 11.
quoq; adducta fuit mulier adulterij rea, ſanctum ne propterea matrimo Ioan. 8.
nij uinculum ilico diſiungemus?

E monachorum monialiumq; ordine inuenti ſunt, qui uiolato uoto peccarunt, id quod etiam ad Criptam domini factum de Suſanna quadam & Diacono apud Hieronymum legimus. Eſt ne igitur cauſa propter quam Heliam, Ioannem ac optimos quoſq; in ſolitudine monaſterijſq; incõtaminatã inculpatamq; uitam agentes, quorũ tercenta milia in hac etiam temporis peruerſitate, Deo affecti caſte pieq; uiuunt, exigamus, explodamuſq;? Hierony.

Bellum uero argumentum eſt Lutherus, qui tria plauſtra laſciuis deo dicatis uirginibus onuſta e monaſterio uno abduxit, ex illiſq; forma uenuſtiorem, cæteriſq; locupletiorem et nonnarum primam, quam abbatiſſam uocant, ſibi copulauit, & quæ illi altero menſe a nuptijs partum ędidit. Igitur omnes caſtę pudicęq; uirgines, etiam ſi ueſtales eſſent, pari petulantia, iuxta illius doctrinam, ſeducendæ, extrahendæ, ac cubilibus, commeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitijs proſtituendę ſunt? Et iam patienter audi: Idem Egregius doctor negat puellulam, quæ annos duodecim ſuperauit, uirginitatem tueri poſſe, Dogma ꝑfecto inauditum, impium, blaſphemum, nulli regi, principi, Satrapæq; ferendum, ſummis, imis, mediocribus hominibus intolerabile, & ad credendum difficilimum, aſperrimumq;, tamen auſus eſt ille pręco clamoſus publice talia docere, atq; adeo dulci hoc melle, multos utriuſq; ſexus homines

Lutherus abbatiſſam duxit in uxorem.

Lutheri in uirgines omnes impia blaſphemia.

 permulſit,

Palpones. permulsit, ad se traxit, & quasi Circeo poculo inebriauit. Hi sunt pal-
2. Thim. 4 pones, hi aurium prurientiū molliculi sculptores, sic itur ad astra, hi sunt
Esaiæ. 30 placentarum idonei pistores, populo placentia predicantes. Potuissem
Galat. 5 & ego hac arte, si uoluissem, connumerare Brutos, Sed libertatem Christi in licentiam & occasionem carnis, alioqui ad petulantiam, & omne malum pronę, predicare nunquam in animo concepi, Neq; hisce adulatorijs predicationibus abstinuisse penituit unquam.

Nihil ex omni parte beatum. Sed ut his missis semel finiam, nulla est in hominum genere conditio, quæ labe careat, Nihil ex omni parte beatum, Et ut ille poëta ait: Nemo sine crimine uiuit, Non est qui dicere audeat, mundum est cor meum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Idcirco omnibus nobis fatendum uno ore: domine peccauimus, iniuste egimus, domine miserere nostri. Papa si cupiditate regnandi elatus aut altero uitio irretitus, accusari poterat, consilio occurrendum erat: furore aūt minime Christiano, rapere, sedem apostolicam tentare, euertere, funditus delere uelle, pontifices maximos omnino damnare, æquum non est. Triginta atq; plures e pōtificum Romanorum cathalogo numerare possumus martyrio ob Christi fidem affectos, Alij plurimi boni iuxtaq; pij & sancti fuerunt, quorum bonitate etiam creuit ecclesia, Nunquid igitur ob unū Bonifacium, scilicet uulpeculā, octauum ita cathedra Petri euertēda erat, ut successorem non haberet? Iam te non præterit in arca Noë mūda & immunda animalia fuisse, In sagena (quæ ecclesia est) boni & mali pisces confluunt, In domo magna (quę est itidem ecclesia) uasa sunt uaria ac multa, aurea scilicet & argentea, quędam etiam fictilia, nōnulla in honorem, quędam in aliū & uiliorē usum destinata, Demū in uinea dñi etiā lętę uuę tristibus ac marcidis immixtę simul accrescūt, tritico zizania, loliū, carduiq; consociantur. Eaq; causa fuit Phileto Hymeno, Alexādro fidē deserēdi, nō tulit tñ Paulus reliquis fidelibus fraudi esse, totiq; fidei detrimento, Vnde alibi cōfidenter ait: nunquid incredulitas illorū fidem Christi euacuauit? Quo circa totiens repetitum inuenio scriptum a Paulo, alter alteri ut concedat, alter alterum ut oneribus supportet iniuriasq; sufferat.

Prou. 20; Psalm. 13; Daniel. 9; Plures Romani pontifices sancti martyres fuere.; Bonifac. 8; In ecclesia simul sunt boni et mali.; Gene. 7; Matth. 13; 2. Tim. 2; 1. Tim. 1.; 2. Timo. 2.; Roma. 3; Galat. 6; Ephe. 4; Colos. 3

Lutherani nō sua sed aliorum uitia corrigere uolunt. Vos autem Euangelistæ noui, terræ & huius sæculi filij, montes uallibus ęquare, summa imis complanare conati estis, quasi non melius, religiosius, & maiori cum fructu effecerint alij, ut essent praua in directa, & aspera in uias planas, In alijs quidem iniustam in facie labeculam deprehendistis, ignorantes autem uos Æthiopum nigredinem, et Leopardi uarijs maculis fœdissimos esse, Vidistis in omnes Christi ministerio et sacris famulantes, si quam in oculo festucam haberent, trabem uero in oculis uestris neutiquam cōsyderastis. Ea re, hoc impetu, ista tanta uęsania, ecclesiam dei, illiusq; sanctuariū, & quicquid uspiam religionis erat, diruere, cōspurcare, demoliri, & quasi aper ille de sylua exterminare huc usq; non destitistis, Inde (proh dolor) factū extitit, ut iam alicubi diuorū Basilicis, nulla in tectis tegula reliqua sit, Imo parietes iam nulli non complanati sint humo, tot tamq; uaria fidei decreta, ut singulæ regiones, ci-

Esaiæ 40; Lucæ 3.; Matth. 7; Lucæ 6; Psalm. 79.; Galat. 5

nes,ciuitates,oppida,domus, ac singuli pene homines, propria hæresi, factioneq; contaminati sint, In summa, tot rixas,inuidias,dissensiones, contentiones & alia genus carnis opera disseminastis, ut iam Germania nomen magna ex parte perdiderit, sitq; cunctis Christianorum regnis perpetuo ludibrio digna.

Sed ut redeamus ad imagines,Hic mi doctor,ut mea interest, ex malis bona non uelle facere, sic ad te referre scito, ex bonis mala & abominanda non facere, id quod facere nouæ fidei autores omnes solent, imo fecere, qui maiorum nostrorum, quibus æque curæ fuisse, ut saluarentur,ac nobis,existimandum est, decreta ac instituta pia, sancta,integra,ab omni fraude aliena,ac plane euãgelica,blasphemias,idololatrias,tenebrarum opera,dæmonum illusiones,nugas & commenta hominum uana, uenerabilia sacramenta, somnia adpellitant,Cæterum bona opera,ieiunare scilicet, orare,confiteri,Stẽtorea uoce,insanientiũ et obsessorum more,clamare solent, quod hæc omnia ad mortẽ peccata sint. Lutherani ex bonis mala faciunt.

Pari ratione animoq; armati,imaginibus Christi,Mariæ, sanctorum facere conati estis,cum earum aspectu piæ mentes perculsæ,tam multis sæculis conceptam passionis Iesu memoriam recoluerint summa cum deuotione, hæc uos pedibus calcastis, & quasi idololatriam depredicastis. Memoria passionis Christi per Iconomachos abolita.

Et cæremoniæ illæ quæ feria sexta ante paschatis festum totoq; eo tempore in acerbissimæ passionis Iesu Christi piam, tantopereq; a nobis expetitam gratam memoriam, ad hæc usq; uestræ doctrinæ tempora, deuotissime frequentataq;,uix enarrandam ædificationem & utilitatem attulere,hæ deniq; tibi olim,cum saniore mente esses,maxime placuerunt,uelut piæ ac salutares, quibusq; deo gratior nulla hostia reddi potuerit,sic eas obseruare ac predicare non eras grauatus, quin & nouis ritibus adauxeras.Hæ uero cæremoniæ omnes sic iam uobis non modo neglectæ, sed uestræ sectæ sanctulis ita contemptæ sunt, ut coreas tum præcipue agere,aleæ,uino, genio indulgere, porcos & porcellos uorare,& quicquid non licitum eorum gula imperat,per summum luxum,summamq; nequitiam tempus eximere, pro pietate habent. Quis ergo non nisi mentis inops, & plane furiosus non uidet, hos uestros impietatum undiq; plenos abusus,non modo uarijs, sed & centenarijs ac propemodum infinitis modis & ponderibus ueteres abusus superare? De quibus in præsentiarum te ut redires,ut resipisceres amice monitũ habere uolui. Hostes Cæremoniarum. Maior abusus apud Lutheranos.

Ad priora redeũtes, quæso animum refer ad duo,quæ mihi obiecisti: Audiuit Salomon domino placuisse, quod ædem ædificare instituerit, quam domum suam,domumq; orationis attestante utroq; testamento adpellat.Qui quanq̃ in coelo est, etiã in inferno adest, ut Dauid psalm. cxxxviij. inquit: Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero ad infernum,ades. At tuo præstigioso argumento non obstante, Salomon ædificauit templum nouum domino,de quo fere toto regnorum tertio libro sacra narrat historia. Et licet ubiq; locus orandi per totum mundum idoneus sit, Petrus tamen & Ioannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam. Aedificatio templi deo grata. 3.Reg.6. Esa.56. Matth.21. Marc.11. Luc.21. Psal.138. 1.Tim.2. Acto.3.

Delectus locorum. Gen.28.31

Necq; passim omnis locus uisioni dei aptus comprobatur, sed Iacob, cęteriq; patriarchæ & prophetę loca nonnulla designarunt lapidibus, quibus aliquando dei gratia inuenta est, & ubi se Deus propitium ostēdit, isq; lenis ut in Silo, domo Aminadab, Hierusalem, ad adorandum Deo plerunq; placuisse legitur, Ita & iam loca sunt multa, quibus honoramus & frequentamus apostolorum sepulchra, erectamq; crucem & alia ad religionem pertinentia. Sic sane clauos Christi in Norinberga, Syndonem in Cameraco, Veronicam Romæ & alia uenerantur, peregrinationesq; suscipimus in terram sanctā, ut adoremus in loco ubi steterūt pedes eius, Alioqui prophetia cōpleri non posset. Falso ergo errore seduceris, q loca sancta quęrere irreligiosum putas. In lege ueteri, omne masculinum tribus temporibus adparuit in conspectu omnipotentis dei Israēl sub Mose, Exodi.xxxiiij. Et ad tria festa in Salomonis templo oblationes fiebant, ad quæ cunctos uiros uenire oportuit. ij. Para. viij. Hisce festis etiā Iesus interfuit, nisi nullā fidem euangelio tribuas. Et Paulus ad festum penthecostes Hierosolymam festinauit. Quę non propterea recensere uolui, ut iudaicam seruitutem denuo repetendam esse mihi persuadere uelim, sed ut manifestum fiat, a condito orbe nonnulla loca etiam quædam tempora semper electa a domino, quibus diuinus ille cultus perficiendus erat, fuisse, Celebres ergo dies obseruare non est q̄d euangelio reluctetur. Quod autem attinet ad redundantes gratia imagines statuasue, qui piorum cœtibus frequentantur, non idcirco est quod homines lapidibus, lignisue inesse gratiam iudicauerint, Sed quo loco sita est imago, hunc sanctum hanc sanctam imaginem, uulgo gratiosam dicunt, ut locum uisionis suæ Iacob locum sanctum, domumq; dei uocauit, Et dominus Mosi dixit, calceamenta ut solueret, quod terra in qua consisteret locus sanctus esset. Ita dicimus de domini nostri Iesu Christi sepulchro, quod sanctum sit. De quo loco deq; piorum Christifidelium profectionibus, Esaias cap.lx uaticinatus est dicens: Venient ad te curui filij eorum qui humiliarunt te & adorabunt uestigia pedum tuorum, & uocabūt te ciuitatē domini Syon sancti Israēl. Sic & milites quos Hierosolymitanos adpellare solemus, in consuetudine habuerunt uisitare terram sanctam, necq; abs re, In euāgelio enim prohibemur, per Hierusalem iurare, quia ciuitas sancta magni regis est, Et Dauid, adorabimus (inquit) in loco ubi steterunt pedes eius.

Psalm.131 Pium est loca sancta inuisere. Exodi.23 Deut.16 2.Para.8 Loca sancta. Gene.28 Exodi.3. Esaiæ.60 Matth.5 Psalm.131

Quomō imagines sanctæ aut gratiosę dicantur.

Quod si uocamus, atq; id iuste etiam e scriptura sacra & diuina, locum sanctum, ciuitatem sanctam, montem sanctum, sepulchrum domini sanctum, non est utiq; uitandum, neq; tam leuiter abijciendum, si dixerimus aliquam imaginem diuæ uirginis esse sanctam, & quandoq; si dicamus illam esse gratiosam.

Saluatores dicti sunt multi. Iob.13.19 Esaię 45. & alibi.

Sæpe enim legimus, ea quæ uni deo, soli Christo proprie singulariterq; tribuimus, etiam posse per participationē aut ob uirtutem insignē creaturis adscribi, Quid em̄ illo saluatore salutarius? quod nomen Christo proprium magis? quo eum prophetæ præcinuerunt, Angelus prędicauit, &

cauit, & sotirian, hoc est saluationem, illi soli, qui uenit saluum facere quod perierat, adscribere conuenit, Adhuc tamen non confunditur scripturę ueritas in libro Iudicum iij.ca. Othonielem saluatorem adpellare, Nihil dicam de Ioseph, quem Ægyptij saluatorem mūdi uocarūt, Omitto ac prętereo, nos in testimonium ueritatis deos appellari, neq; a Dauid tantum, sed & a ueritate ipsa, Ioannis. c.x. Dauidis dictum, ego dixi dij estis, etiā apostolis appropriari. Quo circa si imaginibus a nobis honos exhibeatur, non ipsis marmoribus, non statuis ex ære, argento, cupro cæterisq; metallis fusis exhibetur, sed ea sunt nobis omnia ut signa et memorialia quædam, quibus ad res præteritas, in salutem nostram perpetuo rememorandas incendimur & stimulamur. Et intra te redi, ueritatemque fateare, Quem Christianum fugit, ex imaginibus & statuis æreis & lapideis salutem nō sperandam nobis esse? Crucem uero crucifixi q; simulachrum honorantes, non lapidibus, non ligno dignationem deferimus, sed mente memoriaq; altius eue cti, Christum dominum, saluatorem ac redemptorem nostrum cogitamus. Sic magnus ille doctor Basilius in græcorum ecclesia, & magnus Gregorius in latinorum, annos ante noningentos & amplius hanc piam & plane ad cœlestia eleuantem imaginum causam expenderunt, & interpretati sunt. Sunt sane imagines quę non imperitorum modo rudisq; plebeculæ scripturę, sed eruditorum quoq; animos plerumque pietate incendunt, Et cum Paulus scribat, Christum olim ante inhumanationem ob naturam diuinam inuisibilem hominis formam assumpsisse, quæ tandem nos adigit temeritas, ut effigiem eius irrideamus, uitiemus, confringamus, igni ferroq; delere conemur? Et hic rogo tecum expende, quid hoc sibi uelit quod ad Mosen dominus ait: Non uidebis me sed posteriora mea, posteriora autem, id est humanitatem, quam in imaginem crucifixi exprimimus, olim amoto uelamine uideri posse semper iudicaui. Sed quod nunc a Lutheranis hominibus tam impie ac temere benignissimi Iesu imago calcatur pedibus, quid putas in causa est aliud, quam quod in proximo est, maiorem illius sectæ partem non tam crucifixi imaginem q̄ & ipsum Christum & crucifixum abnegare uelle, atq; in eo constituisse finem, ut ex sententia Lutheri malint Turcarum tyrannum Solimanum, q̄ uel Cęsarem Carolum aut Ferdinandum regem dominari? Hæc & illis similia quanquam Christiano pectori diuina pietate imbuto sufficiant, hoc tamen patienter quoq; audire non graueris, Iniuriam aut uiolentiam suæ effigiei, etiam turpissimę, fieri, nemo tam patiens est, imperator, regulus, princeps ac pene e multitudine quiuis homuncio, quin potius grauissima pœna afficitur, si imago sua stercore fœdata fuerit, Eapropter Zuingliana imago illa, ubi apud Lucernenses in Heluetia ante aliquot annos igne cremata fuisset, nullum non lapidem in Tigurina urbe mouit, certo sibi persuadens, Lutheranorum deos non permissuros, ut hæc tam atrox iniuria maneret inulta, Imo sacrilegium esse predicabāt, leprosi fidicinis forma Vulcano consecrati, et quis non uidet excęcati et lusci oculi cæcum

Lucæ.1.2. Matth.1 Acto.4 Lucę 19 Gene.41. Psalm.81

Imagines honorātur non ut Dij sed ut signa & memoralia.

M.Basil. M.Greg.

Vtilitas imaginum

Philip.2

Lutherus impie fauet Turcarū tyrāno.

Zuinglij imago apud Lucernā Heluetiorum igne cremata est.

li cæcum in caussa propria iudicem esse, qui propriæ imaginis ultionem anxie dum quærit, crucifixi imaginem non modo stercore circumlinit, sed Turcico more perfodi, truncari, Vulcanoq; tandem offerri præcipit. Quid multa?

Signo crucis nos cōmunire debemus. Matth.24. Constat nobis Christum prædixisse nouissimo die signum filij hominis adpariturum in cœlis. Quid hic faciam? Certe non me quisquam ab eo signo sanctæ crucis, quo me more Christianorū in hanc usq; horam mane & uesperi præmunire soleo, auellet, etiam si ritus ille catholicus nunquam ex Euangelio probari possit, quin me die noctuq;, more maiorum meorum, eo consignabo, contraq; aduersa omnia communiam, neq; committam unquā, ut Turca crudelior ex hac uita migraturus crucem effigiemq; Christi respuam, sed ulnis more Simeonis complectar, Luc.2. ob oculos serpētis diuini, hoc est saluatoris imaginem ponam, Idque tu Num.21. facias consulo eo, quo frater fratri, Christiano plane animo affectus consulere debet.

Cōclusio de Imaginibus. Contra me hancq; meā sentētiam nulla scriptura recte adduci potest, pro me uel unum illud sufficit, quod ad memoriam uitę passionisq; Iesu Christi, sanctorumq; omniū nos imagines hortantur, incitant, mouent, inuitant, Quem ego morem, uelut antesignanum & ducem sequar, ab eoq; non discedam quoad uixero, gratia illius qui regnabit in æternum Exo.15. & ultra, cui honos sit & laus & gloria, Amen.

De Fide & Operibus CAP. X.

D. BALTHASAR.



QVANDO SVPERIORIBVS diebus, cum huc accessisti, uerba cœpimus facere de nouis erroribus, qui Luthero autore magnam Germanię partem compleuere, in his præcipuus erat solam fidem esse, quæ cuiq; ad salutē impetrandam sufficiat, Quo factum est, ut non multi genua flectere, pauci manus orando cum Mose ad cœlum attollere cœperunt. De his igitur si uidetur sermonem instituamus.

Deu.4.12. Prou.30. Apo.22. Lutherus falso addit uocē sola. Abacu.2 Rom.1. D. FABRI. Lepidum caput Lutherus ex Mose, Salomone, Apocalypsi atq; alijs scripturæ locis totos dies clamat, ad scripturā sanctam nihil addi, nihil detrahi oportere, Ipse autem in interpretatione noui testamenti ad Roma. cap.iij. scite addidit uerbulum, sola, cuius Paulus ne meminit quidem, neq; græco, neq; latino exemplari ullo additum comperit. Tametsi aūt Abacuck propheta & Paulus apostolus scriptū relinquere, iustum ex fide uiuere, non tamen ita accipiendum est, ut quis ex una sola sua nudaue fide salutē consequatur, Alioqui Paulus in eadem ad Roman. epistola scribere non potuisset: Non qui auditor tantum legis est, sed factor iustus fit apud deum. Rom.2.

D. BALTHASAR. Res magna fides est.

D. FABRI. Hoc omnibus nobis constabat, etiam brachio dum te Rom.14. (quod dicunt) emungeres, Nempe ex Euāgelij pręcone, & ueritatis ma Hebr.11. gistro predicamus: Quod ex fide non est, peccatum est, & absq; fide fieri non potest, ut quis deo placeat, Igitur stat sententia, ad deū accedentem fidem

tem fidem habere necesse est, qua qui caruerit, condemnabitur. Qui uero crediderit in filium dei, habebit uitam æternam: qui non crediderit, condemnatus est, Tantaq; & tam preciosa res fides est, id quod tam uiri, q̃ mulieres (ut ex Lucæ historia liquet, cap. vij. viij. xviij. &c.) sunt ita expertę, ut mererētur audire, fides tua te saluam fecit. Damnosa ergo incredulitas erit, omniumq; perniciosissima diffidentia. Fidei rursus ea uis est, ut montes transferat, etiamsi sit ut granum synapi. Hęc facit, ut uirgo concipiat, ut filium pariat absq; uirili semine, sicut scribit Lucas, et omnino quæ natura fieri minime posse uidentur, facit possibilia. Ideoq; Paulus tot miracula ab Abel ad Salomonē, & ultra recenset, in epistola quę est inscripta ad Hebræos. Non tamen inuenies aliqua ex parte solam fidem sufficere ad æternam salutem assequendam, Sed ut Patriarcharum, Prophetarum, & dilectorum dei fidem ex ordine narrauit, in hęc uerba conclusit: Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.

Sine fide deo nemo placet. Ioan. 3. Quanta uis fidei. Matth. 17. 1. Cor. 13. Luc. 17. Matth. 17. Luc. 1. Hebr. 11. Hebr. 11.

Neq; interim ita me rudē & in literis sacris tam inexpertum & ignauum putes, quasi eorum oblitus sim, neq; recorder quæ Paulus ad Romanos, ad Galatas, & in plerisq; locis alijs disseruerit, ut non ex operib. legis, non ex lege Mosi, sed ex gratia diuina iustificetur homo, euãgelio & fidei Christianæ addictus, Sed bona opera negligere non oportet, neque fas est ullo modo.

Roma. 3. Galat. 2.

D. BALTHASAR. Tamen cantatur in canticis: ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit.

D. FABRI. Est ita, sic cantamus, Tuq; non raro, cum circumferres exhiberesq; Christiano modo sacramentū, sic pręcinuisti, Meliusq; consultum foret animæ tuæ, si unanimi nobiscum uoce, etiam hodie cantares, & aduersus sacramentum non cogitares ut Thomas incredulus, qui ueritati assentire non uis, nisi oculis uideas, manibus palpes, pedibus calces. Sed hoc fieri non poterit nisi miraculose, ut factum legimus temporibus Cypriani martyris a quadam puella, & Gregorij Magni, prioribusq;, & partim nostris tēporibus, Et quanta in sacramēto altaris miracula claruerint, prolixo sermone recensere si perrexero, narrandi historias nullus finis erit.

Miracula in sacramento corporis Christi.

Certe si cor Pharaonis nō obduruisset, merito Zuinglius et suæ factionis homines iam in uiam Christi redijssent, Suis enim oculis uiderunt quanta mala hęc doctrina, ab apostatis monachis oborta, Reipub. Christianæ pepererit, Et quod in mandrabuli (ut dicitur) morē semper uergit in deterius, Quod plane cognoscent in breui omnes, qui sediciose huic fabulæ primam prębuere materiam. Hoc dictum quod in Eucharistię laudem Romana cantat ecclesia ad confirmandum cor syncerum sola fides sufficit, Id est uerum piumq;, Christianum enim in re credenda et potissimū Eucharistiæ sacramento nihil ęque corroborat et auget, atq; simplex fides. Nam quoties hanc opinionem cor hominis imbuit, ut nihil credere statuat de his quę fidei sunt, nisi uideat, palpet & plene ut per naturam fidei

Zuinglius induratus. Quomodo sola fides sufficit.

turam fieri intelligat, nunq̃ recte constanterq; credet, quæ nobis Chri-
stiana fides credenda præcepit. Sola ergo hic fides & maxime pio ueritate
te sacramenti sufficiet, non tñ hoc ita accipiendum est, neq; accipi potest,
ut absq; omnibus operibus, cũ tempus, locus, occasioq; sit faciendi, quis-
piam saluus fieri queat.

D. BALTHASAR. Quas autem aduersus eos, qui hac opinione fu-
erunt, scripturas produxisti?

Loca ex Paulo contra Solarios & sola fide cõtentos. D. FABRI. Dicam equidem tibi: græce eos τους μονους latine solarios
appellaui, tum Paulum ex Paulo ipsis declaraui.

Etenim Paulus Corinthijs scripsit: Si linguis hominũ loquar & ange-
lorum, charitatem autem non habeam, factus sum ueluti æs sonans, aut
cymbalum tinniens, Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria
1.Cor.13 omnia & omnem scientiam, Et si habuero omnem fidem, ita ut mon-
I. tes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ecce hic ait
Paulus: Si habuero omnem fidem, Vnde sequitur, non solam fidem suf-
ficere, sed tunicam palliumq; coniũctim esse oportere, id est cum fide cha
Prouer. 10 ritatem, de qua scriptum est, eam operire multitudinem peccatorum.
1.Petri.4 Iam fides & charitas res duæ sunt, Ideoq; Paulus discretim loquitur de
1.Cor.13 fide, spe & charitate, Nam inter cætera dicit: tria hæc sunt, maior autem
horum charitas. Et ij. Corinth. viij. sic inquit: Sicut in omnibus abunda-
II. tis fide, spe, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & cha-
ritate uestra in nos, ut & in hac gratia abundetis. Et ad Galat. v. fructus
III. spiritus enumerat, & seorsum charitatem fidemq; ponit, & in eodem ca
pite dicit eam fidem deo charam esse quæ operatur ex charitate, In Chri
sto (inquit) Iesu neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed fi-
des quæ per charitatem operatur. Et quanquam multa de fide Abrahæ
eadem in epistola ad Galat. præmiserit, tamen concludit totã epistolam
in opere, & præcipue, quod quę quisq; seminauerit, hęc & metet, quod-
que debeamus bona facere, bene perpetuo operari erga omẽs homines.
Et ad Ephe. iij. Det uobis secundum diuitias glorię suæ, uirtutem corro
IIII borari p spũm eius in interiore homine Christũ habitare per fidẽ in cor-
dibus uestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis cõprehendere cũ
omĩbus sanctis, quę sit latitudo et lõgitudo, & sublimitas & profundũ.
V. Et. iiij. cap. Cum multa ad Ephesios de fide locutus esset, eos dirigit tan-
VI. dem ad charitatem & opera bona, dicens, ueritatem facientes in charita-
VII. te. Et vi. ca. ait: Vnusquisq; quodcunq; fecerit bonum hoc recipiet a do-
VIII. mino, siue seruus, siue liber. i. ad Thessal. cap. i. meminit eorum fidei,
1.Thessa.5 & charitatis, Deinde eos docet ut induanť lorica fidei et charitatis. Hanc
1.Tim.6.2 porro fidem & charitatem Timotheum Paulus ut diuersa ita docuit:
&2.cap.2. IX. sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatẽ, patientiam, mansuetudinem.
2. Thessa.1 Ita ij. epistola ad Thess. docet & hortatur, ut crescat eorũ fides, abun-
X. det mutua charitas. Ad Corinthios scribens ita fidem a charitate segrega
1.Cor.12 uit, ut fidenter dixerit charitatis uiam excellentiorem esse. Ita laudat Phi-
XI. lemonem Paulus nõ a sola fide, sed & charitate. Proinde ita statuo, ut

quomodo

quomodo Paulus ait, charitas uera & ficta est, ita ad Timotheum meminit ueræ & fictæ fidei, sic fidem esse aliam uiuam, aliam mortuam, q̃d ex Canonica Iacobi planum fit, credunt dæmones & contremiscunt, sed hi charitate uacant, Eorum enim odium & inuidia cessare nequit, & superbia eorum qui oderunt dominum, ascendit semper, Ideoq; Paulus cum ad Romanos de fide loquitur, cap. x. confirmat non solũ fide cordis, sed confessione oris, ad salutem uenire hominem. Ista autem nuda, sola, muta, hypocritica, uana, impostoria, atque adeo mortua fides, quæ non operatur per dilectionẽ, significatur per ficum quam dominus aliquoties uidit uiridem, sed in ea fructum nunq̃ uiderat, Ideoq; a domino execrata exaruit. Nam idem dominus dixit: non quicunq; dicet, domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui faciet uoluntatem patris & c̃.

Duplex fides. 2.Cor. 6. 1.Tim.1. 2.Tim.2. Iacob. 2. Psal.73. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 13. Matth. 7.

D. BALTHASAR. Acquiesco his quæ adduxisti.

D. FABRI. Si igitur his acquiescis, necesse est de bonis operibus te mecum sentire.

D. BALTHASAR. Nunquam mihi placuit, neq; unquam ęquo animo audiui eos, qui bona opera damnarunt, cum de his omnis scriptura referta sit.

D. FABRI. Atqui Lutherus nihilominus docuit, nihil esse bona opera, & quoduis bonum opus esse peccatum mortale. Quod etiam si sophistice possit probabiliter dici e scriptura, omne opus bonum peccatum esse, tamen ad uulgarem simplicemq; populum, plane cibus hic crudior est q̃ ut digeri possit, nihilq; ad audiendum in religione nostra pestilentius, Sic eñ interpretantur, qui alioqui lassas manus ad bona opera habent, si eleemosynam dare, orare, ieiunare & c̃. peccatum est, facile temperabimus. Hinc factum est, ut quibus in locis summæ pietatis homines ante fuerant, iam omnium maxime ab omni opere bono sunt alieni, decimam neq; magnam neq; paruam pendunt, id est, nihil operantur boni: neq; satis est illis, ut non operentur, & tota die stent ociosi: sed etiam declinant a bono, faciũtq; malum, id quod impune eis licere persuasum habent. Quo circa mihi proposui proprium librum de fide & bonis operibus facere, neque tu flagitare uideris, ut de operibus multa inducam.

Dogma pestilentissimum populo per Lutherum traditum.

At ne in hac re uacuus in conspectu domini, contra Mosi mãdatum, appaream, ex Euangelio quę de bonis operibus sedulo perpetrandis inuenio scripta, obiter & quasi per compendium inducam. I. Mat. vij. Omnis qui audit ex me sermones hos, & facit eos, assimilabo illum uiro prudenti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non est prostrata. Matthæi ix. Ipsa quidem messis copiosa, cæterum operarij pauci. Matthæi viij. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. xi. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos, Tollite iugum meum super

Exo.23. & 34. Loca ex Euangelio contra Lutheranorum dogma de sola fide. II. III. IIII.

Y uos, &

uos,& discite a me,quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requi-
V. em animabus uestris.Matth. xij. ait: Facite arborem bonã, & fructum
eius bonum:aut facite arborem uitiosam,et fructum eius uitiosum,nam
e fructu arbor cognoscitur. Quomodo potestis loqui bona cum sitis
mali? siquidem ex habundantia cordis os loquitur. Bonus homo e bo-
no thesauro cordis expromit bona, & malus homo ex malo thesauro
VI. cordis depromit mala. In eodem capite: Quisquis fecerit uoluntatem
patris mei,qui est in coelis,ipse meus frater & soror & mater est.Matth.
VII. xiij. Semen quod cecidit in terram bonam, & dedit fructum, in eo est,
qui sermonem audit &intelligit,et fructum reddit ac facit,alius quidem
VIII. centuplum,alius sexagecuplum,alius uero trigecuplum. Matth. xvi. Si
quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam
& sequatur me, qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam,
Rursus qui perdiderit animam suam mea causa,inueniet eam,Futurum
est enim, ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis,
IX. tũc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius.Matth. xix. Magister bone, quid
boni faciam,ut habeã uitam æternam? Qui dixit ei:quare interrogas de
bono?unus est bonus,qui est deus,Quod si uis ad uitam ingredi, serua-
to mandata.Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit:non facies homicidium,
non committes adulterium, non facies furtum, non falsum dices testi-
monium, honora patrem &matrem,& diliges proximum ut te ipsum.
X. Matth.xx.Voca operarios,& redde illis mercedem, incipiens a postre-
XI. mis usq; ad primos.Matth.xxiiij. Omnia ergo quæcunq; iusserint uos
seruare, seruate & facite, secundum opera uero eorum nolite facere,di-
XII. cunt eñ et nõ faciũt.Matth.xxv.Euge bone serue et fidelis,super pauca
fuisti fidelis, super multa te constituam,Intra in gaudium domini tui.Et
XIII. sequitur in eodem capitulo: Venite benedicti patris mei, possidete re-
gnum paratum uobis ab exordio mundi:Esuriui enim,& dedistis mihi
edere:Sitiui, & dedistis mihi bibere,Hospes eram,& collegistis me:Nu
dus fui, & operuistis:Infirmus fui, & uisitastis me,Et in codẽ ca.Amen
dico uobis,quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis,mihi feci-
XIIII. stis.Et rursus Matth. ultimo ca.Docentes eos seruare omnia quæcunq;
XV. præcepi uobis. Marci xiiij.cap.opus bonum operata est in me, semper
enim pauperes habetis uobiscum, & quandocunque uolueritis, pote-
stis illis benefacere, me uero non semper habetis, quod potuit hoc fe-
XVI. cit,præuenit ut ungeret corpus meum ad sepulturam.Lucæ iij.Facite er
go fructus dignos poenitentiæ, Et ne coeperitis dicere intra uos ipsos:
Panem habemus Abraham, Dico enim uobis, potens est deus de la-
XVII. pidibus istis suscitare filios Abrahæ. Lucæ x. Quinimo beati qui au-
XVIII. diunt sermonem dei, & custodiunt illum. Lucæ xij. Beatus ille seruus,
quem,cum uenerit dominus,inuenerit ita facientem, Vere dico uobis,q̃
XIX. omnibus quæ possidet,præficiet illum. Lucæ xiij. Si non poenitentiam
egeritis,omnes similiter peribitis, Contendite intrare per angustam por
tam,quia multi(dico uobis)quærent intrare,&nõ poterunt.Ioan.v.ca.
prodibunt

prodibũt qui bona fecerũt, in resurrectionẽ uitæ: qui uero mala fecerũt, xx.
in resurrectionẽ condẽnationis. Ioan. iiij. Qui metit mercedem accipit, et xxi.
congregat fructum in uitam æternã. Ioan. viij. Amen dico uobis, omnis xxii.
qui facit peccatum, seruus est peccati, Et paulo inferius in eodem ca. Si fi-
lij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Ioan. xiij. uos quoq; debetis xxiii.
inuicem alij aliorum lauare pedes. In eodem capite sequitur: præceptum xxiiii.
nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo. Ioan. xiiij. Si diligitis me, pręce- xxv.
pta mea seruate, Et in eodem capite: Qui habet præcepta mea, & ser-
uat ea, ille est qui diligit me, In eodem sequitur capite: Si quis diligit me,
sermonem meum seruabit.

Ad Romanos. ij. Qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua: His Rursus alia loca ex Paulo.
quidem, qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem, &
immortalitatem quęrunt, uitam æternam: his uero qui sunt contentiosi,
& qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitiæ, i.
uentura est indignatio & ira & afflictio, & anxietas aduersus omnem ani
mam hominis perpetrantis malum, Iudæi primum, simul & gręci: gloria
uero & honor & pax operanti bonum, Iudæo primum, simul & græ-
co. Ad Roma. vi. Quemadmodum enim præbuistis membra uestra ii.
seruire immundiciæ & iniquitati ad aliam atq; aliam iniquitatem: sic &
nunc præbete membra uestra iustitiæ seruire ad sanctificationem. Ad
Romanos. xij. Obsecro uos igitur per miserationem dei, ut præbeatis iii.
corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam deo, rationalem
cultum uestrum, Et ne accommodetis uos ad figuram sæculi huius, sed
transformemini per renouationem mentis uestrę, ut probetis quę sit uo
luntas dei, Quod bonum est acceptumq; & perfectum: Dico enim per
gratiam quæ data est mihi cuilibet uersanti inter uos, ne quis arroganter
de se sentiat, supra quam oportet sentire, sed ita sentiat ut modestus sit
et sobrius, ut cuiq; deus partitus est iuxta mẽsuram fidei. At in fine eius- iiii
dem capituli: Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum si sitit, da illi po-
tum, Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius, Ne
uincaris a malo, imo uince malum bono. i. ad Corint. iij. Cuiusq; opus v.
manifestum fiet. I. ad Corinth. ix. Nam si uolens hoc facio, præmium vi.
habeo. ij. ad Corinth. v. Omnes enim nos manifestari oportet coram vii.
tribunali Christi, ut reportet unusquisq; quę fiunt per corpus, iuxta id
quod fecit siue bonum siue malum. Et ad Colossen. i. In omni opere bo viii.
no fructificantes, & crescentes in agnitionem dei. Prima ad Thessalo. v. ix.
Semper quod bonum est sectemini, tum erga uos inuicem, tum erga o-
mnes, semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hęc
enim est uoluntas dei, per Christum Iesum erga uos. Secunda ad Timo- x.
theum ij. Tu igitur feras afflictiones, ut bonus miles Iesu Christi, Nemo
qui militat, implicatur uitæ negocijs, ut ei qui se in militiam delegit, pla-
ceat. Quod si certet etiam aliquis, nõ coronatur, nisi legitime certauerit.
Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Ad xi.
Titum ij. cap. Vt purificaret sibijpsi populum peculiarẽ, sectatorem bo-

XII. norum operum, Hęc loquere, hortare, & argue cum omni præcipiendi studio, Nemo te despiciat. Et ad Titum iij. Admoneto illos, ut principatibus, ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonum sint parati, neminem quocp maledicant, ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines. De his uolo ut cõfirmes, quo soliciti sint, ut bonis operibus præsint, qui crediderũt deo, Hęc enim sunt honesta, & utilia hominibus, Discant autem & uestri bonis operibus præesse ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi. Et dies me deficeret, si recensere perrexero reliqua loca, quæ ad benefacere aut bene operari, de operibuscp bonis in Euangelio passim conscripta sunt.

De Satisfactione pro peccatis CAP. XI.

D. BALTHASAR.



Rom. 5. 1. Cor. 15. QVOD AD SOLAM fidem attinet & opera, tibi assentior. Sed quid ad illa, cum dicũt deum pro nobis passum, nostra totiusque mundi peccata luisse, pro nobis satisfecisse, Ideocp uana esse quæ de operibus predicamus?

Nõ debet quiuis scripturã pro libito interpretari. D. FABRI. Ecce tibi, qui et quanti errores consequuntur, cum pro sua quiscp libidine scripturam interpretatur. Quod si cunctis in hunc modum agere collibitum fuerit, facile nudis non omnes pedibus incedere debere, ex Euangelio probare possem. Imo si pertinaci animo (ut multi solent) ueritati contraluctari & nouas hæreses struere gauderem, uix esset insignis aliquis utriuscp testamenti locus, ex quo non hanc uel illam hæresim & impietatem moliri daretur. Ita omnes hęretici ex Euangelio nouam subinde erroris ansam arripuerunt. Non quod Euangelium in culpa sit, sed quod circa pugnas uerborum laborare nonnullis placeat, Quorundam uero institutum est, docere quod nunquam didicerunt, Aliis animo insidet, sub umbra Euangelij cruentas commouere tragœdias, Et non pauci sunt, qui hoc instituto se clariores, locupletiores, et immortales posse facere sibi persuadent, sed hi omnes specilla non apte naribus superiunxere.

Christum satisfecisse ꝑ nobis. Nimium (proh dolor) uerũ est, iam uulgo hęc ferri, atcp adeo pueri par impar ludẽtes, in arundinecp longa equitãtes, hoc quasi firmissimo fundamento triumphant, se Christi passione et liberatos & liberos, ita ut in utrancp dormire aurẽ sine bonis operibus secure ualeant, Christus redemerit, Christus satisfecerit. Et hic ego non ignoro, Christum uenisse saluatorem omni populo, Lucę xix. Voluit is quęrere quod perierat, Idcirco circum Iudæam, Samariam, Galilęam, profectus, cum Iudæis & gentibus sermonem instituit, peccatores non condemnauit, sed potius

Matth. 11. ad se uocauit, nemine excepto. Venite ad me omnes (clamat) qui labo-

Thren. 1. ratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et iuxta prophetiam: O uos omnes qui transitis per uiam istam, attendite & uidete si est dolor similis sicut dolor meus. Scio posthac, saluatorem nostrum recte esse ostensum, Agnum dei, qui abstulit peccata mundi. Et illud Ioan. xi.

Iesus

Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios dei qui erant dispersi, congregaret in unum. Et quomodo ipse testatur Ioan. xij. Granum frumenti cadere in terram & mori oportuit, ut fructum multum afferret. Et Paulus Roma. v. Commendat charitatem suam deus in nobis, quoniã cum adhuc peccatores essemus secundũ tẽpus Christus pro nobis mortuus est. Idq́ de se predicauit in Ioanne, se esse pastorem bonum, qui poneret animam suam pro ouibus suis, qui amor flagrantior non fuit, neq́ esse potuit, præsertim ita mortuus, ut neq́ iniustus neq́ impius fuerit, qui peccatum non fecit, neq́ inuentus est dolus in ore eius, Cum pro iusto nemo libenter moriatur. i. Cor. cap. xv. Christus mortuus est pro peccatis nostris, iuxta scripturas. Ad Galatas i. Se ipsum dedit pro peccatis nostris. Ad Ephe. cap. i. prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriȩ et gratiæ suȩ, in qua gratificauit nos, in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum. Ad Philippenses ualde Paulus gloriatur, ut Christus se exinaniuerit, formamq́ serui assumpserit, se humiliauerit usq́ ad mortem, mortẽ autem crucis. Ad Coloss. i. In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quȩ in cœlis, siue quȩ in terris sunt. Ad Coloss. ij. uos cũ mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo, donans uobis omnia delicta, delens q̃d aduersus nos erat chirographũ decreti, q̃d erat contrarium nobis. i. Timoth. i. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Et i. Timoth. ij. Vnus deus, unus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis. Hoc est, quod in ultima cœna dixit de sanguine, qui pro ipsis & pro multis effundendus erat. Et quanq̃ hæ scripturæ uerissimȩ sunt, habent tamen eorum constantem intellectum, alijs etiam ex scripturis, Nempe q̃ nullam rationẽ habent dicentes: Quia Christus passus est pro nobis, eapropter opus non fuerit, neq́ proficuũ erit post passionẽ Iesu bona opera facere, peccata confiteri, pati cum Christo, crucem Christi ferre. De quibus uere prophetauit Petrus, ut sint qui post carnem in concupiscentia immundiciȩ ambulant, dominationemq́ contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes, uoluptatẽ existimantes diei delicias, coinquinationis & maculȩ delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes uobiscum, oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in auaricia habẽtes, maledictionis filij, derelinquentes uiam rectam, errauerũt, secuti uiam Balaam ex Bosar, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem uero habuit suæ uæsaniȩ, & subiugale mutum animal in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulȩ turbinibus agitatæ, quibus ca

Ioan. 10.
Esa. liij.
1. Pet. 2.
Matth. 26.
Mar. 14.
Luc. 22.
1. Pet. 2.
Lutheranorũ descriptio.
2. Pet. 2.

ligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim uanitatis loquentes pellici= unt in deſyderijs carnis luxuriç, eos qui paululũ effugiunt, qui in errore conuerſati, libertatem illis promittẽtes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis. Ecce ut pulchre in Lutheranos hęc prophetia ex omni parte cadat, qua= dretq;. Sed quemadmodum Chriſti paſſio nos liberauerit, ex ſcriptura intelligamus. Ad Titum ij. Apparuit gratia dei & ſaluatoris noſtri, o= mnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcula ria deſyderia, ſobrie, iuſte & pie uiuamus in hoc ſæculo, expectantes be= atam ſpem & aduentum glorię magni dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chri ſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquita= te, et emundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum ope rum, Hæc loquere & exhortare. Ecce, ſectatorem bonorum operum.

Quomodo liberauit nos paſſio Chriſti

Secunda ad Timotheum ij. Fidelis ſermo, Nam ſi commortui ſumus, conuiuemus: ſi ſuſtinebimus & conregnabimus. Et ſequit: Si quis ſe e= mundauerit, erit uas in honorem ſanctificatum domino. Ad Coloſſ. i. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Ad Ephe. v. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe= ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitę, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem ma culam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immacula= ta, & ſequitur ut obedire, remittere iniurias oporteat, qua armatura ſe præmunire debeant. Ad Galat. v. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam cru= cifixerunt, cum uitijs & cõcupiſcentijs. Et iterum ad Galat. ij. ſimul cum Chriſto crucifixi ſunt. ij. ad Corinth. v. ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo oẽs mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui uiuunt, iam ſibi non uiuãt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. i. Cor. vi. empti eſtis precio magno, glorificate & portate deum in corpore ue= ſtro. ij. ad Corinth. vi. Exhibeamus nos ſicut dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis &c.

Oportet nos compati, commori ac cooperari Chriſto, ut conregnemus cum illo.

Ad Rom. viij. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis pec= cati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iuſtificatio legis im= pleret in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum, Prudẽtia carnis mors eſt, Sapientia carnis inimica eſt deo, Qui in carne ſunt, deo placere non poſſunt, Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Si eñ ſecundum carnẽ uixeri= tis, moriemini. Et ſequitur: ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui no= ſtro, quod ſumus filij Dei, Si autem ſumus filij dei, & hęredes, Hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glo= rificemur. Et ad Roma. vij. Fratres mei mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificetis deo. Et Roma. vi. Quomodo Chriſtus reſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes, quia uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut

Ne ambulemus ſecundũ carnem.

ultra

ultra non seruiamus peccato. Et idem Paulus ad Roma.iij. Ostendit do minum conciliatorem & remissorem peccatorum præteritorum, ideoque iiij.ca.ad Romanos, etsi Paulus de Christo affirmet, ut traditus sit propter delicta nostra, mox tamen ad bona opera exercenda nos hortatur & a malis absterret. Etsi est, iuxta Ioannis canonicam, reconciliatio, non pro nostris tantum admissis, uerumetiam uniuersi mundi, docuit tamen nos ipse Christus, ut patrem precaremur qui in coelis est, ut nostra nobis debita dimitteret. Ipse idem, qui mediator, aduocatus, propiciatorque est, docere non dubitauit, nec frustra toties docuit & dixit: qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam & sequatur me. Eius rei gratia exemplum nobis dedit, ut quemadmodum ipse fecit, & nos faciamus. Ad quod nos tantopere Petrus hortatur ac uocat cū ait: Christo in carne passo, & uos eadem cogitatione animamini, In hoc enim (inquit idem Petrus) uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui quum malediceretur, nō maledicebat, quum pateretur, nō comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super ligno, ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati estis. *Quomodo Christ. est reconciliatio nostra.* *1.Ioan.2* *Matthei 6.* *Matth.16* *Ioan.13.* *1.Petri 4.* *1.Petri.2.*

Vnde sequitur Christi passionem, culpam ab Adam Adæque stirpe cōtractam luisse aboleuisseque, peccata autem, quę nos recens in mortali corpore admisimus, necesse quidem est, eadem passione Christi remitti nihilominus tamē flagitamus poenitentiam, quam apostoli predicarūt, Neque ea est sententia, ita nos Christi sanguine saluos fieri, ut nulli bono operi addicti, per omne impuritatis genus, laxis habenis libere feramur, nullius ut erroris nos poeniteat unquam, nunquam resipiscamus, nunquam poenitētię dignos fructus pariamus, Propterea quod fratri erranti, debitoribusue nostris culpas debitaque cōdonamus, ut nos docuit Christus, tūc demum pater noster nostra debita etiam nobis condonat ac remittit. *Necessariū nobis est post peccata poenitentiam agere.* *Marci 11.*

Idcirco nobis toties iustitiam Christi scriptura intentat, ut domino rationem exactam omnium rerum, actionumque nostrarum, atque adeo de quouis uerbo ocioso, quod ab ore temere prolapsum exciderit, simus rationem reddituri, Atque hic est filius hominis, qui mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius a quatuor uentis, a summo coelorum usque ad terminos terræ. i. Thessa.iiij. Ipse dominus in iussu & in uoce archāgeli & in tuba dei descēdet de coelo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et quid facient? Sedebunt iudicantes duodecim tribus Israël, & nos stabimus ante tribunal eius reddituri rationem uillicationis nostræ. Et ipse dabit unicuique secundum opera eius: quę seminat homo, ea metet: qui seminarunt in benedictionibus, de benedictionibus & metent: qui parce seminarunt, parce metent. Et in summa, coram hoc iusto iudice, utcunque pro nobis passus, crucifixus, & sepultus sit, qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionē uitæ, qui uero mala perpetrarunt, ibunt in resurrectionem iudicij, sicque mala qui fecerunt, *Exacta ratio a nobis Deo redenda.* *Matth.12* *Matth.24.* *1.Thessa.4* *Matth.19* *Lucæ 22* *Roma.14.* *Lucæ 16* *Galat.6* *2.Cor.9.* *Ioan.5* *Matth.8*

relegabuntur in caminum ignis, ubi fletus & stridor est dentium.

Tribut al Christi in nouissimo die. Matth.25. Ille filius est hominis, qui ueniet in sede maiestatis suæ, ut congreget ante se omnes gentes, congregatas separabit ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hoedis, & statuet oues quidem a dextris, hoedos autem a sinistris. Tunc dicet rex, his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, paratum uobis a cõstitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & operuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Tunc uero dicet rex ijs qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem ęternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, sitiui & non dedistis mihi potum: hospes eram, et non collegistis me: nudus eram & non operuistis me: infirmus & in carcere eram, & non uisitastis me.

Deus unicuiqꝫ reddet iuxta opera sua. Matth.26. Hac una certe iusti iudicis sententia manifestum fit, toto coelo Lutheranos errare, qui ob male perpetrata, e sola Christi passione impunitatem sibi sumunt, aduersus quos impietatum magistros fortius dei gladium uibrabimus, Matth.ca.xxvi. Dico uobis (inquit coram Caypha dominus) amodo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus coeli, Is est (ut Paulus ad Roma. xiiij.) in hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Om̃es enim stabimus ante tribunal Christi, & unusquisqꝫ pro se ratiõem reddet deo, Ad Ephe. vi. Vnusquisqꝫ quod fecerit bonum hoc recipiet a domino, siue seruus siue liber, propterea accipite armaturam dei, ut possitis resistere in die mala, & in omnibus perfecti stare. i. Cor. iij. unusquisqꝫ propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Si quis superędificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusqꝫ opus manifestum erit, dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, Et uniuscuiusqꝫ opus quale sit, ignis probabit.

Vsqꝫ ad finem perseuerare oportet in operibus bonis. Psalm.94. Lucæ 9 Matth.26. Hæc omnia Paulus ad Hebræos iij. plana facit, dicẽs: Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius usqꝫ ad finem firmum retineamus, dum dicitur, hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, Ac si diceret: si crucẽ una portabimus, si ab aratro manum nõ retrahemus, nõ respexerimus, sed perseuerauerimus usqꝫ ad finem, si agemus ut fortes milites Christi cõstantissime perseuerantes, si nõ ut fugitiui serui clam turpiter discedemus a domino in oliueti monte, ubi domini passio coepit, a cruce idqꝫ multo minus est committendum, etiamsi a iudæis & latronibus utriusqꝫ rideamur, sed perseuerauerimus q̃ad in Ioan.19. patris manus spiritũ nr̃m cõmittamus, cum Nicodemo atqꝫ Iosepho ab Arimathia dominum in nouum sepulchrum tumulemus, Tunc nobis Christi passio proderit, unaqꝫ resurgemus in nouissimo die.

Verba carnalia Lutheranorꝫ. Sapien.2 Sed iactitare, passum esse pro nobis Christum, satisfecisse, omnem culpam exemisse, omnia luisse, nos nihil facere uel debere uel oportere, nisi ut læti dicamus: Coronemus nos rosis, & nõ sit pratum quod non pertranseat

transeat luxuria nostra, edamus & bibamus, cras forte moriemur, dulcem nobis uitam transigamus, genio indulgeamus, ludentes circum conflatilem auro uitulum saltemus, comessationibus, & ebrietatibus repleamur: Hominis est, bene crassa Minerua, libertate quadam ac mente plane Epicurea, scripturas tractantis. 1.Cor.15. Exodi 32 Deut.21

Stant enim etiam hodie quę Iob olim prophetauit: ducēt in bonis dies suos, & in pūcto ad inferna descēdent, Et diues ille qui in bysso et purpura uescebatur, epulabaturq; quotidie splendide, qui Lazaro egenti, ulceribus ac morbo confecto, micas de mensa cadentes negabat, tandem in inferno sepultus est. Eorum damnatio. Iob. 21. Lucæ 16.

Sane indignum Christo consilium fuisset, in monte Oliueti ita per agonem angi, ut uere de ipso scripsit Euangelista Lucas: Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, Ad columnam uirgis cædi, corona spinea confodi, in cruce post immania innumeraq; suppliciorum genera affigi uoluisse, nobis ut integrum foret, nullo respectu aut pœnæ aut delicti, effuse licenterq;, quodcunq; libeat, & dicere & patrare, Sicq; passiōe sua profusissimis nostris libidinibus apertum liberumq;, in quo regnarent, campum aperuisset. Quo fieri necesse est, ut q̄tquot perditissimam hanc hæresim imbuerunt, nō Christum sed uētrem deum habeant, saluatoremq; nostrum rursus crucifigant. Turpitudo eorum dogmatis. Lucæ 22 Ioan.19. Philip.3

De libertate Christiana. CAP. XII.

DOCTOR BALTHASAR.

SCRIPTVRAS quas adduxisti, probo, Quid autem quādo illi intendunt Christianā libertatē, quod Christus eos liberarit, redemerit, se nihil ea propter debere, nec deo nec hominibus?

D. FABRI. Non destitit uero uir egregius Lutherus Christianæ libertatis pręco esse, quoad agricolæ omnes ab aratris sensim defluentes, & in enses uomeres, in lanceas ligones conflantes, sese in numerum nobilium uindicarint, nullum dominum, nullum magistratum agnoscerent, nemini quicquam pendere, multa multis per uim eripere, phas nephasq; commiscere, uno omnes consensu conarentur. Quæ libertatis usurpatio plus centum milia Germanorum clade miserabili uno anno perdidit in uno eoq; exiguo Germaniæ loco, taceo tot milia afflictissimarum uiduarum, orphanorumq;, quod eodem ex malo reliqui duriorem pene morte uitam tolerant. Sic nepharius apostata, & fidei & uoti monastici desertor, hoc libertatis Christianæ præconio pluribus & grauioribus Germaniam cladibus oppressit, quā si immanissimus Turcarum tyrannus, inimicus ille crucis & nominis Christi crudelissimus, quadringētis hominum milibus stipatus, Germaniæ bellum intulisset. Non est (proh dolor) Germania amplius fraterna illa, unde nomen accepit, Germania, sed potius Grimania, ubi diaboli seminaria eualuerūt, i. fides, benignitas, charitas mutua, obedientia, timor dei, conscientiæ bonæ, religio, uirtutes oēs, plurimis in locis restinctę, euanuerunt, ac uereor ne simus eo in tēpore, de quo Christus ait: abundabit iniquitas, & refrigescet charitas Quantum mali pepe rit rusticis libertas Lutherana Ex Germania Lutherani Grimaniam fecerunt. Math.24.

Spiritus prius ꝓbari debuisset Lutheranus. charitas multorum. Magna profecto amentia seducti sumus, ꝙ passim Euangelistis istis, cum se spiritum Dei habere ore magnifico & plane Thrasonica iactantia gloriabantur, tam faciles aures præbuimus, Neq; enim antea aut decuerat, aut oportuerat, quam spiritum num ex deo, an mendax esset, probaremus. Nam in aperto est, hanc arborem non spiritus fructus, sed (ut Paulus ad Gala. pulchre commonstrauit) opera carnis profudisse nefaria & inaudita. Fructus quidem spiritus est Charitas, Gaudium, Pax, Patiētia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas. Hæ uirtutum columnæ sub huius uestri Euangelij tempestate labefactatæ conciderunt, ut ne uestigium quidem aliquod supersit in uobis. Opera uero carnis manifesta sunt, Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, Idolorum seruitus, Veneficia, Inimicitię, Contentiones, Æmulationes, Iræ, Rixæ, Dissensiones, Sectæ, Inuidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comessationes, & his similia. Hæc initia omnia profusissime nobis illa uestra extulit Christiana libertas, magniloquis sermonibus, turbulētis cōcionibus, gloriosis ac importunissime clamosis prçconibus euulgata, ideoq; mors consequatur necesse est. Ac idem Paulus mente, ut omnia, diuina longe ante aliquando fore præuidit monachum apostatam, audacem, fronte perfricta impudētem, blasphemum, fœderum, uotorum, religionis desertorem, ꝗ pro Christiana libertate licētiam carnis predicaturus esset, Ideoq; non semel, ubi libertatem euangelicam præscribit, adijcit: attamen non in occasionem carnis, Sed hanc omnes Lutherani appendicem præterierunt.

Galat. 5.

Libertas Lutherica omnium uitiorum parens.

Galat. 5. 1. Thess. 2.

D. BALTHASAR. Verum est, ac equidem semper mortificatiōem carnis, & corporis castigationem predicaui, et profecto illa Christiana libertas nunquam mihi satis placuit, neq; sperassem eo rem euasuram.

D. FABRI. Sapiens non cōmittit, ut ei sit aliqñ dicendū, non putaram. Iudas primū consiliū dedit, deinde etiam prodidit. Christiana libertas in eo posita est (mea sententia) ꝙ is solus, qui liber dominatur inter mortuos Christus, ab Adę peccato immunes liberosq; nos reddidit, unde Ioan. viij. ita ait: Si manseritis in meo sermone, uere discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Respondent ei: semen Abrahę sumus, & nemini seruiuimus unquam, quomodo tu dicis, liberi eritis? Respōdet eis Iesus: Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, seruus autem non manet in domo in æternum, si ergo uos filius liberauerit, uere liberi eritis. His uerbis inducti, qui Lutheri cassibus sunt irretiti, et nouæ fidei præstigijs fascinati, ilico se liberos iactitarūt, ꝙ Christus filius dei eos liberarit, Non aūt considerarūt quę prçcesserūt, ꝙ qui peccatū fecerit peccati seruus habeaẗ & sit, ac ꝑtinus quę consequūtur: si filij Abrahę estis, opera Abrahę facite. Quod & Paulus proprie magis expressit, ad Rom. scribēs ca. v. Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius, sed neq; exhibeatis mēbra uestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete uos deo tanꝗ ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ deo, pec-

Mar. 14.

Quid uera libertas Christiana

Declaratio ueræ libertatis ex Paulo.

deo, peccatum enim uobis non dominabitur, non em̄ sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quia non sumus sub lege sed sub gratia? Absit. An nescitis, ꝙ cui uos exhibetis seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortē, siue obedientiæ ad iustitiā? Gratia autem deo ꝙ fuistis serui peccati, obedistis autē ex corde in eam formam doctrinę, in qua eruditi estis. Liberati autem a peccato, serui facti estis iustitię. Humanum dico, propter infirmitatē carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita etiam exhibete membra uestra seruire iustitię in sanctificationem. Quum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitię. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc uero liberati a peccato, serui autem facti deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem dei uita ęterna, in Christo Iesu domino nostro. Hęc Paulus. Sic itaqꝫ est de Christiana libertate sentiendum, ut liberi simus a peccatis, qui enim uiuit in peccato, peccati seruus est, minister diaboli, Neqꝫ quisquam potest seruire deo & mammonæ. Atqui dicunt: Inter Christianos seruus non est, ut Paulus ad Galat. manifeste declarat, dicens: Iam non est seruus &c. His ego respondeo: Paulus cap. iij. ad Galat. sic ait: Non est Iudæus neqꝫ Græcus, non est seruus neqꝫ liber, non est masculus neqꝫ fœmina, omnes em̄ uos unum estis in Christo Iesu, si ergo uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, & secundum promissionem hæredes. Non igitur Christiana libertas eiusmodi est, ut a domini seruitio nos eximat, alioqui frustra seruum descripsisset ad Timot. Paulus, qui sit, quemue se gerat, quum inter cętera doceat, seruum domini non oportere esse litigiosum. Et quo illud tandem Dauidis, seruite domino in timore? &c. An non in eadem epistola qua seruum peccati esse negat, sese Christi seruum appellat? & ad Roma. i. item se Christi seruum uocat? Et Simon Petrus in sua altera Canonica similiter fecit. Et Paulus, quum esset liber, se seruum omnium exhibuit. Sed ad hoc ualuit adulterina libertatis Christianę professio, ut cum subditi audirent in Euāgelio, non esse quenq̄ seruum, iam liberi omnes, nobiles, barones esse uoluerunt. Tacuerant enim præclari illi præcones libertatis ea omnia, quæ de subditis & seruis ab eodem Paulo prudentissime posita non pauca leguntur. Ad Ephe. vi. Serui obedite dominis carnalibus in timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicuti Christo. Ecce, sicut Christo, inquit, non ad oculū seruientes quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatē dei ex animo, cū bona uoluntate seruientes sicut domino & non hominibus. Ad Colos. iij. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculū seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes dominum. i. Timoth. vi. Quicunqꝫ sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos habeant, ne nomen dn̄i & doctrina blasphemetur. i. Petri. ij. Sic est uoluntas dei, ut benefaciētes obmutescere faciatis imprudentum hominum

Libertas a peccato. Ioan. 8. Matth. 6. Galat. 3.

2. Tim. 2.

Psalm. 2. 2. Pet. 1. 1. Cor. 9.

Adulterina libertas

Scripta Pauli de seruorum obediētia.

Velamen maliciæ. hominum ignorantiam, quaſi liberi & non quaſi uelamen habentes maliciæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, deum timete, regem honorificate, ſerui ſubditi eſtote in omni timore dominis, nõ tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis, Hæc eſt enim gratia, ſi propter dei conſcientiam ſuſtinet quis iniurias, patiens iniuſte.

Seditioſa libertas Lutheri. Quare iſta leuis ac uana, prætextu Euangelij, de libertate Chriſtiana, imaginatio, plurimorum animos ad rebellionem commotos, ad æternæ flammæ ſupplicia deiecerit neceſſe eſt, incõſutilemq; Chriſti tunicam in uarias partes diſtractam laniarit. Sunt qui libertatem Chriſtianam glorioſe clamant, uulgoq; eiuſmodi ſermonem auide iactent ac prædicent, Eum autem ego liberum lubẽs uiderem, qui ſuo iure dicere queat, mundum eſt cor meum.

Longe aliter docuit Paulus q̃ Lutherus. Atqui Pauli opinio ſane non fuit, qñ de Chriſtiana libertate eſt locutus, ut qui baptizatus crediderit, continuo & domini & poteſtatis iugo repulſo, ſui iuris pro libidine liber uiuat. Armat enim gladio magiſtratus, ad Roma. xiij. ubi & docet omnem animam ſubiectam eſſe debere poteſtatibus ſublimioribus, docet famulos obedire hęris ſuis, etiam repræhenſibilibus, ne in oculis dominorum tantum fideles ſint. Quo circa Chriſtianam libertatem non ita interpretari oportebat, nihil ut pendendum ſit Cæſari, quum maneat interim illud Pauli, cui debemus tri- Roma.13 butum, tributum, cui uectigal, uectigal, cui honorem, honorem. Hinc Matth.17 ne ſcandalo eſſet dominus noſter Ieſus Chriſtus, & ſi liber natus, tamen tributum exoluit, ſoluendumque miraculoſa piſcatione confirmauit, quo perdiſcimus, ut cui honorem debemus, honorem exhibeamus. Sed quomodo illi Euangelicæ pacis & Chriſtianę concordię turbatores cuncta apud Germanos adulterina Euangelij prædicatione inuerterint, ex eorum fructibus cognoſcere potuiſti, & dies domini manifeſtabit eos.

De abſoluta neceſſitate. CAP. XIII.

DOCTOR BALTHASAR.



OMNIA HAEC admitto, Sed ducor admiratione nõ mediocri, quidnam Lutherum adduxerit, ut doceret omnia ex abſoluta quadam neceſſitate fieri, neq; ab ea ſententia deduci poſſe.

Hęreſis ut uenenum, ſemper latius ſerpit. 2.Tim.2 D. FABRI. Dicam tibi: Hęreſis perinde ut uenenum eſt aliquod, cuius ingenium eſt, quam primum minimam partem corporis attigerit, ut non acquieſcat, quoad totũ corpus inficiat, et cor toto niſu petat, ac perimat, Eapropter præco, ſeruus & apoſtolus ueritatis, Paulus Timotheo præſcribit, quorũdam ſermonem ſerpere perinde ut cancrum, qui morbus facile medelam nõ accipit, ut & nodoſa podagra nulli ſolubilis medicinę. Sic ubi primum homo ab eccleſia catholica, communiq; Chriſtianorum conſenſu, in alteram partem animum inclinans, hæreſeos peruerſæ uenenum conceperit, non acquieſcit ſemel imbibitum malum, quin ſe latius fundat, ac uitalia petat, Et non eſt inuenire tẽpus, quo una hæreſis ſola perſtiterit, imo plerunq; alia aliam prauocauit, id quod (proh dolor) ſub Lutheriſmo factum cernimus, & magno noſtro malo

experti ſu-

experti sumus, ideoque Paulus hęreticum hominem, post unam alteramque correptionem non resipiscentem, deuitandum putat, quod quasi de reditu ipsius ad ecclesiam desperet, cum totum corpus uis perniciosi morbi occupauerit, neque ullum pharmacum opitulari queat. Tit. 3.

Et summæ pietatis rex Ferdinandus, dominus meus graciosiss. dicere solet, perinde esse hæreticum, ut latronem, qui ubi unum hominem occiderit, animo angi solet, grauiter eum pungente conscientia: ubi porro alterum ac deinde plures iugularit, iam animus fit ad scelus audacior, indies magis ac magis, tum ei tanti homo est, quanti canis aliquis neglectissimus. Sic hæreticus, ubi eum uenenum atque immedicabilis gangręna in uno fidei articulo corripuerit, nō cessat plura tentare, plurium animis insidias moliri. Quo circa raro uno, in religione nostra, errore hęresiue enata, non plures ilico sunt consecutę. Quod uerum esse Vigilantius, Iouinianus, Pighardus, Hussus, atque alij priorum sęculorum hæretici documento sunt.

Hæreticus latroni assimilatur a Rege Ferdinando.

Quare maiores nostri sapienter sanxere, hæretico exorto ne malum ad multos serperet, membraque Ecclesiæ inficeret, statim principijs obstandum ac renitēdum esse. Vtinam apud Germanos Christiani gregis pastores, status utriusque, Reges, Principes, Episcopi ac sacerdotes, Lutherismo inualescente non in utranque aurem securi dormitassent, sed aduersus pestilentissimum furem domus Germanicę, tot uirtutum basibus fultę, fortes parietes perfodientē, acrius uigilassent, neque cessassent Noe Arcę, id est, ecclesiæ opem ferre, antequam ita latum foramen acciperet, ut (proh dolor) frustra iam obturare conemur. Ignem extingui oportuerat, cum esset adhuc igniculus, neque committendū fuit, ut cunctis cessantibus flamma proxima quæque amplexa repente sese longe lateque effunderet, ut iam extingui non queat. Sed sero sapiūt Phryges. Vos tam diu in religione nostra impune lusistis. De purgatorio ad inferos, ab inferis ad terras, a terris ad coelos, superosque peruagati, per ludibrium traductis sanctis, tandem Mariæ negocium facessere ausi estis, ac euersis deinde ex ordine sacramentis, cum nihil reliqui uestra uobis libido fecisset, tentatis omnibus membris ac labe aspersis, ne a capite quidem temperastis, id est, Christo, quem nefaria disputatione & deum negastis, & dei filium esse. Atque hæc tametsi magna, ludicra tamen sunt præ his quæ de omnium rerum necessitate prodidit Lutherus, omnia uidelicet, ut fiunt, ita fieri necesse esse neque aliter posse fieri. Quam opinionē in summa aliqui licentia disputandi, ne gentiū quidem philosophi ferre potuerūt. Fatum enim gentilium sapientes manibus et pedibus semper exterminare studuerunt, quod Lutherus nouus Solon, nouus Licurgus, & religiosus Pompilius, obuijs ulnis exceptum in pristinum locum restituere aggressus est.

Hæreticis mox a principio resistendum est.

Quousque progressa est Lutheri hæresis.

Hæresis de absoluta necessitate.

D. BALTHASAR. Sed quid eum ad eiusmodi errorem impulit?

D. FABRI. Tres honestæ rationes, ut in assertionū libro tu quoque uidere poteras. Prima: Bene & male, inquit Esaias, si potestis facite, quo Esa. 41.

Tres rationes Lutheri.

II. ex loco fundamentũ arripit constituendę necessitatis absolutę. Secunda:
III. Mat. vi. Foliũ non cadet ab arbore absq; uolũtate patris. Tertia: Quod poëta dixerit: Certa stant omnia lege. An non pulchrę rationes? an non fortis athleta gladio domini strennue utit? Hæc aũt sunt Apostoli Germanorum Lutheri fundamenta, qui lux mundi, qui propheta, de quo dubium est, Helias ne sit an Daniel, talem enim sui eum asseclæ faciunt. Atq; de se ipse, pro tumido, arrogãti ac ambicioso spiritu suo gloriatur, & scribere non ueret, q̃ e cœlo deus eum demiserit, q̃ in se deus loquatur, & reuelationem dei habeat, Quasi uero in hoc immundo apostatico uase habitare possit diuinus ille spiritus, Et nisi me mea opinio fallit, pro elato animo lasciuus apostata persuadere nobis uellet se prophetam esse, et fortasse etiam dei filiũ cœlitus demissum. Ego uero illi assentior, eius patrem satanam esse, quem saluator noster uiderit sicut fulgur de cœlo cadentem. Sed uideamus q̃ solidis argumentis impijssimam de absoluta necessitate opinionem polyhistor ille fundauerit.

Quanti seipsum faciat Lutherus uide.

Luc. 10.

I. Esaiam prophetam primo inducit. O cultum interpretem, quod non uideat, prophetam de simulachris fictilibus & sculptilibus loquentem, Quod e textu perspicuum est, nam sic propheta loquitur ad Idola: Annunciate quæ futura sunt in futuris, & sciemus quia dij estis uos, Beneq; et male si potestis facite. Et mox propheta subiungit: Ecce uos estis ex nihilo, et opus uestrum ex eo quod nõ est, abominatio est, qui elegit uos. Et quis non uidet hic prophetam, non de homine, sed idolis esse locutum, & hunc Rabbi in Israël egregie esse deceptum? Qui si Hieronymi barbati illius patris, commentaria non tam inuerecunde spreuisset, ilico Esaiam non de homine, sed Idolo loquentem intellexisset. Fallit porro

Responsio ad eius rationes.

Esa. 41.

II. et illud ex Matthęo adductũ, De folio, n. nihil scriptum cõperio, de passere comperio dominum sic locutũ: Nonne duo passeres asse ueneũt? Et unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro. Vnde ille Thraso miles gloriosus repente folium fecit, quod equidem mihi facere nunq̃ ille permitteret, Nam in illius ore frequentissimum est, nihil addendum, nihil minuendum esse, & ipse hac in parte tam pugnantem articulum, euertentem religionis nostræ partem maiorem, probare molitur per ea quæ a domino dicta non sunt, folij enim nunquam meminit Christus. Si itaque sic quod cuiq; libitum fuerit, Euangelio affingere licitum est, actum reuera de Euangelio erit, cuius autoritas & fides alioqui multa ex parte apud Lutheranos cecidit & collapsa est.

Matth. 10.
Luc. 12.

III. Quod ad poëtam attinet, miror etiam hominis impudentiam, quod Hieronymum sex linguarum peritia pręditum, Augustinum tot scriptis uoluminibus præstantẽ, Os Chrysostomum uere aureum, Cyprianum antiquissimum Christi martyrem, & omnino omnes Christianæ religionis doctores ad cõfirmandam faciendamq; fidem minus graues & idoneos Lutherus iudicauit, Et in primis urgẽtem aduersus religionem nostram locum fere ignoti poëtę autoritate muniuit, cum cęteri poëtę oẽs, ut Vergilius, Ouidius, Persius, ut etiam lasciui illi, Tibullus, Catullus, Properti-

Poetæ quoq; negant absolutam necessitatem.

Propertiusq; idem ferre nõ potuerunt, utpote qui Iouem Musasq; semper implorabãt. Inde: multos da Iuppiter annos, Musa mihi causas memora &c. Quibus deprehenditur, & in aperto est, etiam poëtas, quamuis fidem Christi nescientes, absolutam necessitatem dominam, & magistram actuum nostrorum neutiquam posuisse, id quod alio in libro ostendi copiose.

Quid multa? Si omnia necessitate quadam fieri uerum esset, nihil aliud nobis prius faciendum foret, quam ut utrumq; testamentum laniemus. Quid enim nobis præcepta, quid duæ tabulæ decalogi prodesrunt, si necessitate quadam ineuitabili ad furta, rapinas, mendacia, homicidia, et scelera homo rapiatur, neque prohiberi ab eiusmodi possit? Sane iniustus iudex Deus foret, si puniret eum quem id facere necessario sciret. Ita excusationem haberent etiam iustissimam, Cain, Nemroth, Dauid, Holophernes, & reliqui omnes, utroq; in testamento, qui ob malefacta, iusto iudicio Dei dignas luere pœnas. Vitia insuper & perpetrata scelera, etiã ipsi Sodomitę, & qui Idolo Moloch sacrificauerunt, ad Lutheri Euangelicã doctrinã subterfugere ac euitare nõ potuissent. Quã absurda sequũtur ex necessitate absoluta. Gene. 19 3. Regũ 11. Hiere. 32 Acto. 7

Si dominus Deus porro iustus non est, etiam misericors indigne dicetur, ac etiam omnia quæ ab orbe condito ad hanc diem euenere, ita fieri necesse fuisset. Hic omnia consilia concidunt, cessant orationes, presbyterorum, ecclesię, omnium deniq; populorum, nulla prouidẽtia dei, nulla misericordia, bonitas. Quis ergo nisi cęcus, et plane omnis rationis expers, nõ uidebit aut iudicabit, hanc sententiam esse non solum stultam, sed omnium impiissimam? Idcirco cum uiderem hanc assertionem tot tantorumq; malorum causam, faciendum mihi putaui, ut proprium super hoc librum conscriberem, idq; ea inuentione peregi, ut non sit in utroq; testamẽto caput aliquod utcunq; breue, ex quo ego non aliquid desumpserim, quod huic tam horrendæ contrarietur sententiæ. Sumq; & constanter persto in ea sententia, si eo rem Christianam delabi sinemus, ut cuiuis dicere dolereq; liceat, quemadmodum & sæculo nostro Lutherani inter pocula bene poti crebro dicere & affirmare soliti sint: Si ego ad salutem sum prædestinatus, saluus ero: Sin damnandus sum, necesse est me damnari, nihil me eripere potest: si probus manere debeo, probus etiam inuitus manebo, Frustra itaq; Dei imploro auxilium, in cassum ieiuno, uanæ sunt orationes, & absq; fructu cuncta quæ faciam bona. O bella res, pulchra & Euangelica doctrina, qua itur ad astra, si ita fieri necessum est. Nescio equidem ego cur tanta cura parẽtibus, amicis, pædagogis, magistris educandorum liberorum suscipiẽda sit, ad cultum dei, ad uirtutem, ad honestatem in omni uita tuẽdã, Nulla demum iudicia, nulla tribunalia subsistent, nullum ius erit amplius, neq; pro tribunali sedẽdum foret, Satis enim excusationis quoduis habet scelus aut uitium, cum ita absoluta & ineuitabili necessitate compulsos nos facinus fecisse ostendimus. Sileant itaq; omnes legistarum scholæ, Igni & incendio perdantur tot Prætorum Consulumq; & Imperatorum leges, re-

Liber D. Ioan. Fab. contra necessitatẽ absolutam.

Aliæ rursus absurditates ex eodem errore.

sponsa prudentum & plebiscita, policiæq; clarissimarum ciuitatum in Germania & ubiq; locorum funditus abdicentur. Nam in his quinque uerbis, omnia ex absoluta necessitate eueniunt, pēdent lex & prophetæ, Hæc sunt illa quinq; uerba apostoli Pauli, si dijs placet, quę commemorabat olim Corinthijs. Isti sunt illi quinq; limpidissimi lapides, quos Dauid ille de torrente elegit, quorum primo frontem illius superbi Goliad, spurij Philistæi percussit.

Quinq; uerba huius dogmatis omnia subuertūt. 1.Cor.14 1.Regū 17.

Dicunt illi, Paulus ait: Necesse est, ut hæreses fiant, ut hij qui probati sunt manifesti fiant, & dominus ait: Necesse est ut scandala ueniant. Est ita uerum ut illi perditissimi docent, quando ob unoquoq; utcunq; imperito, et impio homine etiā plane fatuo, propria fides, propria opinio suscipitur, & hoc pacto necesse est hæreses & scandala oriri. Si multi Lutheri, multi Carolstadij, Zuinglij, & id genus sedíciosorū hominū oriantur, abesse nō poterit quin scandala etiā innumera fient, Sed antequam illi capita erexissent, tot ac tantarum hæresum monstra & scandala uisa non sunt. Non ergo necessitas, sed hominum peruersorum temeritas ac malicia in caussa est, Vt autem ista fiant, non uult ille deus noster.

Obiectio Lutheran. 1.Cor.11 Matth.18 Lucæ 17. Respōsio.

Est enim ipse idem ille deus, qui non uult iniquitatem, Inde Psalm.v. Mane astabo tibi & uidebo, quoniam non deus uolens iniquitatem tu es, Neq; qui operantur iniquitatem, in uijs eius ambulauerunt, quin potius illos odit qui operantur iniquitatem, iustus enim & rectus est dominus iustitiasq; dilexit, mandauit etiam ille mandata sua custodiri nimis, cui & ille idē propheta ingenue fatetur: Nō habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur dominus, Quin etiā prohibet, Estque uoluntas una illi sancta, quam Paulus beneplacitam uolūtatem nominat, in eo sibi complacitum est, cum eum nos sequimur, eius mandata tuemur, unde beneplacitum est domino super omnes timentes eum. Contra grauiter fert sua mandata uiolari ac contemni, Quando itaque homo contra, & uoluntatem ipsius, & mandata impie peccat, dubium non est quin irascatur, ac plagas Ægypti, aliundeq; alias immittit.

Deus non uult neq; operatur iniquitatē. Psal.118. Psalm.5 Roma.12 Psalm.146

Et cum Iudas super omnem benignitatem qua est communiter cum alijs Apostolis affectus, missus ad predicandum uerbum, ad ędenda miracula, dñi admonitionem obduratis auribus non accepit, respōsum in domo Simonis non expendit, tantis miraculis Christi non commotus fuit, amicam interrogationē, quum in hortum uenisset, non recepit, sed triginta denariorum mercede inductus, dominum suum osculo prodere non dubitauit: hinc scandalum extitit, non quod Christus, sed quod Iudæ inexplebilis auaricia & iniquitas fuit in culpa, Non est ergo (quod illi falso imaginantur) uoluntatem patris esse, q furentur, mœchantur, ac pessima quæq; agant & perpetrent.

Peccatum Iudæ non ex uoluntate Dei, sed ex propria malicia fuit. Matth.26. Marci 14. Ibidem. Matth.26.

Sed ita se res & ueritas habet, ut sequentes scripturę declarant. Eph.v Scitote q omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est Idolorum serui

rum seruitus)non habet hæreditatē in regno Christi & dei, Fructus lu- cis est in omni bonitate & iustitia, & ueritate, probantes, quid sit bene- placitū deo. Deus enim rectus et iustus est, et non est iniquitas in eo, ne- que hi qui operantur iniquitatem, in uijs eius ambulauerunt. Et Deute. xxv. Abominatur dominus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Videte itaq; fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimētes tempus, quoniam dies mali sunt, propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit uoluntas dei. i. ad Thessa. iiij. Et hæc est uoluntas dei, sanctificatio uestra, ut absti neatis uos a fornicatione, ut sciat unusquisq; uestrum uas suum posside- re in sanctificatione & honore, non in passione desyderij, sicut & gentes quæ ignorant deum. Et in eadem epistola cap. v. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim uoluntas dei in Christo Iesu in omnibus uobis. i. Pet. ij. Hęc est uoluntas dei, ut obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Deus uult bonum, odit uero malum. Psal. 90. Psal. 118. Ephe. 5.

Hæc est illa sancta & placens dei uoluntas, non ea quę ante biennium in quibusdam locis præualuit, in quibus protritum erat, uoluntatem pa tris esse, qua impudenter pater cum filia, filius cum matre, frater cum so- rore sese cynicorum more commiscuerunt. Ad hæc enim nefanda scele- ra Lutherismus ualet. Benefacere autem, seruare deniq; præcepta dei, hæc illa uera uoluntas dei, quam si quis præstiterit, promissionem dei accipiet, non uapulabit plagis multis. Et hanc si quis plene exacteq; (ut Christianus omnis tenetur)perfecerit, ille stabit ut Marpesia cautes, non mouebitur in sæculum sæculi, sed manebit in æternū. i. Ioan. ij. Et quicunq; hanc uoluntatem patris fecerit, ille est qui intrabit in regnum coelorum. Recte ergo si feceris, in posterum ab hac impia & irreligiosa assertione te liberaueris & excusseris.

Scelera in uoluntatē dei referri nō debent. Matth. 19. Luc. 12. Mat. 7. 25.

De Libero Arbitrio CAP. XIIII.

D. BALTHASAR.

HINC ARBITROR factum esse, id quod consequitur, ut qui- dam liberum in homine arbitrium negarent.

D. FABRI. Vt hęresis etiam illa, quę cum Prosper ille Re ginus Episcopus uiueret, a Gallis defensa est, renouaretur, hanc ab infe- ris Lutherus euexit, ne quicquam errorum ullibi obsopitum maneret. Quum scilicet ipse totidem uerbis expressum liberum arbitrium in bi- blijs non inueniret, liberum arbitrium noluit credere.

Hęc heresis a B. Prospere reprobata

D. BALTHASAR. Hanc opinionē nunq̄ relegi, plurima em̄ contra quę faceret, reperi. Ideoq; ueterū doctorū interpretatione contentus fui. Sed quib. locis putas cōstantissime firmissimeq; liberū arbitriū defendi?

D. FABRI. Inter gratiam diuinam & liberū arbitrium decernere, sane lubricus locus est. Est enim periculum ne uel in Manichæorum uel Pelagianorum damnatas hæreses prolabamur.

Atque in ueteri testamento dicto illo plerunq; nixus sum, ex quinto libro Mosi cap. xxx. ubi inquit dominus; mandatū hoc quod ego præ- cipio tibi

Clarissimus locus pro libero arbitrio ex Deutero.

cipio tibi hodie, nō supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: quis nostrū ualet ad cœlum ascēdere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atq; opere cōpleamus? neq; trans mare positū, ut causeris & dicas: quis e nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo ualde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Consydera ꝙ hodie proposuerim in conspectu tuo uitam & bonum, & e contrario mortem & malum, ut diligas dominum deum tuum, et ambules in uijs eius, & custodias mandata illius & ceremonias atq; iudicia, et uiuas, atq; multiplicet te, benedicatq; tibi in terra, ad quā ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum, & nolueris audire, atq; errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis, prędico tibi hodie ꝙ pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cœlum & terram, ꝙ proposuerim uobis uitam & bonum, benedictionē & maledictionem. Elige ergo uitam, ut & tu uiuas, & semen tuum. Quod igitur electio sit in potestate hominis, quem proinde liberum arbitrium habere necesse est, ex hoc etiam fundamento ueteres interpretes scripturæ affirmauerunt, Primo cap. Ioannis ubi Euangelista ait: In propria uenit, et sui eum non receperunt, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, Et sui non receperūt eum, Semper liberū statuerunt arbitrium hic sacri doctores. Est insuper in libris Mosi & prophetarum sæpe frequentatum illud, si audieritis, quando obedieritis & c̄. ut Esaię cap. i. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: Si uero non audieritis, deuorabit uos gladius. Condicionalem hanc propositionem dialectici uocant, quæ & liberum arbitrium firmat.

Alia testimonia scripturæ pro lib. arbitr.

Loca ex Euangelistis p lib. arbitrio.

D. BALTHASAR. Eiusmodi ad populum dicta plurima esse non me latet. Sed studeo audire ex Euangelio.

D. FABRI. Agedum talentum mihi concreditum hic quidem sudariolo non inuoluam. Dicit dominus Iesus: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, Qui eñ uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Vocat multos dominus, Sunt qui sequuntur, ut Matthæus de thelonio. Sunt qui sero ueniunt in uineam. Sunt qui discedant mœsti, cum omnia uendere eius dominus pręcepit. Sunt qui inuiti se excusant, ꝙ nequeāt uenire, quia alius uillam emerit, alius uxorem duxerit. Sunt qui patrem uocati ante sepulturæ commendare cupiant. Aliqui ilico aduolant, patrem, nauem, retia, pisces, & in summa omnia deserentes, quæ omnia argumenta sunt liberi arbitrij. Dominus uocat omnes peccatores, Marci ix. Acclamat, omnes homines ad se ut ueniant, suscipiant iugum suum, onus suū. Quod autem pauci ueniunt, omnibus uocatis, non Christi culpa est, sed eorum qui uocati non audiunt, audientes, sequi nolunt. Matth. xvij. Dico uobis, quia Helias iam uenit, & non cognouerunt eum, & fecerunt in eum quæcunq; uoluerunt. Matth. xvij. Seruus debitum conseruo suo remittere non

I. Mat.16. Luc.9. II. Mat.9. Mat.20. III. IIII. V. Mat.19 Luc.18. Luc.14. VI. Mat.8 Luc.9. VII. VIII. Matth. 4. Mar.1. IX. Mat.9 X.

tere non uoluit, cum multa ei dominus remisisset. Matth. xxi. cap. Duo xi.
sunt filij, unus negat se in uineam iturum, uadit tamen: alter promittit, et xii.
restitit. Matth. xxij. Rex quidam ad nuptias aliquos conuocauit, & ue- xiii.
nire recusarunt. Ideoq; super Hierusalem (Matth. xxiij.) plorauit domi- xiiii.
nus dicens: Hierusalem Hierusalem, quae occidis prophetas, & lapidas
eos, qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemad-
modū gallina cōgregat pullos suos sub alas, et noluisti? Matth. xxv. Vbi xv.
diuisa talenta scriptura docet, Nunquid in seruorum potestate non fuit,
per gratiam aliquid aut nihil, multum aut parum compendij ex com-
misso talēto lucrari? Matth. xxvi. Per diem solennem consueuerat pręses xvi.
populo dimittere e uinctis unum quem uoluissent. Et dixit illis Pilatus:
Quem uultis dimittam uobis, Barrabam an Iesum q uocatur Christus?
Marci. vi. Herodes filiae saltanti proponit in haec uerba: pete ex me quid xvii.
uis & dabo tibi. Vrgens praeterea locus est Marci. xiiij. Pauperes sem- xviii.
per habebitis uobiscū, quibus si uultis potestis benefacere. Hunc locum
saepe Lutheranis obieci, atq; nemo mihi unquam constanter respondit.
Hic enim pauperes uideo sedentes inopes, clamāt illi ad stipem, ut elee-
mosynam illis aliquam impartiar, in me situm est, per gratiam dei eis
benigne facere, aut pręterire, non secus quam diues ille Lazarum in do- Lucae.16.
mo praeterijt ac neglexit. Et hoc est quod Iacobus in sua Canonica fe-
re toto capite secundo his uerbis agit: Si introierit in cōuentum uestrum
uir aureum annulum habens in ueste candida, introierit autem & pau-
per in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est ueste praecla-
ra, & dixeritis ei: tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut
sede sub scabello pedum meorū, Nonne iudicatis apud uosmetipsos, &
facti estis iudices cogitationum iniquarum? Et sequitur: quid proderit
fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat? Nun-
quid poterit fides saluare eum? Si aūt frater & soror nudi sunt, & indi-
gēt uictu quotidiano, dicat autem aliquis ex uobis illis: ite in pace, calefa
ciemini & saturamini, non dederis autem eis quae necessaria sunt corpo-
ri, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semet- xix.
ipsa. Ioan. iij. Testimonium eius nemo accipit, qui autem acceperit eius
testimonium, signatur, quia deus uerax est. Ioan. v. Non uultis uenire ad xx.
me, ut uitam habeatis. Ioan. viij. Vos ex parte diabolo estis, & desyderia xxi.
patris uestri uultis facere. Ioan. xvi. Quaecunq; petieritis patrem in nomi xxii.
ne meo, dabit uobis. Paulus ostendit nos esse cooperarios dei. Ita deus 1. Cor. 3.
cum apostolis est operatus, ut in Marco scriptum, Si igitur cooperato- Nos esse
res sumus, aliquid faciamus oportet. Nō raro est in scriptura, deum esse coopera-
adiutorem nostrum, Si itaq; adiutor est, nos enim ad eum, cum aliquid tores dei. Marci 16
facere paramus, cum Dauide clamamus: Deus in adiutorium meum in- Psalm. 69.
tende & festina ut me adiuues, Dicunt aduersae factionis homines: Nisi Obiectio
dominus aedificauerit domum, inuanum laborant qui aedificant eam, Et partis ad-
nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. uersae.

Aedificat deus, idq; fatemur omnes, nihilo tamen minus architectos, Psalm. 126. Respōsio

3.Regū.5. operariosq; conducimus, ut Salomon per septem annos perpetuos, in-
Cantic.3 finitæ multitudinis architectos habuisse in libris regnorum legimus in
ædificatione templi. Vigiles denicq; pro muris constituimus, ut in canti-
Acto.17 co canticorum. Verum quoniam dominus est omnia in omnibus, do-
1.Cor.15. minus dominantiū, in eo nos sumus, uiuimus, mouemur, et sine ipso fa
Ioan.1. ctum est nihil, omnia præcipue deo attribuere nos æquum est, idq; est
Lucæ 17 quod Euangelium docet: Si feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis,
Lucæ 18 dicite, serui sumus inutiles, non quod nihil faciamus eorum, quæ seruo-
Rom.8 rum sunt, sed ne de factis nostris gloriemur, ut Pharisæus ille in templo,
De operibus nostris reddē da est nobis ratio. sed dicamus cum diuo Paulo: Existimo quod non sint condignæ passi-
ones ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Et si nihil quisquam
facit, quomodo exprobrat nobis Christus, q̄ pauperes non aluimus,
Matth.25. non uestiuimus? &c. Quam uillicationis nostræ rationē exiget omnium
Lucæ 16. eorum, ut Paulus ait, quæ in uita egerimus, bonorū ac malorum? quo-
Rom.14 modo his qui bona egerunt uita æterna, qui mala, æterna supplicia sunt
2.Cor.5 proposita? Quid predicat dn̄s de octo gradibus beatitudinis in monte?
Ioan.5 Nam quomodo pauperum est regnum cœlorum, mansueti possidebūt
Matth.5 terram, pacifici filij dei uocabuntur &c. si pauperes, si mansueti, si paci-
Psalm.61 fici esse nequeant? Et de illis quō concludit, Gaudete & exultate, quo-
Liber D. Fabri de fide et operibus. niam merces uestra copiosa est in cœlis? Vana erunt illa Pauli i.Cor.iij.
Quisq; recipiet propriā mercedem, iuxta opus suum. Quod item Mat.
xvi. et regius Cytharœdus expressum reliquerunt: Dabit unicuiq; secun
I. dū opera eius. De his plura in libro de fide & bonis operibus. Sed alia
II. producamus, & ex Paulo ad Corinth. Si uolens hoc ago, mercedem ha
Loca ex Paulo, pro lib. arbit. beo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Et in altera ad eosdem
epistola, consilium in hoc do, hoc enim uobis utile est, qui non solum
1.Cor.9 facere, sed & uelle cœpistis ab anno priore. Nunc uero & facto perfici-
2.Cor.8 te, ut quemadmodum promptus est animus uoluntatis, ita sit & perfici-
III. endi, ex eo quod habetis. Quæ uerba perspicue liberum arbitrium pro-
IIII. bant. Quemadmodum etiam i. Corinth. vij. Si quis turpem se uideri
2.Cor.7. existimat super uirgine sua, q̄ sit superadulta, & ita oportet fieri, quod
Alia plera que loca p lib. arbit. uult faciat, non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo seruare uir
ginem suam, bene facit, Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam
I. bene facit, & qui non iungit melius facit. Sic de Tito scribit, q̄ sua spon-
II. te ad Corinth. profectus sit.
Matth.7 ¶ Et quid multis? litera Pythagoræ, Herculis biuium, uirtutis scilicet
Gen.13.24 et uoluptatis, uia angusta ad uitam quæ ducit, & lata quę ad interitum,
III. uia ad dexteram, & ad leuam, in quinq; libris Mosi omnibus locis libe-
Nume.20 rum arbitrium clamant. Hoc esse arbitror quod legitur, hominē factum
Deut.28
Gene.1. esse ad dei imaginem. Adam et Euam de uetita arbore fructum non de-
IIII. bere decerpere, alioqui morte essent morituri. Et non frustra ad Cain
Ibidem. dominus ait: Cur iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene ege
V. ris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum ipsum aderit.
Gene.4 Nostra item in potestate positum est permanere in ciuitate aut fugere
Hiere.38 ad Chal-

ad Chaldæos. Possumus gratia dei suscipere solicitudines Marthæ, aut VI.
sedere ad pedes domini, et acquiescere in uerbo quod audimus nos me- Luc. 10.
liorem partem delegisse. Quod autem quidam negant nos delectum ha VII.
bere, miror quod asinum non agnoscere uolunt in biuio. Paulus res du Philip. 1.
as habuit propositas, utpote desyderium habens dissolui & esse cum
Christo, multo magis melius, permanere autẽ in carne necessarium pro- VIII.
pter uos, ad Philippenses ait. Vtrum uero eligeret ignorat. Ad Phile- Ad Phile.
monem testatur, se absq; illius consilio nihil facere uoluisse, cum tamen
potuerit. Quæ omnia uerissima sunt liberi arbitrij indicia. Dicunt Alia obiectio.
præterea illi, in manu figuli est e massa argillæ uel luti fingere uas & ho-
noris & contumeliæ. Est igitur totum quod sumus, quod erimus, ea eti Rom. 9.
am quæ facimus, in uoluntate dei, non nostra situm. Respondeo: Humi
litatis nostrę est, totum quod sumus adscribere deo, ex quo cuncta pro- Solutio.
cedunt. Et ita Chrysostomus longis uerbis grauibusq; sententijs rem Chrysost.
hanc expendit. Et ipsa catholica ueritate profiteor in uite, quæ Christus Sine gratia dei nihil possumus boni.
est, nobis semper esse manendum, & si nos palmites in uitæ non mãseri-
mus, in uindemia, quæ defecata erit, nullum fructum dabimus, Imo cum
sterili & infoecunda illa in Euãgelio ficu maledictioni subijciemur. Chri
stus lux est, quam quidem populus qui ambulat in tenebris, qui & sede- Ioan. 15.
bat in regione umbræ mortis, uidit, Extra hanc nulli erimus. Vbi enim Marc. 11. Luc. 13.
hæc lux non affulserit, tenebrę sunt super faciem abyssi, & non modo in Luc. 1.
Ægypto, sed etiam apud Israëlitas, Imo in uniuerso mundo, id est, cum Esa. 9.
gratia uolumus & possumus, ea nos trahit, ea ianuã cordis pulsat, Sit ne
qui aperiat, qui admittat, sitq; perinde ut sol suo splendore, suisq; radijs Apo. 3.
in tenebris sedẽtem uisitet, qui dum obicem non opponat, aut opposi-
tum abijciat, iam lumine gaudet. Et uerum est quod Paulus scribit ad 2. Tim. 2.
Timot. & dicit: In magna domo nõ solum sunt uasa aurea & argentea,
sed & lignea & fictilia, & quędam in honorẽ, quędam in contumeliam.
Si quis ergo se emundauerit ab istis, erit uas in honorem sanctificatum
& utile, ad omne opus bonum paratum. Ecce ut dies diei eructat uer-
bum, & scriptura scripturam declarat. Et Paulus ea quę in hanc rem sub Psal. 18.
absconditis mysterijs ad Romanos enarrauerat, pulchre per hæc uerba: Scriptura scripturã declarat.
si quis se emundauerit: declarat.

Et hic nota uerbum supra mysterium, si quis se emundauerit. Verum Rom. 9.
enim est, deum abluere, & rogamus cum Dauide: Laua me domine de 2. Tim. 2.
iniquitatibus meis. Attamen dominus exercituum alibi dicit: Munda Deus emũdat & homo.
ab iniquitate cor tuum. Dicit porro: conuertimini ad me, & ego con-
uertar ad uos: appropinquate mihi, & ego appropinquabo ad uos. Ho Psal. 50.
rum similes sunt in scriptura innumeri loci, qui omnes homini liberum Hiere. 4.
arbitrium tribuunt, quo bonum homini melius a DEO tributum Zacha. 1.
negant.

De Genitrice dei Maria, & filio eius, uero Deo. CAP. XV.

D. Baltha-

D. BALTHASAR.



SI TIBI VIDETVR, de aliis articulis etiã sermonẽ instituamus.

Quanta sectarum uarietas. D. FABRI. Tot sectarum infoelicissima monstra ac uarios colores, magis quã Leopardi alicuius, peperistis breui tempore, ut etiam facile uidere non ualeam, cuius hęreseos caput primo contundendum fuerit, Et mille Hercules non sufficerent, ad tot hydras, tot Cacos, & alia monstra perdenda.

Nestorij hæresis de S. Maria uirgine. Sed nos inde initium faciamus, quod Nestorius mille ante annos agitauit, Mariam intemeratam dei Genitricem Theotocon non esse, id est Genitricem dei, Quam sane impietatem & blasphemiam noui uituperatores matris Mariæ faucibus Cerbereis uirulenter renouarunt & disseminauerunt, Turcis crudelibus sceleratiores et Mahumeticę perfidię sectatoribus, qui ex Alcharano multa de Maria illiusq; laude et sanctimonia obseruant.

Hæresis hęresim parit. Si igitur probanda mihi est opinio seu potius assertio mea, Mariam scilicet uirginem Genitricẽ dei fuisse, usu uenit mihi, quod Herculi cum hydra, ut reciso uno errore, plures emergant. Quare si Mariam Theotocon ostendere uoluero, ostendam ante oportet, Iesum Christum filium dei esse, De hac enim re acris inter uos Nicolspurgensis conciliabuli rabulas, habita est disputatio.

Nicolspurgense Cõciliabulũ.

Sceleratissima opinio contra Christum, q non sit deus. Serpsitq; hæc impijssima opinio per gregem nostrum longius q̃ par erat, qui alioqui Euangelio medium unguem porrigũt, etiam ipsi Christo, neq; aliam religionem agnoscunt, nisi ut sacra prophanent, sacerdotum bona rapiant, & sacrilegis manibus inuadant, omne genus rituum ac cęremoniarum irrideant. Miseratione dignum est tamen, tam paucorum hominum impia peruicatia, impudẽtibus nefarijsq; erroribus Germanum nomen apud externas nationes tantam ignominiam accepisse, ut dicamur truculentissima Turcarum natione de Christo peius sentire, Idq; ita esse ex Alchorano eorum elucescit. Maior penes Iudæos fides est quam penes Christianorũ quorundam Ecclesiam, Atq; utinam non innumeri hodie gentilitio errore forent pingues porci, Epicurei, Sardanapali, Nabales, Anaxagoræ, impij, athei, nullum deum esse putantes. Sed dabit deus his quoq; finem.

Infamia Germanię

Athei & Epicurei hodie multi.

Christum uere filiũ dei esse. Iam ex ordine firmabimus id quod negare cœperant multi, noua dæmoniorũ doctrina seducti scilicet, Iesum Christum uere filium dei esse.
Mat..3.17. Id autem primo omnium patris uox ostendit ad Iordanem, & in mon-
I. te Thabor: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Nulli præterea
II. angelorum dixit: Tu es filius meus, ego hodie genui te, ut Paulus ad He-
III. bræos scripsit. Et non modo pater, uerum etiam dæmones Christum
Hebr. 1. filium dei confessi sunt. Mar. v. Homo immundi spiritus in monumen-
IIII. tis domicilium habens, uidens Iesum a longe, cucurrit & adorauit, cla-
V. mans uoce magna: quid mihi & tibi Iesu fili dei altissimi? Mat. xiiij. Qui in nauicula uenerant, adorauerunt eum dicentes: uere tu filius dei es.
VI. Matth. xvi. Petrus non ex carne & sanguine, sed reuelatione patris confitetur,

fitetur,& hisce uerbis domino respondet: Tu es Christus filius dei uiui.
Et hic ipse Mat. xxvij. haud grauatim audiuit uoces clamantium Osan- VII.
na filio Dauid,Benedictus qui uenit in nomine domini. Atq; ibidem Iu VIII.
dæis uerbum faciens,parabolam inducit de patrefamilias, qui ad agrico
las filium proprium destinarit,quem & illi occiderant, qua parabola pa
trem cœlestem, & se filium denotare uoluit. Matth. xxvij. Vere filius
dei erat iste. Et archangelus Gabriel: filius altissimi uocabitur, & quod IX.
ex te nascetur sanctum uocabitur filius dei. Lucas deniq; concludit ge- X.
nealogiam Christi,quod fuerit filius dei. Simeon uir ille in timore dei Lucæ 3
multa religionis obseruantia uiuens, responsum tulit, se non uisurum XI. Ibidem. 2
mortem priusquam uideret Christum domini,id est filium dei. Ioan. ca. XII.
iij.Sic deus dilexit mundum,ut filium suum unigenitum daret,ut omnis
qui credit in eum,non pereat,sed habeat uitam æternam.Non enim mi-
sit deus filium suum in mundũ,ut iudicet mundum, sed ut saluetur mun-
dus per ipsum, Qui credit in eum nõ iudicatur,qui autem nõ credit,iam
iudicatus est,quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Et Martha il- XIII.
la solicita,confidenter ait:Ego credidi, quia tu es Christus filius dei uiui, Ioan.11
qui in hunc mundum uenisti. Ex his ordine adductis scripturæ locis ali-
isq; planissimum fieri uides, Christum filium dei esse.

Restat modo ut doceam etiam,Christum uerum deum esse, Quoni- Christum esse uerũ Deum.
am omnes prophetię hunc Deum denotant ac predicãt, Ideoq; in Esaia
ac Matthæo,Emmanuel dicitur,quod interpretatur nobiscum deus.Et I. Esaię 7
Zaccharias:Et tu puer propheta altissimi uocaberis,pręibis enĩ ante fa- Matth.1
ciẽ domini parare uias eius.Atq; is est seruator,a deo egressus,Propter- II.Lucæ 2.
ea Ioannes ita scribit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud III.Ioan.1.
deum,& deus erat uerbum, Verbum caro factum est, Ideoq; Christus
deus & homo.Ioan.v.Quęrunt etiam Iudæi ut interimeretur, non tan- IIII.
tum propter sabbati uiolatas ferias, sed quod patrem suum Deum pre-
dicaret,seq; Deo ęqualem faceret.Ioan. viij. Dicebant ei Iudæi:Tu quis V.
es?Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor uobis. Ioan. xx. Thomas VI.
ait:Dominus meus & deus meus. Paulus ad Rom.ix. Quorum patres VII.
ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia deus be-
nedictus in secula,Amen. Hæc adducta scripturæ dicta constantissime
clamant, Iesum Christum Messiam, & dei filium unicum & deum esse.
Et quemadmodum Paulus ad Colos.i.In ipso complacuit omnem ple VIII.
nitudinem diuinitatis inhabitare.

Consequitur necessario, quoniam Maria conceptum ex spiritu san- Maria Theotocos recte uocatur.
cto partum ędidit uirgo, materq; toties adpellata est domini,Iesu eam
etiam Theotocon esse, id est matrem dei. Ad hanc referuntur uaticinia I.
Esaiæ:Ecce uirgo concipiet & pariet filium.Quo etiam angelus Gabriel II.Esaiæ 7
in annũcianda salute respexisse uidetur.Consonaq; sunt illa Matth.cum Lucæ.1. III.
xiiij. membris Genealogiæ Christi ternario enumeratis concludit: Ex Matth.1.
qua natus est Iesus, qui uocatur Christus. Et de qua angelus ad Ioseph: IIII.
Surge & accipe puerum & matrem eius,puer autem erat a Magis ado- Matth.2
ratus,

1.Tim.6 V.Apo.9 Ioan.2 VI.Luc.2 VII. Ioan.19. VIII. Acto.1. IX. X.Eze.44 Lucæ 2.

ratus, ut rex regum & dominus dominantium, Illicq; ex thesauris regijs aurum oblatum fuerat. Hæc illa ipsa mater est, quæ in Cana Galilææ nuptijs solennibus uino desyderato dominum adpellauit. Hæc mater dominum solicite inquirens in templo tandem reperit. Hæc sabbato sub cruce luctu lachrymisq; repleta astitit. Hæc illa mater, de qua sic legitur: Stabat ad crucem mater Iesu. Quæ & in Hierusalem cum credentibus erat in cœnaculo. Hæc est illa pientissima mater, quæ uirgo & perpetuo clausa porta fuit, per quam dominus transiuit, sub lege natus, quæ dominum ad templum tempore purificationis adduxit, ad quam Simeon, tuam ipsius animam pertransibit gladius. Hic porro ille puer matris benedictæ, de quo Esaias cap. ix. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, Et factus est principatus eius super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis, pater futuri sęculi, princeps pacis, & ut summatim perstringam, hic ille est Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum deus.

Matth.1 Cõclusio. contra uituperatores Marię.

Ex his, alijsq; propemodum infinitis scripturæ locis conuincitur, Nestorianos, Lutheranos, Anabaptistas, aliosq; hæreticos, Mariæ flagitiosos uituperatores, Antidicomaritas & hostes, blasphema somnia impie non modo aduersus dei matrem, sed etiam aduersus ipsum deum indigne commouisse. Quocirca in hoc laudandus es, qui Hutto impio nebuloni iam pridem in Augusta Vindelica carceri mancipato, in faciem restiteris.

Huttus nebulo.

Sed age ne & tu quoq;, ut non pauci nostro sęculo, Heluidianus sis, qui a partu uirginem matrem dei permansisse neges.

De perpetua uirginitate Mariæ. CAP. XVI.

DOCTOR BALTHASAR.



MARIAM equidem semper laudibus uexi, quoniam omnia credidit, quæ de domino ei dicta sunt. Ego credo eam uirginem ante, in, & post partum, permansisse.

Expressis uerbis in Euãgelio non reperitur Theotocos aut post partũ perpetua uirgo.

D. FABRI. Quod ita credis, Christiano homine dignum facis, atq; simili ratione ut ex Euangelio certis & id græcis exprimentibus uerbis Theotocos Maria probari non potest, etiamsi miretur Elisabet, unde illi hoc quod ueniat mater domini ad se, sed ex Euãgelij serie ita expressis uerbis eam a partu uirginem mansisse confirmare non possumus.

Esaiæ.7. Aalma seu Haalma.

Ante autem & in partu, in dubium Christianis non uenit, intemerata uirginitate castam fuisse. Sic enim Esaias: Ecce uirgo concipiet & pariet, Et quanquam hic de aalma, siue Haalma matre, uaria inter Iudæos Christianosq; dissentio orta est, & rixa nunquam finienda: ueritas tamen ipsa nos docet, non eam uulgarem extitisse uirginem, sed ita Hebraismo docente occultã absconditamq; esse et haberi merito, ad quam angelus cœlitus missus, ingressus. Quod peperit e spiritu sancto fuit, et ad hunc modũ angelus alloquitur Ioseph uolentem deserere Mariam, coniugẽ suam, ne id faceret, caussamq; adiecit dicens: q̃d ẽm in ea natum est, de spiritu sancto est, pariet autẽ filium, & uocabis nomen eius Iesum,

Lucæ.1. Matth.1

Ipse enim

Ipse enim saluũ faciet populum suũ a peccatis eorum, hæcq; omnia facta sunt (ut inquit Matth.) ut implerent illa uerba ꝓphetę: Ecce uirgo concipiet & pariet filium &c. Hæc perpetua uirginitas ita celebratur ab ecclesia, quod pręuisa sit ab Ezechiele, de porta scilicet occlusa, per quã trãsiuit dominus, hic Hortus clausus, Puteus obsignatus, Rubus flagrans, qui non consumebatur, uirga Aaron quæ una nocte uirebat, florebat, & fructum dedit, Arca fœderis de lignis Sethim, urna aurea in quam manna reconditum fuerat. Perpetua Mariæ uirginitas multifariã præfigurata. Ezech. 44 Canti. 4. Exod. 3. Nume. 17. Gen. 7. Hebr. 9.

D. BALTHASAR. Placent mihi quæ attulisti, atqui ex Euangelio quomodo probare poterimus, eam a partu uirginem permansisse?

D. FABRI. Sequor figuram Ezechielis, sumcq; contentus ecclesiæ fide, idq; omnibus in locis. Euangeliũ Marię uirginitati parcit, Omnẽ a Ioseph suspicionem adimit. Quo fit ut uberiorem probationem non requiram, fide sto, nolo altum sapere. Reperi tamen in Bibliotheca quadam uetusta & bene instructa tractatulum aduersus Heluidium, alium ab eo, quem Hieronymus scripsit, in quo eleganter ille locus tractatur, quomodo Ioanni, quem diligebat, iam iam in cruce moriturus, seruator noster matrem commendauerit, eamq; continuo ipse dilectus Christi discipulus in suam acceperit. Quod si Maria Ioseph aliumue maritum habuisset, iuxta legem fieri non potuisset, ut alij commendaretur, illiusq; curam haberet alius. Tractatus cõtra Heluidium alius ab eo q̃ est Hiero. Ioan. 19.

Sed utcunq; dicatur, sto in fide ecclesiæ, confiteorq; Iesum ex Maria uirgine natum, eamq; ante, in, & post partum, perpetua uirginitate integram & illibatam extitisse, Sentioq; Tertullianũ recte disputasse & obtinuisse, singularem quandam, non ut uulgo sunt, eam fœminam fuisse. Sentio præterea, hanc peccatũ mortale nullum admisisse, Plena ẽm gratiæ fuit, benedicta inter mulieres, quam & benedixit, & beatam predicauit Elizabeth salutata uenientem per montana. Hanc etiam beatam prędicauit muliercula, in populo uocem extollens: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti, Hancq; beatam uaticinantur omnes generationes. Maria super oẽs mulieres singulariter benedicta. Tertullia. Luc. 1. Luc. 11.

De assumptione Mariæ gaudioq; Sanctorum in cœlo CAP. XVII.

ET HIC NIHIL moror nouos rerum omnium nouatores, qui Mariam fœlicẽ, aut in cœlo beatam esse admittere nolunt, cum de illius assumptione in Euangelio nihil contineatur, quasi adhuc alibi in insula uiuorum uiuat, quæ mortua non legatur. Veteribus de assumptione Mariæ credendum est.

Ego uero illis confidenter accedo, quæ pro assumptione ueteres illæ sanctęq; columnę religionis nostrę, Ambrosius et Augustinus fere ante mille ducentos annos scriptitarunt. Iam repente exoritur Lutherus, Vos uestriq; similes temerarij scripturæ turbatores falsarijq; ac nouarũ rerum studio accensi, dicitis, quomodo Lutherus in sermone de diuite & Lazaro docuit, ab eo tempore quo Christus cœlos ascenderit, neq; Opinio de sanctis erronea.

a Mariam

Hæreſis nouа. Mariam neq; martyrem, apoſtolumue quenquam cœlos penetraſſe, negatq; quenq̃ intraturum quoad extremi iudicij dies adfulſerit. Proh facinus, Epiphanius, Philaſter, Auguſtinus, Primaſius, multiq; alij, hæreticorum uaria quidem genera deſcripſere, Huius aũt opinionis ſimilem nõ ante agitatam hęreſim, hęreticorũ unus Lutherus protulit in lucem, qui dormire in incerto loco ſanctos autumat, dubio procul ut in antro ſolet urſus. Sed uide ut ementita regula nihil teneri, nihilue credi oportere aliud, quam quod in Euangelio claris uerbis expreſſum habeatur, quam multiplices ac uarios errores induxerit. Nam aperte expreſſum non inueniunt in Euangelio, quomodo Maria cœlos aſcenderit, quomodo & ubi Petrus & Paulus mortui, quid de reliquis apoſtolis, uno Iacobo excepto, actum ſit, Eſt ne igitur uerũ eos in cœlis non eſſe, aut adhuc uiuos Caſpijs montibus includi, aut in deſerto aliquo errare?

Regula Lutheranorũ falſa.

Pſalm.1. Sed nõ ſic impij non ſic, ſed tanq̃ puluis quẽ proijcit uentus a facie terrę.

D. BALTHASAR. Huic errori nunquam patrocinatus ſum, tamen facile patior ad exercitandum ingeniũ mihi fundamenta refutandæ opinionis huius enumerari.

Lutherani pueris ac ſanctis omnibus cœlum claudunt.

D. FABRI. Veſtræ ſcholæ inaudita nobis monſtra peperere, Pueris eñ paruis, & iam de ſemine Abrahę natis cœlũ occluditis. Lutherus Mariam, Petrum, Paulum, Stephanum, alioſq; dei amicos non intromittit, perinde ac ſi deus Stephano cœlos apertos exhibuerit quidẽ, ſed infidelis, ut nõ intromiſerit, quemadmodum iniuſta nouerca uitrico malum rubeum odioſe oſtẽtat, ſed ſubinde ſubtrahit, Tantaleumq; ſupplicium imitata, nunquam fruendum permittit. Quo circa maledictum illud ad uos pertinet:

Lucæ 11 Væ uobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, & ipſi non introijſtis, & eos qui introeunt, prohibuiſtis.

Loca ſcripturæ de ſanctis in cœlo.

Aſt ego (ut uelle uideris) tibi ſcripturas producam.

I. Ioannis xij. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic erit & miniſter meus. Hij autem ſunt potiſſime ſancti apoſtoli, de quibus et Paulus: Ita nos

1.Cor.4 iudicet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum dei.

II. Ioan.xiiij. Si abiero & præparauero uobis locum, iterum uenio & recipiam uos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & uos ſitis, Iam uero certum eſt, neq; Chriſtianum dubitare oportet, Chriſtum ex hoc mũdo ad patrem cœlos aſcendiſſe, quem totiens ipſe patrem cœleſtem, patrem qui in cœ-

III. lis eſt, adpellat. Neq; putandum eſt, domus patris, uarias ac multas habi-

Ioan.14. tationes ſeu manſiones alijs eſſe definitas, quam ſanctis & amicis dei, Neque eas ſeſquimille annis uacuas fuiſſe ueriſimile eſt. Cœlos Chriſtus

Lucæ ulti. aſcendit, Teſtes ſunt qui uiderũt apoſtoli, Teſtis eſt Stephanus, qui in

Acto.1 cœlo ſtantẽ ad dextrã patris cõtuitus eſt. Aſcẽdit, iuxta prophetiam Da-

Pſalm.67. uid, ſupra cœlũ cœli ad orientẽ, ſecumq; duxit captiuã captiuitatẽ, ac dona dedit hominib. Venit cœlitus de cœlo a patreq; deſcẽdit, & iterũ ad

IIII. cœlos ad patrẽ aſcẽdit. In euãgelio ſcriptũ legimus de latrone, quẽ tñ ni-

Acto.7 hil boni in uita operatũ fuiſſe, ſed pro ſuis ſceleribus ſupplicio iuſto puni-

Lucæ 22 tum Euangelij teſtatur hiſtoria, cum innocentis agni alterũ latus clauſiſſe

iuxta cruci alligatum, q̧ ad dominum conuersus, ei sese cōmendauerit,
orās eius ut meminisse uelit cum in regnum suum uenerit, Audiuit mox
inauditam bonam dulcemq; uocem in auribus suis: Amen dico tibi, ho-
die mecum eris in paradiso. At Petrus & Andreas qui primum nauicu- V.
lam reliquere, & pene omēs apostoli, qui reliquerunt (ut Petrus inquit) Matth. 4.
omnia, quomodo Matthæus, Zacchæus &c. & secuti sunt dominum, Marc. 10. Matth. 9
centuplum in cœlis non accipiant iuxta Christi promissa? Expectent au- Lucæ 19.
tem ad extremum usq; diem? de quo adhuc nemini cōstat, nisi soli patri, Matth. 24.
posuit enim deus in potestate sua. Christus porro apostolos adpellauit VI.
amicos suos, suos fratres, eos ego in Trophonij antrum includam? Lucę
xviij. Deus non faciet uindictam electorum suorum clamātium ad se die VII.
ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem uobis (ait dominus)
quia cito uindictam faciet illorum. Sed uideamus quos & quales fecerit VIII. Matth. 19
sanctos. Et in aperto est, Christum eos tanto honore dignari, ut duode-
cim illos, quos elegit, secum sedere faciet, ut iudicent duodecim tribus Is-
raël, id est, quod Paulus inquit, sancti iudicabunt mundum & angelos,
i. Corin. vi. Item ad Rom. planum facit, eos esse filios & hæredes dei, co-
hæredes uero Christi. Sed quam indigna res est, ut tantę eminentiæ iudi
ces futuri & regni cœlestis hæredes ab aditione hæreditatis, etiam quo-
usq; Platonis magnus annus completus fuerit, excludantur. Et proinde IX.
nobis omnibus manifestum est, si compatimur, tum conglorificabimur. X.
Etsi Paulus putat ad futurā gloriam huius sęculi, nō esse passiones condi
gnas, Dei tamen optimi benignitas ea ac tanta est, ut post huius sæculi 1. Cor. 9
erumnas fidelem Christi militem, qui militiam huius uitæ sancte & stre- XI.
nue perficit, mox coronandum ducat. Quid quod non absq; mysterio Roma. 8
Paulus ostendit, Christum primogenitum in multis fratribus, non enim Hebr. 2.
confunditur suos electos uocare fratres, quibus quidem fratribus narra Ioan. 17.
uit nomen patris, et post tam triumphabūdam resurrectionem per mu Ioan. 20
lieres, quæ fuerunt ad monumentum, eos monuit ut in Galilęam irent, Matth. 28.
hos autem fratres non in lymbum patruum iam euacuatum, sed in cœle
stem paradisum, post huius uitę certamen & cursum introduxit. Eapro- XII.
pter apostolus, Bonū certamen, inquit, certaui, cursum consummaui, de 2. Tim. 4.
reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et quando in Pauli mentio-
nem incidi, producam inde plura quæ huc pertinent. Secunda Corin. v. XIII.
Scimus, ait, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dis-
soluatur, quod ędificationē ex deo habemus domū nō manu factam sed
æternam in cœlis. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus
grauati, eo q̄d nolumus expoliari, sed superuestiri, ut absorbeatur quod
mortale est a uita. Vnde perspicue liquet, Paulum certissimum habuis- XIIII.
se, ut a morte continuo in cœlestes sedes reciperetur, qui xiiij. annis ante-
quam alteram epistolam ad Corinthios scriberet, in tertium cœlum ar- 2. Cor. 12
reptus a deo, occulta quędā edoctus, quę homini eloqui nō licet. Quo-
modo igitur summus deus facere posset, ut strennuum militem Paulum
post tot flagra, naufragia, persecutiones in fratribus &c. certamina de-

certata, ac decursa curricula, defraudaret iustissimus iudex corona glo-
XV. riæ? Quo circa ad Ephesios ostendit quemadmodum nos excitauerit &
Ephe. 2. assessores fecerit in cœlestibus, in Christo Iesu, ut non hospites aut pere-
grini essemus, sed ciues sanctorum ac domestici dei. Et sequitur quod
nos uocat cohęredes, participesq́ regni promissionis Christo Iesu. Ideo-
XVI. que adeo desyderat ardenter, inquiens: cupio dissolui & esse cum Chri-
Philip. 1. sto. Attende quæ dicit, esse cum Christo, non esse in abstruso, incognito
aliquo Trophonij uel etiam Benedicti aut Briccij antro uel specu, sed
cum Christo, qui gaudet in cœlis. Nemo enim Christiano animo uiuẽs
Ephe. 4. inficias ibit, Christum (ut ex Paulo ante docuimus) esse eum qui descen-
dit cœlitus, & qui etiam ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret o-
XVII. mnia, & esse eum qui sedet in cœlis ad dextram dei patris. Vnde ad Co-
loss. iij. Si consurrexistis cum Christo, quę sursum sunt quęrite, ubi Chri
stus est in dextra dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super ter-
ram. Mortui eñ estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo,
Cum autem Christus apparuerit, uita uestra, tunc & uos apparebitis
cum ipso in gloria, Non quod ad extremum usq́ diem nemo cum Chri
1. Thess. 4. sto futurus sit, sed die illa iudicij aliqui uiui erũt, aliqui qui cum Christo
XVIII. sunt, tum resurgẽt eisq́ in aëre assistent. Hic fidelis sermo est (inquit Pau
1. Timo. 1. lus) & omni acceptione dignus, ut predicemus, eos qui legitimo agone
certauerint, digna corona gloriæ ab ipso glorioso uirtutum & gloriæ
domino coronari. Hęc est fides nostra, ut proculdubio omnes una cum
XIX. 2. Tim. 4. Christo simul regnabimus, simul uiuemus, si una patiemur. Ideoq́ ait:
omnia patiar propter electos, ut & ipsi salutem assequantur quæ est in
XX. 2. Tim. 2. Christo Iesu, cum cœlesti gloria. Et iterum: dominus uos saluos faciet in
XXI. regno suo cœlesti. Cum igitur (ut idem Paulus ad Hebræos scribit) in-
Hebr. 4. gressus sit in regnum suum, & quieuerit ab omnibus operibus suis, sicut
& ipse deus a suis, Itaq́ festinare debemus, ut nos quoq́ ingrediamur
Psalm. 75. in illam requiem. De qua & regius ille propheta Dauid: in pace factus
1. Cor. 4. est locus eius, & habitatio eius in Sion. In hac enim gloria, quum uere
adparuerit, ipsi, qui nunc esuriemus & sitimus, cædimur, angustiamur,
ingemiscimus, & parturimus, satiabimur. Quod nobis largiatur is qui
Cõclusio. Psal. 146. dat escam iumentis, & pullis coruorum inuocantibus eum, A quo & o-
Iacob. 1. mne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum ueniens a
patre luminum, apud quem nõ est transmutatio, neq́ uicissitudinis ob-
Ioan. 14. umbratio, qui & sanctis suis mansiones suas & mercedem copiosam fe-
Matth. 5. cit in cœlis. Imo ipse est illis merces magna nimis. Abeant itaq́ in malam
Gene. 15. crucem, qui cum Luthero docere non formidant, neq́ apostolos, neq́
Ioan. 17. martyres, aut Christianorũ aliquem, post Christi in cœlum ascensionem
cœlo receptos, quasi illis noctes atq́ dies pateat atri ianua Ditis. Et dicat
omnis populus Amen.

De Extremi die Iudicij CAP. XVIII.

D. Fabri.

D. FABRI.

NON TE FVGIT, ante annos tres in Apozell magnum numerum ex imperita multitudine confluxisse in montem satis excelsum, Ibiq; uel in media hyeme sedētes, & eleuatis in coelum oculis ac manibus, extremum iudicium expectasse, cum dicerent patrem id eis reuelasse. At non pater ille coelestis, sed spiritus prophetarum mendax erat. Scis Huttum uestrum, uagabundum illud & sceleratissimum monstrum, Morauiam inuasisse, pestilentemq; doctrinam hanc pusillo gregi instillasse, ut certo tenerent, extremum iudicium intra præsens biennium fore, ita ut ad Penthecostes festum proximum diem & uitæ & mundi finis sit futurus ultimus. Qua opinione quoq; adeo errore nefario circumsepti rudes, creduliq; nimis nonnulli, relictis possessionibus aut diuenditis, Huttum cateruatim secuti sunt. De qua quidem re, quid tu sentias audire aueo.

Oppidum hoc Heluetiorū est.

Hutti falsa & stulta denunciatio de nouissimo die.

D. BALTHASAR. Quid ego sentiam? Seducta est misera hęc plebecula, etiam Hutto publice dixi, eius reuelationem ueram non esse. Danielem eñ, quo maxime nitebatur, minime omnium intellexit. Ego puto extremum diem neminem scire, non ipsum filium, non angelos, sed solum patrem.

Mar. 13.

D. FABRI. Bene putas, Ideoq; in actis legitur, quod hij qui conuenerāt, interrogabant dominum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in potestate sua. Sanctus Gregorius ante octingentos annos existimauit extremi iudicij diem impendere, adductus his, quę suo tempore plurima apparebant, argumentis, tumultuum, bellorum, mortalitatis, coelestium prodigiorum: quę ante extremum diem cōparitura seruator Iesus pronunciarat. Sed constat patrem unū in sua potestate illam diē retinuisse, hac in re nos eius consiliarij non sumus. Quidam ita rationem putarunt, ut quoniam in ueteri testamento ætatis unius circiter quatuor & triginta Iubilei numerantur, & Christus circiter quatuor & triginta annos natus fuit, cum in crucem sublatus est, finitis xxxiiij. Iubileis, id est mille septingentis annis, a Christo nato oriturā extremā diem, Hac ratione iam reliqui adhuc forent anni centum septuaginta duo. Quorum supputatio quam uera sit, deus nouit, caro et sanguis hęc non capit, Vix ea quę sunt in terris uidemus, quomodo ea quę in coelis sunt inuenire poterimus? Sed ante tibi ostendi, Danielem loqui de tempore, temporibus, & dimidio tempore &c. Item Ioan. in Apocalypsi cap. xij. esse tres annos cum dimidio, et Apoc. xij. se exponit propheta Ioannes et loquitur de xlij. hebdomadis, qui faciunt annos tres & dimidium, de quibus tribus & dimidio annis Daniël diuinauit, iuge sacrificium sublatum iri e templo. Cum uero uos sacramētorum expugnatores iuge intemeratumq; sacrificium, Christum Iesum e templis exigitis et exterminatis, Si hæc uestra insania omnibus locis reciperetur, certissimum foret extremi imminentis iudicij signū. Sed deo gloria, Chri

Acto. 1.

Tempus nouissimi diei soli deo cognitum est.

Gregori.

Opinio de 34. Iubileis, id est. M. D. cc. annis

Tempus Antichristi.

Dan. 12.

Iuge sacrificiū apud Lutheranos quidē cessat, sed non uniuersaliter in ecclesia.

 stus petra

Ex tot hæresibus uidetur non longe distare nouiss. dies. 2. Thess. 2.

Discessio a fide.

Matth. 24.

Mendacissimis nugis uulgo creditur.

ſtus petra eſt, petræ inconcuſſæ ſua innititur eccleſia, quę ueſtris arundineis baculis percuſſa nihil commouebitur, nedum labetur aut corruet.

Fateor me quoq; aliquandiu ex diui Pauli dictis opinionem animo percepiſſe inſtantis iudicij. Nam quanq̃ Paulus Theſſalonicenſes grauiter obteſtatus eſt, ne ſe perturbari ſinant, ac timeāt tanq̃ dies domini inci piat appropinquare, nihilo tamen minus eos limites, quos Chriſtus ante docuerat, ipſe quoq; definit, Nempe fore ut quidam diſcederēt a fi de. Et hanc diſceſſionem a fide primo pręcedere oportebit. Proh dolor nos in ea tempora incidimus, ut maximi, optimiq; Euangelicæ doctrinæ interpretes a fide ita aberrarint, ita deſciuerint, ut ubi ſint, quiq; ſint, neſciant, ita impliciti hæreticorum laqueis hærent, ut quō ſeſe expediāt, ignorent. Chriſtianus amor ab ipſis relictus, ut et Chriſtus & Paulus de refrigeſcente charitate & pręualente iniquitate prędixerunt, malicia, neglecto timore dei, inualuit, homines in operibus errorū uerſantur, credunt mēdacijs. Veracem alioqui Germaniam mille annis tot mendacijs refertam fuiſſe non credo, & tibi res ſtupenda eſſe debebit, q breui tem pore mendaciſſimis nugis noui Euangeliſtę tam inclytam, & religioni orthodoxæ deditiſſimam prouinciam compleuere, qui uidiſti ne aut le giſti ut dialogorum primi autores, imprudentiſſimos adominabilesq; ſermones et efficta mendacia pro ueris uenditarūt, Et nihil tam licentioſum, inauditum, ſeditioſum, procaxq; cuiquam in mentem uenit, quod non ilico euomuerit crudum et incoctum, populari tamē ſtomacho accōmodatum. Sic melle oblitum uenenum per ignorantiam receptum, multis milibus interitum præſentem tulit.

Euangeliū adulterinū

Equidem ſæpe dicere ſolitus ſum, fieri non poſſe, Euangelium hoc quod illis in ore frequentiſſimum eſt, ut ſit Chriſti uerum Euangelium, id enim fluxit e fontibus ueritatis dei, qui ſeipſum ueritatem adpellat. Dixi porro: Etſi uera eſſet Lutheri doctrina, a quo tamen tantū abeſt, quantum cœlum a terra, & Chriſtus a Belial, ipſam tamen non ferrem, cum eam tot mendacijs, impoſturis, nugiſq; confertam intuear.

Euangelium illud gratum eſt Mercatoribus uſurariiſq;.

Euangeliū Lutheri abominatio eſt in loco ſancto.

Sed multis uenalicijs, mercatoribus uſurarijs, bona doctrina eſt ſimul & iucunda & grata, quare eam ſedulo propagare & in omnes diffundere nationes ſtuduerunt, ne neceſſe habeant ex iure diuino & ſanctionibus patrum lucri ceſſantis & damni emergentis intereſſe ad æquitatem moderari, atq; alias de uſuris intolerabilibus, ut antea, coram confeſſori bus & iureperitis rationem reddere. Non hic de omnibus qui mercaturam faciunt intelligi uolo, ſed de pleriſq; ac omnino Lutherana hæreſi infectis. Itaq; Lutheranum Euangelium ſcandalorum, flagiciorum, ſcelerum, libellorum famoſorū honeſtum pallium eſt. Hæc illa eſt abominatio in templo exorta, hinc illę in templo ſanctulæ conciones Lutheri, noui apoſtoli: Non eſt quare ieiunes, Non quamobrem ores, Chriſtus omnia nobis largitus, Nihil eſt quod alij & ueteris religionis de bonis operibus &c̄. deblaterant, atq; omnia iſta, quę illi intonant, ab ore Chriſti, non ab homine profecta dicunt. Hoc Euangelium eſt, inquiunt, magni opti-

gni optimi dei. Hoc uerbum domini manet in æternum. Sed hic popu- Psalm. 118.
lus labijs Euangelium honorat, cor autem longe est, Christum per con- Esaiæ 29
tentionem, nō ex charitate predicat. Et in summa, cor eorum uanum, & Philip. 1
sepulchrum patens lingua eorum. Sed hæc obiter dicta sint. Ad prophe Psalm. 5
tiam de extremo iudicio falsam atq; mendacissimam redeo, & catholica
ueritate cōcludo, quod sicut deus admodum paucis reuelauerit, quam-
diu uiuendum, quandoue moriēdum sit, ueluti de Ezechia & diuite qui
multa horrea moliebatur animo & c. legimus, de extremo autem die Esaiæ. 38
iudicij neminem scire uoluerit, Ita et semper uigilemus, Nescimus enim Lucæ xij
neque diem neque horam, Nescimus quando filius hominis uentu- Matth. 24.
rus sit, Nescimus quādo sponsus ingressurus, et claudēda sit ianua. No- Matth. 25.
stræ igitur lampades iugiter accensæ ardeant, ut ignis ille æternus super
altari, Leuit. vi. suppetat usq; oleum bonorum operum. Dies enim do- Leuit. 6.
mini ueniet ut fur per noctem, & cum dicent homines, pax est & securi- 1. Thes. 5
tas, repente obruet calamitas, et audiet horrendum oraculum diues ille: Lucæ 12
stulte, nocte ista capietur abs te anima tua. Vigilate itaq;, & quod uobis Marci 13
dico, omnibus dico, Vigilate.

Dies extremus omnibus incertus est.

D. BALTHASAR. Apud me non est necesse hunc errorem refel
lere. Est enim perniciosus error, neq; mihi unquam placuit, aut quam-
diu uixero placebit.

D. FABRI. Merito igitur probādi sunt spiritus, utrum ex deo sint, 1. Ioan. 4.
uti Ioannes scite prudenterq; monuit, probandum cunctis iustissimum
fuerit num quis albus an ater sit, Auis aduolans prima ne an postrema
ex archa sit emissa Noē, columba ne an coruus, desuper ne ac coelitus,
an ab inferis & cacodæmonum concilijs proficiscantur quæ simplici po
pulo passim inculcantur. Atqui quomodo interim cum miseris agitur,
simplicibus, imperitis hominibus, qui cum istis nebulonibus, circulatori
bus, impostoribus, scurris, pseudoprophetis cōsceleratissimis aures indo
ctos præbent, seducti, fama, possessionibus, corpore, fortunis omnibus
sunt mulctati, exusti, spoliati, quo illi, qui Lutheri, Zuinglij, Carolstadij
institutis, decretisq; nefarijs, puecti, impio errore immersi inebriatiq; ita
mortui sunt. Interim illi arūdines reuocarunt, fassiq; sunt suos spūs som
nia, reuelationes, doctrinas nō ueras, sed erroneas. Quod si Huttus atq;
alij Anabaptistæ miseris pecunias, domos, possessiões, quibus fraudati
sunt, interim restituerēt, plurimi eos facerē. Verū nō sunt eo modo quo
primo fuere illi apostoli & euāgelistę, ut sua relinquerent, alijs darent, ad
pedes apostolorū omnia afferrēt. Quin contra alijs eripere alios, spolia-
re, aliena per blandas imposturas inuadere, parati instructiq; uenerunt.

Probari oportet spiritus.

Quam misere decipiuntur simplices pseudoprophetis istis.

Pseudoapostoli.

Et cum sint egentissimi, omnia cōmunia expetunt, quo ex diuitum bo
nis eorum egestati consulatur. In his eorum spiritus & Euangelium oc-
cupatur, hi fructus arboris in medio paradiso. Non quærunt itaque
quæ Christi, sed quæ sua & aliena sunt, & ueluti Harpyę rapacissimę su-
is unguibus cunctorum bona rapiunt, expoliant, Hi uere sunt illi Phari Philip. 2
sæi & Hypocritæ, qui deuorant domos uiduarum. Cumq; miseris con- Marci 12

Cur isti cupiūt oīa esse communia.

fratribus nihil sit reliqui, in nihil religiosius incumbunt quam in prædam, omnia ueluti cōmunia pertrahere, qui tamen iniqui cogitatus non sine cruenta seditione (ut ipse coniectare nosti) consummari poterunt. Vtinam fiat, ut exurgat deus & perdat omnes, qui seditiones, tumultus ac bella uolunt. Sed de pœnitentia quid sentis?

De agenda pœnitentia pro peccatis. CAP. XIX.

D. BALTHASAR.

Psalm. 50. Esaiæ. 66

BENE VERO sentio, eiq; plurimum tribuo, Dauid enim dicit: Cor contritum & humiliatum deus non despicies.

Exod. 30 Leuit. 16

D. FABRI. Sic etiam per Esaiam Deus: Ad quem (inquit) respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Hoc cor cōtritum ego semper adpellaui odoriferum Thymiama, quod in ueteri testamento ex rebus odoriferis confectum contusum, incensum in conspectu domini, odorem dedit suauissimum, gratumq; diuinis naribus. Ab hac nos pœnitentia Lutherus cum sua resipiscentia transmentationeq; auertit.

Predicatio Christi, Ioannis & Apostolorum, a pœnitentia agenda incepit. Mar. 1. Venō pœnitētibus. Lucæ 13 Contemptus pœnitentiæ. Lucæ 17

Ego quidem pœnitētiam prȩconijs & laudibus laudaui semper, nempe id secutus sum, ꝙ quatuor summi Euangelij præcones, Ioannes in hæremo, Christus, Petrus & Paulus, primum thema, primū ingressum orationis aut predicationis suæ esse uoluerunt, ut pœnitentiam agerent homines, ut condignos pœnitentiæ fructus facerent. Quo circa ad Iordanem baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum predicatus est. Ideoq; Lucȩ capite x. Dominus ait: Vȩ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factȩ fuissent uirtutes, quȩ factȩ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes, pœnitentiam egissent. Hæc igitur uerba saluatoris nostri toto pectore combibenda, cum dicit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Sed nos qui doctrinis nouis & peregrinis abducimur, mihi uidemur perinde facere ut tempore Noē, quando comederunt, biberunt, nuptias celebrarunt, cōnubia coierunt, quoad Noē fuerit Arcam ingressus. Ideoque repente effuso diluuio omnes absorpti, perditiq; sunt. Lucæ xv. Angeli in coelis lætitia gestiunt de peccatore pœnitentiam agente.

Longanimitas dei Ezech. 18 Matth. 3. Ibidem 4. Acto. 2. Acto. 17 Exempla pœnitētiæ in scripturis. Ionæ 3. Iudith. 9. 2. Regū 12

Hanc bonitas, benignitas, & longanimitas Dei longo tempore expectat, non enim uult mortem peccatoris, sed uitam magis, ut conuertatur & uiuat. Ioannes itaque ille baptista suum sermonem in agenda pœnitentia orditur, agite, inquiens, pœnitentiam. Similiter Christus: pœnitentiam agite. Petrus breuiter respondit ijs qui rogabant quid agerent, pœnitētiam, inquit, agite, & unusquisq; uestrum baptizetur. Hanc pœnitentiam in actis Paulus quoq; doctor gentium predicauit, imo illam cuncti predicarunt apostoli.

Quapropter uehementer mirari soleo, quæ ratio uel potius insania nouos Euangelistas impulerit, ut contra tot ueteris testamenti testimonia, exempla, authoritates, facta & gesta, Niniuitarum, Iudith uiduȩ, Populi Israelitici, Dauid regis, ac plurimorum præterea aliorum, quæ Christus fere

stus fere

ſtus fere omnia nouo etiam teſtamento comprobauit, pœnitentiam ita deiecerunt ac peſſundederunt, ut iam agendæ pœnitentię nulla uel paucissima ratio habeatur, ac ſit.

De auriculari confeſſione peccatorum. CAP. XX.

D. FABRI.

DE AVRICVLARI uero presbyteris facienda confeſſione qua ſententia es?

D. BALTHASAR. Ita exiſtimo, eam bonum tutumque præſidium eſſe eccleſiæ, omnibusq; bonis conſeruandam.

D. FABRI. Ita etiam Lutherus ſcripſit, Interim uero ut collapſa ſit, undiq; uidere licet, pulchra res, quam oculis meis uidi Norimbergæ. Vidi inquam atq; plures uno ex ſodalicio bene potos ad apoſtatam monachum accedere, eumq; circulo circumſtantes ad audiendam confeſſionem hortantes, unumquemq; eorum non plura dicere, quam ſeſe peccaſſe, petere abſolutionem, qua accepta fidenter ſacramentum, quod ipſi putabant, ſub utraq; ſpecie ſumere non ſunt ueriti, Iterumq; cauponis tabernam, unde fuerant digreſſi, frequentarũt, Eaq; plane mente fuerunt ut pertinaciſſime putarent, ita Chriſtum inſtituiſſe, huncq; confitendi modum & ritum ex Euangelio præſcriptum eſſe gloriabantur. Ego e diuerſo ſic cogitabam, publiceq; profeſſus ſum, ſi non plus confeſſioni auriculari tribuerent quam mihi feciſſe uiderentur, de hoc quoque ritu eorum ſuperſederi poſſe, quum uere nihil pietatis nihilque deuotionis induxerit. *Qualis cõfeſſio Lutheranorũ.*

D. BALTHASAR. Confeſſionem auricularem ferẽdam puto, remque bonam eſſe. Sed tu quomodo eam e ſcriptura probabis?

D. FABRI. Non te cęlabo quæ me diuinus ſpiritus docuit, in uerbo ſuo ex ſcriptura. Duo Euangeliſtæ ſcribunt de Petri atque aliorum apoſtolorum poteſtate, primus ſcilicet & ultimus, id eſt, Matthæus & Ioannes. Matthæus orditur a poteſtate Petri, concludit de reliquorum poteſtate. Contra Ioannes ab apoſtolorum poteſtate initium faciens, de poteſtate Petri concludit. Id ego uerũ eſſe oſtendam. Matth. xvi. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Matth. xviij. Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erũt ſoluta & in cœlo. Hic ſole meridiano clarius fit, Petro datam eſſe poteſtatem in cœlis plurali numero, apoſtolis autem in cœlo ſingulari numero, Id quod Origenes Adamantius non carere myſterio iam olim attendit & docuit. *Duo Euãgeliſtæ de poteſtate Petri.* *Ioannis 20*

Nihil, inquiunt Lutherani, refert quod id Papiſtæ (ſic enim nos qui a ueteri religione non diſcedimus homines illi ſedicioſi nuncupant) de poteſtate Petri dicunt, Tametſi enim dixerit, ego dabo tibi claues, id de futuro dixit, non tamen legitur dediſſe. O lepida capitula, An non hæc eſt Sodomitarum cæcitas, hæc Ægypti & Cymmeriæ tenebræ? Quis non intelligit hãc adulatorum pugnam aduerſus ueritatem catholicam? Chriſtus eſt *Obiectio Lutheran. Matth. 16.* *Solutio.*

Ioan.14. Roma.4 Matth.24. stus est ueritas, Christus quod promittit, potest, ut Paulus tradidit, & uult, præstare, Cœlum prius & terra collabētur, q̄ unū uerbū concidet. Si igitur Christus se Petro claues daturum promisit, cōsequitur cornutus iste syllogismus necessitatis: Quod Christus ꝓmisit, pręstitit aut non

Dilemma. pręstitit: Si quod promisit non fecit, uerax non est, Et quę maior iniuria aut ignominiæ nota Christo posset inuri, q̄ promisisse aliqua necꝗ pollicita seruasse? Sin autem promissa seruauit, stabit eius rei testimonium alicubi uerum esse, at hoc totum e scriptura desyderamus. Videndum igitur ubi factū sit, quod os ueritatis promisit. Itacꝗ reperimus apud Ioannem a resurrectione & ante ascensionem, quomodo dominus insufflauerit in discipulos & dixerit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Hinc est potestas ligandi atcꝗ soluendi, tenendi & dimittendi.

Ioan.20.

Institutio confessionis auricularis a Christo. Et e regione quomodo potest discipulus Apostolus soluere aut dimittere peccata quæ ignorat? aut quomodo ea uincula admissorum peccatorum extricet quæ illi declarata non fuerint? His fontibus necessario fluxit confessio auricularis quæ fit presbytero, quæ fuit usitata tempore sancti martyris, Carthaginēsis episcopi Cypriani, annos ante mille trecentos, dictacꝗ est ἐξομωλογησις. Hinc orti Canones apostolorum, & pœnitentiales, quos olim Oecolampadius e græco in latinum uertit, utcunque pro sua inconstantia iam aliam de confessione sententiam doceat.

Exomologesis. Canones pœnitentiales.

De Clauibus Petri CAP. XXI.

D. BALTHASAR.

SEMPER EGO ITA constitui, patrem in ueteri testamento remisisse, ut uerum est, & tamen peccatum solummodo ore confessum fuit, ac deploratum. Si itacꝗ diuinę maiestati placuit, humanitate assumpta eiusmodi potestatem etiam hominibus maximecꝗ apostolis, presbyteris, & illorum successoribus tradere, quid est quare non omnibus modis dei ordinationem prosequamur? Sed ubi censes Petro datas claues?

D. FABRI. Vt etiam Petro claues a resurrectione uerbis expressis datas esse liqueat, & non modo in communi, quando reliquis discipulis datæ sunt, cum diceret: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis

Ioan. 20. peccata &c̄. uerū etiam in speciali, Quod sic declarabo: Etenim Petro da-

Petrus pascit aut regit oues. ta est potestas, quando dominus ei agnos ouescꝗ suas pascendas commendauit. Ideocꝗ attende quomodo Euangelium Ioannis græce scriptum extiterit, illius quippe textū habere uidebis uerba duo βόσκε και ποίμαινε, illud pasce, hoc rege siue guberna significat. Sic apud Matthæum,

Matth.20. Micheæ.5 cum Euangelista inducit illud Michcæ de Christo, egressurus ut esset dux qui regeret populum, est uerbū gręce ποιμανεῖ. Et in libro actorum cum Paulus loquitur Ephesinis episcopis, curam ut gererent populi, cui

Acto. 20. & gubernando præfecti erant, domino dicens: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus episcopos, regere ecclesiam

1.Pet.5. am dei, quam acquisiuit sanguine suo &c. Hoc ποιμαίνειν uerbum est, similitercꝗ Chri-

literq; Christus ἀρχιποίμην id est princeps pastorum adpellatur. Et Homerus regem Agamemnonem ποίμανα λαῶν adpellat. Quomodo etiam Hebraice græceq; rex Dauid eiusmodi pastor adpellatur, cui & dominus: pasce populum meum, atq; ipse se a domino regi fatetur, Et si me non fugit, quasdam tralationes habere dominus pascit me, ubi alioqui habetur, dominus regit me, hoc uero totum & expeditur & describitur uno uerbo hebraico rhoy & græco ποίμενιν, quo uerbo usus saluator noster, Petro oues commendauit, dicens: ποίμαινε τὰ πρόβατα μου cum ante & post usus sit uerbo βόσκε. Vnde liquet non modo ad loca pascuę pascendas ei oues Christum commisisse, sed etiam gubernandas, quomodo pedo Moses, aliiq; pastores oues regere, ordinemq; dare consueuerũt.

Dauid rexit ac pauit populũ
Psal. 77.
Psal. 22.
Exod. 3.

Ideoq; etiam Petrus apostolorum princeps constitutus est, quod ratio rerum, atq; ipsa natura flagitabat, unus alium ut antecelleret. Quomodo in angelis eorumq; choris ordo quidam est, ut apertissime Paulus ad Ephe. iiij. aliisq; locis ostendit. Taceo quod in gentilium superstitione, flamines, archiflamines, & prothoflamines fuerint, de quo plura dici possent. Et in tabernaculo simul & templi Salomonis ministerio ordo erat sacerdotum, Leuitarumq;, & Cohen Gadol, id est sacerdos magnus, quem nos Papam id est patrem patriæ seu pontificem Maximum Romano more uocamus, præficiebatur. Grues uolãtes ducem sequuntur, & in apibus unus est rex: Ita in religione nostra ordinem esse oportet, ut unus alteri subsit. Ab his initiis tempore apostolorũ septem præfecti sunt diaconi, atq; Paulus Episcopum ac sacerdotẽ describens, diaconos, id est, ministros instituit. A tempore porro Petri constat, Petrum ac suos successores cum hac claue, passim a sanctis patribus & martyribus pro fide passis, uocari & fuisse uicarios Christi, Nolo tamẽ summorum pontificum quorundam patrocinari flagitiis, si qui lac ouium forte consumentes, sese lana uestierunt, & adipem depasti sunt, ut Ezechiel ca. xxxiiij. meminit, oues aũt non pauerunt. Etenim ut Petri fides non concidit, pro quo Christus orauerat, cum eum negasset: Ita papa res Christianas improbe gubernante, non continuo debemus ab ecclesia deficere, Sed deo iusto iudici omnia committamus, qui cuiq; secundum opera sua tribuet, est eñ remunerator bonorum, malorumq; uindex, Est, qui inquit: mihi uindictam & ego retribuam, quo altior est gradus, eo ruinæ casus grauiores imminent, & potentes potenter tormenta patientur. Et cui plus creditur, ab illo plus exigitur, quisq; suis pœnis punietur, quisq; portabit iniquitates suas. In summa, dominus nobis prędixit, de scribis & Pharisæis super cathedra Mosi sedentibus, & palam nos in parabolis docuit, quomodo nos geramus, ut illorum dogmata, non facta imitari debeamus, Cuius ego pręscriptis acquiescam, opera illorum minime curando.

Christus Petrũ apostolorum principem fecit.
Coloss. 1.
Acto. 6.
1. Tim. 3.
Ro. Pontifex Vicarius Christi.
Luc. 22.
Papa malus impunitus a deo non erit.
Matth. 16.
Roma. 2.
Deute. 32.
Roma. 12.
Sapien. 6.
Luc. 12.
Matth. 23.

De Operibus Satisfactoriis CAP. XXII.

D. Fabri

D. FABRI.


TQVI IVXTA pœnitentiam solito acumine usi noui Euangelistæ satisfactionem abrogarunt, dixeruntque non esse satisfactionem qua nos satisfaciamus, Christum enim sua passione satisfecisse inculcant, proinde nulla re amplius indigere Christianos assidue docent, Eapropter in illorum ore frequẽtissimum est, Si quem contritum pœniteat, satis superque esse, non ieiunijs, non orationibus illis aut alijs bonis operibus esse opus.

2.Regũ 12 D. BALTHASAR. Pœnituit etiam Dauid, confessus etiam peccata est, consecuta tamen (ut supra ostensum est) pœna. Neque Zacchæum satis fuit peccata confessum, sed obtulit se dimidium bonorum suorum da re pauperibus. Et peccatrix in ciuitate non tantum fleuit, uerumetiam opera exhibuit erga dominum, & quibus membris peccauit, his pœnitentiam egit. An animi satisfactio possit adpellari, nihil laboro, tamen dico scholasticorum esse terminum.

Cõfessio ni adiungẽda est satisfactio. Lucæ 19. Lucæ 7

D. FABRI. Quas induxisti historias uerę sunt. Atqui satisfactio nõ est primum ab scholasticis efficta, sed legimus de ea apud Cyprianum aliosque qui mille & ducentos ante annos uixere, pœnitentiamque describere. Et Erasmus in noua translatione, cum ij. ad Corinthios vij. contritionem ac pœnitentiam describit, ita inquit: Video namque quod epistola illa, tametsi ad tẽpus cõtristauit uos: nunc gaudeo, nõ quod contristati fueritis, sed quod cõtristati sitis ad pœnitentiã. Nam contristati estis secundũ deũ, sic quod nulla in re detrimẽto sitis affecti per nos. Nam qui secundũ deũ est dolor, is pœnitentiam ad salutẽ haud pœnitendã parit: cõtra, mũdi dolor mortẽ affert. Ecce enĩ istuc ipsum, quod secundũ deũ cõtristati fuistis, quantam in uobis solicitudinẽ, imo satisfactionem, imo indignationem, imo timorem, imo desyderium, imo uindictam peperit? De ieiunio uero quæ tua est sententia & præcipue quadragesimæ?

Cyprian. Satisfactionem ponit Erasm. in sua trãslatione.

De ieiunijs ab ecclesia institutis. CAP. XXIII.

D. BALTHASAR.


E IEIVNIIS ita sentio, ut ea frequentata esse uelim, putoque a rege populoue susceptum ieiunium deum placare posse, ut Regis Niniuitarum ieiunium populi, brutorumque, deum placauit. Neque nego ecclesiam commune peculiareque ieiunium instituere posse, idque obseruari debere censeo.

Ionæ 3.

D. FABRI. Tanta amentia exoculatos ruere Lutheranos miror, ut ieiunia, de quibus omnis scriptura referta est, refutare audeant.

Exempla ieiunij in scripturis uet. testa.

Quis dubitat populum Israëliticum (ut testimonio scripturæ probatur) in domo dei, in Silo conuenisse, consedisseque ac fleuisse coram domino deo, eamque diem per ieiunia transegisse usque ad uesperam? Tempore Samuelis filij Israël itidem ieiunarunt in Masphat, & dixerunt: domine tibi peccauimus, i. Regum vij. Saul item interfecto, et Ionatha illius filio, i. Regum ultimo, Dauid cum populo ieiunauit usque ad uesperam. ij. Regum i. Dauid item pro filio adhuc paruulo & iam grauiter post dictum prophetæ

I. Iudic. 20 II. III.

prophetę ęgrotãte ieiunauit, ij. Reg. xij. Achab indutus cilicijs ieiunauit, V.
dormiuitq; in sacco, iij. Reg. xxi. Ita legimus Numeri xx ubi & de libero
arbitrio clare expressum est, per ieiunia aliarumq; rerum abstinentiam
peccata aboleri. Asueri tempore Hester & Mardocheus ieiunarunt, ut VI.
ne quod Ammon aduersus populum Israëliticum decreuerat, effectum VII. Hester 4
sortiretur. Sic Macchabæorum tempore congregati sunt in Masphat, VIII.
ubi locus erat orationis, & ieiunauerunt & induerunt se cilicijs & cine- 1. Macch. 3
rem imposuerunt capiti suo, & disciderunt uestimenta sua. Sic etiam le- IX.
gimus de Iudith uidua & populo quod ieiunauerũt. Daniel quoq; ora- Iudith. 8
uit in ieiunio, cinere & sacco, Danielis. ix. Neq; id Israëlitę tãtum fecere, X.
qui populus dei est appellatus, sed etiã Niniuitę, ut añ et uere ostendisti. XI.

At quando manifestũ est in ueteri testamento ieiunia usurpata fuisse, Ionæ 3
multo magis in nouo locũ habuisse probabimus. In Lucę Euangelio est Exempla ieiunij in nouo test.
de Anna prophetissa filia Phanuelis, eam in tẽplo in oratione, ieiunijsq;
die noctuq; deo seruijsse. Quoties reperimus in Actorum libro aposto- I.
los, cũ uel conuenirẽt, uel ab inuicem discederent, eos una orasse ac ieiu- Lucæ 1.
nasse, ut ca. xiij. xiiij. xv. & xxvij. Tobias ait: Bona est oratio cum ieiu- II.
nio, Tobię. iiij. Ita prophetæ Esaias, Hieremias, Iohel, creberrime ieiunia Commen
predicant &c. Paulus ij. Corinth. vi. & xi. de multo ieiunio gloriatur. datio Ieiu-

Hactenus qui serui & ministri, Nunc quid dominus ipse fecerit uidea- nij.
mus, Legimus autem eum xl. diebus totidemq; noctibus ieiunasse, Et Tob. 4 2. Cor. 6.
licet nobis, ut humana est fragilitas, hoc factũ impossibile sit, est tamen Exemplo
nobis exemplo, ut ieiunia eo authore prosequamur, religiosiusq; obser- Christi ie-
uemus; non autem, ut Lutherani, prorsus refutemus. Idem author salu- iunium
tis nostræ nos docuit, ne cum ieiunamus, Pharisæos imitemur, Quid probatur.
autem faciamus pluribus ostendit, dicens: Cum ieiunatis, nolite fieri, si- Matth. 4.
cut Hypocritæ, tristes, obscurant enim facies suas, ut appareant homi- Ieiuniũ hy
nibus ieiunantes. Tu autem cum ieiunas, inunge caput tuum, & faciem pocriticũ.
tuam laua. Idemq; dixit: cum sponsus ab eis oblatus fuerit, tum ieiunatu Matth. 6
ros esse suos discipulos, Esseq; spiritum immundum, qui eijci, nisi orati- Lucæ 5
one & ieiunio non possit. Matth. 17.

Hinc manifesto conuincitur, uoluntatem domini esse, ut pro delictis Ieiunandũ pro pecca
nostris cum oratione, ieiunijs, lachrymis &c. occurramus. Iohel. ij. Con- tis.
uertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio et fletu & in planctu, &
scindite corda uestra, et non uestimenta uestra. Cedant itaq; bene curata
pelle Epicuri de grege porci, qui quadragesimã ab apostolis institutam,
& per totum terrarum orbem etiam ab hereticis Nazarçis & schismati-
cis obseruatam, quiq; reliquos ieiuniorum dies e medio tollere sub Lu-
therana impietate ueriti non sunt.

De excommunicatione. CAP. XXIIII.

D. FABRI.



DE EXCOMMVNICATIONIBVS quid tenes?

D. BALTHASAR. Excommunicationem ego plurimi fa-
cio, putoq; rem esse in primis utilem ecclesiæ, quodq; plurima

mala per excommunicationem aut impediant, aut dimissa corrigantur. Paulus Corinthium, qui cum nouerca peccarat, ab communione fidelium exclusit, ac Satanæ tradidit, ij. Corinthiorum. v. Et Hymenæum ac Alexandrum cum naufragium in fide fecissent, simili modo Satanæ tradidit, i. Tim. i. Quibus in locis quomodo Paulũ intelligis, dic mihi, cum dicat de Corinthio illo, quod tradiderit eum Satanæ ad interitũ carnis, ut eius spiritus saluus fiat?

Quõ satanę tradidit Paulus Corinthiũ quendam. 2. Cor. 5.

D. FABRI. Equidem sic intelligo, peccatum Corinthium illum admisisse mortale, Ideocꝫ in satanæ potestatẽ uenisse, Quod ita Paulus declarauit, eumcꝫ ab communione fidelium Corinthiorum exclusit, ut hac re adactus resipisceret, atcꝫ carnẽ suam qua peccarat castigaret. Vbi porro eum sceleris cum nouerca perpetrati pœnituerit, adcꝫ deum conuersus fuerit, ne sit perpetuo in potestate satanæ, sed spiritus suus reuertatur ad dominũ, qui dederat eum, Ideocꝫ Corinthius ille cum se contritione ac pœnitentia ad deum conuertisset, secꝫ humiliasset, ab interdicto solutus, iterum insitus est Ecclesiæ, ij. Corin. ij. Necꝫ hunc solum Paulus ab Ecclesia exclusit, sed Thessalonicenses etiam aliquot, ij. Thessal. iij. Similiter Ioannes docuit, seductorem & Antichristum in fide, & ueram doctrinam non habentem, nequaq̃ esse intra ædes recipiendum necꝫ salutandum, Nam qui talem salutauerit, eum cõmunicare ait in opere peruerso. Et Paulus hæreticum post unam & alteram correptionem uitandum scribit, ad Tit. iij. Sane prudens consilium Pauli, & dubio procul non carnis uel sanguinis, sed patris qui in cœlis est, qui hoc ipsi reuelauit. Vscꝫ adeo enim tetra res est, in hæresim aliquam delabi, ut continuo in aliam præceps deuoluatur, Ita Lutherus, Zuinglius, alijcꝫ uestri ordinis Euangelistæ noui, amentia quadam singulari ex hæresi in hæresim ruentes, alius in alium ferocissime debacchatur. Lutherus autem sibi ter centum & amplius locis ipse pugnantia & aduersa dicit, Habeocꝫ itidem Zuinglij plurimos notatos locos, quibus sibi non constat, Ideocꝫ Paulus non abs re ait, hereticum proprio iudicio condemnatum esse, cꝑ inconstantes eius doctrinæ nunquam inter se quadrent, sibiue congruant, sed e contrario intestino semper bello laborãt, Quod tibi etiam usu uenisse, ex animo doleo. Atqui illud Matth. xviij. Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum, inter te & ipsum solum, Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum, Quod si non audierit eos, dic Ecclesię, Si aũt Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Quod maxime facit ad excommunicationem probandam.

Alia excõmunicationis exempla. I. II. 2. Ioan. I. III.

Excõmunicandi hęretici.

Eorũ inconstantia Titi. 3.

Excõmunicatio Euangelica.

D. BALTHASAR. Plurimum, Estcꝫ legitima excommunicandi ratio & regula.

De Ecclesia quid sit CAP. XXV.

D. Fabri.

D. FABRI.


QVOD AVTEM ILLI AVTVMANT, Ecclesiam non esse rem corpoream, sed ita effingunt, sicut si aureum montem in aëre, aut sophistarum more Chimeram quis sibi cogitatione depingat ac statuat, cum tamen dominus dicat, nunciandum esse Ecclesię, Et si quis Ecclesiam non audierit &c. Certe non esse putat congregationem in spiritu, sed eam ac talem putat Ecclesiam, quę os ad loquendum et aures ad audiendum habeat. Matth. 18

D. BALTHASAR. Huic opinioni nullubi accedo, sed censeo ecclesiam esse communem omnium Christifidelium qui in uiuis sunt congregationem, De qua est articulus fidei nostræ: Credo ecclesiam sanctam catholicam. Ea est per uniuersum mundum. Deinde porro sunt speciales Ecclesiæ, ut Ecclesia Corinthi, Ephesi, Galatarum, De quibus Acto. ix. Ecclesia per totam Iudæam habebat pacem. Sic Acto. xiiij. Constituit per singulas Ecclesias presbyteros. i. Corin. i. Ecclesiæ dei quæ est Corinthi. i. Pet. v. Salutat uos Ecclesia quæ est in Babylonia. Ecclesia uniuersalis. Ecclesiæ particulares.

D. FABRI. Verum est, Prima Ecclesia corpus est unum, cuius plurima membra, inque membris iam augetur iam minuitur, ut multi ac pauci pro tempore sunt Christifideles. Legimus ab ascensione domini Hierosolymis centum & uiginti fidelium fuisse, eaque prima Ecclesia fuit, deinde aucta trium ac quinque milium fuit, quos Petrus duobus suis sermonibus ad fidem Christi conuertit, Protinus pari ratione subinde aucta est, per eos qui uerbum in Samaria receperunt, per Paulum, Ananiam, Cornelium Romanum &c. ut in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Huius Ecclesiæ caput Christus est, uos autem eius membra, i. Corinth. xij. ad Ephe. ij. & iiij. Coloss. i. & iij. Hanc Ecclesiam ueteres matrem adpellant, nos enim eius filij sumus. Incrementa ecclesię. Acto. 1 Acto. 2 Acto. 4 Acto. 8 Acto. 9. 10 Psalm. 18 Rom. 10

D. BALTHASAR. Hic erudiri me non est necesse, nullam enim mihi imaginariam statui ecclesiam, nec finxi, Sed credo ut est ante a te dictum.

D. FABRI. Cum igitur hæc (ut ais) credas, qui fit ut ab Ecclesia catholica desciscas; quam matrem adpellas, cuius Christus caput sit? Opinionibus quibusdam, uel potius nefarijs erroribus implicitus hæres, ut de Anabaptismo, de sacramento, a quibus nulla ratione te auelli sinis, solus es, nemo tecum sentit, paucis demptis furiosis, tumultuarijs, leuibus nebulonibus, & apostatarum fidefragis, quibusdam monachis, qui funesta illa Germaniæ clade simplices agrestium animos aduersus magistratus ac dominos suos blanda oratione illectos armarunt, ac amplius centum milibus agricolarum ad interitum præcipitarunt. Hęc illa uestra est tumultuaria Ecclesia, ferro flammaque omnia miscens, sanguine cæsorum miserorum agrestiũ exundans. Ego antiquos habeo quos sequor, & mecum sequuntur omnes Christifideles, Germaniæ, Regnorum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Neapolis, Italiæ, &c. qui omnes a tempore apostolorum fideique nostræ incunabulis de sacramentis & paruulorum baptismo, ea, qua ego, opinione & sunt & fuerunt. Increpatio pertinatię. Qualis ecclesia Anabaptistarum. Cõtra eos aut Catholici aut heretici pugnant.

Neqꝫ mecum ſtant hac in parte ſoli catholici, uerum etiam ſchiſmatici ac hæretici mecum contra te faciunt, Greci, barbari et latini, Mecum faciũt potentiſſimæ totius Germaniæ ciuitates, Norinberga, Auguſta, Berna, Baſilea, & multæ ciuitates ampliſſimæ, quæ etſi pro multa parte multis (proh dolor) erroribus hereant et implicitę ſint, gladio tamẽ, igni, aqua & alijs grauiſſimis pœnis in omnes Anabaptiſtas animaduertunt.

De Zuinglio illiusqꝫ Phalariſmo corpus hoc tuum fidele teſtimonium perhibet, ut hanc de baptiſmo paruulorum abolendam tuam prædicationem execretur, horreat, & perſequatur &c.

Phalariſmus Zuinglij.

De Zuinglij Tyrannide uarioque Sacrilegio CAP. XXVI.

D. BALTHASAR.

NIHIL MIHI de Zuinglio dicito, peſſime enim, in Dyoniſij tyranni morem, mecum egit, neqꝫ uerbo ſed clamoribus & uerberibus uicit.

D. FABRI. Tamen te ad reuocandum adegit de puerorum baptiſmo, & iureiurando præſtito heręſim hanc abiuraſti, periurus, ita habeend ris a nobis.

Arrogantia Zuinglij.

D. BALTHASAR. Quod apud deũ queror factũ eſſe, non Chriſtiano more mecum egit, ſed tyranni inſtar, Nempe poteſtatem loquendi mihi non permiſit, ſed ſuperbia inſolenti inhumanaqꝫ arrogantia (ut eſt temerarius) in ſuo (ut dicitur) fimo, id eſt, regno in me abuſus, tacere iuſſit, quaſi non intelligerem, & quaſi quid dicerem neſcirem. Hęc erant illius arma, quibus contra me pugnabat.

Sacrilegia Zuinglij.

D. FABRI. Zuinglium mihi depingi non eſt neceſſe, Ego probe hominẽ noui. Tiguri bene rem ſuam domi auxit, Monaſteriorum exactis monachis prouentus ſibi ſumpſit, Vberrimum & optimum ſane ſtipendium obtinuit, Sacerdotia præterea plura comparauit, & (ut ipſe gloriatur) uxorem locupletẽ duxit. Eiuſmodi Euangeliſta ut eſſem mihi quoqꝫ in promptu fuiſſet, ſed longiſſime diſcedat a me tentatio hæc tam peſtilens & cunctis abominãda mortalibus, ut ullum Chriſtianum principem ad prædas, rapinas, & ſacrilegia perſuadere contendam. Neque uideo bona conſcientia fieri poſſe, ut monaſteria, totidem ſæculis pro cultu dei etiam a Chriſtianiſſimis Imperatoribus et Regibus fundata, in priuatam utilitatem, & ſæpe in pompas ſęculi uertantur. Sed uiderit Zuinglius, illiuſqꝫ farinæ homines, ut olim rationem reddituri ſint, qui metunt, ubi non ſeminarunt, ne Toloſanum aurum ipſi rapuerint.

D. BALTHASAR. Potens omnino Tiguri Zuinglius eſt, atqꝫ rei publicæ gubernator.

D. FABRI. Scio equidem, ueniet enimuero ſua etiam aliquando hora. De eius autem doctrina quid ſentis?

D. BALTHASAR. Ea peruicatia eſt, ut cum in opinionem nouam aliquam inciderit, totum mundum exiſtimat ſequi oportere, neqꝫ eſſe in terris auditum quicquam aut uerius, aut melius.

De inconſtantia doctrinæ Zuinglianæ CAP. XXVII.

D. Fabri

D. FABRI.



DVERSVS EVM scripsi librum ducentarū paginarum, In quo primum ostendo, cum tribus annis suam doctrinam quadragies commutasse. Triennio uno quadragies uariauit

Quam uario ac uersipelli ingenio sit de sacramento altaris, eo poteris conijcere, primum mystes pluribus annis, ac parochus de missa sermones fecit, Deinde epistolam & Euāgelium Germanice uernacula lingua legere instituit, tum populo utraq; specie sacramentum distribuit, In que ea esse corpus & sanguinem & scriptum & impressum pluribus locis diuulgauit, Etenim dominum ita locutum, prius cœlum terramq; collapsuram, q̄ uerbum hoc uacillaret, aut peruerteretur, Itaq; neq; aliter esse aut fieri. Nunc uero prorsus a sacramēto, atq; adeo ab ipso Deo deficiens, panem empticium pistum esse autumat, omnino non assis unius ęstimans aræ sacramentum. Eum tandem spiritum Euangelicum putemus? Non te fugit, xxiiij. prophetas, cum futura pronunciarent, non una semper fuisse, uerum alium in Iudæa, alium in Babylonia. Quod autem nemo aut secum aut cum alijs pugnat, eorum prophetia ex spiritu sancto profecta putatur. Euangelistæ nostri ueteres, concordes semper sibi consentiūt, neq; sunt (ut q̄dam non boni rerum ęstimatores ariolantur) inter se pugnantes, Sed sane a Theodidactis expensa omnia, iusto sub examine mirifice respondent ac conquiescunt, ut Augustini aliorumq; concordantię declarant. Quo circa eorum euangelia ecclesia recepit, ut e spiritu sancto profecta, Hisq; consona sunt quæ Paulus ac cęteri Apostoli scripserunt & predicarunt. Omnium itaq; illorum doctrina cœlitus delapsa rectissime creditur, & spiritu sancto authore producta & propagata, Et omnino omnis uel scriptura uel doctrina, quæ sibi ipsi non aduersa, reliquis catholicæ ecclesiæ scriptis receptis congruit ac conformis est, certissime est ex deo, neq; alio ullo ex spiritu manat. Spiritus enim sanctus, spiritus est concordiæ ac unitatis, Ideoq; Christifideles in Hierusalem unum cor, unam animam, unū deum, unam fidem, unum baptisma habuerunt, deq; his credimus eorum fidem a deo cœlitus demissam. Iam uero intueare penitius, qui & qualis sis, & quibus inuolucris te inuolueris, & quasi in speculo Socratis aut Platonis, quam uarios uultus, & multiplices & inconstantes opiniones, q̄ pugnantia decreta pepererint nouæ uestræ doctrinæ consydera.

De sacramento Altaris. Mar. 13.

Consonātia inter prophetas aut Euangelistas ex spiritu sancto

Quomodo doctrina ex deo dinoscitur

Acto. 4. Ephe. 4.

De inconstantia Lutheri. CAP. XXVIII.



TQVE VT principem ordinis uestri Lutherum sumamus, quo quid inconstantius, leuius, uanius esse aut cogitari potest? Sume tibi quā uoles materiam, uno eodemq; ex Luthero, ut sophista quodam utranq; in partē probe exercitato, tibi pro ueritate & contra, argumenta testimoniaq; producam, Nam horum magnam partem excerpsi.

Lutheri scripta in utranq; partem.

Exempla contrarietatis in Luthero.

De intercessionib. Marię ac sanctorū, si uis, in promptu est, quod ex Luthero producam; contra intercessionem sanctorum itidem si audire

b iij placet,

placet, ex eodem oẽs sanctos non modo non intercedere probabo, ue-
II. rũ etiã de coelo precipites exturbabo. Purgatoriũ scire uis? Ecce tibi Lu-
therũ purgatoriũ permittentẽ, Purgatoriũ item tolli expetentẽ, et ex eo-
dẽ lacu oẽs purgatorij flammas restinguã. Sumum pontificatum siue Pa
III. patũ ex deo & iure diuino constitutũ esse ais, ait etiã Lutherus: Negas,
negat, imo & pernegat etiam Lutherus oẽs simul Episcopos, totũ sacer
IIII. dotum ordinem funditus auferẽdo. Missam publice & priuatim legen-
dam tueri si stat sententia, sunt ex Luthero praesidia: At si displiceat pri-
uatam legi, publice tãtum faciẽda uidebitur, ex eodem Luthero, Quod
si Missarum omne genus abolere libido hortetur, non deest hic etiam
V. Lutherus. De Sacramentis autem in Lutheri doctrina, primum se-
ptem comperies, deinde sex, tum quinque, atque alio loco quatuor, mox
tria tantum, protinus duo & dimidium nec dum satis, duo tantum, po-
stremo uel unũ tantum, uel penitus nullum, Si uoles, erit unde probes.

VI. Atque non semel a Luthero scriptum est, rustici ut insurgant aduersus Principes nobiles, dominosque suos iugilent, trucident, illorumque arces flamma & incẽdio perdant: Cum autem hi agrestium tumultus ac bella nepharia non succederent, Lutherus idem nobilitatem animat in rusticorum capita, ut saeuiat, nec agrestium quenquam uiuere patiatur, Caedentem & trucidantem rusticos indulgentijs nouis & remissione peccatorum cumulauit. Id genus locos habeo notatos circiter trecentos, quibus ita secũ Lutherus pugnat, ita sibi aduersarius est, ut est et non est, dies & nox, lux & tenebrae, coelum & inferi, ignis & aqua, calida & frigida, Ac tandem dicam, ut Christus & Belial. Quo factum est, ut sua audacia sic in profunda inferorum delapsus sit, ut quanquã plurimis locis, plurima de Deo, eumque unum esse docuerit, reperitur tamen nihilominus duobus locis, neque eũ neque Carolstadium tenere, unũ deũ esse. O bellum ducem & magistrum religionis nostrae. Interea tamen Caesarem traducere non dubitat, ut qui fidem datam saluumque conductum illi non conseruarit, didicerintque Germaniae principes fidem datã contra ius gentium non seruare, Vtque dominum meum clementissimum, Vngariae, Bohemiaeque regem Ferdinãdum, Caesaris fratrem germanum, idem iste Lutherus in sugillationibus suis noluit praetermittere, sibi etiam imperare non potuit, quin ut puerum eluderet ac irrideret.

Loca contraria 300. in Luther.

Calumniae eius in principes.

Et diutius tu tuique similes eum Danielem, eum Heliam, atque adeo alterum Messiam esse publica uoce predicastis. Sed et hũc prophetam esse aliquem ipse non nego, quippe unam apud Lutherum prophetiam ueram inuenio, nempe nihil profici (ita Germanice dudum ad nobiles Germaniae predixit) nisi tãta uis Christiani sanguinis redundet, ut genua usque incedentium contingat, ac cruentet, Hanc ipse suam prophetiam, fidelis Antichristi nuncius & minister, sedulo studuit promouere, atque adhuc strennue cogitat ultima experiri, nisi summi dei gratia, per Caesarem, Reges, Principes Christianos atroci consilio, crudelissimisque conatibus occurratur. Audisti ne huius hominis doctrinas amplius ter cẽties sibi ad-
uersari,

Falso laudatus a suis.

Sanguinaria Lutheri prophetia.

uerſari,ſecumq́ꝫ pugnare. Iam ſupereſt,ut uideas, quã bene cum ſanctis, probatiſq́ꝫ fidei noſtræ doctoribus conueniat. Hic te non fugit, omniũ autoritatem ſubleuare,famamq́ꝫ uiolare Lutherum, diuum Hieronymum omnino cõtemnere, Quod idem Zuinglius fecit, qui palam Tiguri me præſente dictitauit, ſeſe altero oculo clauſo, alteroq́ꝫ innixum pede, Hieronymo nihil conceſſurum. Suggillator aut cõtemptor doctorum Ecclesiæ Lutherus.

At Lutherus non modo pugnat & aduerſatur omnibus Chriſtianę religionis doctoribus, eorumq́ꝫ interpretationibus, Sed eo impietatis euaſit,ut cccc. Hæretici,communis Eccleſiæ ſententia damnati, præ illo Chriſtiani fuiſſe uideantur. De Pelagio legimus,alijſq́ꝫ multis hęreticis, eos errore implicitos ab Eccleſia quidem diſſenſiſſe, non tamen idcirco ab ipſorum ordine & uoto deſciuiſſe. Multi ẽm fuerunt Monachi, qui caſte & ſancte uixerunt,qui tamen a fide deſciuerant. Non paucos prę terea legimus,qui de libero arbitrio,ut idem Pelagius, qui de deitate ut Arrius &c. uarias hæreſes ſunt ſecuti, diuerſas opiniones pugnaciſſime defenſarunt. Sacramentis tamen uim,ut Lutherus, non intulerunt. Iuſtificator hæreticorum Lutherus.

Si igitur illi ab inferis ſuſcitati redirent, & in commune fidelium concilium confluerent, primi ſane ſua ſententia, Lutheri Lutheranorumq́ꝫ hæreſes condemnarent. Equidem triginta articulos ex Ioanne Huſs, triginta ex Pighardo,triginta Vueſſaliæ libris extraxi,quibus in nonaginta articulis tres ab eccleſia damnati hęretici,Chriſto,eiuſq́ꝫ doctrinæ magis congruunt, quam Lutherus in ſuis dogmatibus ac libris. Quo circa fieri non poteſt,eius ſpiritus ex deo ut ſit,plane enim omnibus rebus ſatanam autorem clamat, cuius omnino ſtudium omniſq́ꝫ cura eò intenditur,atq́ꝫ inuigilat, ut diſcordias,tumultus, bella excitet ac inſtruat, utq́ꝫ illius regnum perpetuo diſſideat. Lutherus ab ipſis quoq́ꝫ hæreticis condẽnandus. Spiritus Lutheri ex diabolo.

De Conſenſu & Concordia Conciliorum ac Doctorum in Fide. CAP. XXIX.

D. BALTHASAR.



TAMEN ANTIQVI doctores, Hieronymus, Auguſtinus &c. ſæpe ac multum diſcordes inueniuntur.

D. FABRI. Hanc obiectionem a multis his decem annis ſæpe intendi ac proponi animaduerti, Atqui fundamẽto caret. Concilia dicitis uos diſſentire unum ab alio: Ego autem adhuc non reperi magna concilia ut Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Nicænum, aut Calcedonenſe, in quo ſexcenti triginta Epiſcopi fuere, aut alia etiam quæ legitime congregata, in his quę fidei ſunt, inter ſe contraria ſanxiſſe aut ſtatuiſſe. Dico non abſq́ꝫ ratione in his quæ fidei ſunt, Quid ẽm tum poſtea, ſi Concilium Nicænum decreuit, ut Epiſcopus nouus a quatuor alijs Epiſcopis ordinaretꝰ, Idq́ꝫ poſtea alijs Concilijs correctũ, emendatumq́ꝫ eſt, ut in Tripoli, ubi plures Epiſcopi haberi nequeũt, permiſſum fuerit, ut Eps Tripolitanus etiam pauciorib. adhibitis ordinari queat. Sicut in ueteri Teſt. deus permiſit, ut qui tenuiores forent, turtures, par pullorũ columbinorum offerrent, & aduſq́ꝫ paſſeres diuina remiſit benignitas. Decreta Conciliorum in fidenunq̃ contraria fuerunt. Leuit. 5.

Vnus spiritus et cōsensus in sacris Doctoribus. Ac quemadmodum de Concilijs, ita de doctoribus assero, Etsi Chrysostomus Antiochiæ in Syria & Cōstātinopoli ad mare Euxinum, Ambrosius Mediolani in Lombardia, Augustin. in Aphrica Hyppone, Hieronymus ad præsepe Christi in Bethlehem, prophetas & Euangelia enarrauerunt cōmentatiq; sunt, qui unus ab alio plus centum miliarum interuallo seiuncti erant, consensere tñ, atq; uno quasi ore omnes locuti uidentur. Septuaginta præterea interpretes a Ptolomeo rege uarijs locis dispositi, uetus testamentum ex hebræo in græcam linguam traduxere, qui etsi uarijs locis, uaria scripserunt, pręscriptoq; labori satisfecerunt, cum tamen confluxissent, omnibus locis ita congruerunt, ut ex uno animo rata, uno ore profecta uiderentur, quod fieri citra diuinam gratiam nullo modo potuit, Cum itaq; doctores sacri ita conspirent, unanimesque sint, e spiritu sancto eorum dogmata nata minime dubitamus, Proin singulorum scripta singula, dei oracula habenda sunt.

72. Interpretes sub Ptolomeo

Sacri Doctores in rebus fidei non sunt discordes. Quod dicitis aūt uos pseudoeuangelistæ, ecclesiæ doctores aliquando inter se contrarios esse, inuicemq; repugnantes, uerum esse nego. In rebus quidem serijs, id est his quę fidei sunt, Vt de Baptismo, De Eucharistiæ sacramento, De purgatorio, De Maria uirgine, De uirginitate, De uotis, De uita monastica, aut quibuscunq; articulis fidei, quæ (proh dolor) miserandum in modum nunc a uobis agitata, orbē impium reddidere. Nemo doctorum, puerorum baptismum nō docuit, quem uos hodie impugnatis, omnes una ratiōe sacra fecere, missas unanimiter pro uiuis et mortuis celebrarunt, omnia mysteria ueritatemq; omnem sacramenti credidere. Et quanq̃ Chrysostomus & Augustinus dissentiunt, q; unus putet Christum Petro primo pedes lauisse, alter postremo, Quid autem ad fidem, primus ne an postremus lotus sit Petrus? Sic Hieronymus discordat ab Augustino de Paulo, qui Petrum Antiochiæ corripuisse scribitur, ut illi in faciem restiterit. In quo genere dissensionis utram in partem declines, parum ad fidem interesse uidetur. Atqui uestrę hęreses de sacramento altaris, panis ne sit uulgo pistus an corpus & sanguis domini Iesu, hę uero sunt Germanię prauitates, erroresq;, pręsentem animis interitum ferētes. Concludo itaq;, neq; concilia neq; doctores in his quæ fidei sunt dissensisse unq̃, Vos uero conuenire nusquam.

Discordāt alicubi, sed in ijs quæ fidei non obsunt. Galat. 2

D. BALTHASAR. Attamen Augusti. libros ędidit Retractationū.

Quales sunt libri retractationū Aug. D. FABRI Est ita, Augustinus ut se lapsum in quibusdam animaduertit, non erubuit reuocare, & antequam moreretur, orbem terrarum ab errore eripere. Et si quis libros duos Retractationū diligentius euoluerit, inueniet profecto eū multa addidisse ad ea uolumina, quæ plurima ante ædiderat, quæ ad ea commodius intelligenda facerent, quiq; eius uolūtatis testimonium locupletius exhiberent, quo sine errore posteri tot uolumina, tot sensa uerius perciperent. Vt sępe ac multum de fortuna ostendit & fatetur, se totius fortunæ meminisse poenitere, quod timeret ne mali rerum æstimatores inde conijcerent, Augustinum fortunam deam fecisse, Quod ita non est, cum fortunam neq; marem, neque

foeminam

fœminam esse docuerit. Habet prӕterea Augustinus errorum suorum, si qui sunt, Retractationũ iustam excusationem, dum enim in gentilium libris uersatus esset, baptizatus deinde, fideiꝗ; nostrӕ iniciatus, continuo libros suӕ fidei testes euulgauit, ut non mirum sit, cum (ut sunt humana) alicubi lapsum esse. Vos autem prӕterquã ꝙ uestri errores ante in Pelagio, Berengario, atꝗ; alijs damnati, omnium sententijs piorum confessi ac reprobati sunt, Eam quam nos iam mille quingentis annis constanter tenuimus, ut iam non uacillemus, certam & indubitatam fidem, & cunctarum rerum, omnium articulorum fidei intelligentiam summi dei beneficio consecuti, Vos inquam nostram fidem ita solidӕ petrӕ impositam tẽtare aggressi, dӕmonum suggestione per homines nefarios concitatas hӕreses fidelium pedibus iam diu pessundatas ac contritas, non modo renouastis, sed nouas etiam, inauditas ac flagitiosas opiniões adiunxistis, prӕ quibus omnium superiorum errores ludus uideatur. Quӕ cum ita sint, uos tamen adduci non potestis, ut resipiscatis, quӕcunꝗ; scripturӕ uobis quamuis manifeste proferantur, non auditis pertinacissime durӕ ceruicis homines in proposito conceptoque errore pertenditis, duriores ꝗ̃ sit silex aut Adamas. Exemplum libet proferre: Ego ueteri fidei, & uerӕ pietatis alumnus, de sacramento, Hoc est corpus meum, dico intelligi oportere uerba ut genuina intelligẽtia germanusꝗ; sensus flagitat. Obsistit Zuinglius hic multa cõmouẽs, Hoc est inquit, id est, significat. Cõtra Oecolampadius pari acumine, Hoc est, id est figurat, Tum uero, hoc est, id est commemorat, Carolstadius Silesitaꝗ; nonnulli Tutum suum sequuntur, ita laniant canes sacra. Ita impij Iebusӕi, uel porci uerius, pedibus suis margaritas unionesꝗ; conculcant.

Excusabilis Aug.

Inexcusabiles Luth.

Incorrigibiles Lut.

Falsa scripturӕ interpretatio.

Matth. 26. Marci 14 Lucӕ 22

Matth. 7

D. BALTHASAR. Non raro Zuinglium monui (ut etiam ante dixi) suum significat, hominibus non probatum iri.

D. FABRI. Quo tu tandẽ cum tuo Rememorat, nisi ut fateare, ad extremum panem empticiũ formare pistum, et procreationem uitis esse uinum, non corpus neꝗ; sanguinem Christi, quo nos redempti ac liberati sumus?

Conclusio, ut perstemus in ecclesia, ut quӕ in fide nunquam errat. CAP. XXX.



QVOCIRCA obsecro te, mi doctor, persta cum ecclesia catholica, cuius nos membra, si in errorem (quod absit) inducti sumus, nemo nos nisi Christus caput nostrum seduxit, quod fieri non potuit. Ille enim nobis ultima in cœna sic promisit. Ioannis. xiiij. Alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in ӕternum, spiritum ueritatis. Et iterum: Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Atꝗ; iterum in eodem loco: paraclitus spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit uos omnia, & suggeret uobis oĩa, quӕcunꝗ; dixero uobis. Hoc dubio procul factum est, Proinde non est necesse, ut imbibitam doctrinã, ex ipsis fontibus pietatis nostrӕ haustam, ab apostolorum tempore sanctissime conseruatam uestris, ampullosis, leuibus,

Promissiones Christi de omni ueritate per spiritũ sanctũ. Ioannis 14

leuibus, inauditis nugis inducti turbemus, ac prophanemus.

Iam ultro progrediemur in uerbis ueritatis. Ioan. xv. cap. idem seruator noster ait: Quum uenerit paracletus, quẽ ego mittam uobis a patre, spiritum ueritatis, ille testimonium perhibebit de me. Ecce ut dominus noster Iesus Christus, hunc spiritum a patre procedentem, spiritum ueritatis semper adpellat, qui & iuxta sua promissa, non solum omnia, sed et omnem ueritatem edocturus sit, Eapropter non est necesse, ut nos ueritatis nouę nouos autores audiamus, ac uetera, a maioribus nostris religiosissime custodita, temerario furore prolapsi uelut uana mendosaq; habeamus, Nam Christus deus & dominus noster, de hoc spiritu suo amplius cap. xiiij. sic ait: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscũ in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, neq; scit eum, uos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit, Non relinquã uos orphanos. Quod si ueritas iam primum (ut uos egregie gloriari soletis) uobis authoribus reuelata est, ubi quæso spiritus ille ueritatis intra mille annos sese cõtinuit? Christus uero ait hic: uos cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit. Vides iam iterum spiritum in perpetuum ecclesiæ promitti, quo præsente fieri non potest, ut tam diu cæci in errore fuerimus. Cõsyderemus uero & ultima uerba Christi quibus cœlum conscensurus, affatus est discipulos, Habentur hæc Matth. ultimo: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ sæculi. Hæc uerba (quod & tu fateare oportet) nihil amplius sequitur apud Matthæum. Cum igitur os omnis ueritatis, imo ipsa ueritas, nobis promiserit, nos orphanos non relictum iri, spiritum sanctum mansurum, ac fore perpetuo in nobis atq; nobiscum, imo Christus seipsum omnibus diebus (non post magnum Platonis annum) nobiscum fore præsentem spondet, Eapropter non est existimandũ, a spiritu ueritatis derelictum gregẽ sesquimille annos fuisse, ac nunc primum, cum audax Lutherus, abiecto cucullo e monasterio elapsus, in monialiũ uirginum collegium impetũ faciens, omniũ elegantissimam sibi de multis thori sociam sumeret, funesti monachi impudentissimis, flagitiosissimisq; scriptis, spiritum illum elicitum, nos reuisere uoluisse. Quo circa fidenter credo uerbo Christi, neq; dubito quin promissa fecerit. Neq; mihi persuaderi potest, Messiam, de quo toties tam multi prophetæ locuti, cuius nos doctrinã, exempla, passionemq; imitari debeamus, semperq; meminisse &c. & secundũ illius uerbum uitam nostrã informare, ubi cœlos conscenderit, abiecta nostri cura, tantis de rebus, utpote de puerorũ baptismo, sacramẽto altaris, plurimisq; alijs, obsopitos nos, non sine præsenti animarum pernicie, errare permisisse.

Nam Ecclesiæ suæ sponsum se obtulit ac professus est, iuxta illud Dauidis: Et ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo. Et Iohe. cap. ij. de eo predixit. Et quemadmodum apud Matthæum, Marcum, & Lucam scriptum est, seipsum sponsum adpellat. Ecclesia autem quæ non ex

lapidibus

Marginalia: Spiritus ueritatis Ecclesię promissus. — Ioan. 14 — Matth. 28. — Epilogus promissionum. Ioan. 14. Matth. 28 — Incredibile est Christũ tam diu ecclesiam suam in errore dereliquisse. — Christus Ecclesiæ sponsus. Psalm. 18 Math. 9. Marci 2. Lucæ 5

lapidibus & lignis, operibus hominum facta, sed spiritus sancti uirtute & gratia, fideliumq; consensu & cōmunione sponsa est, cuius ipse iuxta Ioannis cap.iij. sponsus est, ad quam clamat inuitabundus, Cant.iiij. Veni sponsa mea, De qua Paulus ad Corinthios laborat, ut hanc Christo uirginem despondeat exhibeatq; sponsam quæ maculas non haberet, neq; rugas. Sponsa Christi Ecclesia. 2.Cor.11. Ephe.5.

Eum igitur benignissimum & mitissimū Iesum sponsam suam tot sæculis dereliquisse, quis nisi malo hæreticorum morbo infectus credat? Fidem hanc meam lubens aperio, ac mihi persuadere soleo, plane impossibile esse, Christum uel uno momento non habere suæ Ecclesiæ curam. Non licet sponso derelinquere sponsam. En ut non sine mysterio grandi legitimo matrimonio ex uirgine nasci uoluit, parētes honorauit, fassusq; est ipse, se non uenisse soluere, sed adimplere legem. Matth.5. Est autem in lege, ne sponsus habitet longius aut diutius sponsa, Ideoq; Paulus non uult cōiugatos seorsum separatimq; habitare, nisi ad tempus, aut ieiunij aut orationis gratia. Deut.20. & 24. Idcirco et si scriptura sacra scriptores doctoresq; sancti, ac hæreticorum aliqui, uosq; ipsi uobis aduersarij nō essetis, nihilominus tn̄ inconuulsa stabit hęc conclusio, neq; credibile, neq; possibile esse, nos Christum tot sæculis in errore, ut in lymbo patres, uolutari uoluisse. 1.Cor.7. Ecclesia non errat. Sufficit me credere ea quę ecclesia credit, & ecclesiam credere quæ ego credo, neq; facile ab hac me sinam auelli sententia, Tutius est mihi, ut communem orthodoxę fidei intellectum amplectar, interpretationemq; scripturę sequar, quam ut ex deserto mobilem arundinem accipiam, cui inniti uolens, manum offendam. Sententia. 4.Reg.18.

Atq; equidem uere tibi affirmo, non mediocrem esse articulum fidei nostræ, credere ecclesiam sanctam catholicam, Neq; committendū est, ut cuiq; integrum sit, ut Zuinglio, Luthero &c. iuxta suas opiniones erroneas propriam ecclesiam (si modo ecclesia magis quam impudentum uel sceleratorum conciliabulum est adpellandum) cōstituere. Credere Ecclesiam sanctam Catholicā. Ante oculos uestros intuemini, tot pene nouæ superstitionis genera existere, quot ueteris orthodoxæ fidei desertores sese ad noui Euangelij delicias contulere. Quare resipiscendum est, mi doctor, cogitādumq; alijs quoque puræ conscientiæ bonū curę esse, neminemq; esse, quin omnibus uotis salutem expectet, omnibusq; rebus anteponēdam putet.

Sis itaq; hac mea fideli scripturarum collatione commonitioneq; nunc contētus, Et quæ tecum locutus sum, ut sunt optimo animo profecta, ita boni consulere digneris.

D. BALTHASAR. Omnia sane optimam in partem accipio, tuaq; mihi præsentia gratior est q̄ ullius in terris hominum, ac rem expendam diligentius, Et deinde quod mea mihi conscientia dictauerit, conscriptū Regiæ maiestati mittam. Tu uero pro me fidelis intercessor patronusque esto.

D. FABRI. Conscientiæ tuæ iustam tranquillitatem parabis, idq; faciliter, si cogitabis, quam crassa Minerua, q̄ sordide & in obliquū sensum scripturas interpretatus sis, ut agrestib. aduersus Reges, Principes, Agnitis erroribus facile resipiscimus.

Magistra-

Magiſtratus, nouum regimē, circiter triginta arcus papiri conſcriptum euulgaueris, & poſthac multa & longa uerborū ſerie, ſedicioſos articu-los Euāgelicis monumētis applicaueris, Ita fieri potiſſimū oportuit, atq; adeo ita eſſe, ut in alijs quoq; noſtrę fidei decretis, ſuper quibus uſq; huc ſermo nobis fuit, itidem falſus ſis, aut certe falli potueris. Quo circa do-
Ioan. 9. minum Ieſum ſupplex precare, ut huic cęcitati tuæ medicinam faciat, con
Mar. 10. ſputaq; oris ſui ſaliua humum ſacro digito intingēs oculos illuminet, &
Pſalm. 68. tu collyrio perunge oculos tuos, ut lumen recipias, & clames cum Bar-
thimeo illo: Vt uideam domine. Clama cum Dauid, Libera me de lu-
to, ut non infigar, ut ſuam gratiam tibi largiatur, & pro tuis ad-
miſſis ſuæ inexhauſtæ miſericordiæ fontes aperiat, tuiq;
miſereatur. Quod tribuat tibi benignus & miſe-
ricors deus, ex quo, in quo, & per quem
ſunt omnia, Cui ſit honos et gloria
in ſęcula ſęculorum in ęter-
num, et ultra, Dicat-
que omnis po
pulus:
AMEN.

DISSERTATIONIS DE PRAECIPVIS REBVS RELI-
gionis orthodoxę, aduerſus Balthaſarum Ana-
baptiſtam, FINIS.

IOANNIS FABRI EPISCOPI VIENNENSIS DE INTERCESsione sanctorum aduersus Oecolampadium Liber.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO CONrado Episcopo Herbipolensi, Ioan. Fabri Doctor, gratiam & pacem ab eo, qui est benedictus in sęcula, Amen.



EUTIQUAM MIHI FIT dubium Reuerendissime in Christo pater, ac Praesul dignissime, quin recenti etiamnum Reuerendae tuę Paternitatis memorię obuersetur, quem finē Disputatio superiori anno Ergoię in oppido Badensi sortita sit. Eo siquidem cum omnes ab Heluticę gentis primarijs potestatib. diuini uerbi dispensatores cōuocati, uillicationis suę rationē reddituri cōfluxissent, & cuncta pulcherrimo quodam ordine citra aliquā illorū etiam suspicionē qui negocio praefuerāt, gererentur, inter caeteros Oecolampadius ille Trihaereticus, qui & sacerdotij & monachatus periurus apostata, in hunc insigniter integerrimorum hominum conuentum, ceu ouis rejcula (quemadmodum germania iam proh piaculum, ab istorum hominum foeda colluuie propemodum occupata est) irrepsit. Age uero quibus tandem negocijs & turbis illi sese non uel ultro ingerunt? Quosue orbis in angulos uirus suū hi serpētes nō spargunt? Sed ut ad rem redeam, egregius ibi ille Oecolampadius ueluti Protheus alter, omnem sese in speciem uertens, cum animaduertisset adeo se suis conatibus non promouisse, quin infecta re inglorius ac ridiculus discedere cogeretur, quid faceret uictus? Furit, insanit, latrat, et sermone ad populum publice declamato, tota plaustra conuiciorum in me semel euomit. Quin ne uspiam inausum, aut intentatum relinqueret quicquam, pro germana sua inuidia (uti homo est cui in ore pallor sedet, liuent rubigine dentes) passim omnibus depredicat, atq; ędito in hoc libello superiorem se euasisse falso diuulgat. Num quicquam pudet hos nebulones? qui dum ueritatem pro se nō stantem uident, mendacijs tanquam arundineo baculo innixi, causam suam mire frigidam, probabiliorem efficere student, Is inquam libellus, dum apud totos diuisos orbe Britannos legationis munere fungerer, per postam mihi aduectus est, In quo praeter Mariae uirginis, diuorumq; omnium summum contemptum, ita sui similis apparuit, ut nominatim etiam: quod alias tum sacris tum prophanis literis ne fieret cautum est: me dentatis suis scommatibus oneraret. Verum cum id temporis, nimirum in aliena terra agens, literaria supellectile carerem, respondendi omnis oportunitas erepta uidebatur. Eapropter omne negocium integrum mihi reseruans, commo-

c dum in

dum in hoc tempus reiecisse uideor. Vltionis autem adeo auidus non sum, quin iniuriam ac notam illam quam mihi inussit, pro solita mea modestia utcunque perpessurus fuerim, nisi insignem contumeliam, qua diuam Mariam uirginem, diuosqꝫ omnes affecit, inultam illi non auferendam existimarem. In eo certe opusculo Germaniam, quę olim prudens, nunc stulta, quōdam religiosa, hodie plerisqꝫ in locis impijssima existit, perinde ac in tabella quadam suis coloribus graphice, ni fallor, adumbratam contemplari licebit. Quamobrem cum hactenus R. T. P. tempestatis nostræ pseudoapostolis illis qui gigantum more deum ipsum e cœlo deturbare aggrediuntur, plane inuicto animo et robore restiterit, ad hæc uiros doctissimos quosqꝫ quasi ad asylum cōuocatos sumptib. ꝓprijs foueat, alat, promoueatqꝫ: cuius quęso sub tutelā fœtura illa mea potius ibit, quam illius, qui iuuandi studio non solum paratissimus, uerumetiam defendendi autoritate quam maximus censetur? Hoc igitur quicquid est laboris R. Tuæ paternitatis nomini tum patrocinio nūcupo, ac penitus dedo. Illud interea, si quid etiamnum eblandiri ualeo, efflagitans, ut hasce lucubrationes quam pio instituto a me elaboratas, tam grato etiam animo R. P. T. suscipiat, & tuto ibidē delitescere sinat. Bene R. P. T. ualeat.

Datæ Viennæ Austriæ, Anno a nato Iesu M. D. XXVIII. XXVI. Martij.

OMNIBUS VETUSTIORIS INDUBITATAE FIDEI FIRMIS CULtoribus, fratribus & sororibus, qui sunt Basileę, ego Io. Fabri doctor ex animo & syncero corde gratiam, pacem, & salutem perpetuam opto a domino nostro et saluatore Iesu Christo.



NTELLIGITIS OPINOR FRATRES IN Christo dilectissimi, quod nostra Germania (proh dolor) suo magno malo probe didicit, negocium hoc Lutheranum non tam odiosum, quam omni amaritudine plenum, odio & inuidia inflatum, deniqꝫ malis artibus cumulatissimum esse. Hoc enim hominū genus nihil pensi habens, q̄d libet licere arbitratur & audet, primū potestatibus superioribus recalcitrare pro nihilo existimat, Spiritualium superiorum

quenq̃ agnoſcere nephas ducit. Omnia autem in deterius, ſeditiones ſci-
licet & cruentas cædes uertere, ſumma apud illos prudentia eſt, Et quia
Euangelij ueritas locum nullum apud hanc immaniſſimam beſtiam ha-
bere poteſt, ut ſecurius mẽdacia eorum fuco tegantur, in promptu ſunt
quæ fingunt & excogitant, diſſenſiones, traditiones, poſtremo ad ſum-
mam reip. perniciem ſeruientes, ruſticæ et imperitæ turbæ, quibus ſedu-
cantur articulos condunt. Atq; ut ſuum uenenum, ſuam inuidiam, q̃ la-
tiſſime diffundant, non erubeſcunt frontes æreæ, docere & pertinaciter
pro uero aſſerere, quod omni iure prohibetur & cõdemnatum eſt, ita ſe
deo obſequium præſtare putantes, ſi ſtrenue perrexerint. Hoc niſi aper- Ioan.16
tiſſimũ totius Germaniæ malũ uos ſoli non cernatis, niſi in uulgatiſſima
fama ueſtrę peregrinent aures p ſuperiores annos uidiſtis opinor? Equi
dem ab Aſtronomis prædictũ, quum non ſine timore diluuij cuiuſdam
aquarum periculum ad annum xxiiij. expectabamus, multo maiori cum
detrimẽto ſanguinis inundatione obruti ſumus, ad hęc oppidis, caſtris,
monaſterijs, pagis dirutis & euerſis, miſeri Germani mutuis uulneribus
concidimus, & tot alternis prælijs attriti, ultra centum milia uirorum
amiſimus, adeo ſe prodidit ſplendidus Lutherani Euangelij fructus, ut
non abs re Lutherus, quem elapſis octo iam annis, quidã Danielem ad-
pellarunt, ſcripſiſſe uideatur, nouum hoc Euangelij negocium odio &
inuidia coeptum, eundem etiam finem conſequuturum. Quod ut effi-
ceret, bone deus quã ſtrenue aduigilauit, quam fortiter rem geſſit? Qui
non contentus fuit Petri ſe cathedram clauibus confractis euertiſſe, Matth.16
gregem domini dei & habuiſſe contemptui, & ſua doctrina turbatum Acto.20
in fugam conuertiſſe, quin etiam maieſtatem imperatoriam per contu-
meliam in caminum deducens allatrare eſt auſus, Subditos aduerſus
principes, poteſtates, & quaſcunque alias ſuperioritates iritauit, atque
ad ſeditiones eorum animos impulit, quæ incautioribus præſentiſ-
ſimam attulerunt mortem, Elabendi anſam cautioribus dedit aſtutia,
qui mature ipſius Lutheri adiuti ſolertia, cum eo mutarunt animum.
Quum enim uideret Lutherus poteſtates a deo ordinatas, nec detur- Roma.13
bari nec quouis modo remoueri poſſe, ſed eas paſſim, contra ęquum et
bonum commotos ſubditorum animos componere, recalcitrantes ui
coërcere, & de pertinaciter reſiſtẽtibus poenam ſumere. Tum Lutherus
loco antiquæ, deuotæ, & ſanctæ eccleſiæ, nouas propria autoritate con-
ceſſit indulgentias. Siquidem clare ab eo ſcriptum reperitur, cum qui ru
ſticum interficiat peccatorum remiſſionem eſſe conſecutum, neq; enim
cuiquam ex ipſis uiuere phas eſſe. Hij Euangelici Lutheri ſermones, hæc Matth.12
pia eius ſcripta, quorum pater ex Beelzebub natus, fructus parit dete- Lucæ.11
ſtandos, inuidia, ſeditionibus, effuſione ſanguinis cõſpicuos, habetq; in
ea re fratres, ſorores, liberos obſequẽtiſſimos, quod me tacente libri, dia
logi, inuectiuæ, & cætera tum a ſe, tum a complicibus ſuis ædita & ſcri-
pta clare comprobant. Nullam enim hiſtoriam reperiri ſatis certo ſcio,
quæ tam horribiles iras, odia, diſcordias, & quicquid eſt ſeditionum de

 ullo comme

ullo commemoret uel sæculo uel populo, quanta hæc omnia recentiores isti doctores in germania, quam ad hęc usq; tempora, tam pie, fraterne, legitime suis superioribus subiectam fuisse compertum est, Recentiores inquã isti doctores seminare & pro uirili plantare conanẽ, in quorũ cordibus adeo etiam charitatem extinctam, inuidiam cõtra insitam esse intelliges, ut si accuratius consyderes, ex oculis scintillantem iram, item fronte, labijs, dentibus deniq; quales sint deprehendas, hijs enim notati sunt signis, qui hoc ueneno aliquando imbuti, & a diabolo circumuenti sunt. Inter quos neutiquam postremus est is, qui penes uos Basileæ ætatem agit Ioannes Huschin, nõ parum profecto splendoris a Ioanne Hus contracti prę se ferens, quem Lutherus fratrem in Christo non minimũ sibi primum adiunxit, Facile enim apostatarum animi coalescunt, & ad tempus conglutinanẽ, cui semper peculiariter eius misertus ex animo cõ dolui, uidelicet miseri hominis in fide naufragiũ, quo periclitatus a fide
1. Tim. 10. discessit, consyderans, quod uehementer animum meum commouit, scilicet eum in excogitato suo impio & condemnato errore pertinaciter pergentem condemnatum iri, a quo sæpius fraterne admonens, pie adhortatus fui hominem, & postremo una cum excellentissimis & grauissimis dominis doctorib. in disputatione Badensi diligẽter cõmonui, uti tandẽ ad sponsam Christi, sanctam matrẽ ecclesiam, ueluti postliminio rediret, iamq; respiciens errores agnosceret, ac materialem pistumq; panem desereret, simul & alias pertinaciter a se affirmatas falsas doctrinas abijceret. Sed iam quoq; uerissimum esse cõperi. q̃d per uulgi quoq; ora dictum uolitat, peruersum & seductum difficulter corrigi, et cancrũ morbũ sane molestũ, quum serpere cœpit, nullis cõtineri finib. nec podagram facile curari, id ego tandem uerũ post multas cõmonitiones fraternas in Oecolampadio esse cõperio, qui in ꝓfundũ errorũ delapsus, submersusq;, ipsius Belial tenacissimis uinculis detineẽ, omni q̃ olim a Christo plãtata in eo fuerat charitate extincta, uenenũ suę inuidię ad serpẽtis modũ imbibit, ꝙ tam firmiter in oẽs bonos spirat & euomit, ut interim dum in Anglia fui, satis tutus ab istius serpẽtis morsib. esse nõ potuerim.
Iob. 1. Qui ueluti in Iob satanas circuiuit terram, Deniq; per mare transuectus, fere in finẽ mundi ad Orcadas insulas in Angliam ad me uenit. Quũ eñ ex mandato Serenissimi Bohemię & Hungarię regis dñi mei clementissimi, legatũ iam apud doctissimũ Anglię regẽ agerẽ, transmissus est ad me Oecolam. sermo, Basileę apud uos omniũ sanctorũ die, ab isto declamatus, & ab Adamo Petri impressus in uulgus sparsus est, q̃ se Oecolamp. clare q̃s sit, ostendit, ꝓ ea .n. quæ Lutheranis usitata est cõsuetudo, non solũ pro pane lapidẽ, ꝓ ouo scorpionẽ, pro pisce serpentẽ dedit, sed in-
Matth. 7. Luc. 11. Iob. 3. Esa. 27. sultat, mordet, cornupetit, & more rabiosarũ bestiarũ furibũdus fremit, quasi nulla iam omniũ sanctorũ alia fuerit, q̃ de me predicandi materia. Verũ & si apostoli uerbis edoctus, ego hũc hominẽ sępe admonitũ demumq; non tam a Papa, Cęsare, Epis et concilijs, q̃ a se ipso, quum sibi toties repugnet, condemnatũ, iure desererẽ & uitarẽ, Tñ satis certo sciens adhuc deum sibi ad septẽ milia uirorũ reliquisse Basileę, qui nõdum
coram

coram hoc Baal sua flexerunt genua, uerum adhuc in communi Chri- 3.Reg.19.
stifidelium communione constituti, et in archa Noë, hoc est in ecclesia, Roma.11.
quæ a spiritu sancto regitur & administratur, permanserunt. In horum Gen.7.
inquam & omnium ueræ fidei cultorum gratiam, & ædificationem, 1.Petr.2.
licet nulli fere ad manum libri adsint, nihilominus huic stulto, ne sa-
piens sibi uideatur in oculis suis, neq; sibi falso persuadeat, impijs suis Prouc.26.
doctrinis uictoriam se consequutum, respondendum esse duxi. Quare
uos oro atq; obtestor primum ut meam operam & erga uos amorem,
benigne suscipere & boni consulere uelitis, Deinde cõmunibus obsecro
uotis a domino deo expetite, ut huic Bartimeo lumen suæ gratiæ dñs
tribuat, oculosq; clementer ad intuendam lucem aperiat, nosq; firmiter Mar. 10.
in uera fide conseruet. Valete. Datæ in Londino Angliæ, prima Apri- Luc.18.
lis, Anno &c. M. D. XXVII.

DE INTERCESSIONE SAN- CTORVM ADVERSVS IOAN- nem Oecolampadium.



DILECTISSIMI, FIRMI, PROBI, ET DEVOTI IN Christo Iesu, Proxime iam peracto omnium sancto- rum festo, Ioannes Huschin, quem & Oecolampadium uocant, & deuotissimus S. Brigittæ ordinis, diligens olim obseruator monachus professus, apud uos Basi- leę sermonẽ instituit, in quo sæpius meum nomen uarie commutatum & inuersum, ludibrio exposuit & canina facundia sæpe momordit. Hic enim Oecolampadius, ad recentioris euangelij morem, quam acerrime inuectus, iniurias, contumelias, & omnium malorum agmen in me congerere conatus est, & quo facilius plebis commoueret animum & exacerbaret, nihil omisit, quod ad conflandam mihi inuidi- am, sibiq; ad parandam gloriam, uel aliquo modo uisum est facere. Vn- de pestifera & ignea sua lingua, Draconis more, sępe me criminose peti- it, Iam probe me meo in ipsa concione (contra omnium predicatorum consuetudinem & modestiam) appellans nomine, iam uarie effictis no- minibus scurriliter ludens, quasi Fabri uituperandi, non Euangelij do- cendi munus sibi creditum susceperit, & quasi eum sermonem deducere non potuisset, nisi maledica lingua tot in me iecisset cõuitia, nisi quod ui- perarum progenies omnesq; serpentes solent, intoxicasset, q̃d de Oeco- lampadio, & sui similibus iam pridem Dauid his uerbis prædixit: male- Matth.3.
dictione os eorum plenum est, & fraude & prauitate, sub lingua eorum Lucæ 3.
afflictio et iniquitas, in ore eorum uenenum, quod curari non potest, pe Acto. 28.
des eorum ueloces ad effundendum sanguinem, uiam pacis non agno- Psal.9.
uerunt, non est timor dei in oculis eorum. Quas ego quantumuis gra- 1. Cor. 10.
ues homini perferendas iniurias, lubens in me acciperem, tam enim ego
scio istos longe ab hoc abesse, quam crebro in ore habent recentiores an-

tiapostoli, quodq; faciendū admonent, ut percussus in dextram maxillā
Matth.5. obuertat & alterā, & auferenti tunicā cedat etiam palliū, Nam hoc qdem
Luc.6. docent ore sedulo, sed cor eorum ut Pharisæorū longissime abest, suisq;
Esaiæ 29. operibus ostendunt contrarium. Nihilominus parū istius conuitijs mo
Matth.25. tus, secundum Petri doctrinam, et ad Christi seruatoris exēplum, talem
1.Petr.2. in meos humeros crucem recipiēs, non iniquo tulissem animo, nisi Oeco lampadius in eo quoq; sermone, suæ antiquæ consuetudinis probe memor, nouos induxisset errores, quibus omnino respondendum censui, ne meum silentiū mendacio locū dans, ueritati damnū dedisse uideatur.

In sui sermonis titulo pollicetur apostata, inutiles meas nugas, quibus me ipsis opponerem, se infirmare & diluere uelle, Id enim Oecolampadius, Zuinglius, & cæteri sacrorum subuersores & capitales inimici pro more habent, suas conciones, doctrinas, & quicquid ab eis uel dicitur, uel scriptis diuulgatur, id omne Euangelium, uerbum dei, & ipsissimam ueritatem adpellare: parum curantes, si innumerabiles his hæreses iam dudum condemnatæ contineantur, aliarumq; fluctuantium & cito periturarum doctrinarum magna copia lateat. Sic quoq; omnium maiorum doctrinas, omnia ipsorum dicta & scripta, etiam quæcunq; hodie ab Antilutheranis docentur aut scribuntur, apud hoc hominum genus, pro humanis habetur opinionibus. Vnde nihil mirum, si etiam in hoc titulo Iulianus apostata ea quæ a me docentur, opiniones uocat & nugas, quasi dumtaxat id quod domi suæ natum, splendidum, sanctumq;
Matth.3. dici mereatur, & pro Apollinis oraculo ad Iordanem coelitus delapso
Mar.1. haberi debeat. Porro ut clarius uos, in Christo dilectissimi, boni istius hominis immensum agnoscatis dolorē, & unde furor iste quo agitatur horribilis ortum ducat intelligatis, causam & originem paucissimis recensuisse non molestum erit. Superiori anno xxvi. mense Septembri, librum in sex diuisum partes contra Zuinglium Thuregum ædidi, qui tot apertissimorum errorum reus ut conuinceretur facilius, etiam Oecolampadium suorum consiliorum participem, & inter suæ factionis socios facile primum, in duobus allegaui & introduxi articulis: Primum q; Oecolampadius intra triennium elegantem & preciosum a se scriptum ædiderit sermonem, in quo sacri Euangelij producēs testimonium comprobet, in honorabili altaris sacramento, uere adesse corpus & sanguinem Christi domini & seruatoris nostri, Iam Zuinglium quodam alio spiritu agitatum, materialem dumtaxat panem adesse contendentem, socio & charissimo Theseo omnino aduersari, atque adeo sibi cum coniunctissimis et amicissimis parum conuenire, Verum ēm Christi corpus tantum a materiali pane differt, quantum lux a tenebris, creator a creatura, æternum a temporali, quam deniq; diuinitas ab humanitate longissima distantia abest. Deinde in eodem meo libro a me est cōprobatum, infra triennium Oecolampadium firmis argumentis iam olim sanctorū inuocationem & intercessionem adprobatam cōmuniuisse, et ex utroq; testamēto cōprobasse. Iamq; nouissime in disputatiōe Badensi cōfessum cōcessisse, Mariā et sanctos apud deū pro nobis intercedere, adeoq; nostros ad

ſtros aduocatos & intercеſſores eſſe, ipſos tñ a nobis nõ inuocandos eſ‐ſe, quę cũ ab Oecolãpadio ſcripta, & nõ ita pridẽ pro bona parte cõfeſſa ſint, quis mõ cõmunis ſenſus cõpos non rideret, etiã hac parte Zuingliũ ab Oecolãpadio diuerſum ſentire, & ut ſemper diaboli eſt regnũ inter ſe diuiſum et ſeparatũ ita iſtos ſumme cõiunctos in pleriſq; et pręcipuis pũctis ex diametro pugnare, Quæ a me ſcripta Oecolãpadio bilẽ mouere, hinc eñ homini tãta animi acerbitas, hinc iſte furor qui mille eum excru‐ciãs modis, tandẽ pclaro iſti ſermoni anſam prębuit, quem in omniũ ſanctorũ feſto proxime apud uos fecit, ſic ſe eluſurũ ſperãs, quę apertiſſime a me cõprobata ſunt, quũ aũt abſens apud uos ueritatẽ ut antea pdicare nõ poſſim, hac epiſtola ex Anglia uřos aĩos ſubleuare & cõſolari uolui.

Orditur Oecolampadius, celebrari feſtum ſiue memoriam omnium ſanctorum, & quomodo dicat, aut quid ſibi hæc uelit oratio parum ui‐deo, quum Oecolampadius, Lutherus, & uniuerſum eorum ſodalitium non credant, poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem in hodiernũ uſq; diem quenq̃ maiorum noſtrorum, quacunq; tandem in orando diligentia, in ieiunando ut caro domita ſpiritui pareret, cõſtantia fuerit, conſeruatum in cœlo æterna lætitia perfrui, nec etiam beatiſſimam uirginẽ & matrem Mariam, nedum alios quoſcunq; ſanctos, eo perueniſſe. Ita enim miſeri et inſenſati homines faſcinati, neq; præmortuos neq; nos, noſtroſue po‐ſteros, eius quę eſt in cœlo, gloriæ participes futuros, ante diem nouiſſi‐mũ contendunt, quẽ credo poſt magnũ Platonis annũ, poſt triginta ſex annorũ milia uenturũ autumãt. Porro ſi ex eorũ numero quempiã a cæ‐teris ſeductũ rogaueris, quęnã rationes ita ſibi ſentiẽdi cauſam dederint, quid nam interim demortuorũ animæ agant, quibus inambulent cãpis, aut cuiuſmodi cibis ueſcãtur, minus q̃ infans reſpondebit: niſi forſan q̃d in ſomnis cõmentũ incidit depromat, alto ſcilicet ſopore oppreſſos dor mire, & hęc deũ ſcire, eiq; curę eſſe talia, quę ſi propius introſpexeris Si‐lenũ explicãs, nihil aliud uidebis, q̃ nocentiſſimos, et ἀθέους iſtos homines, queadmodũ Nabal, in corde clauſum continere, deũ nullũ eſſe, et eundẽ caſum mortis, homini & brutis animãtibus exiſtere. Quę cũ ita ſe habere cuiuis facile adpareat, ſępe admirari ſoleo, quid iſtis rerũ nouatoribus in mentẽ uenerit, q; feſtos dies, ut paſchatis, penthecoſtes, natiuitatis ſerua toris, una cũ cęteris beatiſſimę uirginis, aliorumq; ſanctorũ feſtis celebra rẽt, quũ potius naufragi medias innatare fluctib. uelint, q̃ in archa Noẽ hoc eſt in Chriſtifideliũ eccleſia ſecuri permanere, ſtultus pfecto & nihil pfuturus eorũ labor. Quid eñ pfuerit feſtos dies celebrare illorũ, de q‐bus nihil pclari ſentias, ne dũ auxilij expectes copiã? Ad q̃d tandẽ Oeco‐lãpadi ſanctorũ celebratis feſta, quũ alias a ſanctis patrib. chriſtianiſſime inſtitutas ordinatiões floccifaciatis, et huiuſcemodi feſta nuſq̃ euãgelicis cõpręhẽſa literis inueniãt? Quid itaq; cauſę eſt, q; diẽ dñicam corã plebe adhuc pręcęteris obſeruatis? Tamen in noui teſtamenti libris nihil de eo ſcriptũ eſt, niſi quod in Apoc. legit, Ioannẽ in die dñica uiſionem uidiſſe.

Sed quid multis tecũ Oecolãpadi rẽ etiã tibi apertiſſimã ago? Intelligis tandẽ hoc iam tibi uſu uenire, q; tui ſimilibus condẽnatis hęreticis dudũ

1. Reg. 25.
Pſal. 13.
Pſal. 52.
Apoc. 1.

contigit, qui tametsi e naui ex archa Noë in profundum omnium errorum delapsi sint, tamen subinde recalcitrantes manus frustra tabulis naufragij inijcere (quam & Lutherus disrupit) conati sunt, Ita iamiam instantis mortis se remedium inuenturos sperantes, sic se defendi posse a maris tempestate arbitrati, in cuius pericula sua sponte semet ipsi praecipitarunt, non ut Ionas proiecti sunt. Dicet aliquis: quid sibi haec uolunt,

Ionae.2. ꝙ undis demersos Lutheranos, & tabulas toto disiectas aequore praehesantes dicis? Hoc nimirū Lutheranos facere dico, ꝙd simia solet, Quēadmodum em̄ simia quę ędium tecta conscendens, nō nisi omnibus deiectis lateribus descendit: Sic Lutherani aliunde quam per ostium in ouile ingressi firmiter sibi proposuerunt, omnes ordinationes, quibus ecclesia per tot saecula ad dei gloriam ac Christianitatis aedificationem est usa, abrogare & deuastare uelle funditus, attamen circa baptismum, missam, festos dies & alia his similia, ab ecclesia recedere non possunt.

Circa sanctorum inuocationem magnas hodie moueri controuersias et uarie disputari scribit Oecolampadius. At ego hoc nihil noui esse, nec nostro primum saeculo in dubium uocari coepisse aio, Quod enim periculosissimo hoc nostro saeculo per suos ministros de inuocatione sanctorum malus spiritus diuulgauit, hoc iam ante mille annos & beati Hieronymi temporibus a quibusdam tentatum est, Sed tum priusquā hoc malum radices altius ageret, obuiā itum fuit, & antequam nocentissimi serpentis morsu plures peterentur, caput ceruice auulsum & firmissimis sacrae scripturae fundamentis contritum est. Vigilantius enim istius autor. haereseos per spiritus sancti gratiam uictus succubuit. Quod aūt nocentissima haec haeresis nostro demum saeculo ueluti postliminio redijt, atꝗ ab orco resuscitata seuerius, quam antea reparatis uiribus grassatur, & suo iure, hoc est, omni iniquitate uti fortius coepit, in culpa est Oecolampadius, Zuinglius, & caeteri eorum complices. Nolo tamen huius mali Lutherum arcessere, In eo enim quem in decem praecepta iustae magnitudinis librum scripsit, sanctorum inuocationē ex utroꝗ testamento probauit. Insuper ante paucos iam annos elapsos aegrotum in mortis certamine constitutum docuit, ut honorabili altaris sacramento percepto, etiam extremae unctionis oleo inungi uolens, beatissimam dei genitricem, suum angelum & delectum a se apostolum, cum alijs sanctis ꝑ Letaniam tanquam aduocatos & apud deum intercessores inuocet, quae si agat nihil dubitando, certum esse debere eum de gratia diuina. Haec Lutherus. intra quinquennium docuit, & per totum terrarum orbem diuulgauit, quem proculdubio nō unus atꝗ alter, sed plura hominum milia in haec

Matth.26. sequuti sunt. At Oecolampadius & Zuinglius, postquam Christum ex

Marci 14. uenerabili & sum̄o altaris sacramento profligarunt, nō ꝙd Iudas fecit triginta nummis tradens filium hominis, sed uerum Christi corpus materiali pane, pistoris manu cocto, sanguinem autem uino simplici commutarunt. Nihil itaꝗ post tantum flagitium perpetratum mirum, si criminis de plagiarijs rei miseri homines proditores & proscriptores domini flagitij-

flagitiosissimi, postremo etiã sceleratas manus in dñi dei seruos iniiciunt, aduersus quos linguas suas acuũt, cõserta magnu pugnant, & qua pos-sunt parte, in fugam conuertunt, nõ ullã eorũ imaginẽ integrã, statuãue erectã dimittentes, quin & nos q adhuc in uia a Hiericho & Emaus Hierusalẽ uersus sumus, solicitãt, et q iã primũ ex Ægypti tenebris p mare rubrũ & desertũ in terrã fluentem lac & mel tendimus, uarie oppugnant, uerbis ad defectionẽ solicitãt, & duces, custodes & defensores nobis adesse negantes, ad seditionẽ hortant. Vtinã Oecolamp. hoc q intra triennium scripsit & docuit, citra inuersiõem tenuisset, aut his saltẽ inhęsisset firmiter, q tũ cũ apud uos Basileę parochũ, et postea Augustę pdicatorẽ tãdemq; regulatũ ordinis S. Brigittæ monachũ ageret, sensit & alios docuit, Nunq hic ignis cõtra sanctos incẽsus tam uehementer cõflagrasset. Lucæ.10 Marci 16. Luc. 14. Exodi 13 Num. 21. Exod. 3

Oecolamp. sermonẽ cõdecorare uolens, & ad suam tẽpestiue hęresim inclinare festinans, quandã pphanam & mere carnẽ sapientẽ collationẽ subtexere incipit, absurdam pfecto, et rẽ non satis dignã tanto euangelista, q nõ uerbũ, nõ literam tãgere, nedũ eloqui debebat, nisi scripturam, dei uerbũ, et sanctũ Christi sapet euangeliũ. Nos, ait de se et suis, pdicatores, maiores huius mundi principib. & potestatib. titulos attribuimus, q ipsi Christo etc. Eho Oecolãp. nũc demũ hęc noua nata est orõ, indigna qdẽ pio homine, & meis inaudita aurib. Quis eñ a qpiam unq pdicatore audiuit Cęsarẽ, regẽ, principẽ, aut quemcunq aliũ, Messiam, saluatorẽ, ęternũ redemptorẽ, & his similib. adpellatũ esse titulis? Verũ q principib. & cęteris superiorib. iusti & digni eorũ tituli etiam ex cancellis attribuũtur, ęquũ esse cẽseo, & Apl̃s nõ uno dumtaxat loco pcipit, ut superiorib. nr̃is subiecti pareamus. Vnde Rom. scribens apertissime testat eũ q potestati resistit, diuinę ordinatiõi resistere, q q uere ab electissimo dei uase dicta sint, si coram cernere lubet, mecũ quęso animo repete rusticorũ uel subditorũ nõ ita pridẽ nepharias seditiões, secessiões, cõiurationes nocẽtissimas, & bellũ susceptũ in dños & superiores suos crudelissimũ, quib. profecto etsi ἐπινίκιον, ante uictoriam canentib. uictoria nulla a deo est concessa, potestates eñ a deo ordinatas q remouere nitũtur, deũ male administrati accusant imperij eumq coelo expellere frustra moliuntur. Quod etiam prudẽtissimi homines nõ frustra fictis pdidere fabulis, gigantes qui bello dijs illato, temerario ausu eos suis sedib. pellere decreuerãt, Iouis fulmine ictos occubuisse. Ad eundẽ modũ seditiosis rusticis occũbendũ erat aduersus legitimos et a deo ordinatos sibi superiores cõcitatis, quib. exẽplis isti qs parũ D. Pauli mouet autoritas, docti, merito desisterẽt potestates superiores contẽnere, nõ satis tutũ esse intelligẽtes, qn potius & titulis et dignis ornãdos honorib. esse, quẽmadmodũ alias Apl̃s superiorib. & ppositis obediendũ esse admonet atq in primis p regib. & omnib. q in dignitate seu potestate cõstituti sunt orandũ esse iubet, Ita et apl̃i corã ẽpo respõsio indicat, sic Christus seruator Annę reuerentiã exhibuit, Huc quoq ptinet q tẽtantib. eũ qstione de cẽsu soluendo Cęsari, respõdit: date Cęsari q Cęsaris sunt, & deo q dei sunt. Hęc & qcunq sunt alia tã dicta q exẽpla scripturę qrũ neutiq pauca existunt, satis superq indi Roma.13 Heb.13. Titi.3. 1.Tim.2 Acto. 23. Ioan.18 Matth. 22. Mar. 12. Lucę 20,

cant, quam utile sit, & quam necessarium praefectos & superiores habere, quam denique deus optimus maximus his quod debetur dari & persolui uelit. Atque utinam D. Balthasar a Kriegberg Baltzhutensis, & alij Euangelistae, ac praecipue Lutherus, Caesarem nunquam tyrannum, & inuictissimum regem Bohemię, dominum meum clementissimum, nunquam adpellassent puerum, atque inter caeteros principes, aut alios dominos & suos subditos, tantas dissensiones ac discordias crudelissimas nunquam excitassent, sed more maiorum dignis & honorificis coluissent titulis. Quod si ullo iure emi uel precaueri potuisset, quot bone deus aureorum milibus Germaniae coëmendum foret? Eo enim res redacta est, ut quae olim florentissima Germania uigebat, nomen a fratrū sortita mutua charitate, hodie non parum rectius Germania dici queat, Amor ēm mutuus, quo olim Germani alter alterius subleuabant inopiam, & ferebant onera, hodie in pestiferam mutatus inuidiam, sanguine & caede fraterna nunquam expletur. O miseram fraternitatē, o ter quaterque infoelices germanos, o mores, o tempora, non hospes ab hospite tutus, fratrū germanorum rarissima quoque est concordia. Quot quaeso nostri saeculi homines, in quibus fraterna charitas non solum frigescens torpet, sed in cinerem conuersa extincta iacet? Caeterum istorū peccata, qui principijs minime obstantes pestilētissima mala latius serpere gaudebant, in sinum ridentes, dominus ad iniquitatem non reputans, dimittat oro, & profundissima sua misericordia tegat, Adeo ēm optimus nostrę Germaniae status ab optimo quoque in pessimū tractu temporis & iniquitate factiosorum immutatus est, ut satis certo sciam hodie plures praefectos & potestates uitam suam in dubio habere. Labefactatae enim sunt conscientiae, & indurata corda. Nam ubi (ut uerbo concludam omnia) nulla religio, nulla pietatis cura, impossibile est dominum subditis praeesse posse, etiam si uix decem aut duodecim sub se habeat. Exitus acta comprobat, & qui uerbis parum adhibet fidei, ignemque hunc parum caloris habere arbitratur, manus admoueat arae, & suo discet experimento, suoque malo doctus credet, quem aliena pericula cautum reddere non potuerunt.

Cantus qui in deiparae uirginis laudem Salue regina a Christianis canitur, ab impio Oecolampadio impius iudicatur, & censetur abrogandus. Non iniuria quidem, quid enim graculo cum fidibus, aut haeretico cum Christianorum deuotissimis canticis? Mariam non uitam, non dulcedinem, non spem nostram adpellandam putat. Quod si Oecolampadius beatissimā dei genitricem Mariam suae hęreseos argumentis impugnare cessaret, daret autem operam, scripturam diligentius & magis genuino sensu, secundum cōmunem Christianorū intellectum interpretari, nodumque non tam anxiae in scirpo quaereret, tum mea quidē sententia quod se deceret, faceret, & apud plerosque non tam male audiret Christiana religio. Miserū est et calamitosum, homines obduratos in ea quā semel in animū falso induxerunt, sententia perseuerare, nec interim aliorum

aliorum intellectum recipere, nec alios scripturę locos uelle cognoscere.
Cōtendit Oecolampadius & ueluti pro aris focis ac digladiatur uitam,
spem, & dulcedinem fidelium esse Christum. Nemo negat Christum es- Ioan.1.
se ueram lucem, & Ioannem non ueram fuisse, & tñ Christus suos disci- Matth.3.
pulos lucē mundi adpellat, Christus uerus est pastor, nihilominus Pe- Ioan.10.
trum in pastorem creat. Tametsi autem uerus noster custos & dux, dñs Ioan.ult.
deus fiet, nihilominus dicit Mosi: Ecce ego mitto angelum meum, ut Ephe.4. Deut.32.
pręcedat te & tueatur in uia, Et angelus in libro Iudicum ait: Ego eduxi Exod. 23.
uos de Ægypto & introduxi in terram. Verū imo uerissimū est, soli deo Exod.32.
gloriā deberi, tamen scriptura non prohibet, imo innuit & iubet ut al-
ter alterum honore præueniat, principes & potestates debito uenere- 1. Tim.1.
mur honore. Deus est sanctus, atq; adeo sanctus etiam a Lutheranis cō Roma.12.
fitetur, ut non ita pridem quidam Lutheranæ fæcis non minimus asser- Philip.2.
tor noluerit quemq́ papam uel hominem siue mortuum, siue adhuc 1.Tim.5.
uiuentem sanctum dici, ꝙ cani soleat: tu solus sanctus, Interim autem de Rom.13.
sacerdotibus & Leuitis ueteris testamenti scriptum inuenio, sanctos eos 1. Tim.6. 1.Pet. 2.
esse. Præterea & angelos Christus in Euangelio sanctos uocat. Deniq; Esa. 6.
etiam populus Israël sanctus adpellatur, in quinto Mosi libro. Porro ne Exod. 22.
hoc quidem inficias iuerit aliquis unum esse dominum Christum Iesum, Exod. 28.
regem omnium regum, & dominum dominantium, ad cuius natiuita- Matth.25.
tem potentissimus Cæsar Octauianus (ut Suetonius scribit) dominum Leuit.19.
se nolebat nominari, nihilo tamē segnius diuinus apostolus subinde do- Matth.25.
cet seruos suis obedire dominis. Item Christus non semel suis sermoni- Deute. 14. Gala. 3.
bus, quod ad obedientiam subditorum pertinet, atque ex re & utilitate Ephe. 4.
dominorum huius sæculi existit, docuit, fortior est deus & pater omnis Deut.6.
consolationis, tamen & angelum de cœlo uenisse, ipsumq; consolatum, 1.Tim.6. 1.Cor. 8.
& corroborasse ad Olíueti montem certum est. Deum solum esse timen Ephe. 6.
dum, & ei soli seruiendum esse, scriptura asserit, & tamen seruis Paulus Coloss.3.
præcipit, ut suos quoq; dominos timeant, & uere, non ad oculum serui- 1.Tim.6.
ant. Insuper & a domino sæpissime apud Mosen dicitur: Ego sum deus 1.Pet. 2.
& unus deus, scriptum em̄ est, audi Israël, dominus deus tuus, deus unus 2.Cor. 1.
est, Attamen de electis in Psalterio habemus: Ego dixi, dij estis uos, & Luc. 22. Deut.6.
filij excelsi omnes. Huc quoq; pertinet, quod apertissime secūdus Mose Psal.21.32.
liber describit, dijs quoq; honorem eorum ne subtraxeris, & alibi, sacri- & 33.
ficabit eum dominus dijs, postremo multa de dijs in Exodo scripta inue Prou.24.
nies. Sed dicet mihi aliquis, in quem tandem finem hæc recensentur? aut Eccle. 5.
quid tot scripturæ loci producuntur? Respōdeo, fratres in Christo dile- Matth.10. Exod. 22.
ctissimi, eius gratia me hęc egisse prolixius, ut nemini quantūuis rudi nō 1.Pet.2.
pateat, obstinatorum hominum manifestus error, quibus nihil q̄ quod Ephe. 6.
ipsi somniantes excogitarunt, placet, nihil pulchrum, nihil elegans, nihil Coloss.3.
ulla ex parte perfectū uidetur, q̄ q̄d ipsi tradiderint, Deinde ut Christia- Deut.6. Psal. 81.
norum multitudo scripturæ locos non inter se pugnare arbitretur, sed
diligenti collatione concordare discat. Porro prędicti sacrę scripturę loci Ioan. 11.
dño deo gloriam & honorem, & quosq; alios titulos attribui debere Ioan.1.

proprie

proprie & merito significant. Contra autem, propter similitudinem, aut aliqua ex parte existẽtem proprietatem, cõmissiue officij gratia alijs q̃q; attribui non reprehendunt, Sic Christum uerissimam esse uitam, ueluti
Ioan. 6. ad Martham ipse dixit, & de eo scriptum est, nemo Christianæ mentis ambigit. At Mariam non ut Euam, quæ mortem & fratricidam frater
Gene. 4. na cede madentem Chaim peperit, sed uitam & seruatorem nostrum Iesum procreasse fide certificati non dubitamus. Ad hæc cum usitatissimus etiam ciuiliter loquendi sit modus, ut de re aliqua naturali mentionem facientes, quæ nobis chara & iucunda est, uitam nostram adpellemus, quid quæso prohibebit, beatissimam uirginem, quæ uitam & redemptorem nostrum in mũdum procreauit, uitam adpellare? Christus est dulcedo nostra recte, sed dicat mihi aliquis, quid in uita, conuersatione, cantico deniq; Mariæ amarum, aut acerbum existat, sed in Noëmi
Ruth. 4. cognitum est, eam amaritudinem occupasse, Verũ enimuero Oecolam
Iud. 14. padium non dedecuisset, spiritualem hic admittere dulcedinem, quam leoni Sampsonis in Iudicum libris, uelit, nolit, necessitate coactus concedere compellitur, Præterea q Salomonis canticum per totum Christianitatis orbem Mariæ concedit, non iniuste ab Oecolampadio inuiolatum permansisset. Erasmus Roterodamus uir ille ornatissimus, in suis orationibus beatissimæ uirgini plura (quemadmodum par est) attribuit, Christiane Christianus doctor docens, quæ de Oecolampadio spes concepta nos non tam fefellisset, si modo æquum se præberet iudicem,
Matth. 6. atq; oculum dextrũ non amisisset turpissime. Verum enim est q̃d supra memorauimus, Omnium redemptor & saluator est Christus, q eius na
Luc. 2. tiuitatis tempore angelus pastoribus annunciauit, Saluatorem natum,
Gen. 41. q ut apud Matthæum i. legitur, saluum faceret populum suum a peccatis eorum, Tamen scriptura ipsum Iosue saluatorẽ adpellat. Item in libris Iudicum expressis uerbis scriptum legitur: Et suscitauit eis saluato
Iud. 3. rem nomine Aioth, Quæ cum ita sint, merito Oecolampadiũ non tam
4. Reg. 13. anxie torquere deberent, beatissimæ uirginis laudes & condigna præco
Neęmię 9. nia, neq; enim tam male propitius est dilectissimæ suæ matri Christus, qui non modo non reprehendit mulierculę uocem, ubera Marię adhuc uiuentis beata predicantem, sed alta uoce clamantis ex cœtu sermonem
Luc. 11. confirmauit. Vnde non tam male conciliatus est matri, ut huiusmodi
Ioan. 18. laudes & titulos ei inuideat, Atq; reclamat Oecolampadius, et Mariam se prius excruciari passurã fuisse, q̃ eum, qui filio suo debetur, honorẽ sibi attribui pateretur: Ita enim Paulum et Barnabam uestimenta conscidisse, quum audirent Idolorum se honore affici, Magnum scilicet argumentum, & firmis (si dijs placet) corroboratum fundamentis. Gloriam dei & Iesu Christi Oecolampadius prætendit, sub quo prætextu beatis
Exod. 34. simæ uirginis Mariæ honorem infirmare & abrogari conatur, cultum
Iud. 10. Idolorum cum Mariæ ueneratione conferens. Quis unquam uere Chri
4. Reg. 5. stianus fuit, qui dei honorem & gloriam per Idololatriã promouere uo
Hiere. 43. luerit? Idolorum cultum plerumq; in hoc situm fuisse scripturæ testimonio sci

nio ſcimus, ut innocentes, infantes ſiue alij offerrentur & imolarentur, ueluti Idolo Moloch, q̃d ab his, qui uero pietatis ſenſu imbuti fuerũt, q̃ longiſſime ſemper abfuit. Quum enim uiderent non parum multos, ex aquarum periculis, ignis conflagratione, carcerumq; anguſtijs, beatiſſimæ uirginis opera eripi, quicunq; Chriſtiano præditi erant animo, condigna eam ueneratione coluerunt, & in ſuis neceſſitatibus inuocarunt, quæ ſæpiſſime in periculo conſtitutis adparuit, miraculaq; per totum orbem fecit innumera. Quam ob cauſam merito in hodiernum uſque diem pro communi noſtra matre pr̨e oculis habita eſt, pro omnium aduocata apud omnipotentis dei tribunal, honore ipſa digno affecta, & a miſeris huius lachrymarum uallis habitatoribus inuocata eſt. Sed quid uerbis eſt opus? Conſyderet quiſq; & apud ſuum expendat animum, num his ſcripturæ locis, hoc quod magnus iſte Rabbi, & præclarus Phariſæus intendit, probari queat, num ullo pacto commode ad ſenſum ſuum detorqueri poſſit. Præterea autem Oecolampadius ſibi perſuaſit, leuem quandam cauſam originem dediſſe omnium ſanctorum feſto, namq; quod ſe accepiſſe ait Rom̨e templum omnibus dijs ſacrum olim fuiſſe, quod ut facilius idololatria ex hominum animis eradicaretur, eiectis Idolis templum omnibus ſanctis conſecratum, ac feſtum in eorum honorem inſtitutum eſſe. Hic uide quæ diabolus mille artifex ad ſeducendas hominum mentes excogitet? quæ & quibus modis moliatur? Romæ quidem templum fuiſſe πάντωρ θεῶρ, hoc eſt, omnium deorum, uere dicitur, q̃d adhuc erectum manet, queadmodum ipſe uidi, templum amplum, ac quod populus habuit in magno honore, adeo ut frequentes ad id omnium nationum homines undequaq; confluerent, exiſtimantes ſe optima quæq; omnium deorum ueneratione, quorum ante natum Chriſtum Romæ ad triginta quatuor milia nota fuerunt, ſe conſequuturos. Propterea S. Bonifacius quartus ad propagandam Chriſtianam pietatem, animum intentum gerens, quo hunc Idolorum cultum extirparet, & in Chriſtianam commutaret religionem, circiter annos noningentos ab hinc, a Cæſare Phoca obtinuit, ut ſibi hoc templum traderetur, quod in omniũ ſanctorũ honorem rite conſecrauit, feſtumq; hoc celeberrimum inſtituit. Non diſpari ratione, & in Londers Angliæ urbe ampliſſima, templũ Apollini olim ſacrũ, in diui Pauli honorem eſt conſecratum, Ita noſtri maiores Idolorũ cultum ſacris prohibitũ literis, cõmutarũt in eum qui pietati euangelioq; non repugnat modum & uenerationẽ, hoc modo omnibus Chriſtianis, ſanctorũ doctrinam, martyria, totius eorũ uitæ acta ob oculos poſita, mentibuſq; inſculpta fore arbitrantes, q̃d (niſi cui plus arriſerint non tam h̨ereſes q̃ uariæ Idololatriæ) nemo non probabit, maxime aũt cum Chriſtũ intellexerit diabolos in digito dei eieciſſe, inſuper poteſtatem ſuis diſcipulis dediſſe in nomine ſuo eijciendi d̨emonia, queadmodũ ſancti apoſtoli Epheſi, & Bizantij fecerũt. Sanctus & magnus Conſtantinus cum tẽplum Sophįe & ut hoc quoq; q̃d Hieroſolymis fuit Solomonis templũ, Chriſto de-

Leuit. 20. 3. Reg. 11. Hiere. 32. Amos. 5. Acto. 7.

Templũ Apollinis ſacrum in Londers urbe, in diui Pauli honorem poſt hac conſecratum eſt.

Luc. 11. Mar. ult.

d inde dedi-

indẹ dedicatum eſt. Ad hęc Paulus ad Roma. i. primũ ſuum orditur initium ab eiectione malorum ſpirituũ. Poſtremo, Petri, Pauli, atq; aliorum epiſtolę abunde admonent, Idololatriam deſerendam & extirpandam eſſe. Proinde ut Romani qui propenſo erga Idola amore & inclinatione detinebantur, ab hac dæmoniorum ſeruitute, in ueram Chriſtianam uindicarentur libertatem, ex filijs tenebrarum, filij fierent lucis, opera pijſſimi & ſancti illius Papæ effectum eſt, ut abrogatis Idolis in eorum locum pijſſima ſanctorũ dei ſubſtitueretur ueneratio, aptũ profecto & ſaluberrimum huic morbo ἀντίδοτον, templumq; quod Idolorum prius uanitate obſcuratũ erat, ſanctorum omniũ noua claritate ac ſplendore ornaretur, quos Chriſtus honore cumulare dignatus eſt, atq; a nobis honorari, & obſeruari uoluit. Neq; tamen propterea ſancti eodem colendi honore erunt, quo Idola ueneratа non ambigimus. Sanguinem & mortem innocentium liberorum non ſitiunt ſancti ut Idola, ſed uitam, ſalutem, proſperitatem, ſempiternam deniq; credentium gloriam in Chriſto nobis expetunt & optant, nec Apollinem aut Martem laudari uolunt, ſed Chriſtum crucifixum, & eius crucem predicari efflagitãt. Firmum igitur hoc, nec (quod Oecolãpadius garrit) inualidum, ſed ęquum Chriſtianũq; celeberrimi omniũ ſanctorũ feſti fundamentũ fuit.

Roma. 1. 1. Pet. 4. Roma. 2. 1. Cor. 5. 1. Cor. 10. Galat. 5. Acto. 21. Luc. 10. 1. Cor. 1.

Deinde bellus iſte ſanctorum impugnator prę fracto ariete in firmiſſimos ſanctorum muros impetum facit, animum neſcio qua falſa ſpe illectum confirmans, feſtum uidelicet omnium ſanctorum, nec paſſim per Chriſtianitatem receptum, longo poſt apoſtolorum tempora interuallo inſtitutum & cognitum eſſe. Vellem hic ex Oecolampadio libenter certior fieri, ubi nam locorum Chriſtianæ occidẽtalis eccleſiæ hoc nondum receptum eſſet feſtum? Quod autem ait, diu tandem poſt apoſtolorum tempora cognitum eſſe, inualidum nodoſaq; laborans podagra argumentũ quis non uidet? Britannia primum ſub Cæſare Seuero, poſtea ſub D. Gregorio Chriſto nomen dare cœpit, Propterea uero nuſquam antea fides in Chriſtum cognita? Abſit.

Decerpſit Oecolampadius ex Matth. xix. cap. locum, quo neminem bonum eſſe niſi deum Chriſtus dixit, Hoc quaſi ſcuto Oecolãpadius ab omniũ incurſu tutũ ſe fore ratus ſuperbit. Atq; q̃d his qui armorũ uſum ignorant, euenire ſolet, nimirum ut proprio ſe gladio iugulent, ſubinde iſtis contingit, qui & ſi ſcripturas producant, tamẽ proprijs confodiuntur productis, uel ſaltẽ in eam quam totis uiribus detorquere partem conantur, flecti non poſſunt. Oecolampadius ſtrictiſſime locum intelligi uolens, uerũ granum ſalis, quo condiri debet, aut non intelligit, aut inique omittit. Requiritur eñ eſſentialis hic intellectus, nimirũ ſolum dñm deum, ex ſua ꝓpria eſſentia ac natura bonũ eſſe, imo eum ſummũ eſſe bonum, ex quo affatim quicquid boni & iuſti eſt, fluit & deriuat, quemadmodũ ex Paradiſo quatuor fluuij, q uniuerſum terrarũ orbẽ irrigare ſolent, ſcaturiũt. Sed & alia ex hoc ſummo bono data & conceſſa bona ducunt. Quid. n. aliud eſt q̃d dñs de muliere in domo Simonis dicit: Bonũ

Gene. 3. Matth. 26. Mar. 14.

opus ope

opus operata est in me: Cuius consimiles scripturæ loci permulti habentur, & passim occurrunt, ubi & aliæ res, bonæ adpellantur, sed subtilibus his nugis sophisticis, rem probe attigerunt, quibus isti hactenus bona opera condemnantes, imperitæ multitudini facile imposuerunt, assidue clamantes importuni homines, toties te mortale patrare delictum, quoties bonum opus facias. Qua quidem re, eo demum uentum est, ut multorum ac præcipue uulgi animi, ab omni deuotione, dei timore, officijs diuinis, laudibus, et quibuscunq; alijs bonis operib. istorum suasu abstracti & auulsi, corruerint, crediderintq; Christum crucifixum ac passum, omnia fecisse, sibi porro nulla opus alia re esse, q̃ ut credant, Interea Genio indulgere, cutemq; curare, nihil eorum saluti obstaculo futurum.

Furibundus item Oecolampadius alijs succenset predicatoribus, se omnibus alijs anteponens. Confert enim alios cum his qui mente capti furijs agitantur, aut qui cum Baccho indulserint largius, cornua sumũt, nihilq; quietum immotumq; intermittunt, adeo ut gladio adepto, citius hoc in amicum q̃ inimicum stringant. Quæ (nisi animus fallit) apte & composite de se Oecolampadius loquitur, Quoties enim sese suo gladio non dico petijt, sed iugulauit? Quippe de honorabili altaris sacramento, sanctorum inuocatione, bonis operibus, purgatorio, & his similibus punctis per hoc quinquennium docuit & predicauit, antea q̃ sedem ut Lucifer exaltare, bonisq; operibus bellum inferre cœpisset, Ea quæ tum docuit & predicauit, ex eodem ore calidum & frigidum sufflans, uerso ordine ipse impugnat & euertit. Neq; suos dumtaxat amicos, Lutherum, Melanchthonem, Carolstadium, & alios suæ factionis socios ferit, sed seipsum suis petit iaculis. Quin coram Heluetiorum legatis in disputatione Badensi palam dicere nõ erubuit, plures se libros scripsisse, quos combustos esse uehementer cupiat, Nosq; ut igni committamus impense rogauit, at pecuniam pro inutilibus & ab authore condemnatis chartis expositam redditurum se non exhibuit. Videte iam quæso, uos in Christo firmi & dilectissimi fratres, quot istorum Euangelistarum milia sufficerent, ut columnæ erigi, Ecclesiaq; desuper ædificari posset. Doctrina eorum fluctuat, & ut uenti flatus agitatur. Vnde cum marmoream adamantinamue columnam erigere conantur, harundinem quæ leui etiam uento crebrius agitata frangitur in eius locum substituunt, fractamq; mediam infixam tenẽt manibus, Quod propheta his uerbis clarissime ostendit: Ecce confidis super baculum arundineum, confractum istum super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius & perforabit eam. Videte an non sint ebrij, qui pedibus su is male perstant, palpantes in meridie, sicut palpare solent cæci in tenebris. Lutherani (quod nemo inficias iuerit) hodie tam inter se diuersi, & sibijpsis contrarij sunt, quam ante aliquot annos in suæ hæreseos initio, aduersus nos sunt digladiati: Hic Lutherus contra Carolstadium fulminat, alia parte qui se Sueuiæ adpellant episcopos, Oecolampadium urgent, Fabricius contra Lampertum, Butzerus contra Zuinglium, Do-

Galat. 2 · Esaiæ 36 · Deut. 28. · Iob. 5.

 ctor Bal-

ctor Balthasar contra Leonem Iudæum, denicp a sancto Gallo & Apo cell, sunt huius farinæ homines omnes inter se diuisi, singuli suis nitun tur opinionibus, adeo ut ex paruo quodam oppido quatuor ad Baden sem hanc in Ergavv disputationem uenerint, ac circa unum de imagini bus punctum, quiscp singularem & ab alijs diuersam tenuerit opinio nem. Qui igitur hoc regnum non in se diuisum, uerum misere deuasta tum, duraturum esset? Equidem suomet ipsos more præcipites ire ne cesse est. Ita eñ superbũ Nemroth, qui turrim Babylonicam exædificare conatur, pater omnipotens confundit, ita cæcitate Sodomitas corrigit & spiritum immittit uertiginis, ut nec sapiunt nec intelligunt quæ effuti ant, sed more furiosorum sine ratione quo impetus tulerit, ferantur. Por ro cum ad me uentũ fuerit, concilium quod ex re & usu Christianæ Rei pub. esse statuo, decernendum & celebrandum erit. Tunc qui noui & insoliti euangelij autores aut propugnatores sunt, priuatum prius inter se agitabunt conciliabulum, ut prius inter ipsos de istis conueniant arti culis, qui in dubium uocati, præter decorem ab eis disceptantur. Obliti enim Christianæ mansuetudinis, acerbissime alter in alterum inuehun tur, & mutuo alij alijs prædones & hęretici uidentur ac proclamantur. Tunc quod spiritus iste sanctus ex inferis conscendens, superas ad auras produxerit, cuiuis apparebit. Postq̃ autẽ in Trophonij specu nouarum rerum assertores concordes facti fuerint, nos Christianę fidei prædicato res respondebimus. Interea uero dum inter eos nihil firmum, stabile, cer tumue tenetur, cur indubitatam fidem, Christianorumcp certissimam re ligionem, incertis & uagis opinionibus commutaremus? Nam nihil cer ti, nihil firmi, a quoquam eorum edocti sumus.

Gen.10.
1. Para.1.
Gene.1.

Quod a Christifidelium sacerdotibus fieri consuetum hactenus est, ut ad ęgrotum accersiti, sanctorũ inuocationem ac intercessionẽ proponãt, ab Oecolampadio uehemẽter improbatur, cui ego breuibus ita respon debo: Lutherus docuit, Oecolampadius ut Doctor idem fecit. Quod uero iam mutata animi sententia frustum panis apprehendens, non ci tra priuatum suum cõmodum subditos aduersa ualetudine laborantes inuisit, hic ægrotis præter materialem panem nihil exhibens, multorum errat periculo, atcp ego optarem Oecolampadium non tam oculatum sibi uideri, ut aliorum pijssima facta reprehenderet, sed (quod multo fo ret melius) consyderaret, quomodo omnipotenti deo rationem talium facinorum redditurus esset, quibus tum se, tum plures incautos suis er roribus misere implicat, e quorũ numero discipulum quendam linguæ promptum, bonis operibus segnem, in Apocellensium territorio habu it, qui cum in disputatione Badensi suæ doctrinæ rationem redditurus prodiret, ingenue profitebatur, ægroto subditorum cuidam, quibus tum præerat, pro honorabili altaris sacramento frustum panis tandem, uerbis consecrationis dictis porrexisse, Quẽ tunc quocp hereticũ Oeco lampadius a sua parte stantẽ habuit. Ego ita puto, nõ ut Oecolãpadius proclamat, cum q̃ Christũ pro capite, Christiana mẽbra pro ciuibus dei & inhabi

Colo.2.
Ephe.1. 4. 5. & 5.

& inhabitatoribus habet, insuper sanctos obseruat eorumque communionem in hac communi ciuitate esse docet, non animarum exactorem, tyrannum, uentri deditum, conscientiarum perditorem esse, sed in Oecolampadium quæ in alios congerit, regeri debere, & eum talem esse me tacente, res ipsa indicat. Quæ enim crudelior sæuitia, maior impietas, conscientiarumque miserabilior interitus, fingi aut excogitari potest, quam quod Oecolampadius contra aperta Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, et Pauli testimonia, adde quod contra omnium Christifidelium fidem, Iesum Christum uenerabili altaris sacramento expellit, Christianis læthali morbo laborantibus pro Christo duce & saluatore panem simplicem pistoris manu coctum exhibet? Circa mille iam elapsos annos beatus Cyprianus & Augustinus in Aphrica, Chrysostomus in Asia, & in Europa Ambrosius, homines sapientissimi, & quod Christianorũ nullus dubitat, uere θεοδίδακτοι probe sciuerunt, Christianos ægrotos de sacerdotum manibus sacrosanctum ac uenerabile sacramentum debere accipere, neque, quod hodie garriũt, in figura, sed in ueritate. Hæc illi clarissimi uiri docuerunt, qui Apostolis multo propiores q̃ Oecolampadius extiterunt, quum ita Oecolampadium non sedecim pedibus, quod dici solet, sed mille annis aut pluribus antecedant, Christianissimi illi doctores, qui uitæ integritate spectabiles, multarum linguarum peritia, omniuariaque eruditione fuerunt ornatissimi, non domestico quodam scintillantes splendore, sed luce ueritatis uniuersum mundum illuminantes, nemini obscurum esse crediderim, quod concordi illorũ doctrina, quodque diuersissimis recentiorum commentis credendum siet. 1.Cor. 6. Ephe. 2.

Atqui ait Oecolampadius (nimis me hercule pueriliter & stulte quid uenturum sit diuinans) si sic, inquit, negocium sit processurũ, tandem eo uentum iri, ut baptizando dicatur: Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, atque omniũ sanctorum. Magna res, argumẽtumque difficilimum, & quod Oecolampadij animũ merito solicitũ habet. Mirum si nõ metuit ne coelum ruat, aut mare exhauriatur aquis. Vanus est & inanis, amici charissimi, iste timor, quo nec Oecolãpadius excruciari, nec sui perhorrescere deberent complices, illic enim trepidant timore, ubi non est timor. Deponant igitur si quid hac cura urgentur grauius, læti uanam suspitionem. Et nos qui uetustioris fidei assertores sumus, credant non tam cito priorum doctrinarum obliuisci, atque nostro sæculo Lutherani solent, qui recens excogitata (forsan nouissima quæque placita priora tollere arbitrati) recentioribus eleuant. Nos qui synceram Christi doctrinam ab Apostolis per sanctos doctores ueluti per manus transmissam accepimus formam baptismi, qua per uniuersum terrarum orbem iam ad mille & quadringentos annos baptizatum est, memori mente tenere non dubitent, quem etiam baptismum & uerum quidem non docti modo, uerum indocti quoque & mulierculæ non ignorant, præterea quamdiu hoc sanctorũ festum institutũ ac cognitũ fuit, nemo est repertus uspiã, qui ita baptizare pręsumpsisset. Psal. 3. 52.

Quare superuacua se hac cura liberare merito debuisset Oecolãpadius,
& ea resipiscendo ad animum reuocare, quod Lutherum, seipsum, ali-
osque suorum errorum socios, hanc portam primumq; Christianæ ui-
tæ ingressum, baptismum scilicet, lacerasse, ac ignominia affecisse com-
pertum habet. Lutherus aperte scribit, posse quemlibet ut sibi uisum
fuerit baptizare, neque opus esse ut dicas in nomine patris, & filij, & spi-
ritus sancti, sufficere si unum dei nomen adonai uel aliud non obticeas.
Basileæ, & qui circa ciuitatem forsan ad unius diei spacium distant Oe-
colampadij complices cum Oecolampadio de baptismo ueluti pro aris
focisque digladiantur, omnes erroribus inuoluti multis, Cæterum sin-
guli fere singulas opiniones defensantes, alterutrum pro fraterna chari-
tate, canino more latrant & rixantur, postremo tum capitales inter se
inimicitias exercent, ut qui opibus superiores sunt, alios in exilium ejci-
ant, in Vuellemberg adigant, & quibus possunt modis pœnas de ad-
uersarijs sumant. Doctor Balthasar & suæ factionis homines quum re-
baptismum approbassent, etiam rusticos centenarios iam per ætatem
bis pueros ad syluam Hercyniam baptisauerunt, Zuinglius, qui Thure
gi agit, rebaptismum non approbans, Balthasari restitit, & quia poten-
tior erat Zuinglius, alter ter coactus est in templo susceptam de bapti-
smo opinionem reuocare & abiurare. Nihilominus tamen, ut est hoc
hominum genus infidum, mobile, rerum nouarum cupidum, ita ἔνορκος
iste si dijs placet uir parum promissi & iuramenti sui memor rursus ad
ingenium redijt, ac nihilo segnius quam antea baptisare pergit, quasi
pro libidine simulare & dissimulare omnia, id tandem sit uere Christia-
num esse. Nam omnium hac secta infectorum morem esse, promissis
non stare, peierare pro gloria habere, usus testatur, & me experientia do
cuit. Neq; enim eorum quispiam mihi promissa, datam fidem uel quæ-
cunq; tandem alia, inuiolata seruauit. Zuinglius docet baptisandum in
nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Oecolampadius suo capiti inni-
titur, & baptisandum esse ait, in nomine patris & c. Quidam suos libe-
ros ne ad Christum perueniant sua sponte impedientes, nolunt eos ba-
ptisari, donec per ætatem de rebus iudicare possint, atq; discernere ua-
leant, utrum Turcam, Iudæum, Gentilem, q̃ Christianũ agere hominem
melius sit. Magna item est hominum pars, qui in uniuersum non bapti-
sandum esse statuunt, quod solum cæremonia quædam sit, aqua nihil
conferat, multo minus Chrisma uel sacrum oleum a Christianis usurpa-
ri debere somniant, nisi forsan ad calciamentorum reparationem & in-
unctionem ocrearum, ac si sancti apostoli oleo nunquam inunxissent
Marci. 6 quempiam. Quod quid aliud portendit, quam Turcæ præmonstrat
aduentum, & impij regni sæuum in nos præcedit imperium, ut cum ue-
niat Turca, quem (proh deum immortalem) in expeditione esse, no-
strisq; ceruicibus imminere palam est, Nam prophetiã meam, quam scri
ptis ante octennium in lucem ædidi, iamiam ad effectum deductum iri
intelligo, Lutherum uidelicet Turcam in Germaniam inducturũ, pro-

inde qui

inde qui eius sunt pręcursores, multam in eo consumunt operam, ut iam antea nihil melioribus fide aut religione imbuti simus, q̃ si nunc uenisset. Hęc Oecolampadio curę esse debebant, hæc ne Germaniam obruerent mala, omnibus modis uniuersis prospiciendum, manibus pedibusq; singulis elaborãdum erat. Nam quod Oecolampadius ominatur, frustraneum est omnino. Nemo enim unquam in animum talem baptisandi formam induxit, nedum conatus est, sed unum & cõforme est obsequiale, quo per omnes Diocæses hactenus usi sumus, illudq; adhuc non contemptum obseruaretur, si penes Episcopos nostro sæculo hæreticos emendandi ac corrigendi ius situm exerceri posset, ac Cęsareæ Maiestatis edicto, item comitiorum imperij Norembergæ habitorum decretis & recessu staretur, ut Episcopis suus gladius spiritualis non e manibus tortus, id est, iusta eorũ iurisdictio in hæreticos inquirendi & animaduertendi inuiolata permansisset, proculdubio & hos & alios recens productos errores oppressissent. Atqui idem Zuinglius, Oecolampadius, & alij suorum errorum socij non aliter fecerunt, quam quod prudentissimi homines fictis fabulis de lupo & ouium pastore non sine causa cõfinxerant. Lupus qui oues in pascuis oberrantes subinde aggressus, canumq; sagacitate prohibitus re infecta discedebat, intelligens se imparibus uiribus tum tot robustissimis Molossis congredi, coactus cibi inopia multa animo uoluere, tandem apud se decreuit, uulpinam pellem assuendam quo leonina non pertingeret, unde supplex ad pastorem pacem oratum proficiscitur, multa primum de pace commemorans, & q̃ pacis studiosissimus, uix tandem iritatus iniuriæ obuiam ire inciperet, proinde cum pastore foedus ferire, perpetuamq; amicitiam constituere cupiat, dummodo baculum, canes & quę alia belli faciem præ se ferrent, remoueret longius. Pax ita inter eos conuenit, quod bonus pastor inermis pace frui, quam canibus ac baculo munitus bellum timere malebat; sed lupus cui omnia potiora quam fides & sanctæ amicitiæ leges erant, canibus remotis & pastore inerme, impetum in gregem facit, dispergit, rapit, laniat. Non aliter Zuinglius, Oecolampadius, & uniuersus nouorum Euangelistãrum grex, apud quos nihil pensi habetur, nostro sæculo fecerunt, qui tametsi aliqui ter iuramento se obligarint, episcopis obedientes se fore, tñ ius atq; iniuriam iuxta æstimantes, contra omnem iustitiam, legitimorũ Episcoporũ iurisdictioni uiolẽter resistẽdo, se subtraxerũt. Ipsiq; ueneno infecti q̃t potuerũt oues corruperũt, aliunde q̃ ꝑ ostiũ ingressi, ꝓpria enĩ autoritate ac temerario ausu, ueluti Chore, Dathan, Abyron, seipsos in episcopos creauerũt, q̃d apertis beati Apostoli repugnat epistolis. Sed ueri sunt Belialitæ isti qui legitimum superiorũ iugũ recusant, semet & multos alios suo exemplo pessum euntes. Quum enim cęteri suis superioribus subiecti sacerdotes et monachos legitimæ & a deo ordinatę potestati resistere uiderẽt, sibi quoq; q̃d liberet, impune licere sunt arbitrati, & se in libertatẽ uindicare illicitã conati sunt, q̃d cum incauta subditoꝶ molireť multitudo, armisq; res disceptari coepta

Nu. 16. 26.

1. Reg. 2

 esset,

esset,hunc miserabilem res sortita est effectum,quem oculis uidemus,& plerique nostro experti sumus malo. O miseros itaque & uere infoelices,
Psal.113. & 134. qui oculos habent,necdum uident,aures habēt, necdum audiunt,quouis Thoma magis increduli, Quanquam enim digitos ac manus in uulnus
Ioan.20. immiserint,tamen præfracte pergentes non credunt.

Oecolampadius noua quadam alia cura correptus, Christum abnegatum iri si sic pergatur, scribit, rursus stulte diuinare bellus auruspex incipit,multumque ubi nihil periculi est formidat,Nisi hoc de se ac suis similibus dictum esse uelit, qui Berengarianorum Vuicleffensiumque hæreticorum more Christum in sacramento altaris abnegant. Quorum etiam magna pars Christum dei esse filium negat.Nam nō ita pridem ipse a blasphema lingua audire coactus sum, Christum nōdum in coelis esse, propterea frustra se Oecolampadius huiusmodi curis conficit, neque ēm probis antiquæ & a maiorib. acceptę fidei obseruatoribus talia accidēt, His autem quibus orationes,ieiunia,et quæcunque sunt alia bona opera, sordent,& hæc et multo acerbiora cōtingent.De errore enim in errorē, de cęcitate in cæcitatem sese præcipitant, quos (ne ego sim prolixior)a
Matth.7. fructibus eorum cognoscetis.Nunquid colligunt de spinis uuas,aut de tribulis ficus?

Sed ait Oecolampadius,nos errare,quod Christum nō cōmisisse apostolis dicamus,ut euangelia literis mandantes conscriberent, atque inde robur ecclesiæ & concilijs authoritatem attribuamus,Item domini mandata negligēda esse innuamus.Est & hęc,fratres in Christo dilectissimi, stolida & inanis Oecolampadij cura,qua sibi persuadet,nos dicere Christianos ad mandata Christi obseruanda non obligari.Quis enim hoc ue tustioris fidei & religionis cultor unquā cogitauit, nedum dixit aut predicauit? At hoc hominum genus dum ueritate nos nulla oppugnare potest,mēdacijs multis adoritur. Et in hoc negocio nō aliter agunt,quam quum Euangelio DEI nos resistere falso calumniantur, nec quenquam pro euangelio stare,quam qui eorum sequatur partes, existimāt. Quippe nos qui maiorum pijs instituti præceptis uerbum dei corde credimus,ac ore predicamus,in canticis,orationibus,lectionibusque sacrum ore & corde uoluimus euangelium,iustisque & condignis uenerantes sanctum DEI uerbum honoribus, accensis candelis, aperto capite attenti Euangelij iucundam audimus uocem, librum quo scriptum continetur,auro & argento alijsque gemmis ornamus, nihil omittentes, q̄d euāgelio dei decoro esse possit,quæ quum ita sint,facile uidetur, dilectissimi in Christo amici,quam inique nobiscū agant,qui crebro in ore euāgeliū habēt, assidue clamātes euangeliū, euangeliū,interea autem corde lōgissime ab omni bono remoti,Euangelij nullū iota obseruant,In quo nostri maiores honestissima & integra ac simplici conuersatione uitam egerunt,mulieribus ita docendi facultatem nō fecerunt, sed euangelium magna sedulitate et cura, opere complentes docuerunt,quod nostri Lutherani non tantum nō faciunt,sed ne minimo quidem digito attingūt,

non incom

non incõmodum excogitantes figmentũ, dum mandata domini obser uari ab homine non posse aperte aiunt, ac primum quidem preceptum a nemine etiam gratiam habente custodiri posse contendunt. Porro aũt, quod Christũ apostolis non precepisse ut euãgelia mandarẽt literis, asserimus, uerũ est, quod & Oecolampadius Chrysostomi in Matthæum scribentis testimonio certior factus scire nec inficias ire debebat. Sin ne hoc quidẽ modo uictus concedere uoluerit, doceret ubi a Christo euangelium literis scriptum, aut alij ut scribatur manifesto præcepto demandatum existat. Quod uero duorum apostolorum Matthęi et Ioannis, ac duorũ qui apostolorũ discipuli fuerunt, euangelia recepta obseruantur, Nicodemi autem & Bartholomei & aliorum pro apocryphis habentur, quis quæso in causa fuit? An non per concilia & sanctos patres ita decretum est? Equidem credo neminem dubitare. Nam quando, quomodo, & quo tempore factum sit probe scimus. Tanto autẽ (quod res ipsa ostendit) Zuinglius & Oecolampadius in libros domi suæ natos amore ferũtur, ut quod ipsi Thuregi uel alibi, in suis synagogis statuũt, uellent per uniuersum orbem ueluti quatuor euangelia recipi ac uenerari, quemadmodum quod a maiori Thuricẽsium senatu & Zuinglio decernitur, stricte omes qui Thuricensium iurisdictioni subiecti sunt, obseruare compelluntur. Interea quod a trecentis decem et octo episcopis in Nicęa Bithynię, quod a sexcentis et triginta patrib. Calcedonę, quod a ducentis Ephesi, & in summa quod uspiam a sanctis Episcopis & patribus uel quibuscunque tandem in spiritu sancto cõgregatis statutum & decretum est, id omne hodie antiquatum, reiectum & abolitum eorum consilio censeri debet, Sed non sic impij non sic.

Sequitur preterea in Oecolampadij sermone de uerbo ad uerbũ hæc sententia: Nuper iustę magnitudinis liber cõtra Vlrichum Zuinglium, quem non aliter nisi ut fidelem diuini uerbi dispensatorẽ esse deprehendere possum, ęditus est, per Fabrum congestus, uirum uobis satis cognitum. Ego uero gratiam habeo deo meo, quod etiam anteactæ uitæ meę conuersatio uobis nõ est ignota. Scitis em̃ quomodo me gesserim, dum ordinarium iudicem, officialem uidelicet, apud uos Basileę agebam, quo ego iudicandi munere ultra quatriennium functus, diuiti iuxta ac pauperi iustitiam iuste ex ęquo & bono (quod citra iactantiam sit dictum) distribui, Insuper eo tempore, & interea sępe sanctum dei uerbum apud uos fideliter predicaui, in mea uocatione, qua ad sacerdotium uocatus sum, firmus permansi, non a monachatu, nec sacerdotio, diuina adiutus gratia, ut Oecolampadius, desciui, firmus quem ordinem & locum cœpi, teneo, & pro uirili defendo. Cæterum quod Oecolampadius Zuinglium fidelem diuini uerbi pręconem esse suo testimonio asserit, nõ possem ego satis demirari, nisi ipsos mutuas inter se opas, ueluti mutuo muli scabunt, tradere intelligerem: Quippe si Oecolampadius librum meum ęquo legit iudicio, non potuit non apertissime coram uidere, quot quibusque Zuinglius diabolicis irretitus errorib. detineat, Cõperit aũt plus

q̃ centum

quam centum clarissimis locis Zuinglium suis scriptis seipsum impugnare,ac sibi contradicere. Deinde omnes etiam iamdudum condemnatos hæreticos Zuinglianam doctrinam ferre nō posse, Zuinglium aduersus Lutherum centum quinquaginta punctis, ueluti indicto bello atrociter præliari, Ad hęc etiam Oecolampadium fidum alias Achatem nō uno loco ferire, Pręterea quod ex superioribus cuiuis facile apparet, in eo quoq; probatum est libro, omnes Christianos doctores Zuinglianam doctrinam ut hęreticam condemnare, uniuersam Christianitatem ab ortu usq; ad occasum, a meridie ad Aquilonem, Zuingliū pro hęretico diiudicasse & condemnasse, Postremo ueluti omnes Christifideles diuino præmuniti uerbo Zuinglianam hæresim condemnāt, & abhorrent, Ita sacram scripturam innumeris locis eius hęresim impugnare, subuertere, & condemnare, non aliter ac Dauid aduersus superbum Philisteum temerario ausu pugnam facientem, prospere pugnauit, et angelus domini contra impium Sennacherib. Ita nocentissimum Zuinglium sacra scriptura passim oppugnare, captum condemnatumq; hęreticum esse commonstrans, substernere, meo libro contra Zuinglium ædito, aperte probaui, et ubi ea in Zuinglij libris comperiantur, indicaui, Proptcrea non larug, sed negocia sunt magna et ardua, Quid enim miserabilius, quam ab uno cæco, atq; obstinato homine, tot hominum milia seduci, & in tot condemnatas pertrahi hæreses? Quibus ego semper condolui. Dominus deus istum populum per unigenitum suum exoratus filium e tenebris et umbra mortis reducat, lucemq; ueritatis intueri concedat. Amen.

1.Reg.17

Esaiæ.36.

Rhetorum consuetudinem, qua aduersarios in inuidiam adducere solent, nimium imitatus Oecolampadius, bonā orationis partem in conflanda mihi inuidia absumit, proinde ut tacite, quia aperte non potest, uitam meam mordere cœpit, ita doctrinam infirmare, & authoritatem eleuare strennue pergit. Ait enim: Tametsi Fabri in multorū principum palacijs uitam agat, tamen nec eo ueracior, nec fide dignior existit. Intelligo quid uolucris Oecolampadi, Sed quid nisi acerbam animi tui prodideris iracundiam, nō uideo. Quorsum enim istud? Putas ne obstaculo mihi esse, quod Christianissimo Hungariæ & Bohemiæ Regi, Archiduci Austrię &c. liberaliter seruio? Equidem potius honori quā uitio hoc dandum censeo. Sed Oecolampadium et Capitōem male habet, se extra ciuitatis portam pedem efferre non audere, nisi eorum fide publica interposita in quorum profecturi sunt fines. Neq; tamen data fide per obsignatas literas cōtentantur, nisi magna equitum & peditum manu pręmuniti fient. Atq; interea formidolosi (quia cauteriata urget conscientia) homines mire sibi placent, Euangelico & apostolico titulo gaudent, ac si tot expensis, Petrum, Paulum & alios apostolos hinc inde deducere necesse fuerit. Sic sacerdotes qui imperitis rusticis secessionis ac coniurationis fuerunt authores, assidue proclamarunt, propter euangelium mortem non tam fugiendam quam optandam esse. At re ipsa deprehensum

prehensum est, passim primos omnium predicatores qui fugam facerēt extitisse. Domino deo laus sit et gloria, cuius gratia libere per omnes regiones equitare, uerbum seminare diuinum, scriptis testificari, & quam possum plurimos ab hisce inauditis hęresib. dehortari possum et audeo, quod istos homines torquet & ad quæuis comminiscēda instigat, si quo adiuti auxilio nomen & famam imminuere & infirmare possenr, famam tamen quam bonam & inuiolatam seruatam confido, nunq̄ lædi posse existimo. Quod in principum aulis antea & nunc quoq; uitā agam, non nego, Nihilo tamen segniore animo euangeliū dei predicare audeo, idque pro mea consuetudine uero & syncero intellectu interpretari non cesso. Quare et Oecolāpadio respondere uolui nōnullis alijs etiam grauissimis impeditus negocijs, quem, et si pleriq; obstinatum, excæcatum, & a se ipso condemnatum eum putantes, potius uitandum quam pluribus admonendum statuunt, ego aūt non tam curans in eo oleū & operam perdi, q̄ uos & plures alios in fide ædificare cupiens, Oecolampadio suos errores rursus ostendere, & Christianos ne seducantur præmonere decreui, laborem non grauatim Christianæ reipublicæ causa suscipiens. Titi.3.

Parum quoq;, amici & fratres charissimi, Oecolampadij me mouent uerba tragica, quibus quasi indignū quoddā proclamat, me Basiliensem ambire episcopatū, quum em̄ diuina uoluntate et uera Christiana uocatione in episcopū electus & confirmatus essem, euangeliū (q̄d faciēdum crebro clamat Oecolampadius) ipse annunciare uellem, conformem & imitatorē me exhibiturus Londoniēsi, Roffensi, Lincōniensi, cęterisq; in Anglia episcopis, qui p̄ aduentū, quadragesimā, singulosq; dies dn̄icos, corā eo℞ Rege et populo sanctū predicāt euāgeliū. Quod dū a me fieret, nihil dubitarē, quin Oecolāpadij suorumq; similiū hęreses cito & funditus perituręssent, Deinde mihi credat calumniator, me legēdo, scribendo, et alijs quib. deceret modis episcopale officiū administraturū fuisse, Verbo ueritatis multa animarū milia dn̄o lucrando, atq; cōmuni reipublicę Basilensium nō infidelem pastorē prę̄stando, et nihil nō facturū fuisse, quod Basiliensibus nō honori & utilitati extitisset, Atqui Oecolampadius (quod nō falsis inductus rationibus facile credo) neq; Erasmum Roterodamū neq; quempiā doctū Basileę ep̄um esse ferre posset, metuens eniw malus sp̄us, ne eiectus, loca solitaria adire cogatur, furit, tumultuatur, omnemq; in his hominib. mouet lapidē, ne loco pulsus per auia peregrinet̄, unde concitatū hoc hominum genus om̄ia aggreditur, om̄ia molitur, oēm in summa mouet lapidem, ne quispiam admittatur, a cuius spiritu ueluti a uēto puluis, sua hæresis sparsa projciat̄. Proinde p̄dicando, clamando, hoc agūt, quod ex hoc Oecolampadij sermone liquet, ut tuto liceat ipsis in suo regno ætatem agere, quæ satis ostendunt nullam charitatis scintillā in omnibus istorū sermonibus esse. Episcopū si quem doctum adipiscunt̄ (ueluti iam suffraganeū habetis doctissimū et in predicando uerbo dei fidelem) tum deridendo, detrectando hoc fere efficiunt, ut

ciunt, ut qui suæ doctrinæ certissimus est, uitæ suæ sæpe incertus esse cogatur. Sin indoctus istis contigerit, lupum non pastorem, asinum non hominem esse aiunt, denique tyrannum animarumque carnificem uocant, adeo ut quocunque incipias modo, diuersum istis placeat, Si enim cecineris, non saltant, sin ploraueris, ne hoc quidem sustinent. Sentit Oecolampadius, quod et ipse fatetur, me hactenus pace delectatũ, paci quamplurimũ studuisse, tñ ne hoc quidẽ homini placet, adeo eum angelus & princeps mũdi uidentẽ excæcauit, ut nõ in Ægypto solũ, uerũ super faciem totius terræ tenebræ ipsi esse uideantur. Sed hoc sibi de mea episcopatuũ ambitione firmiter polliceatur Oecolampadius, me episcopatum cupide nunq̃ ambiuisse, neque si episcopatu ꝑpetuo frustratus fuero, unq̃ a uera & antiqua Christifidelium ecclesia deficiã. Nec me fratres in Christo dilectissimi a uera fide, communique Christianorum religione auellere poterit, quod nec Basileæ nec alibi Episcopus factus fuerim. Prȩterea ne hoc quidem me separabit, quod nõ parum inique & grauiter a quibusdam Romanis etiam magno cum detrimento uexatus sum, Ex quibus hoc solum dictum uolo, quod quidam iam plus quam senio confectus, nimirum fere Octuogenarius Curtesanus aduersum me machinatus est, Hic em̃ quum quam uere nõ potuit a me pecuniam extorquere, dolis et iniuria conari non est ueritus. Nam infra biennium ex causa nonaginta aureorum, quos non debeo, Romam me citauit. Lubens prȩtergredior quæ alioquin non satis fraterne ab his facta mihi contigerunt, Sed nihilominus a Christiana ecclesia deficere nolui, neque enim istorum nequitiȩ tantum apud me possunt, ut simul q̃d pium ac uerȩ est abnegem, quemadmodum Lutherus, propterea quod in Romanis indulgentijs concedendis non pœnitentiarius, non commissarius creatus est, odio & inimicitia persuasus contra ecclesiam intumuit. Nec Doctor Volphangus Capito imitandus mihi est uisus, qui primum passim in Imperialibus comicijs coram Imperij electoribus cȩterisque principibus acerrime contra Lutheranos causas egit, deinde modici quidem commodi ex quadam Argentorati apud sanctum Thomam prȩpositura ad se redeuntis gratia, quod apostolicus legatus episcopus Pistoriensis intercepit, mox mutata sentẽtia ab ecclesia, ut olim Montanus, defecit. Nec bellũ hominẽ admodũ sua fefellit opinio. Iam em̃ nõ ex præpositurae uiuit redditibus, sed effecit ut prȩpositurae ad sanctum Thomam fructibus, item hijs qui ex sancti Petri parochiali ecclesia & predicatura proueniunt prouentibus nũc secure cum sua uxore fruatur, Adeo hic quauis pluma leuior homo foro uti probe didicit, Huc quoque quȩ ex monasterijs acquisita sunt, pertinẽt, neutiq̃ aspernandæ opes, quibus omnibus cum chara coniuge potitur. Quod si id animo meo collibuisset, quod istis magna uoluptas fuit facere, uidelicet Cȩsarum, principum, & aliorum Christianorum fundationes, beneficia, eleemosynas, cœnobia, testamenta, & hijs similia infirmare, circumducere, lacerare, & in meam priuatam utilitatem conuertere, ueluti Antiapostoli isti fecerunt, & in hodiernum usque diem faciũt,

Si hæc

Matth. 11

Ephe. 6

Exod. 10

Gene. 1.

Si hæc inq̃ collibuiſſent,iam dudum & ego mihi opes magnas & epiſco patum parauiſſem,Sed longe alia memori mente ſtat ſententia, quā ueri nos & ex deo docti docuerunt apoſtoli,bona noſtra propter deum dimittenda,nō qp recentiores facere cœperunt euangeliſtæ,aliorū fundationē et inſtitutionē circūducere & in noſtrum uſum cōuertere debere.Id enī(ut euangelicis perhibetur literis) eſt metere ubi nō ſeminaſti. Atqui mihi credant iſti alienorū occupatores,ſi per totam uitam nec epiſcopatum,nec cōſimilia beneficia aſſequutus fuero,quin & a Romanis multis alijs afficiar iniurijs,nunq̃ tñ ſanctā Chriſtifidelium abnegabo uel abiurabo fidem , nunq̃ nec Lutheri defenſurus partes,nec Zuinglij , Oecolampadij,aut cuiuſcunq; tādem ſequuturus opinionem peruerſam : ſed ut petra immobilis,firmus in diuina durabo gratia,et in uniuerſum non quod Arrius fecit conabor,qui quum in Alexandria epiſcopatum cōſequi non potuiſſet, totum terrarum orbem fere interturbauit.Sed ex his fructibus uos Oecolampadij facile agnoſcetis arborem.

Oecolampadius putat non demirandum hoc fuiſſe, quod in diſputatione Badenſi conceſſit ſanctorum pro nobis intercesſionem,non enim ideo ſanctos inuocādos.Ego uero cur demirari deſinā nō uideo , quum ne hāc quidē ſanctorū intercesſionē Zuinglius admittat, Oecolāpadius quoq; infra biennium ſuper Canonicam Ioannis ſcribens reiecerit. Quę ex diametro inter ſe pugnare nemo non uidet.Quid enim intricatius & inconſtantius,quam quod ait: ſancti qui in charitate defuncti ſunt, pro nobis deū orant ſua bona erga nos uoluntate,uel(ut rudius dicam)ſuo bene uelle.quod ipſum & ego pro fundamēto poſui,per quod inter cætera ſanctorum intercesſionem probaui , & firmum permanſurum non dubito,quum etiam ab aduerſario introducatur. Si ergo charitas nō aufertur nec excidit , quod teſtatur Apoſtolus,atq; aliū alio maiori charitate prædítum decedere non ambigitur , ad hęc parentes cęteriq; maiores noſtri,qui adhuc nobiſcū uiuētes magno in nos & naturali fereban tur amore , iam defuncti ſunt , quis non credat potius antiquum illum amorem in his etiam auctum potius q̃ extinctum eſſe , atq; adeo eā charitatem manere qua moti diligentius pro nobis intercedunt.Vnde non inique Lutherus in mortis certamine conſtitutū docuit hominem,ut ſuum angelum , apoſtolum,cæteroſq; quos uiuens frequentius ueneratus eſt,imploret , eoſq; diligentius pro eo intercesſuros ſcribit. Nec temere creditur angelum Tobiæ,angelum Cornelij,& alios ſpecialiter deputatos angelos cuſtodes, crebrius pro ſuis q̃ forſan pro alijs apud deum interpellaſſe,cauſam ſibi commiſſorum promouentes, Quare & Michaël & alij cuſtodes , angeli terrarum & prouintiarum leguntur. Verum,ut quæ dudum a maioribus uerisſime facta eſt regula impleatur , qua nullam hęreſim ſolam oriri,ſed ſubinde alteram ex altera ſuppullulaſcere dixerunt,ita comprobatur , Nam impius cum in profundum uenerit peccatorum, cōtemnit,Ita Oecolampadius etiam ex oratione dominica male interpretata nouam producit hæreſim, nimirum hæc uerba,adueniat

Tobiæ 4 / Acto.21 / Ioan.10.12. / Apoc.12 / Prouer.18.

regnum tuum,tam late extendi ratus, ut his etiam qui iam mortui sunt,
tangantur.Quo loco si ut Oecolampadio, ita etiam mihi contentiones
cordi sederent, affirmare possem,bellum theologum orationem domi-
nicam nondum perceptam habere,quemadmodum & Lutherus sex lo
cis oratiõem dominicam male interpretando peruertit.Necq̃ enĩ(quan-
tumuis magnus in Israël Rabbi esse cupiat) in Matt. nec Luca uerbum
hoc nobis scriptum legitur.Sed dicit dominus,adueniat regnum tuum,
si iam nihil ad legem addendum nec adimẽdum est,quod ex quinto lib.
Prouer.12. Mosi & Salomonis sententijs docent & clamant continuo, cur quæso
non seruant itidem? Cur hic & alijs quam plurimis locis addunt, aufe-
runt,& pro libidine agitant?

Victus itaque proprio testimonio iaceret Oecolampadius.Sed lega-
mus interea cum eis,adueniat nobis regnum tuum, tamen nullo pacto
ad beatos usque iam defunctos extendi poterit, quos iam in regno cum
Philip.1 Christo esse,nemo sanæ mentis abnegat,Proinde & Apostolus liberari
1.Thim.4. desyderauit & esse cum Christo.Electi enim dei qui in regno sunt,in die
domini obuiam cum Christo in aëre uenient, Quę si Oecolampadio pa
Ioan.18. rum probãtur, dicat mihi obsecro quid sibi uelit,quod Christus Pilato
Lucæ1. respondit,regnum meum non est de hoc mundo, Item quod de eo prę-
Matth.ult. dictum est,regni eius nõ fore finem, dicat iam mihi Oecolampadius,an
Acto.1 regnet Christus nec ne? Si nondum regnat Christus, coelum nondum
conscendit,Apostoli(si dijs placet)uisionem dumtaxat,nõ uerum Chri
stum in coelũ ire uiderunt,Forsan Christus adhuc in limbo apud patres
moraẽ,& q̃d Lutherus de sanctis asserit,dormit adhuc.O rem impiam.
Christum dixisse compertissimum est,traditam sibi omnem potestatem
Matth.ult. in coelo & in terra.Si iam Christus non resurrexit,quid aliud sequitur q̃
1.Cor.13 fidem nostram,predicationem nostram,ut Apostolus scribit,frustranea
Matth.26. esse? Sin autem Christus resurrexit,regnansq̃ ad dexteram dei patris se-
Marci 16 det,& quam uidit Stephanus uisionem,ueram esse fatemur, proculdu-
Lucę 22 bio una cũ Christo sunt electi sancti eius. Vnde habemus sanctos cum
Acto.7 eo regnaturos esse,quamobrẽ & latro in cruce domino humili uoce sup
Hebr.11 plicauit,Memento mei cum ueneris in regnũ tuum. Propterea Lu.xxij.
Coloss. 1. ipse ait:Ego uado uobis parare locum,ut ubi sum ego,& uos sitis.Quę
Hebr.10. cum ita sint,quid tãdem oramus ut adueniat regnum eis q̃d ante multa
Lucæ 23 sæcula paratum est?nisi latronem adhuc pro regno apud Christũ instare
uelint,Ex quib.cuiuis facile eorũ cæcitatem apparere statuo. Et his fun-
damentis confirmatus,concludo,sanctos iam uita defunctos, ac beatos
Hebr.10 in regno esse,illudq̃(nimirum coelorum regnum)eos cum gaudio pos-
Ioan.12. sidere,ad hoc namq̃ a Christo uocati,ut cũ ipso essent,qui dixit,ubi sum
ego,illic et minister meus erit,et erunt profecto cum eo ministri sui,per-
petuo uidentes,quod dominus inimicos suos sub iugum missos,scabel-
Esaiæ 14 lum pedum suorũ fecit,Nec sibi metuunt ne aliquando sedib.suis ut Lu
Lucæ10 cifer pellantur,Satanę uel antiqui draconis nomen nõ habent:sed quod
Apoc.12 nos credimus, uident: quod nos speramus, possident: quæ deniq̃ nos
precibus

precibus assiduis obtinere cupimus, ipsi iamdudum adepti sunt, atque eo loco omni fruuntur gaudio, ubi nulla pœnitentia, nullus fletus, aut quicunque alius labor uel imperfectio occupata corda affligit, Absterfit enim dominus deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum eius. Quamobrem & hæc quæ hic Oecolampadius somniat, & quæ sequuntur omnia sua fundamenta frustra excogitantur, & ad uehementissimi fluminis ripas super harenam ædificata sunt. Iampridem statutum est ne pro Petro uel Paulo alijsue sanctis oremus, unde post festum ueniens nihil hic aget Oecolampadius. Apoc. ult. Matth. 7

Subijcit autem Oecolampadius, & nostras preces non dissimiles esse adserit multis mendicis simul hostiatim credo mēdicatum euntibus, qui licent una mendicent, ob eam tamen causam non aduocati dicantur. Respondeo, posse plures simul mendicare, cū simul pro pane ad ditiorum ædes precib. solicitant, Ita spiritualiter David ait: Egenus & pauper sum ego, dominus solicitus est mei, Et Cancellarius Parisiensis Ioannes Gerson de spirituali mendicitate scripsit, ubi de præcipuis quoque agit, Sint itaque plures simul mendicantes, quid autem prohibebit pro uno peccante cæteros mendicos intercedere & exaudiri? Sic quoque cum illorum qui in terris uiuunt, alter pro alterius peccatis deum orat, ut remittantur ei, cur queso is nō aduocatus & intercessor alterius dici potest? Nec mirum est, cum in oratione dominica ad dominum clamemus pro pane quotidiano, etiā nos mēdicos dici spirituales, Quum uero pro remissione peccatorum, quę nos ac fratres nostri perpetrauimus, apud deum intercedimus, recte aduocati & intercessores appellamur, qui pro malefactore iudici supplicant, eius malefacta & culpam libere fatentur, & nihilominus patroni aut intercessores appellantur. Iudex enim pro tribunali sedens, in illorum, inquit, gratiam qui pro te intercesserūt, te absoluo. Sic etiam Christus in cruce patronum egit, quum patrem cœlestem his appellauit uerbis: pater ignosce illis, qa nesciūt quid faciunt, et exauditus est, quemadmodum Apl̄us ad Heb. scribit. Ita Stephanus intercessor fuit, qui (ut textus expressis testatur uerbis) flexis genib. alta uoce clamauit: Domine ne statuas illis hoc peccatum, nesciunt enim quid faciunt. Postremo in ueteri testamento quoties Moses pro populo ad dominum orauit? Psalm. 31 Lucæ 23 Hebr. 5 Acto. 6 Exod. 23 Num. 21

Atqui ait Oecolampadius, orante uno pro alterius delictis, priuatum quoddam & singulare requiritur intercedentis meritum, ut quod petit obtineat, Sanctos autem nulla propria habere merita, sed ex sola dei misericordia saluos & beatos esse factos. Magnum (si dijs placet) argumentum & dignum quo sanctorum infirmetur inuocatio. Verum si, quod Oecolampadius asserit, meritum intercedentis requiritur, dicat mihi bellus iste euangelista, quibus mulier Chananęa ornata fuerit meritis, quum pro filia intercederet, quibus Centurio beneficijs se insinuarit, quum serui suis precibus redimeret uitam? Quæ tandem merita illorum erga omnipotentem deum fuerunt? Propterea Oecolampadi temere & nequiter asseris, neminem intercessorem esse nisi præcedentibus meritis Titi 3. Matth. 8 Lucæ 7 Marc. 15

multum possit. In communi enim & uulgari hominum conuersatione experientia multoties contrarium uidi, uidelicet homines ignotos, nec dum quicq̃ boni meritos pro ignotissimis orare, eorumq; causam promouere. Sed de his hactenus, Reliquum est, ut quam uere cætera scribat Oecolampadius ostendamus.

Psalm.13 Eccles.15 Ioan.9. Math.6 Lucæ 11 1.Tim.2 Roma.1 1.Thessa.3 2.Thess.1. 1.Tim.2 Colos.1. Colos.4 Acto.12. 2.Tim.4 1.Cor.9 Iacob.1. 1.Petr.5 Apoc.2 Iob.7 Ephes.2 Oecolampadius docet, omnes quotquot hic uiuunt, peccatores esse. Scriptura dicit deum peccatores nõ exaudire, et tñ iubemur omnes pro nobis ac nostris fratrib. clamare, Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita nostra, Si enim nulla merita habemus, exaudiri nequaquam possumus, et frustra est quod pręcepit Apostolus ut oremus pro regib. principibus, omnibus superioribus, Item frustra alius pro alio orare iubetur. Præterea cum nos ut peccatores pro inuicem oremus, atq; Paulus fere in principio epistolarum suarum mentionem faciat suarum orationum, quas pro Romanis, Corinthijs, & alijs fundat, rursusq; ab eis ut pro se orent expetit, Deinde ut pro Petro capto, ecclesia in Hierusalem orauerit, Quanto plus hi qui cursum perfecerũt & certamen huius mundi strenuissimis facinoribus suis in hac uita certarunt, coronã adepti, iam pro nobis debent & possunt orare, exaudiriq; benignius? Porro q̃d ex dei misericordia salui sunt facti, non concludit ob eam rem minus exaudiri debere, quia nõ ut ignoti & indigenę habentur, sed pro amicis, ciuibus, & familiaribus coram deo reputantur, & sunt, atque sciunt quod Christus dixit, quid eorum dominus faciat, & quicunq; ita dei fecerunt

Ioan.15. uoluntatem, ueri dei sunt amici, quibus ipse dixit, uos amici mei estis, si ea feceritis quæ ego pręcipio uobis, & hij qui cum Christo sunt passi, et

Math.19 Lucæ.22 iam cum Christo regnant. Quapropter non absq; re euangelicis proditum est literis, quod apostoli sedebunt super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israël. Si itaq; amici & assessores sunt Christi, nimirum hanc intercessionis consequuti dignitatem, ut etiam iudicaturi sint duodecim tribus Israël, quis non uidet perditissimos esse errores qui ab Oecolampadio hic introducuntur?

1.Cor.13 2.Tim.1 His subijcit Oecolampadius, sanctos omne hoc quod sunt, a deo esse, ac quicquid in eis est, hoc dei misericordia operatum esse, quod nec nos ignoramus, nec imus inficias. Scimus Paulum dicere, ex gratia sum id q̃d sum, Equidem non ex operibus nostris præcedentibus, sed per suam misericordiã saluos nos fecit. At consultius Oecolampadio agendum erat, & quæ in Apostolo sequuntur simul expendisse debebat. Dicit enim:

1.Cor.15 Rom.2 Galat.6 Roma.14. 1.Cor.3. Ioan.5 gratia dei in me non fuit uacua. Ad hęc consyderasse debebat, quod clare scribitur, unicuiq; reddet secundum opera eius, Vnusquisq; onus suum portabit, Item unusquisq; pro se rationem reddet deo, Vnusquisque etiam propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, procedent enim qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Deum immortalem, qui fit ut hoc hominum genus tantum quod sibi placet eliciat, cætera surda prætergrediatur aure. Verso enim folio comperiret, necessario nostram operam requi-

ram requiri,atq; adeo nos dei cooperatores esse oportere. Sic quanq̃ fa 1.Cor.3.
temur & agnoscimus dominum deum esse, qui domum exædificet et ci Psalm.126.
uitatem custodiat: simul tamen & hoc nobis notissimum est, manũ ope-
rariorum admouendam esse, et excubias in urbibus agendas. Omnipo- Ioan.15
tens pater uerus est agricola, at interea uult nos quoq; aratro manum
admouere, seminare, metere, triturare. Fructum uincarum dat dominus, Lucæ.9
tamen non fert operarios tota die oscitantes ac ociosos in foro stare, sed 1.Cor.3 Matth.20.
laborare iubet, quib. uespere facto ex mera benignitate, ultra promeri-
tam mercedem plus largitur, tum promeruisse illos suo labore aliquid
certum est, Huic qui quinq; talentis bene negociatus erat, potestatem & Matth.25.
dignitatem dat ampliorem, quod autem per eos operatum, laboratum
& conseruatum est, ex dei immensa misericordia fluxit, quæ gratia eo
quoq; extenditur, ut quia in eius nomine tanta firmitate rem quam o-
ptime gesserunt, iam pro amicis, conciuibus, & conregnantibus eos sit
habiturus, ac quia in aduersis & periculosis firmiter secum permanse-
runt, om̃ia patienter ferentes, centuplũ hoc iam recompensat dominus, Lucæ 22
atq; perfecto gaudio & remuneratione optima uitam largitur ęternam. Matth.19
Quis em̃ tam obstinatę et pręfractæ impietatis unq̃ reperietur, qui non Matth.5
uelit & teneatur credere clementissimam dei genitricem, perpetuã uirginem
Mariam prę cæteris exaudiri, quã Archangelus Gabriel salutãs, plenam
gratia dixit? Nihil em̃ hic Lutheri moror interpretationem, qui in Ger-
manorum uerters linguam ait: Biss grusset du holdselige, ac si angelus a
deo missus uirginem beatissimam restim ductitantem comperisset. Eam
scilicet uirginem quam angelus gratia plenam dixit, dominũ secum esse
& ipsam benedictam in mulieribus predicauit, quam deinde Elisabeth
summo gaudio excipiens, tam officiose salutat, et laudans beatam predi-
cat quæ crediderat. Insuper Ioannes de eius aduentu gaudens in utero Marc.1
matris exultauit. Quę rursus beatissima uirgo in Bethleẽ paupertate, in Lucæ 2.
Ægypto curis non parum afflicta est, ut ne addam dolores quos pia ma
ter sub cruce est passa, Intelligitis enim opinor quid pro filio, a quo tam
uehementer diligebatur, pijssima mater condolens tulerit. Quapropter
cui dubium est matrem, cũ ultra alios amauerit, ac sit cõpassa, non etiam
præ cęteris exaudiri, quando ipsa mater suũ orat filium, qui parentes ho
norandos & obseruandos præcepit? Sed quid multa? Sanctorum quo- Ioan.18.
rundam uitas, ut Babilę & aliorum a Chrysostomo conscriptas, e gręco Exod.20 Deut.5.
in latinum uertit Oecolampadius, ubi clarissime scriptum comperitur, Matth.15
martyres manibus capita detruncata coram deo tenere, & deum orare, Marc.6
ut hæc benigne respicere, eorumq; intercessionem clementer exaudire Ephes.6.
uelit. Hoc bellus nouator infra quatriennium non innouauit, sed fideli-
ter uertens pro bene scripto ędidit, & non immerito, quia ante mille an-
nos pariter pro uero ac bono existimatũ est. Quum itaq; decollati san-
cti ut Dionysius ac cęteri sua capita porrigunt, Christum suarum passi-
onum et afflictionũ admoneant, deniq; ut nobis clementem se exhibeat
obsecrant, quid bone deus matrem domini facere putatis? Nonne &

ipſam quoq; nobis periclitantibus filio qui ſuxit ubera oſtendere cenſe-
Lucæ.11 tis, ac monſtrare uterum in quo nouem menſibus eum geſtauit, quin &
Lucæ 2 gladij (de quo iuſtus Simeon prædixerat) matrem gratię recordari ac ſi-
gnificare, quoties is doloris gladius eius cauſa ſuam pertrãſierit animam,
primum quum puer ipſe, deinde cum duodecimum, item trigeſimum
Lucæ 3 annum ageret? Quamobrem mi Oecolampadi, tibi enim nunc cum pro
Eſaiæ 30 pheta Eſaia loquor, deſine tandem & quieſce, quia quod inſtituis, me-
ra ambitio eſt & ſuperbia. Nam iiſdem artibus immortalitatem tibi pa-
Galat.3 rare aſſidue cogitas, quibus ille qui templũ Dianæ igne combuſſit. Chri
1.Tim.2 ſtum (quod tu aſſeris) noſtrum eſſe mediatorem, aduocatum, recõcilia-
Heb.12 torem iam pridẽ anteq̃ Theognis naſceretur ſciuimus, Neq; impugna-
re hoc ſtat ſententia, nec cogitauimus unq̃. Interea tamen tuis fucis atq;
Exodi 32 commentis nunq̃ hoc efficies, quin & Moſen patiaris mediatorem eſſe
Deut.5 inter deum et ſuum populum Iſraël, quemadmodũ aperte refert ſcriptu
Marci 15 ra. Item inter uiuentes alterum pro altero orare quis negabit? Sed Chri
Lucæ 23 ſtus uerus, primus, excellentiſſimus eſt mediator, & aduocatus corã cœ-
Ioan.19 leſti patre, cuius uerbum in Hieruſalem, legem in Syon, & uocem cla-
Eſaiæ 2 mantem de cruce in Caluaria iam dudum audiuimus.
Math.27 • Oecolampadius ſuo perſuadet animo, nullam nos ſufficientem ſcri-
pturam inuenturos, qua ſanctorum ſuffulciatur interceſſio, At ego aſ-
ſero Lutherum in decem præcepta ſcribentem eam inueniſſe, unde non
ſemel in eodem libro ait, Picardos magnos et pernicioſos eſſe hęreticos,
& exilio digniſſimos, quod ſanctorum implorationem & ſuffragia con
temnant, quod & certis utriuſq; teſtamẽti ſcripturis cõfirmat, Oecolam
padius idem in Pſegmatibus Chryſoſtomi comperit, ac nouiſſime in di-
ſputatione Badenſi cõfeſſus eſt, unde ſperaſſem eum tandem pœnitudi-
ne ductum cum filio prodigo, tamdiu cum Iebuſęorum porcis ſiliquis
paſtum, ad miſericordem patrẽ reuerſum fuiſſe, ueſte Niniuitarum lugu
Lucæ 15 bri indutum, cum Petro lachrymaturum, ac cum Maria Magdalena in
Num.13 Marſilia in ſpecu pœnitentiam acturum fuiſſe. Sed quam me mea fe-
Ma.7 fellerit de homine concepta ſpes & opinio, ſatis uideo, & magno dolore
Lucæ 15 cor eius adhuc lapideũ eſſe agnoſco, nec adhuc ſquammas ut Paulo ab
Ionæ.3. oculis eius cecidiſſe ſentio. Quis itaq; dabit capiti meo aquam, & oculis
Lucæ 22 meis fontem lachrymarum? & flebo noctes dieſque. O quam uere di-
Ezec.11.33 ctum eſt ab Eccleſiaſte, peruerſos difficulter corrigi & conuerti.
Acto.9 Porro quod Oecolampadius & Zuinglius toties ſunt contrarij, hoc
Hierem.9. Oecolampadius in hũc fere modum defendere nititur: Parũ, inquit, uel
Eccleſ.1 nihil refert, ſi hoc hodie, cras aliud affirmes, tardius em̃ ſæpe reuelari ue-
ritatem. Ex quibus uos in Chriſto chariſſimi facilime æſtimabitis, quæ
his fides mercatoribus ſit adhibenda, quod eorum doctrinis fundamen
tum inſit. Equidem nullum ſermonem in decennio ab ipſis habitum, ſa-
tis certo ſcio, quin gloriati ſint ſe prædicare Chriſtum, & ea quę dixerunt
euangelium aſſeruerint, uerum ſcilicet dei uerbum, pro cuius teſtimo-
nio periclitandum de uita, & pereundum priuſquam tibi eripi patiaris,

Quod

Quod eorum euangeliũ quum de die in diem auctum, nouatũ, mutilatum, & in summis nostræ fidei articulis immutatum ab eis existat, intelligitis opinor, quid tam de temerarijs tantarũ rerum nouatoribus sit sentiendum. Negociatorũ nullus temere cum istis contraheret, quibus non Grçcam uel Atticam, sed quibusuis Cretensibus fidem mutabiliorem uideret. Tit 3. Quoties Oecolampadius uirtute suæ doctrinæ sacramentum sub utraque specie probans, ad rauim usq; clamauit, Papæ tyrannide, & Episcoporum iniquitate sacramenti alteram speciem retentam? Igitur plus millies docuit sub utraque specie uerum corpus & uerum sanguinem esse. Iam uero adhuc recentiore afflatus spiritu, etiam ab ea quam propugnandam susceperat doctrinam, turpiter defecit, seq; inconstantiæ & mendacij clare arguit. Quid iam fratres charissimi illis accidisse putatis, qui in istius hominis priore doctrina defuncti sunt? Rursus quibusnam eos rationibus confirmabit, qui iam primum nouissimam doctrinæ suæ opinionem ingrediuntur, quum ne hodie quidem satis certi sint de Oecolampadiani spiritus ueritate? In singulos enim dies ac horas, ne noui quid prodeat expectare hæsitabundi coguntur. Nam toties iam experimento docti non immerito uacillabunt metuentque ne rursus Oecolampadij spiritus ultra mare apud Herculeas delitescat columnas, Matth. 8 uel in porcos ingressus redire non possit, Forsan eñ Hierosolymis ad- Marci 5 huc ut apostoli morat, dum is in linguis ueniat igneis, aut expectat cum Lucæ 18 Ioanne in Pathmo secretam reuelationem. Si ita in ecclesia agetur Chri- Acto. 2 stiana, ut quod hodie sit est est, cras in non non cõmutetur, quod hodie Matth. 5 2. Cor. 1 album, cras quouis Æthiope nigrius existat, quem hodie Christum credimus, cras panẽ materialem dicamus, quid tãdem fiet? Iacob. 5 Breui ex Christo Belial, Astaroth, Moloch, uel quod est horribilius Mahumetum predicabimus ac credemus, Et ut libere atq; aperte quod cogito profitear, non parum metuo, ne isti quouis mobiliores uento miseri homines, qui nostram fidem in præcipuis & ueris punctis integram & incorruptam non permittunt, uerum post mille quingentos annos demum non disputare, sed euertere funditus coeperunt, ne inquam isti Antichristi, Turcæ nimirum sint præcursores. Et indubitatam istorũ opinionem esse arbitror, ut per eas quas in Germania concitarunt seditiones & discordias Turca introducatur, Propterea Lutherus toties ac tam confidenter, contra Turcam non esse bellum suscipiendum scribit, quia eius dominio subiectus esse, & Turcam pro saluatore habere cupit, in spem adductus, non paruum in Turca præsidium sibi futurum, cuius tanta fide & diligentia promouerit negocium, Nimirum Turcæ præsentiam obstaculo fore arbitratus Christianissimo Cæsari & futuro Concilio, quo Lutherus de sua impia & peruersa doctrina rationem redditurus erat, ita spem in fuga sitam habens ad Chaldços ut Hieremias ait declinare & fugere non erubescit.

Vos qui solide uetustioris fidei cultores estis firmissimi, reputate quçso & diligenter expendite, quod Christus dudum promisit, spiritum se

missurum sanctum, qui nos omnia doceat, et reuelet omnia. Hic sanctus spiritus fere per mille quingentos annos ueritatem reuelans, honorabilis sacramenti dignitatem per totum orbem docuit. Et testimonio sunt tot Christifidelium milia, qui unanimiter eam debitam sacramenti dignitatem reuelatam credentes, uenerantes in uera fide defuncti sunt, & prę terea sacramentum paschali tempore mortisque periculo cōcordi fide, deuotione & intellectu omnes Christifideles animæ sumpserunt, & ita ex hoc sæculo mortis tempore migrarunt. Quæ quum ita se habeant, quis sanæ mentis credat, nunc demum spiritum sanctum monacho non tam habitum abijciente, quam regulam abiuranti semel susceptam, isti Oecolampadio ueram inspirasse reuelationem, & interea uniuersum terrarum orbem aberrari passum esse, uel (si dicendum apertius) decipere ac seducere uoluisse? Deum immortalem quam hæc indigna & pijs auribus omnino sunt absurda, Et me Hercule mirum est, esse quosdam qui

Ioan.1. istis tamen credant. Quid? Christus qui uera est lux, qui ut mundum illuminaret nasci uoluit, & ob eam rem uenit, ut ex Isräel cæcitatē auferret, tam diu nos cæcos esse, & in tenebris sine luce desolatos sedere per

1.Thess.5. misit? Absit fratres, sed fidelis deus per omnia. Proinde in nouissima coe

Ioan.14. Psal.115. na, ne diffiderent apostoli, promisit se spiritū sanctum missurū, qui no

Ioan. 3. biscum maneret in æternū. Quapropter si hoc uerax deus, qui nec men

Ioan.10. tiri uult nec potest, promisit, si is hæc dixit per quem est ueritas, cuius

Ioan. 14. sermo uerus est & ipsa ueritas, qui ueritati testimonium dedit, quomodo quęso per mille quingētos annos fere, nunquā nobiscum fuit? Quomodo quæso per tot sæcula nos destituisse & deseruisse potest? Ex quibus, q̄d cuiuis apparet, claris uerbis assero, si Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, & aliorum Antichristi euangelistarum doctrinæ ueræ essent, quemadmodum minime sunt, tum ab eo tempore quo Christus in coelum assumptus est, interea mundus semper in fide nostra errasset, & in tenebris esset uersatus. Christum siquidem scimus in Matthęo pro ultima ualedictione apostolis eorumque posteris & Ecclesiæ pollicitum esse

Matth.28. ac dixisse: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sęculi. Si itaque omnibus diebus nobiscum fuit, quo bone deus angulo Oecolampadij tamdiu latuit opinio, quibus & quantis oppugnata uallis, quod in lucem non prius prodijt? Cur (quod non errorem sed impietatem ipsi iudicant) tam diu in Lætania precati sumus, sancta Maria ora pro nobis, sancte Petre ora pro nobis? Ex his ergo constanti & firmo concludo animo, si (quod fideliū nemo suspicari debet) nos uel nostri maiores seducti essemus, neminem in culpa esse quam Christum, qui iam pridē pollicitus multa fuisset, pręstitisset aūt nihil, Quod nec esse po

Matth.24. test, nec unquam a Christifidelibus credi debet, antea enim coelum et ter

Mar.13. ra perirent, quam minimus de sua scriptura caderet apiculus. Iam nemo

Luc.21. negabit, quin dixerit patrem nobis missurum paracletum spiritum ueri

Ioan.14. Ioan.16. tatis, ut nobiscum & in nobis maneret, Item nolle se nos orphanos deserere, quod spiritus dicturus esset nobis omnē ueritatem. Quod si iam primum no

mum nostro emergeret sæculo ueritas, nimis profecto sera prodijsset omnibus qui nos præcesserũt fidelibus. Absit itaq;, absit inquam, ut cre dam fidelem, bonum & summum pastorem tam diu ouibus suam uo- cem eripuisse, Et uos qui de uera & indubitata fide non defecistis, idem sentire arbitror. Equidẽ quod ad meam personam pertinet, ab hoc mi- sero, & tum apostatarum ex monachatu, tum suum ordinem abiuranti- um sacerdotum collecto calamitoso grege nunquã ego persuadebor, quorum plerosq; per multos annos probe noui, deinde non paucos qui in hac Badensi disputatione se pro columnis Ecclesiæ ostentabant, turpiter se dedere uidi, ab his, inquam, nunquam persuadebor, nunq̃ in aliud ab eis excogitatum Euangeliũ transferar, sed in ea quam constat a maioribus nostris parentibus tradita, et ego a maternis uberibus suxi fi- de, firmissime perdurabo: Neq; enim fideliter Christus egisset, si per tot annos suam sponsam in deserto oberrare permisisset, Iam dudum, mihi credite, ouem perditam suis humeris ex deserto ipse retulisset, nec iam demum Zuinglio & Oecolampadio ut suo fungerentur munere cõmi- sisset. Atqui non per ostium ingressi, uerum aliunde inscenderunt in oui le lupi rapacissimi, Cauete igitur ab his qui ita in uestimentis ouium ue- niunt, intus enim lupi sunt rapaces. Quot milia uestrum quum pœniten tiarius erat Oecolampadius confitentes peccata auriculari (ut uocant) confessione audiuit, quam nunc mutata animi sententia omnino ab- rogauit?

Ioan.10. 1.Cor.6. Matth. 18. Luc.15. Ioan.10. Matth. 7. Luc.6.

Fatetur Oecolampadius se in Chrysostomũ scripsisse, & sanctorum intercessionem confessum esse, quod tum imbecilliorũ causa factum ait, callidissime infirmorum causam prætendens, Sed hoc ego demiror, Lu- theranos fere per decennium continuo lac dedisse, nec dum infantẽ ab- lactari. Quando tandem ablactabunt? Quando præter lac aliquid soli- dioris cibi inserent? Nimis stultũ est nihil nisi lac apponere, & subinde de magnis operibus, uidelicet de donorũ largitore sancto spiritu, quo se repletos aiunt, gloriari. Sub hoc spiritus sancti prætextu, non diuini spiritus munera, sed omnes omniũ hæreticorum opiniones rursum au- dire cogimur. Ac postremo (quod pro foribus est) omnino a fide ca- tholica deficiemus, & tandem non in Christum, sed in Mahumetum uerum Messiam cogemur credere. Adeo hoc Lutheri lac amarissimum est et uarium, nec fieri potest, ut ex una matre tam uarius sugetur liquor, tot tantisq; pestiferis commixtus potionibus. Atq; ex hoc uno Luthe- ro promanasse uidemus, lac profecto a luparum & tigridum uberibus acceptum, a quo, dum dulce uidetur, aut abstineas moneo, aut experie- re amarum.

1.Cor.3. Hebr.5.

Oecolampadius emergendi locum quærens, causatur ordinem me se- quutum nimium præposterum, & alterum pro altero supposuisse. Sed ne hoc quidem commento se explicabit, non enim unquam comperie- tur aliter, quam Oecolampadium comprobasse sanctorum inuocatio- nem & intercessionem, id quod in uniuersum egit, firmauit & probauit

ex sacris

ex sacris literis, posse scilicet nos sanctos inuocare, & ipsos pro nobis intercedere, A qua quum iam recedat sententia, aliudque stans, aliud sedens loquatur, uidetis opinor arundinem eum esse, quæ nunc huc nunc
Roma.9. illuc leui uento impellitur, nec Oecolampadium cum Paulo seruasse, ut
2.Cor.11. q̃d semel dicat ac predicet, perpetuo maneat uerũ. Proinde domino glo
&13. riam & gratiã habeo, ex cuius diuina gratia quos ego libros scripsi, non discordes aut contrarios deprehendi posse non dubito.

Scribit Oecolampadius, non propere hæreseos notam inuri oportere, nec decere quempiam celeriter ut hęreticũ proclamari. Scimus et nos quam difficile Imperator infamiæ nota ciuem signet. Equidem inciuile est, famam alicuius, quæ semel amissa non facile recuperatur, temere lædere. Sit hoc in his casibus qui minore feruntur periculo: In quibus uero de aliorum periculo, nec corporum, uerũ animarũ salute ludit, moram tollendam esse respondeo, membrum putridum si non curari potest resecandum, ne pars syncera trahatur, clare affirmo. Hęresi autem nihil periculosius, propterea quamprimũ serpens ex quo hæresis manat, caput erexerit, nihil melius Christianoq; populo salubrius censeo, quã ut mox infaustum ei conteratur caput, Atque utinam in Lutheri negocij principio, hæc mea processisset sententia, nimirum ut quibusdam in Ecclesia
Ephe.5. (quam sine macula & ruga olim exhiberi posse non dubitamus) abusibus deletis, Lutherus & cæteri sacramentorum euersores, cum libris & doctrinis suis pulsi profugatiq; essent ad coruos. Cur enim Zuinglium sexaginta condemnatorum hæresium dumtaxat per me conuictum hęretici nomine non appellemus? Oecolampadium, qui toties semet mendacij arguit, per proprios suos libros sibi hæretici notam inurit, ac pro
Titum3. hæreticorum more, quod uerissime scribit Apostolus, seipsum condemnat, non dicamus hæreticum? Imo certe etiam nomine ipso non priuandi erunt hęretici, quibus hęresis tam abunde in promptu est passim, quiq; in præcipuis fidei articulis non se solum impugnant, sed sibi ipsis contradicunt. Quid quęso contra istos cogitarem? Quid sentirem de bonis istis nouatoribus, nisi dicturus essem illos peruersos esse hæreticos? His consimiles hæreticos, nunquam non eiecerunt, extinxerũt, & dignas
1.Tim.1. de eis pœnas sumpserunt maiores nostri. Paulus satanæ eos tradidit.
Math.5. Christus de illo sale infatuato mentionem faciens, nihil ultra ualere do-
Mar.9. cet, nisi ut proijciatur & conculcetur ab hominibus. Ioannes Euangeli-
Luc.14. sta Corinthum hæreticum fugit. Cyprianus cum hæretico nos loqui noluit. Et Augustinus docet, Imperatores in hęreticos animaduertere debere. Ita Impatores, Theodosius in Nestorianos Valẽtinianos, et Martianus in Manichæos, Integerrimus Constantinus in Arrium & in eius sequaces, & alij in alios hæresi notatos animaduerterunt. Item Iustinianus Imperator proprios de hęreticis titulos conscripsit. Nam haud facile dixerim quantis curis ab his igneis serpentibus cauendũ existat, quam uitandæ istæ sint perniciosissimæ bestię, quę ut Propheta ait, plaga sunt populi, sunt enim ignis, et in uniuersum, ut ignem in sinu fouere, aut ser-

pentem manu gestare, ita hereticum secum tolerare periculosissimũ est.

Concludit Oecolampadius, debere nos alter alterum cum omni mansuetudine docere, Quam ego sentẽtiam adeo non improbo, ut nihil melius iudicem, optarimq; semper hoc factum esse. Sed ut Lutherus & sui complices hoc seruarint, testimonio sunt libri ab illis editi, Nam Lutherus in paruo admodum libello Regẽ Angliæ quinquagies aperte mendacij arguit, Nec hoc contentus, insuper alia multa in eum conuitia congerens, asinum, truncum, stipitẽ uocat. Quam Lutheri consuetudinem Oecolampadius pertinaciter quoq; imitatur, qui contumeliose me meo appellans coram omni populo nomine, de cãcellis proclamauit, et contra predicatorum modestam consuetudinem, multis conuitijs onerat. Nunc demum ab erroribus immunis esse desyderans, ut Pilatus manus abluit, quasi innocens existat. Atqui charissimi fratres, si bene dixi & recte asserui Oecolampadium intercessionem beatissimæ uirginis & sanctorum antea credidisse, Insuper ex sancta utriusq; testamenti scriptura comprobasse, id (quod negari nõ potest) Oecolampadius asseruit. Cur non in eadem perdurat sententia? cur latratu & inanibus conuitijs se excusatum iri credit? Tum nihil aliud quam quod scriptura facit homini dixi, nimirum: serue nequam, ex ore tuo te iudico. Atqui aliud suis erroribus Oecolampadius prætendit tegumẽtum, dum uetustiores etiam doctores inter se dissentire & esse contrarios causatur, antiqua sane Lutheranorum cantilena, & iam per decennium fere decantata, sed quod uerissime quidem circumferri solet dictum, multa dicere, parum ad rem facere, multa autẽ probare, id demum aliquid esse, idem ego Lutheranis opponere soleo, qui lingua prompti loqui obloquiq; multum solent, probare uero possunt nihil. Cupio enim ex illis audire, quibus iam locis doctores Ecclesiæ inter se contrarij inueniantur, præcipue in his rebus quæ fidem potentissimosq; scripturæ locos tangunt? Nam quod Augustinus et Chrysostomus in hoc diuerse sentiũt, quod hic Petro primum, ille postremo pedes Christũ lauisse existimat, nihil hoc nec fidei nec religioni fidelium derogat. Denique non pro nociua reputari pugnantia a quoquam potest, maxime illa quæ inter Augustinũ & Hieronymum fuit contentio, nimirum an Paulus Petro in faciem restiterit. In magnis autem articulis aut punctis scripturę, nunq̃ Hieronymus in Asia, Augustinus in Aphrica, Ambrosius in Europa, inter se diuersi aut cõtrarij inueniuntur: sed unanimi minimeq; discordi spiritu, ac si nunquam ne latum unguem alter ab alterius latere discessisset, illi & alij sancti patres Euangelium interpretati sunt & conscripserunt. Quæ ueræ interpretationis uirtus neutiquam est postrema, in qua citra omne dubium sacræ scripturæ uerus intellectus consistit, nec etiam in hodiernum usq; diem Lutheranis concessa. Qui tametsi in uno regno, oppido, una deniq; domo concluduntur, tamen salua cuilibet apud se sua manet opinio, pro qua ad necem usq; digladiatur. Prophetæ, licet loco non uno fuerint, prophetia tamen & sermo huius ab illius nihil discordat. Proinde mani

Luc. 19.

Ioan. 19.

Gala. 2.

bus credo

bus credo deprehenditis, quum Lutherani in multas uariasq; opiniones diuisi sunt, non eos ex spiritu sancto, sed ex spiritu mēdacij condem-
Sophon.2 natoq; sapere, ex loquaci Sophoniæ coruo in limine sua omnia profer-
Genes. 8. re, neque enim columba est ex Archa Noë emissa, sed coruus uarijs ca-
Matth.12 daueribus insidens, non a deo ueraci, sed a Beelzebub mendaci emissus,
Lucæ 11
Marci 3. principe scilicet dæmoniorum, quem patrem mendaciorum, mobilium doctrinarum, contentionum, seditionum, bellorum, omnisq; discordiæ autorem esse nemo ignorat. Vos itaq; reliquiæ Christianorum Basileæ agentes, hoc signo certissimo edocti agnoscetis, Lutheranorum negocia ex deo non esse, nec deum ea amare. Argumēto uobis esse debent, Zuinglius, Capito, Carolstadius, Lampertus, Butzerus, & quicunq; huius mali alij sunt cōplices, qui nuncijs postis ultro citroq; missis inter se conjurarūt, Euāgelico (ut aiunt) uinculo alter alteri sese obligantes, non aliter ac Catilinæ socij, humano sanguine uino mixto coniurationem firmasse dicuntur: ita isti aduersum ecclesiam congregati consilium inierūt, audacia immani confirmati, paratis ac dispositis subdolis armis, magno clamore undiq; ex insidijs concurrentes, primum Christianam inuadūt
Matth.16 Ecclesiam, aliquandiu fortiter instant, Sed Ecclesiam Christifidelium supra petram fundatā frustra demoliri conati, tandem nō æqua manu discesserunt. Deus eñ exercituum Israël, quæ in nos arma mouerant, iamq; minitantes intentare cœperant, in ipsorum castra conuertit. Intestino eñ prælantes bello, alter alterum olim amicissimum telo appetens, omnes
1.Reg.23 mutuis uulneribus concidunt, ut olim tempore Saulis & Dauidis in primo Regum libro factum legimus. Sic quos summa principio morum similitudo cōiunxerat, capitales inimici facti, amicitiam inimicitia, pacem bello, benedictionem maledictione cōmutarunt, nec iura gentium nedum Christianæ charitatis præcepta seruantes, sine discrimine alter alteri bellum indicit, qui plus amicorum, adeoq; præsidium firmius habuerit, sedibus alios pellit, citra misericordiā misere regno eijcit, sibi quod collibuerit licere putās, cæteris acerbū uix permittit exiliū, quēadmodū Crocodilum Ægyptij, sic Carolstadium Lutherus, Balthasarem Zuinglius, Lampertum Butzerus, & alij alios suis oppidis eiecerunt, Sed hic dei digitus, hæc firma omnipotentis est manus, quæ citra difficultatem
Exo.7.8. incantatorum & maleficorum potestatem coram Pharaone infirmare
9.10. et infringere potest. O Babylon Babylon, quam tu meretricia frōte intumescis? Ego siquidem charissimi in Christo Babylonicam quandam istos captiuitatē induxisse reor, Labyrinthum excogitasse eos arbitror, quo perpetuo aberrent. Quid multis? Hominem inter se fouent, qui ter centum locis sibi ipsi contrarius est, nec in minimis particulis, sed in maximis nostræ fidei punctis, sanctæq; scripturæ uero intellectu sibi contradicit. Nihilominus apud istos pro Numa Pompilio habetur, qui cum dea Ægeria loquatur, ueneratur ab eis non pro minimo Germaniæ propheta, quasi Daniel, quasi Helias existat, Colitur deniq; ac si electum dei
1.Tim.2 uas, doctorq; sit gentium. Porro ut intelligatis tandem de quo loquar,

in promptu

in promptu nomen eſt,Lutherum dico tantis apud ſuæ factionis homi-nes uehi laudibus,Sed gaudete & exultate uos qui de ſolida & uetuſta fide non defeciſtis,quia merces ueſtra copioſa eſt in cœlis: durate modo & ueſtrarum animarum ſalutem temere peſſum ire nolite. Vidiſtis hu-ius farinę homines iamdudum nō ut antea, ſe Lutheranos dici uoluiſſe, ſed Euangelicos nominari, uidiſtis præterea poſt ſanguinolētam & cru delem ruſticorum ſeditionem uoluiſſe ſe Euangelicos dici,& tamen ter-ra mariq́ȝ ſubinde non latine ut antea Euangelium Euangelium,ſed gręce euangelion euangelion clamaſſe,hæc ſcitis opinor &oculis uidiſtis fi-eri. Videbitis etiam,& diuino aſpirante numine cito uidebitis eo uen-tum iri, ut ipſi ſibimet diſplicētes, pudore confuſi,in angulos ſe abſcon-ſum ſint abituri,quibus cum ſimul lugentes iacebunt latitabuntq́ȝ uni-uerſi,quorum opera & conſilio uel minima Lutheranorum ſectæ in lu-cem prodijt litera.Quorum ego quidem plures in eum locum redactos eſſe ſcio,ut ſuo ipſi ſe iugulantes gladio,proprio fere ſuffocentur ſangui-ne. Nam in ſummo principio ridentes hanc in ſolos ſacerdotes ſpiritua-leſq́ȝ fabam cudi putabāt,Et quū aliter ceciderit,merito inde exemplum ſumendum erat,& proſpiciendum diligenter,ne in poſterū eadem quæ paſſi ſumus , poſtliminio omnia redirent.Sæpe domini ſeruos primum perſequi & contemni cœptum eſſe conſtat , malum autem quod in eos moliebatur in aliorum caput inclinaſſe.Dominus ſuos ſibi Chriſtianos reſeruauit. Sed de his alibi. Matth. 5

Oecolampadius ne tacuiſſe uideatur , excuſationem quandam præ-tendere conatur,cur in Chryſoſtomum ſcribens ſanctorum interceſſio-nem probarit ac tenuerit , q̄ tunc quidam & forſan hodie quoq́ȝ non-nulli fuerint,qui morte naturali non corpora modo dixerunt,uerum et animas dormire , ac ſi rerum cognitiōem nullam habeāt,Contra hos ut eorum errorem cōuinceret,ſe ita ſcripſiſſe ait Oecolampadius . Quibus ego ita reſponſum uolo:Epicuræos olim,qui noctes dieſq́ȝ inter pocu-la ebrij,ut Lutherani hodie,deliteſcebant,nec unquam ieiunabāti,d do-cuiſſe:ſed iam a primis Chriſtianitatis initijs uſq́ȝ ad Oecolampadij tem-pora,nullus hęreticorum unquam hoc credidit,niſi ſolus Lutherus,de-uotus iſte multis ieiunijs & orationibus doctor, qui ſcribit poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem neminem in cœlum perueniſſe,animaſq́ȝ dormi-re. Forſan ita Lutherus animas dormire credit , quēadmodum hinc in-de glires aut muſcas per hyemē in parietum rimis . Opinatur deniq́ȝ ita cum animabus actum iri,ut cum quibuſdam pomis in Anglia agi ipſe ui di,decidentibus ibi a quibuſdam arboribus malis,quę in aquam cecide-runt,ex his creſcunt fiuntq́ȝ naturales aues,quibus pro piſcibus Anglici ueſcuntur,et boſſen ſua lingua uocant,de quibus ego quoq́ȝ in curia ſe-reniſſimi Angliæ Regis comedi: At contra quæ in terram delapſa fue-rint,manent,nec cōmutantur,uitalemq́ȝ non recipiunt ſpiritum: forſan quod in illis auis illa piſcis habens naturā operetur, in his uero nō.Hinc uos facilime comprehendere poteſtis, quid Lutheranum hoc in uniuer

ſum negocium exiſtat, pernicioſior enim nulla hæreſis emergere potuiſſet, nec Oecolampadium latuit Lutherum ipſum horrendæ iſtius hæreſeos authorem & propagatorem eſſe, tamen aperte hęc aduerſus Luthe
Galat. 2 rũ ſcribere non eſt auſus, ne ipſum quoq; ut Paulus Petro Anthiochiæ in uel ad faciẽ reſtitit, Luthero aperte contradicere oporteret. Cogitate quæſo & conſyderate rem. Moſes & Aaron, qui in ira dei ante Chriſtũ natum defuncti ſunt, cœlum conſcenderunt, & poſt gratioſam Chriſti Ieſu natiuitatem Apoſtoli, martyres, confeſſores, cæteriq; electi dei miniſtri, non cum domino eſſent? Quid dicam de beatiſſima uirgine Maria? quæ ex iſtorum opinione a domino & filio ſuo ſeiuncta eſſet. Abominandam & deteſtandam hæreſim.

Præterea quum iſtum Lutheri errorem Oecolampadius ſciuerit, ueritatem autem non abſcondere, & ore profiteri debeat, quæ nam hominem ſententia uertit quod non tam apertis in Lutherum intonat fulminibus, atq; expreſſis conuitijs in me cõcitato gradu fertur, uidelicet aperte ac ſæpius proprio meo nomine expreſſo in me iniurias cumulãs, & coram omni multitudine proclamans? Sed domino deo ago & habeo gratias, ex cuius immenſa miſericordia, ab his partibus ſtare mihi cõceſſum eſt, quę ab initio Chriſtianitatis omnes ſemper ſententias apud ſummos pontifices, Cæſares, concilia, epiſcopos, martyres, doctores, confeſſores, & in ſumma per uniuerſum orbẽ omnes ſententias obtinuerũt. Contra autem Oecolampadius cum ſuæ opinionis aſſertoribus ubiq; omnibus ſententijs uiuorum & mortuorum condemnatus eſt, quin etiam proprijs ſuis libris dijudicatur, et in ignem uſq; condemnatur hęreticus. Arbitratur Oecolampadius amplius quiddam me ex ſuis libris interpretari oportuiſſe, hoc demum concludens Epiphonemate: ſic Faber alienos libros fideliter tractare didicit. Sed Oecolampadi, ad te eũ ſermonem conuertere res poſtulat, dic quæſo, quid ſi ego quoq; quæ tu allegas uerba, uertiſſem, produxiſſemq;, potuiſſes ne excuſari? Equidẽ non opinor, quum tu poſtremo concludas, ſanctos a nobis poſſe inuocari, & eos noſtros aduocatos, interceſſoreſq; eſſe. Proinde in hoc iam cardine, res (ut tu ipſe cõfiteris opinor) uertitur, quod apud Chryſoſtomum ſancti martyres in conſpectum dei capita manibus tenẽtes procedunt, et
Matth. 22. Marc. 12 deum pro nobis orant, hinc iam pendet lex & prophetæ, id e græco in latinum tu ipſe transportaſti, id tu ipſe confirmaſti. Quamobrem ego non infideliter tuos libros tractaui. Tu uero mi Oecolampadi uideris, quod in tuo libello contra ſacramentum, toties contra ipſorum ſententiam, Chryſoſtomum, S. Auguſt. Tertullianum introduxiſti, ſæpe integras lineas, orationes, omittens, quibus apertiſſime ſacramẽtum altaris, ipſiuſq; ſacrificium comprobatur, quomodo, inquam, hũc aliorũ libros tractãdi dolum ſis excuſaturus tu uideris, Equidem ita te ſanctorum patrum ſcripta mutilaſſe ac ſententiam inuertiſſe, tum alij tum reuerendiſſimus in Chriſto pater et dominus Ioannes Fiſcherus Roceſtra in Anglia quem nos Roffenſem dicimus epiſcopũ, clare docet. Quin et plures habemus,

bemus, qui eam tibi infidelitatem & dolum ob oculos prope diem ponent. Quæ hæc mala uesania fuit Oecolāpadi? Quē te es arbitratus? Credebas nos adeo credulos esse, & in tua uerba iurasse, ut quod ex te simul diceretur, gratum ac ratum essemus habituri? Res quidem ita tibi te persuasisse ostendit. At nos solertia & conscientiarum seueritas monet, spiritum tuum probare, inuestigare fundamenta, & tuæ doctrinæ structuram contemplari: quod dum a nobis fit, mutilata, resecta, aucta & imminuta omnia uidemus, denique utcunque tuæ hæresi apta, in unum comportata singula, ut tibi bonum atque commodum fuit, in tuum librum congesta comperimus, quod nisi fatearis, rationem obsecro redde, cur duas integras lineas in undeuigesimā Chrysostomi homiliam super Matthæum inserueris, quas Chrysostomus non scripsit, uerum tu propria autoritate excogitatas interposuisti, ut hæresis tua quæ ex sola credulitate uana herbescere cœpit, promoueretur ac cresceret. Ecce hic tuam in aliorū libris fidem, Quum em̄ alijs eiusdem homiliæ locis Chrysostomum aduersum te facere & clare asserere, non solam fidem sufficere, intelligeres, callide quidem & subdole uillicans, duas de tua hæresi lineas confictas inseruisti. Eho Oecolāpadi hoc ne Christus te docuit, ut ementitā commissuram in uestimentum uetus immitteres, & nouū uinum in utres ueteres transfunderes? Hoc tu faciens, qua fronte te fideliter Chrysostomū uertisse dicere audes? Sed harum probationum plures adhuc aduersum te habeo, præcipue in Hebræo, & perperam doloque uerso Chrysostomo, Vnde iam quoque in Louaniensi uniuersitate, item Brabantiæ, Oxoniæ & Cantabrigiæ, alijsque locis per uiros doctos tua translatio iam pridem condemnata est, Quæ tibi noua ex Anglia pro tuo sermone significo. Verum & in hoc quoque Lutherum es imitatus, qui ad finem tertij capitis ad Romanos, quatuor, quorum Apostolus non meminit, uerba adiecit, neque latinis nec græcis exemplaribus inserta inueniuntur, nimirum quod textui immiscuit, **allein durch den glauben**. Cuiusmodi Euangelicorum locorum ab Luthero deprauatorum, ad duo milia comperiuntur, quæ tametsi deprehendi manibus possint, tamen ea estis cæcitate percussi, ut errores proprios non agnoscatis.

Matth. 9
Marc. 2

Quantumuis indefesse reclamitet conscientia, & non adeo temere a fide deficiendum moneat, quantūuis uestra facinora ultro sese uestris oculis ingerant, uobis non solum in memoriam reducāt crimen falsi ac doli mali, cuius antiquis doctoribus reos uos esse nemo non uidet, sed quod est longe crudelius, Christo uos ob suum Testamentum deprauatum magnas pœnas debere, clare ipsa conscientia testatur, & in summa, nihil non uos esse conatos admoneat, quo populum ex omni religione seduceretis, Etsi hæc ita sint ac fiant, tamen ad hæc siletis, quasi minus sit, Christo suum Testamētum erroribus inspersis commaculare, quam alterum alterius literas intercipere aut circumducere. Sed meum & tuū maiorem uestri Euangelij partē occupat, ob eam rem corpus Christi in Sacramento surripere estis conati, uinum quod nostra sentētia cretura est, & dein

 de in san

de in sanguinem Christi transubstantiatur, & per uniuersum orbem Ecclesia ab Apostolis edocta domino deo sacrificat, in memoria ne habes, te hoc iuisse inficias & impugnasse? Scis praeterea Oecolampadi, nos te apertissime tunc in errore deprehendisse et conuicisse. Scis adhuc ut perculsus constiteris, ut uox faucibus haeserit, & in noua tua prae nimio terrore cōcideris cathedra, In noua scilicet, nam ob recens excogitatam doctrinam, uetustiori non eras dignus, quę diu erecta, diu steterat, lapideęque columnę firmiter affixa adhaerebat, In tua igitur cōcidens cathedra, tuis complicibus offensionis & scandali lapidem te praestabas. Proinde Oecolampadi age tandem excute puluerem errorum, & redi in monasterium S. Brigittae, quod tu primum non ut puer, sed ut quadraginta annorum uir, ut clarus in Israël rabbi, magniq; nominis doctor ingressus, illic poenitentiam acturus, haereses tuas reuoca, siste pedem, neq; ultra arcticum & antarcticum coeli circulum uolato. Quod tibi ex uero et

Lucae 10 fideli corde consultum uolo. Hoc fac Oecolampadi & uiues.

Contendit Oecolampadius in meis scriptis me praecepisse, ut sancti inuocētur, Quod ego in me confictū assero, & qui legent accuratius, ita esse comperient, Non enim praecepi, sed nos hoc posse facere affirmaui. Nec enim me latet quot Mosis tabula praecepta complectatur. Pergit Oecolampadius mea argumēta infirmaturus, & Mahumeticam Lutheranorum modo similitudinē inducit, parum prudenter eum facturum,

Maluasier qui cum uinum monstrare posset meracissimum, praeter aquam sitienti ostenderet nihil. Egregia uero similitudo, & ad carnalem licentiam firmandam non inepta. Credo inter pocula et probe potos socios eam excogitatam. Putat Oecolampadius nullis opus fore ad aduocatum diuerticulis ei, qui ad dominum recta proficisci possit: Sic non requiri ut Mariam uisites, quum ad Christum ire liceat. Respondeo, etiam hunc apud

Ioan. 5 Christum esse, qui beatissimae Mariae uirginis intercessione ad eum per

Matth. 28 uenit. Porro aūt Christo summo & excellentissimo iudice, cui pater omne iudicium, imo omnē potestatē in coelo & in terra dedit, irato, quis tum placandi modus? Nihil ne beatissima uirgo Maria mater sua, nihil ne caeteri sui amici, ciues & incolae a nobis inuocati apud Christum possunt? Nonne iram lenire & placare precibus pro nobis effusis ualent? Imo & possunt & faciunt libentissime, Nam non ut Lutherani solent, Christus nobis imaginandus erit, tanquam delectetur multitudine iniquitatum nostrarum, Et non cum Lutheranis ita fingendus, ac si beneplacitum habeat in rapinis, furtis, caedibus, ex causa, ut isti aiunt, cōmissis & perpetratis. Asserunt enim oportere necessario nos peccare, furem oportere furari, latronem latrocinari, ita deum ordinasse, impediri non posse, cum ipse ita uelit: quasi uero complacens dei uoluntas sit in meis malefactis: ac ita firmissime fato oportere fieri, quemadmodū Lutherus ex quodam poëta comprobat. At non ita Christus nobis imaginandus erit, sed ut aequum ac iustum est, apud animum nostrum hęc quoq; non parum uerior Christi imago concipienda est, Christum etiam iustū esse

iudicem,

iudicē, qualem ipsum Paulus, Petrus, Ioannes, et alij esse confessi sint, Ac 2. Tim. 4
ipse de se testatur, suum iudiciū iustū esse dicēs: Iudex enim ordinatus est 1. Petri 3
Christus, Qui in ualle Iosaphat ouibus a dextris hāc benedictionem da- Psalm. 7.
bit: Venite &c. Tunc & hędis a sinistris prima de Venite syllaba detra- Ioan. 3. 5.
cta maledictionem dans, dicet: Ite a me maledicti in ignem æternū, Quę Matth. 25.
horrenda ne in nos quoqꝫ feratur sententia, angelos nobis custodes &
protectores adiunxit, quorum etiam in sententia mentionem facit, et de
quibus ipse dixit Christus: Dico uobis quia angeli eorum in cœlis sem- Matth. 18
per uident faciem patris mei qui in cœlis est. Hæc quidem omnia & ue-
ra esse intelligitis, & nihilominus Christum Iesum uerum nostrum refu-
gium, solatium, uerum protectorem & adiutorē esse nemo negat, Præ-
terea autem ne hoc quidem inficias quis iuerit, in huius omnipotentis re-
gis aula, quamplurimos nobis fideles aduocatos & patronos esse, qui
dum nobiscum in terris uiuerent, charitate sua flagranti nunquam nos
deseruerunt, sed omnes ad salutē perducere conati sunt, Iam uero in cœ-
lesti curia omni gaudio cum perfecta charitate fruentes, idem multo fa-
ciunt diligentius, sine intermissione pro nobis apud deum omnium sæ-
culorum regem interpellantes, Nimirum fidelissime succurrentes patro-
cinio, patroni & intercessores permanebunt, eapropter non immerito a
nobis hactenus tales habiti & reputati sunt.

Oecolampadius hic quoque mea se scripta infirmaturum gloriatus, rem si conuitijs absolueretur gnauiter aggreditur, Primum itaqꝫ locum ex Zaccharia, ubi angelus pro ciuitate Hierusalem et urbib. Iuda inter- Zacch. 1
cedens & uerba audiuit bona & consolatoria, tractaturus ait, Fabrū in prophetis non multorum esse oblitum, uidelicet parum nos in prophetis intelligere, hoc scommate innuens. Ad hoc ego respondeo, Oecolampadium se uenditasse tanq̄ Thescum, et rabbi quendam inter sanhedrim in Hebręorum lingua, ac præcipue super prophetas uideri, Atqui nondū tantus est, ut his qui contra eum scripserunt, & iam pridem Oecolampadij errores in prophetis admissos ostenderunt, respondere audeat uel possit, Tenetur enim bestia tot impuris irretita errorib. ut inde se explicare nullo pacto queat, longeqꝫ minus rationē reddere. Sic quoque istius hęreseos socius cōiunctissimus Capito Argētorati ad sanctum Thomam prępositus, ad iuniorem S. Petrum parrochus, predicator in ecclesia cathedrali, lector ordinarius, mercator & ciues Argētineñ. Pręclarus iste simulator & dissimulator omnium, magnam hebraicæ linguę grammaticam ędidit, sed adeo multis errauit locis, ut clarissimus doctor Ioannes Reuchlin fœlicis memoriæ fere passim pueriles refutarit Capitonis nugas, & inanes riserit conatus, Quemadmodum adhuc trilingui eruditione ornatissimi Reuchlini αὐτόγραφον testatur, quod non ita pridem in Pfortzen ipse legi, et alioqui res ipsa loquens satis arguit. Interea tamen nullus istorum defensionem aut purgationem parare audet. De me uero ita Oecolāpadius sciat, non proprie & ex me cōfictę prudentię me unq̄ innixum esse, sed cum uetustissimis omium linguarum doctis &

Christianissimis doctoribus semper mansisse, eorumque qui sanguinē suum pro Christiana fide profuderunt, sententiam in prophetis interpretandis esse sequutum. Unde nondum hereticus condemnatus sum, Speroque me per omnipotentis gratiā impiissimas istas opiniones facile euasurum, cuius misericordiæ cōfisus, ex hoc seculo ut uiuum Christi membrum ad caput emigraturum, spiritum quoque meum ad eum qui dedit illum rediturum non diffido.

Zacch.10. Atqui ait Oecolampadius, angelum in Zaccharia potius præceptoris uel pedagogi, quā intercessoris officio fungi, Esse enim angelum ut doceat aut ministret nobis. Hec sunt Oecolampadii preclara fundamenta. Porro quum passim Lutherani iactent, nihil se acceptare nisi aperta scriptura firmetur, quonam bone deus scripturæ splendore domi suæ splendidus Oecolampadius inductus, ut in Zaccharia angelum pædagogi fungi munere dicat? Nam ego idem in scholis sępissime audiui, nec
Hebr.3. iam quidem abnego. Tametsi autem (ut Paulus testatur) angeli ministri & pædagogi existant, tamen insuper & custodes nostros ac consolatores esse comperio, Ministri quidem sunt, quod preces ac bona opera no
Acto.10. stra in conspectum dei ferant, quemadmodum de Cornelio & Tobia
Tobiæ 9. legimus. Sed quid multis? Septuaginta annis durauit ira domini super Hierusalem & Iudam, & Zaccharias noctu uidit uirū insidentem equo rufo, qui angelus fuit domini, ueluti non modo prologus in Zachariam, uerū etiam textus clare ostendit, unde sequitur in Zaccharia, quum angelus orasset suasque corā domino exercituum preces absoluisset, iram domini cessasse. Propterea firmus hic contra Oecolampadium & saluus permanebit locus, Neque mihi neque cæteris qui eo ita usi sunt, uitio id dari potest.

Sequitur iam in Oecolāpadii sermone, locum ex Iob ca. xxxiii. transsumptū, nec me intellexisse, nec uertisse proprie, Optarim ego Oecolampadium suum hebręum defendere, in quo adeo pueriliter multis sane locis aberrauit, ut nil supra, Suis enim erroribus propugnatis & emendatis, tum demum alterum reprehendere debebat, Sed quem introduxi locum, ita in scriptura esse res ipsa testatur, et omnium hebraicę doctorum testimonio comprobabitur, dummodo & ipsi e condemnatorum hæreticorum non existant consortio. Demus autem angelum interea Dei æquitatem annunciare, quod tamen hoc loco non fit, quum expresse legatur, Annūciet hominis æquitatem, Nihilominus tamen orat angelus, ne descendat in corruptionem. Quis enī tales pro omnipotēte deo preces funderet? Porro non me clam est, deū hominis misereri, ut autem misereatur, partim fit, quod pro eo orauit angelus. Itē nō ignoramus quid hebręis sit angelus. Ad hoc angelum, non deum ut Oecolampadius scribit, loqui, Sed peculiaris & usitatissima nouorum euangelistarum hæc consuetudo est, ut pro sua libidine scripturam interpretentur, quemadmodum Mohii hæretici, præter se nullos esse alios credentes, nisi forsan aliquot Scarabæos ac Cicadas secum participes habeant. Libentius &

profecto minore negocio coram uno barbato Hieronymo totius scripturæ rationem redditurus essem, quam coram his de breuissimo prophetarum aliquo. Nam ipsi inter se quolibet triennio noua cōminiscentes, contrarij sibiq; contradicentes fiunt, Sic Zuinglius ipsum, est, cogit esse, significat. Oecolampadius tenebras (lucem dicere debebam) illaturus est, facit esse, figurat. Quod si ita processum fuerit, quid præter Manichæorum errores inde sperandum sit, uideo nihil, Nimirum tandem ab obscuris istis numinibus audiemus, Verbum nondum carnē factum, nondum mundum illuminasse, sed umbram figurāq; phantasticam duntaxat fuisse. Ioan.1.

Porro autem, locis per Oecolampadium ex Ioanne petitis, ac satis prolixe ab eo disputatis, pluribus respondere epistolę breuitas non patitur, Proinde ne in iusti operis magnitudinem excrescat, refero me ad ea quæ nouissime contra Zuinglium scripsi, ex quibus comperietur, quam decuisset tum Oecolampadium ore obturato conticuisse, quum suas oues non fidelius pascere uoluit, quam hoc per Adamum Petri sermone excuso, qui alioqui non modicam ex Lutherano negocio promouēdo sui lucri causa uoluptatem capit, parum curans, contra quem etiam si cōtra Luzernenses Heluecios, nedum contra alios scribatur. Debebat autem Oecolampadius aut in amœniora pascua edendi penuria attenuatas oues deduxisse, aut fideliori commisisse pastori.

Quæ cum ita sese habeant, uidetis opinor uos in Christo dilectissimi, & e superioribus facilime intelligitis, quos ac quales hæc arbor fructus ędat, ut uacillet & impingat iste doctor Oecolāpadius, ut uelamine uultum obductum habeat, ut deniq; excæcatus existat, ne dicam interea ut obstinatus, pertinax, indurataæq; ceruicis, quod non erubescit testamentum dei, Sanctorumq; libros erroribus suis conspurcare, inuertere, et in alienissimum quenq; sensum detorquere, & inserere denique, quæ boni patres nunquam cogitarunt, quęq; si sancti homines scripsissent, sine dubio reuocassent omnino, simulq; sacco induti sedissent in cinere, ieiunando & orando pœnitentiam agentes. Porro quæ a me dicta uel scripta sunt, uera esse comperiuntur, firma enim & supra petram ædificata per tot sęcula durarunt, per tot sęcula, ut aurū igne, probata sunt: Quod uero recens excogitatum Oecolampadius profert, non petræ sed harenæ & terræ pulueri inędificatum quouis uento proijcitur, eius enim doctrina neutiquam ab Ecclesia est approbata, sed reiecta, condemnata, & sæpe sibi ipsi aduersa. Vniuersi mundi testimonium per tot annos pro me habeo: Oecolampadius contra a sua parte neminem, nisi forsan unum aut alterum cytharœdum Thuricēsem aut Fistulicinem. Ante mille elapsos annos Augustinus missam celebrauit, & pro suis orauit parētibus, circiter mille & trecentos iam annos elapsos, Cyprianus Carthaginensium Episcopus, & sanctus in Aphrica martyr, sanctorum approbauit & tenuit intercessionem. Hoc etiam iam mille & centum annos Chrysostomus Antiochiæ & Constantinopoli docuit, Item ante mille annos

Matth.7. Ezech.34 Hester.4 Matth.16. 1.Petr.10. Matth.7

S. Ambrosius Mediolani, Quam fere an̄ mille ac ducētos annos beatus Hieronymus, Latine, Grece, Hebraice, Siriace, Chaldaice, ac Damastice peritus, sanctorum intercessionē ad præsepe domini in Bethlehem propugnauit & obtinuit. Ante mille & quadringentos annos Romæ sanctæ Anastasiæ templum ædificatum fuit. Sic illi clarissimi & sanctissimi homines crediderunt & docuerunt, quorū omnium & singulorū Oecolampadius nō dignus foret soluere corrigiā calciamentorū, nedum ipsis contraria & diuersa probare. Hæc itaq; quæ ante multos annos sancti patres docuerūt, & ego hodie doceo ac scribo, ut ipsi corā uidetis, Christiana ecclesia firmiter & deuote semper credidit et tenuit. Quamobrem uos obtestor electos dei seruos, non ab his gigantibus terreamini, neue formidetis, aut unguem latum ab indubitata Christifidelium fide dimoueamini. Omnibus omnium sententijs condemnati sunt, Nec quisquam eorum doctrinas q̄ seditiosorum rusticorum factio probauit. Nos qui uetustioris & a spiritu sancto plantatę fidei cultores sumus, per eundem spiritum sanctum & Christi promissionem, possessionem sumus assecuti. Proinde cauete & uos, quod et Apostolus monet diligētissime, ne omni uento doctrinæ circumferamini. Cauete quæso ne peregrinis doctrinarū generibus seducamini. Nolite charissimi, nolite quauis doctrina ut harūdo in deserto, nunc huc nunc illuc impelli, atque adeo a quouis contra scripturam pugnantis doctrinę uento agitari, sed probate primū spiritus, Quod si spiritus firmus ut petra Christus steterit, ex deo illū esse scitote: sin ad dextrā & in sinistram declinarit, & puluillos sub omni cubito manus consuerit, ac ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis ad capiendas animas fecerit, signū certū erit uobis, non spiritum sed carnē esse. Postremo, ut paucis multa cōplectar, in scriptura memineritis Ecclesiā, queadmodum testatur apostolus, columnā et firmamentum esse ueritatis, Cuius quidē ecclesię sensum, scilicet cōmunē Christifideliū in scripturis interpretandis intellectū si uos quoq; sequuti fueritis, & hoc tempore, quo etiam electi, si fieri posset, seducerentur, firmiter mecum tenueritis, proculdubio non decipiemini. Hęc sunt fratres in Christo dilectissimi, quibus dum adhuc in Anglia detineor, uos tamen admonere & cohortari, uera & Christiana charitate motus uolui, ut ab ea in qua hactenus firmi permansistis fide & religione non deficiatis. Proinde pergite, et ut Stephanus contra Libertinę factionis Phariseos firmus ac immobilis disputauit: ita uos nullo istarum opinionum fermento corrupti, permanete firmi & durate, uosmet sicut decet sanctos, Christo Iesu domino nostro immaculatos seruate. Dabit deus huic quoq; hæresi, ut cæteris, finem. Quod ut quamprimum fiat, & nos omnes firmi in uera ac indubitata Christifidelium fide interea conseruemur, faxit deus, per unigenitum filium suum dominum nostrum Iesum Christum exoratus. Datæ Londini Regia Angliæ, prima Aprilis, A Christi incarnatione, An̄. M. D. XXVII.

Ephe. 4.
1. Ioan. 4.
Ezech. 13.
1. Tim. 4.
Acto. 6.

NONAGINTA ARTICVLI, IN QVIBVS IOAN. HVS ET PIGHARDI VVALDENSES, ac M. Vuesselus, tolerabiliores ac meliores Martino Luthero inueniuntur.

Autore DOCTORE IOANNE FABRO Episcopo Viennen.



TRIGINTA ARTICVLI, IN QVIBVS IOANNES HVS Martino Luthero tolerabilior minusq; impius esse deprehenditur.



QVANQVAM LVTHERVS IN PLERISque libris suis, præsertim uero in expositione aliquot Psalmorum et in assertione XLI. articulorum, Ioannem Hus eiusq; scripta magnis uehat ac celebret laudib. & propter eum grauiter inuehatur in sacrosanctum Concilium generale, Constantiæ celebratum, ut non uereatur dicere, Non aliquos, sed omnes articulos Ioannis Hus, Constantiæ esse damnatos ab Antichristo & suis Apostolis, in synagoga illa Satanę ex sceleratissimis sophistis congregata: Nihilominus tamẽ reperitur ipse Lutherus in plerisq; articulis non solum Ecclesiæ Catholicæ, sed & ipsi Ioanni Hus longe dissentiens atq; contrarius. Id quod in XXX. articulis ordine commemorandis declarabo.

Luth. in assert. art. 30.

ARTICVLVS PRIMVS
De Purgatorio.

Triplex Ecclesia.

IOAN. HVS in libro de unitate Ecclesiæ, diuidit Ecclesiam in tres partes: in Militantem, Triumphantem, ac Dormiẽtem. Militantem sane uocat, quæ super terram constat ex numero prædestinatorum, qui militant aduersus carnem, mũdum & diabolum: Triumphantem uero, quæ in cœlo cũ Christo domino gaudet atq; triumphat: Dormientem denique, quæ in Purgatorio consistit. Lutherus autem Purgatorium nunc omnino negat, atq; pro figmento habet, Quanq̃ illud olim persæpe confessus fuit, similis arundini uento agitatæ, contra fidele Pauli consilium, quo ad Ephes. scripsit, Ne circumferamur omni uento doctrinæ. Etem in resolutionibus XCV. propositionum de indulgentijs persæpe affirmat Purgatorium, propositione VIII. XI. XV. XIX. XXVI. XXXIII. ac fere per totum librum. Et Pighardos, qui Purgatorium negant, grauiter increpat uelut hæreticos, nõ in eo duntaxat libro, sed & in alijs nõ paucis, Vtpote in libro de decem pręceptis, In expositione Psalmorum, Vbi etiam commendat illud Ecclesię, quo pro animabus in Purgatorio existentib. sic orat: Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, Et allegat illud Psalmistę: Qui exaltas me de portis mortis, Et illud Ezechiæ regis apud Esaiam prophetã; Ego dixi in dimidio dierũ meorum, uadam

Matth. 11
Ephes. 4
Præcep. 5
Psalm 6.
Psalm. 9
Esaiæ 38

uadam ad portas inferi. Sed et certissimo se scire affirmabat, in Disputatione Lipsica, quod sit Purgatoriũ. At paulo post nutare cœpit. In assertiõe quidem adhuc credebat esse Purgatorium, sed negabat illud ex Canonicis scripturis probari posse. Impudentior deinde factus, totum negare ausus est, & Christi et Pauli oblitus. Christus enim ait: Sit sermo uester Est est, Non non. Et Paulus: Non fuit in illo, Christo scilicet, est & non, sed Est in illo fuit. Item: Nunquid leuitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est & non? Sed ista non curat Lutherus, cui Est & non usitatissimum est. Matth. 5. 2. Cor. 1.

ART. II. De fractione hostiæ in Missa.

IOAN. HVS commendat Ecclesię ritum in fractione panis, quando sacerdos in altari hostiam in tres frangit partes, tres supradictas Ecclesiæ partes per hoc designans. Neq; est ritus iste alienus ab Euangelio, in quo legimus duos e discipulis Christum in Emaus cognouisse in fractione panis. At hoc sublimis Ternarij symbolũ ridet ac reprobat Lutherus in impio suo de abroganda missa priuata libro, sui dilecti Ioannis Hus oblitus, quem alioqui tanti facit, ut eum pro sancto habeat, sese Christo assimilans, dum uiuificat et mortificat quos uult, deducit ad inferos & reducit, pauperẽ facit & ditat, humiliat & sublimat. Sed uerius assimilatur ei qui templum Ephesinum combussit, dum ea non ueretur abrogare cantica Ecclesiæ circa missam, quæ ante mille annos fuerunt: noua autem, quæ iussu eius poëtæ, nescio qui, confingunt, in noua missa sua in locum antiquorum propria temeritate substituere, uelut Papa nouus, qui sibi usurpat illud Apostoli: Vetera transierunt, Ecce facta sunt omnia noua. Luc. 24. Ioan. 6. 1. Reg. 2. Deut. 32. 2. Cor. 5.

ART. III. De missa priuata.

IOAN. HVS nusquam censuit abolẽdas esse missas priuatas, quas ipsemet & uerbo & opere commendauit, Quemadmodum et Lutherus eas olim & actu sæpe celebrauit, & uerbis plurimis commendauit, præsertim in expositione Psalmorum, ubi super Psalmum Nonum cõmentans ait, se scire atq; expertum esse, Missas priuatas plurimis, in aduersitate aliqua constitutis, fuisse salutares atq; proficuas. Paulo post uero in reprobum sensum traditus, uocat eas Idololatriam, & inter omnia peccata sua, illud pro maximo atq; grauissimo reputat, q in Monachatu annis xv. quotidie ferme missas celebrauit priuatas, quibus Christum rursus crucifixerit per eiusmodi sacrificium atque oblationem. Qua sane impia opinione, non solum Ioanni Hus, sed & sibi ipsi maxime contrarius existit. Luther. de capti. Babylon. De abroganda missa, et de cœna domini

ART. IIII. De fide informi & formata.

IOAN. HVS affirmat, quosdam habere fidem informem, qui in Christum credunt, sed Christi præcepta non custodiunt. Quibus ait ipse dominus: Quid me uocatis domine domine, & non facitis quæ dico? Quosdam uero habere fidem formatam, quæ per dilectionẽ operatur, ut ait Apostolus ad Galat. v. Lutherus uero eos, qui fidem informem Luc. 6.

asserunt,

Gene.37. asserunt, uocat fatuos, sophistas et Antichristos: factus in hoc similis fra
Mat.9.10. tribus Ioseph, qui oderant eum & non poterant ei quicquam pacifice lo
Ioan.3.20. qui. Multum uero dissimilis Christo & eius Apostolis, Christus enim uocat credentes in se discipulos fratres atq; etiam filios et filiolos. Et Pe
Galat.4. trus eos ad quos scribit in una epistola ter charissimos uocat. Paulus etsi Galatas increpando diceret insensatos, subdit tamen uerbum charitatis: filioli quos iterum parturio. Ioannes quoq; eos ad quos scribit uel in uno capitulo quater uocat filiolos. Lutherus autem iurgatur ubique ac maledicit, similis in hoc duobus illis discipulis, qui dicebant: Domine
1.Ioan.4. uis, dicimus, ut ignis descendat de coelo & consumat illos? Quos domi
Luc.9. nus increpauit dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

ART. V. De Charactere sacerdotali.

IOAN. HVS Characterem sacerdotalem approbat & confitetur, nusquam illum reijciens. Lutherus uero tum alibi in plerisq; libris, tum uero maxime ac furiosissime reprobat & irridet illum in detestabili suo libro, quem anno domini M.D.XXIII. scripsit ad senatum Pragensem, Nihili faciens ea quae Christus & Apostoli, & Apostolorum discipuli Ignatius, Dionysius & Polycarpus alijq; post eos, ea de re tra
Ioan.20. diderunt. Christus certe ad Apostolos suos sic ait: Pax uobis, Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Haec cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis
1.Timo.4. & c. Paulus autem Timotheo discipulo suo sic ait: Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiã, cum impositione manuum presbyterij. Quae autem Dionysius, Ambrosius, Chrysostomus & id genus alij sancti patres de charactere & dignitate sacerdotali scripserunt, nimis longum foret referre. His omnibus cõtemptis Lutherus uocat Episcopos presbyteros & Monachos, laruas, Idola, atque etiam Idololatras, conculcato atq; abnegato & chrismate & charactere sacrorum ordinum simul cum, Ordinis sacramento.

ART. VI. De Canone Missae.

IOAN. HVS Canonem missae reuerenter obseruauit. Lutherus uero, etsi eum multis tenuit annis, postea tñ summa cum audacia & impietate illum reiecit. Sic enim ait in libro de abroganda missa priuata: Cede
Irrisio Canonis. Canon Euangelio, & da locum spiritui sancto, cum sis uerbum humanum. Et quanquam habeam (inquit) quod pro sano sensu Canonis dicere possim, quod & alias feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore, sed dicam ei iuxta Parabolam: Domine Canon, uos estis inuitati ad nuptias, & sedistis primo loco, sed ecce honoratior est inuitatus, imò ipse dominus inuitator adest, date ergo huic locum, & sedeatis nouissimo loco cum rubore, Cur non in eo sedistis ab initio? Hinc audaciores
Multi Canones noui. facti complices primo, Deinde aduersarij Lutheri, nouos subinde Canones sibi confinxerunt, Butzerus & Capito Argẽtinae, Zuinglius et Leo Incl. Turregi, Oecolampadius Basileę. Quibus tamen non diu sunt usi, sed crebro mutatos tandem penitus reiecerunt. Iuxta illud S. Iacobi: Vir duplex ani

duplex animo, inconstans est in omnibus uijs suis. Talem uero incon- Iaco.1
stantiam ac deformitatem reprehendit Paulus, dum ait: Omnia autem 1.Cor.14
honeste & secundum ordinem fiant in uobis. Item: Non cito moueami- 2.Thess.2
ni à sensu uestro, sed state & tenete traditiones quas didicistis, siue per ser
monem, siue per Epistolam nostram.

ART. VII. De Sacrificio Missæ.

IOAN. HVS ubique confessus est Missam esse Sacrificiũ. Lutherus ue-
ro etsi idipsum confessus sit persæpe in plerisque libris suis, mox tamen
ut a Leone Papa X. damnatus est, hoc negare cœpit in Captiuitate Ba-
bylonica, deinde in libro de abrog. Missa, & in alijs postea quampluri-
mis, nusquam pertinacior magisque sibi constans, quam in reprobo sen-
su, nihil curans, quod ipsum nomen Missa, Hebraice Sacrificium signifi-
cat, & quod Dionysius, Irenæus & omnes alij Ecclesiæ Doctores, tum Diony. de
Græci tum Latini, tot sæculis Missam unanimiter pro Sacrificio habue- Eccle. Hie
runt. Multas quidem hæreticorum sectas commemorarunt Higinius, rarch.ca.3
Philaster, Epiphanius, Augustinus, Hieronymus, Primasius, aliique do-
ctores, qui de hæresibus proprios ediderunt libros: Nullus tamen ex ijs
repertus est hæreticus, qui sic negasset ac maledixisset Missę Sacrificium,
sicut fecit hodieque facit Lutherus cum secta sua, qui de graui errore &
Idololatria arguere non ueretur totam Ecclesiam & tot retro sanctos Ioan.14.16
patres, qui Missam pro Sacrificio tenuerunt. Et per hanc impietatis suæ Matth.28
audaciam arguit mendacij Christum, qui utique promisit Ecclesiæ spiri-
tum ueritatis, ut cum ipsa permaneat in æternum, Sed & seipsum nobis-
cum permansurum esse promisit omnibus diebus usque ad consumma-
tionem sæculi. Id autem uerum esse non posset, si tot sæculis reliquisset
in tanto (quantum dicit Lutherus) errore Ecclesiam. Sed nos consolan- Luc.21
tur & confirmant in fide Ecclesiæ uerba ipsius, qui dixit: Cœlum & ter- Matth.24
ra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

ART. VIII. De S. Petro.

IOAN. HVS uocat S. Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, sicut &
tota confitetur Ecclesia. Lutherus uero cum suis, populo persuadere
conatur, S. Petrum nunquam Romam uenisse. Atque ita computat an-
nos eius, ut affirmet, maximum esse mendacium, S. Petrum XXV. annis
Ro. Ecclesiæ pręfuisse. Videtur itaque negare, S. Petrum ad senium perue
nisse, contra illud Christi in Euangelio: Cum autem senueris, extendes Ioan.ult.
manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non uis, Et contra illud
ipsius et Petri uerbum: Seniores ergo qui in uobis sunt, obsecro Con- 1.Petr.5
senior & testis Christi passionum. Est igitur Lutherus in hoc suo con-
tra omnes Catholicos mendacio similis antiquis hæreticis, qui Monij, Monij.
hoc est, singulares dicti fuerunt, qui semper aliquid singulare afferebãt,
ad quod probandum scripturas in prauũ sensum detorquebant, quem-
admodum & Lutherus nunc facit, ambulans in astutia, & adulterans 2.Cor.4
uerbum Dei.

ART. IX. De Babylone.

1.Petr.5 IOAN. HVS exponit illud uerbum Petri, salutat uos Ecclesia quæ est in Babylone, & Marcus filius meus: quod per Babylonem hic Roma intelligi debeat, Consentiens in hoc Catholicis expositoribus, quia Roma figuraliter (ut ait S.Hieronymus) dicta est Babylon, propter cõfusionem multiplicis Idololatriæ. De qua dicit Leo Papa I. quod magnam credebat fecisse religionẽ, si nullius respueret falsitatem, id est, Idololatriam. Plura superaddit Glosa Ordinaria, quæ referre longum foret. At Lutherus cum socijs suis per Babylonem hic intelligunt urbem Ægypti, quæ Babylon dicta est, in qua Petrum cum Marco fuisse mentiuntur.

Hiero. de uiris illust. Leo in ser. de Petr. & Paulo.

ART. X. De Romana Ecclesia.

Lib. de Ecclesia ca.7 IOAN. HVS fatetur Rom.Ecclesiam esse alijs eminentiorem, propter tres causas: Primo quod gentes sub Ro. Imperio, essent loco Iudæorum inserendæ, sicut ait Apostolus Rom.xi: Secundo, quia maior multitudo martyrum ibi triumphauit, quàm in alia ciuitate: Tertio, ut innotescat, quod non locus siue antiquitas, sed fides formata fundat Ecclesiam. Lutherus autem, etsi in plerisq; libris confessus est, nemini licere à Ro. ecclesia dissentire aut discedere, id quod in Resolutione XIII. propositionis sex probauit rationibus, Itidem fecit in declaratione quorundam articulorum, maxime uero in commentario super Epistolam Pauli ad Galatas, ubi sic ait circa sextum caput: Consequens est, quod Bohemorum dissidium a Ro. Ecclesia, nulla possit excusatione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat, Et in disputatione Lipsica dixit: Etiam si ius diuinum aut Euangelium staret pro Bohemis, tamen excusari non possent, quia summum ius diuinum sit charitas. Attamen paulo post, ubi accepit se a Leone x. damnatum, horum omnium oblitus, maxime commendauit discessionem à Ro. ecclesia, uocans Bohemos Euangelicissimos, quod a Ro. ecclesia discesserunt, Et dixit generaliter: Beata Græcia, beata Bohemia, beati omnes qui à Ro. ecclesia sunt separati. Sed sic abuti Euangelio, ut ex eo probentur contraria, nonne est margaritas in lutum conculcare? Nonne est Christum arguere mendacij, rursumq; crucifigere? Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? aut quæ est conuentio Christi ad Belial? At multo rectius ait dominus in Euangelio: Qui nõ est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Recte igitur dixerimus Luthero & complicibus eius illud Hieremiæ: Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus uarietates suas, et uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

Verba Luthe. p Romana eccl.

Cõtra Ro. Eccle.

Matth.7 Hebr.6 2.Cor.6

Matth.12

Hiere.13

ART. XI. Rursus de Rom. Ecclesia.

IOAN. HVS ait: Admittendum esse, q Rom. ecclesia sit sancta, sit mater & generalis Ecclesia atque sponsa Christi. Lutherus autem plus quàm in centum locis uocat eam execrabilem, Idolorum cultricem, impudicam & rufam meretricem, Babylonem confusissimam &c. At

Paulus ubiq; docet modestiam & mansuetudinem, Quas sane uirtutes ita conculcat Lutheri nouum Euangelium, ut ne Iuuenalis quidem aut Persij temporibus maior fuerit uerborum spurcities. Quare non immerito clamauerim cum Psalmista: Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt ueritates a filijs hominum, Vana locuti sunt unusquisq; ad proximum suum, Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Psalm.11.

ART. XII. De Fide & Operibus.

IOAN. HVS ait, Fidem accipi aliquando pro habitu, aliquando pro actu credendi, aliquando uero pro ueritate credita. Lutherus autem ita fidem prædicat, ut operibus nihil tribuat nisi peccata, dum affirmat, & fidem solam iustificare, & iustum in omni opere bono peccare, Contra illud Christi: Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ. Et contra illud: Non potest arbor bona fructus malos facere. At Lutheri arbor nimis putridos fert fructus, quales in Asphalto crescunt. Nam qui prius currebant, ut apprehenderent brauium, nunc subsistũt, haud secus atq; statua salis, in quam uersa fuit uxor Loth. Qui prius eleemosynis studebant promereri Deum, sicut & de Cornelio legitur, in Lutheri Euangelio sola fide contenti sunt, habentes partem Axæ, filiæ Caleph, Australem & arentem, quæ neq; superius neq; inferius irriguum habebat. Christus docet nos orare, eleemosynas dare, ieiunare, & promittit se daturum unicuiq; iuxta opera eius, ac declarat tum parabolis tum factis quibusdam, ne simus ociosi, stantes in foro tota die, Vnde & arborem illam, quæ nullos fructus, sed folia tantum habebat, maledixit, Et seruum pigrum, qui talentum suum in terra defossum abscondit, iussit uelut inutilem proijci in tenebras exteriores. Lutheri autem Euangelium docet contrarium, ut qui prius uigilauit, nunc dormiat: qui prius orauit, nunc conuitietur & obloquatur: qui prius ieiunauit, nunc cum Philoxeno dicat, Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas: qui prius subditus fuit & obediens, nunc Euangelicam prætendat libertatem in uelamen malitiæ & in occasionem carnis. A fructibus eorum cognoscetis eos, ait Dominus Iesus.

Ioan. 5. Matth. 7. 1. Cor. 9. Gene. 19 Actu. 10. Iosu. 15. Iudi. 1. Matt. 6. Mat. 9. 17. Mat. 16. 25 Mat. 20. 21 Matth. 25. 1. Pet. 2. Matt. 7.

ART. XIII. De uerbis Domini ad Petrum.

IOAN. HVS fatetur, uerba Christi Matth. xvi. tu es Petrus &c. intelligenda esse de persona Petri, Id quod etiam quilibet uillanus, & quilibet scholaris utcunq; grammaticæ rudimenta callens, facile intelligit, quod ad Petrum a Christo dicta sint. Lutherus autẽ, quamuis idipsum persæpe confessus fuerit, etiam in eo libro, quem de Papæ potestate ędidit, in quem ego sane iam olim librum bene prolixum in lucem dedi: Verum tamen postea, ut Ecclesiasticam potestatem opprimeret, eam sententiam pertinacissime impugnare cœpit. Deus dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: Lutherus autem dixit & reuocauit, adeo ut plus quam dimidium librorum suorum ab ipsomet reuocatum esse dinoscatur, Haud multum dissimilis Hismaëli illi, qui post bona uerba Psalm. 32. & 148

Hiere.4. insidiose interfecit optimum uirum Godoliam, & omnes Iudæos qui cum eo erant. At Christus Dominus, etsi post resurrectionem suam pri-
Ioan.20.21 mo generaliter omnibus Apostolis suis potestatem remittendi ac retinendi peccata dedit: Petro tamen postea specialiter commisit pascere agnos & oues suas, Ecclesiæ regimen ei commendans.

ART. XIIII. De Primatu S. Petri.

IOAN. HVS affirmat & probat ex Dionysio, Augustino, Marcello & Anacleto, S. Petrum fuisse caput & Principem Apostolorum, eumque a S. Paulo dictum esse fundamentum Ecclesiæ, & pastorem ouium Christi, atque primatum habere a Deo. Hæc omnia impugnat nunc Lutherus, quamuis aliter senserit olim, quando utebatur uestimento Ioan-
Matth. 3. nis Baptistæ. Posteaquam uero Leopardi uarietatem induit, omnino
Psalm.79. alius est factus, nempe aper de sylua, & singularis ferus, qui uineam Do-
Esa. 5. mini Sabaoth depascere ac penitus dissipare conatur.

ART. XV. De Pastore ouium Christi.

IOAN. HVS credidit atque docuit, Petrum per hæc uerba Christi, pasce oues meas, factum esse Vicarium Christi in terris. At Lutherus Pa-
In assertio. art.30. pam non Christi Vicarium, sed Vaccarium & Antichristum contume-
1.Tim.2. liosissime uocat. Christus uult omnes homines saluos fieri: Lutherus au-
Eccli. 7. & 38. tem omnes pene Pontifices Ro. uult damnatos esse. Et scriptura dicit: Mortuo non prohibeas gratiam. Item: Noli de mortuo inimico tuo gaudere. Et iterum: In requie mortui fac requiescere memoriam eius. Lutherus uero ne iis quidem Ro. Pontificibus parcit, qui ante mille annos mortui sunt, Vocat frigidissima Decreta Anacleti, os blasphemum Pelagij, Victorem arguit ut Antichristum. Atque etiam contra Paganorum ciuilitatem pugnat procacissime cum laruis, ut dicitur. Augustæ constitutus anno Domini M. D. XVIII. magna humilitate & se & sua subijciebat Leoni X. Papæ. Vbi uero domum rediit, ac placentes populo placentas coxit, mox exaltatum est cor eius, ut ambularet in mira-
Psal.130. bilibus super se, omnem clauium potestatem contemnens, adeo ut excõmunicatus a Papa, rogaret, ne unquam absolueretur ab eo, tanquam
Iudi.15. esset ipse Rex ille qui portas inferorum confregerit, aut abstulerit eas,
2.Reg.1. uelut alter Samson, & portauerit in nescio quem montem, in montem scilicet Gelboë, super quem nec ros gratiæ, nec pluuia salutaris doctrinæ descendit.

ART. XVI. De potestate Ecclesiastica.

IOAN. HVS commendat Ecclesiasticam potestatem, tanquam utilem & necessariam, maxime in administratione sacramentorum. Lutherus autem, etsi primis quatuor annis idipsum docuerit in plerisque opusculis & sermonibus suis, postea tamen maximo furore eam insectatus est potestatem omni conuitiorum ac contumeliarum atque calumniarum gene-
Conuitia Lutheri. re. Non enim ueretur sacerdotes nostros uocare rasa Idola, sacerdotes Bethel & Bethauen, Laruas, sacerdotes Baal & Moloch &c. Quales certe non dixerunt Decius, Diocletianus, Maxentius aliique persequutores

crudelissi-

crudelissimi, nec Apostata Iulianus, nec Celsus, ne Lucianus quidem, improbus alioqui omnium religionum irrisor. Lutherus autem ut populo contẽptibiliores redderet sacerdotes, docuit omnes Christianos ex ęquo sacerdotes esse per baptismum: sacros autem ordines merum esse figmentum humanum, & sacrum chrisma nihil aliud esse q̃ rãcidum oleum, Paruipendens illud Apostoli: Turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas ne nominetur quidem in uobis. Ephe. 5.

ART. XVII. De dignitate sacerdotali.

IOAN. HVS S. Ambrosium ac S. Ioannem Chrysostomum imitatus, affirmat dignitatem ac potestatem sacerdotalem longe excellere sæcularem. At Lutherus Cæsaris gladio subiectos uult esse non solum presbyteros quoslibet, uerum etiam Episcopos & Roma. Pontifices. Præcipue autem in hoc totis uiribus incumbit, ut sacerdotes populo contemptos atq; exosos reddat, Contra illud Apostoli: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Item: Obedite prępositis uestris, & subiacete eis &c̃. Ambrosi. de dign. sacerdot. Et Chryso. in vi. li. dialo. Lut. ad nobil. Germ. 1. Tim. 5. Heb. 13.

ART. XVIII. De sacerdotum prærogatiua.

IOAN. HVS sacerdotalem dignitatem atq; statum in tribus præponit Regali. Primo, ratione officij, quia sacerdotum est benedicere Reges. Iam iuxta Pauli sententiam, sine ulla cõtradictione quod minus est a meliore benedicitur. Secundo, ratione antiquitatis, quia antiquius est sacerdotium regno, sacerdotiũ enim instituit dominus, Exo. xxviij. Regnum uero Deute. xvij. & 1. Reg. x. Tertio, ratione utilitatis, quia sine rege possumus esse ac permanere, sicut multis annis atq; etiam sęculis sine rege fuerunt ac permanserunt filij Israẽl, usque ad tempora Saul primi Regis ipsorum, at sine sacerdotibus non possumus uiuere coram deo, Nam omnis Pontifex (inquit Apostolus) ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Lutherus uero, propriæ innitens prudentiæ, & ualde sapiens apud semetipsum, ausus est totum ius Canonicum comburere, cum legisset in Decretalibus c. solitæ, de maioritate & obedientia, q; ibi Ecclesiastica potestas comparatur Soli, sæcularis uero Lunæ. Sed ultio ista recidet in caput autoris, quemadmodum contigit illi, qui æneum taurum fecerat Dionysio Tyranno Siculo. Certe iam pridẽ bona pars librorum eius, non temere, ut ipse fecit, sed autoritate publica tum Ro. Pontificis, tum Roma. Imperatoris publice combusta est. Sed & ipsemet magnam eorum partem turpissima sui confusione reuocauit in scriptis publicis. Christus nusquam reprehendit sacerdotes, qui tamen persæpe reprehendit scribas & Pharisæos. Et Paulus sacerdotis iussu male percussus, cum dixisset eum parietem dealbatũ, excusauit hoc dictum, q; nesciuerit eum esse principem sacerdotum, ita subdens: Scriptũ est enim: Principem populi tui non maledices. Lutherus autem uult maior ac melior esse tum Christo tum Paulo. Audet enim summum dei sacerdotem dicere Antichristum, Episcopos laruas, presbyteros Idola rasa ac oleata. Sed non est Sacerdotium præcellit regnum in tribus. Heb. 7. Heb. 5. Prouerb. 3 Vide cap. Babyl. & assertionẽ. Actu. 23. Exo. 22.

 difficile,

difficile,id conuitij in caput eius retorquere,hoc modo: Omnis Christianus secundum Lutherum sacerdos est, Lutherus est Christianus,ergo est sacerdos. Rursus:omnis sacerdos secundum Lutherum Idolum est, Lutherus autem sacerdos est, ergo Lutherus est Idolum. Vterq; certe syllogismus in Darij modo formatus ualet,ac uelut Marpesia cautes im
Psalm.7. mobilis permanet, atque ostendit,Lutherum incidisse in foueam quam fecit.

ART. XIX. De potestate Clauium.

IOAN. HVS fatetur,per hæc uerba Christi,tibi dabo claues regni cœlorum,intelligi duplicem clauium potestatem, nempe scientiæ ac po
Sent. li. 4. testatis seu Iurisdictionis, quẽadmodum & Petrus Lombardus in sen
dist.18. In decre.di tentijs,& Gratianus in Decretis docent.Fatetur item,non cuilibet dan
stinct.20 das esse eiusmodi claues,quia non sit modica res,dignos recipere atque indignos excludere a regno cœlorum. Ait itaque hoc pertinere ad Iudicem Ecclesiasticum.Lutherus autem, etsi ipsemet eam potestatem sæpe confessus sit publice, scribens ad Leonem PP.X. in hæc uerba: Voca reuoca,Approba reproba,uiuifica occide, uocem tuam uocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam, Neq; item ignoret Paulum
1.Cor.5. ea usum potestate,tum aduersus Corinthum quendam, grauem pecca
1.Timot.1. torem,tum aduersus Alexandrum & Hymenęum hæreticos: Attamen
Prouer.18. ubi in profundum peccatorꝶ uenit,illa omnia contemnit, irridens nunc Papam & Ecclesiam cum tota clauium potestate, quamuis sciat,eam in
Mat.16.18. Euangelio quoq; fundatam esse,ubi Christus ipse & Petro claues illas promittit,& inobedientem Ecclesiæ pro Ethnico haberi iubet.Nõ igi
Inuidia & tur per ignorantiã sic furit & errat,sed per malitiã atq; inuidiam,Quem
malicia Lu admodum ipsemet in Lipsica disputatione fateri non est ueritus,dũ di
theri. ceret,hunc ludum non esse propter deum inceptum,neq; item propter deum finiendum.Sicut igitur inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ ter
Sapien.2. rarum, & protoplasti primi illi parentes nostri e Paradiso sunt eiecti,
Gene.3.4. Abelq; occisus: ita & Lutheri inuidia atq; malitia introiuit hæresis & dissensio in Ecclesiã,occisi sunt Rustici,& e monasterijs eiecti sunt Mo
Exod.19. nachi & Moniales, ne sit amplius ullus in monte Moses, aut ullus in
3.Reg.19. deserto Helias,aut ulla in templo filia Phanuel, quæ deo seruiat die ac
Luc.2.10 nocte,atque cum Maria Magdalena sedeat ad pedes domini, audiens uerbum illius.

ART. XX. De tribus partibus Pœnitentiæ.

IOAN. HVS confitetur & affirmat tres partes pœnitentiæ:Contritionem,Confessionem & Satisfactionem. Lutherus autẽ, quamuis eas partes aliquandiu nobiscum confessus fuerit, in despectum tamen Papæ & Ecclesiæ eas postea negauit aut saltem labefactauit atq; mutando corrupit.Ita enim ait de Contritione:Contritio quæ paratur per colle
In Asserti. Art.6. ctionem, discussionem et detestationẽ peccatorꝶ,qua quis recogitat annos suos in amaritudine animę suę,ponderando peccatorꝶ grauitatem, multitudinem,fœditatem,amissionem æternæ beatitudinis,& acquisiti onem

onem æternæ damnationis, Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. Confessionem autem auricularem, ut uocant, non esse necessariam docuit, ac per hoc inter suos aboleuit. Satisfactionem uero ita detestatur & odit, ut etiam ipsum uocabulum uellet sublatum, cum tamen constet illud semper in Ecclesia fuisse. Certe ante M.CCC. annos de satisfactione & agenda poenitentia scripserunt Tertullianus & Cyprianus. Quinimo ab initio sui Euangelij poenitentiam prędicauit ipse Christus. At Lutherus pro monstro habet, per opera pro peccatis satisfacere deo, cui sola fide cordis contriti satisfieri contendit in sua Babylone. Sed nos potius Nicęno alijsq; antiquis Concilijs, quæ formulas poenitendi præscripserunt, fidem adhibemus, cum dicat ipse dominus: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Item: Olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.

Ibid. art. 5. Cypria. in sermon. 5. de lapsis. Matt. 4. Luc. 13. Matt. 11.

ART. XXI. De Contritione.

IOAN. HVS docet Contritionem esse tristitiam atq; dolorem cordis pro perpetratis peccatis, Quā & in mortis articulo sufficere affirmat ad consequendam beatitudinem. Lutherus autem non a dolore sed ab amore uult incipi contritionem, ut credat homo, quantumuis peccator, se placere deo propter Christum. At longe rectius docet contritionem Psalmista dicens: Dñe ne in furore tuo arguas me &c. Et Lutherus ipse in resolutionibus suis docuit deū peccatori horribiliter iratum cū omnibus creaturis apparere, ut peccator pene desperans dicat illud Psalmistæ: Proiectus sum a facie oculorum tuorū. Melius igitur & longe tutius est peccatori, reiecta Lutheri doctrina, consyderare ac sequi poenitentiam Dauid regis, qui ait: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, Item: sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritū & humiliatum deus non despicies, Item poenitentiam Mariæ Magdalenæ & mulieris in adulterio deprehensæ, Iuxta illud, quod per Esaiam loquitur deus ipse, Ad quem (inquit) respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

Psal. 6. 37. Propo. 15. Psalm. 30. Psalm. 6. Luc. 7. Ioan. 8. Esa. 66.

ART. XXII. De Absolutione sacerdotali.

IOAN. HVS ait sacerdotes tunc ligare, quando poenitentiam sic uel sic agendam imponunt: absoluere quando remittunt culpā & poenam ęternam, quam in temporalem conuertunt. Lutherus autem omnia tribuit soli fidei, præcidendo opera, spem raro attingens, charitatem multo rarius. Vnde factum est, ut nil nisi fidem clament Lutherani. Quod si contradicatur eis, mox pluuiam gratiæ conuertunt in procellam conuitiorum, cum tamen constet, Christum non absq; mysterio, discipulis suis dixisse, postq̃ Lazarum a morte suscitauerat, prodeuntem foras, ligatum adhuc manus & pedes institis, Soluite eum, & sinite abire. Ioan. 11.

ART. XXIII. De reconciliatione peccatoris.

IOAN. HVS docet peccatorē sic poenitere, ut habeat dolorem de peccatis, & firmum confitendi atq; satisfaciendi et in futurū cauendi pro-

In captiui. Babyloni. positum. Lutherus autem his omnibus posthabitis, docet peccatorē securé accedere ad Eucharistiam, quicunq; uexatur peccatorum suorꝝ siue morsu siue titillatione, quia hoc sacramentum sit unica medicina peccatorum præteritorꝝ, præsentium & futurorꝝ. At longe aliter docet Apo-

1.Corin.11. stolus, dicens: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat indigne, iudicium sibi manducat. Et

Nume.18. scriptura: Qui mundus est (inquit) in domo tua, uescetur eis.

ART. XXIIII. De numero Sacramentorum.

IOAN. HVS in sæpe citato libro de Ecclesia, cap. xi. contra Simoniacos & malos sacerdotes inuehens ait: Qui de sacramentis importune exigunt, qui auare, luxuriose, uoluptuose uel quomodolibet criminose uiuentes, sacerdotij polluunt potestatē, Illi enim etsi confitentur se nosse deum, factis tamen negant, ad Tit.i. & per consequens non credunt in deum, Et sic ut filij infideles sentiunt infideliter de SEPTEM sacramentis Ecclesiæ, de clauibus, officijs & censuris, moribus, ceremonijs & sacris rebus Ecclesiæ, ueneratione reliquiarum, indulgentijs & ordinibus, Patet, quia tales despiciunt nomen dei &c. Ecce Hus aperte confitetur septem sacramenta. Lutherus autem in Babylone sua sic ait: Principio, neganda mihi sunt septem sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis. Quanquam si usu scripturæ loqui uelim, non nisi unum sacramentum habeam, & tria signa sacramentalia. Hæc est summa Lutheri doctrinæ de sacramentis, quam ipse non in harena, sed super firmam petram ædificatam esse gloriatur. Hic autem libenter ex eo audire uelim, quomodo suo consentiat Ioanni Hus, quem tanti facit, ut ipsum omnibus Ecclesiæ Doctoribus, qui intra CCCC. annos scripserunt, preferre non uereatur. Ex qua enim Arithmetica æquabit septem & tria, aut septem & unum? Et quod magis miror, ubi ostendet nobis Lutherus usu scripturæ sic accipi sacramentum sicut ipse accipit? Ipse enim ait sacramentum dici externum signum, quod habet promissionem Dei. Vbi autem sic accipitur sacramentū in scriptura? In quo nam Euangelio? Audiat ergo illud puerorum ex Donato grammatico: Da demonstrandi. Et illud Persij Poëtæ: Quam pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est. Cum igitur ex scripturæ usu probare aut demonstrare non possit, sacramentum usquam sic accipi, sicut ipse accipit, nonne consequens est, ut prorsus omnia sacramenta neget, ac ne unum

3.Reg.18. quidem teneat aut credat? Quis igitur non uidet, quam misere atq; etiam malitiose claudicet Lutherus in utranq; partem, dum septem Ecclesiæ sacramenta negat, tria uero aut unum asserit, cum tamen neq; tria neq; unum dicendum esse sacramentū ex usu scripturæ probare queat?

ART. XXV. De Donatione Constantini.

IOAN. HVS in eodem libro suo sæpe allegato, de Donatione Con-

Cap.15. stantini sic ait inter cætera: Vnde decretum XCVI. distin. quod non possumus præ uerecundia negare, sic loquitur: Constantinus Imperator quarto die sui baptismi priuilegium Ro. Ecclesiæ Pontifici contulit, ut

in toto

in toto orbe Pontifices, ita hunc caput habeant, sicut Iudices Regem. Lutherus autem hoc decretum non solum negare, uerum etiam comburere nõ est ueritus. Quamuis uero Decretum illud Palea sit, minime tamen decuit Lutherum sic agere, imo furere contra Ro. Pont. tot conuitijs & improperijs, cum ex alijs autoribus atque historijs Donatio Constantini abunde probari possit.

ART. XXVI. De Euangelicis consilijs.

IOAN. HVS ait quædam in Euangelio posita esse per modum Consilij, quæ non obligant ad peccatum mortale transgressores, sed tantummodo ad ueniale. Lutherus autem ait: Fortassis & in hoc peccauit Ioan. Hus, quod XII. consilia Euangelica fecit, cum non sit nisi unicum, uirginitatis siue cœlibatus. In qua tamen re deceptus est, per impiam Thomæ & Thomistarum Theologiam. Imo uero seipsum potius decipit Lutherus, propriæ innitens prudentiæ, dũ in Euangelio iam omnia, iam nulla facit præcepta, sed omnia uult esse (ut ait in prologo noui sui Testamenti) consilia & pias adhortationes, non leges aut præcepta sicut in Mose habẽtur. Iubet igitur ibi nos cauere, ne ex Christo Mosen quendam faciamus. Sed et ueniale peccatum ita extendit alicubi, ut non ueretur dicere, omne opus bonum etiam optime factum esse ueniale peccatum: Veniale quidem secundum misericordiam dei, mortale tamẽ secundum se ipsum. Sed per malitiam suam non uult sane intelligere scripturas, alioquin sciret ex Euangelio, inæqualitatem quandam esse tum præmiorum tum pœnarum: sciret esse quandam mercedem ut prophetæ, quandam ut discipuli: sciret in regno dei quosdam afferre & recipere fructum trigesimum, alios sexagesimum, alios centesimũ: sciret quosdam in regno cœlorum constitui super multa, quosdam super pauca: sciret denique esse quoddam peccatũ remissibile, quoddã uero neque in hoc neque in futuro sæculo remissibile.

In assertio. artic. 30.

Prouer. 3.

In assertio. artic. 32.

Matth. 10.
Ibid. 13.
Ibid. 25.
Ibid. 12.

ART. XXVII. De Ecclesiæ Præpositis.

IOAN. HVS tenet, hæc uerba Christi, qui uos audit, me audit, non solum ad Apostolos, sed etiam ad corũ successores dicta esse. Lutherus autem, etsi hoc ipsum sæpe affirmauit, in Babylone tamen sua & in plerisque alijs locis contrarium astipulatus est, non animaduertens, quod Cyprianus & alij sancti Ecclesiæ doctores semper ita tenuerunt atque docuerunt, Quemadmodum & illud Christi intellexerunt, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

Luc. 10.

Matth. 28.

ART. XXVIII. De correctione Fraterna.

IOAN. HVS uult, ut correctio fraterna ex lege charitatis procedat, atque seruetur Euangelij regula illa: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Et illa Pauli doctrina: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, iuuenes ut fratres, anus ut matres. Lutherus autem in cunctis libris suis huiusmodi regulæ atque doctrinæ oblitus, amarulentis ubique conuitijs calumniosisque criminationibus insectatus est, sine omni reuerẽtia atque modestia, non solum graues ac celebres

Matth. 18.
1. Tim. 6.

Conuitia Lutheri in omnes.

uiros

uiros Theologos,qui pro officij sui debito,ipsum ab erroribus reuocare studuerunt,uerum etiam celeberrimas uniuersitates, Parisiensem,Louaniensem & Coloniensem atq; Lipsensem,Ipsum Roma. Pontificem, summum dei sacerdotem,cum omnibus Cardinalibus,Episcopis,presbyteris & Monachis, Neq; item erubuit conuitiari atq; calumniari saeculares Principes,quicunq; eius doctrinę contradixerūt. Longum esset ea referre,quae generaliter in omnes Catholicos Principes scripsit in libello de saeculari potestate,et specialiter contra Catholicissimum Principem Saxoniae Ducem Georgium in plerisq; libellis, non minus seditiose q̃ conuitiose. Certe unus eius liber, quem in Regem Angliae tum latine tum teuthonice ędidit,ostendit Lutherum uere unum ex illis esse,
2.Pet.2. de quibus nos admonuit S. Petrus in secunda sua epistola dicens : Dominationem contemnunt,audaces, sibi placentes, qui sectas non metuunt introducere blasphemantes.

ART. XXIX. De Eucharistiae sacramento.

Transsubstantiatio IOAN. HVS constanter usq; ad mortem tenuit, quòd post uerba consecrationis in hostia non maneat panis materialis in sua ibi substantia,sed transsubstantietur in corpus Christi, Vnde ait in quodam Cantico,Non est panis,sed est deus,homo liberator meus. Et Cōstantiae in sui examine dixit omnes mentiri aduersarios suos, qui dicerent,cum tenere,q̃ materialis panis substantia post consecrationem in sacramento remaneat. Lutherus autem longe contrariam scripsit sententiam,tum in plerisq; libellis teuthonicis, tum uero apertissime in sua Babylone, ubi sic ait: Ecclesia ultra mille ducētos annos recte credidit, nec usquam nec unquam de ista transsubstantiatione (portentoso scilicet uocabulo & somnio)meminerunt sancti patres,donec coepit Aristotelis simulata philosophia in Ecclesia grassari, in istis CCC. nouissimis annis. Sed hoc Lutheri impudens mendacium conuincit egregie uel unius S. Ambrosij

Verba S. Ambrosij testimonium,qui ante M.C. annos in quarto de sacramentis libro cap. iiij. sic ait : Sed panis iste panis est ante uerba sacramentorum: Vbi accesserit consecratio,de pane fit caro Christi. Et rursus : Si ergo tanta uis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est,ut sint quae erant & in aliud commutentur:Et iterum : Accipe ergo , quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit,& mutat quando uult, instituta naturae. Item in libro de mysterijs initiandis,cap.ix.sic habet inter alia multa: Probemus, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorēq; uim esse benedictionis q̃ naturae, quia bñdictione etiā natura ipsa mutatur. Et infra : Nam sacramentum istud quod accipis,Christi

3.Reg.18. sermone conficitur. Quod si tantum ualuit sermo Heliae, ut ignem de coelo deponeret,non ualebit Christi sermo , ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit & facta sunt,

Psalm. 32. 148. ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi,qui potuit ex nihilo facere quod non erat,nō potest ea quę sunt in id mutare quod non erant?

Non enim

Non enim minus est nouas rebus dare q̃ mutare naturas. Ecce quàm sæpe ac manifeste probat & attestatur S. Ambrosius panem mutari in corpus Christi.

ART. XXX. De autoritate doctorum Ecclesiæ.

IOAN. HVS nusquam reiecit, sed ubiqꝫ uenerabiliter acceptauit dicta sanctorum patrum, atque etiam sacros Canones Conciliorum & decretales Ro. Pontificum. Lutherus autem, uelut robustus uenator & Goliath superbiss. propriæ innitens prudentiæ, ac ualde sapiens in oculis suis, in prologo suæ assertionis sic ait: Primũ scire contestatosqꝫ eos esse uolo, me prorsus nullius, quantumlibet sancti patris authoritate cogi uelle, nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus. Et infra: Iam quanti errores in omnium patrum scriptis inuenti sunt? Quoties sibijpsis pugnant? Quoties inuicem dissentiunt? Quis est qui non sæpius scripturas torserit? Quoties Augustinus solum disputat, nihil diffinit? Hieronymus in commentarijs fere nihil asserit. Et infra in assertione art. xxx. declarat ipsemet, se longe peiorem esse q̃ fuit Hus. Hæc enim sunt eius uerba: Non recte faciunt, qui me Hussitam uocant, Non enim mecum ille sentit, sed si ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus sum, cum ille longe minora & pauciora dixerit, uelut inchoans lucem ueritatis aperire. Et post pauca: Nisi forte ideo permissus est exuri, quia non parum detulit Romano Idolo & suis satanicis statutis operationibusqꝫ erroris. Conatus enim fuit uir ille & pius & doctus, id quod ego in principio conabar, ut Decretis Papalib. ueritatis opinio salua maneret. At ijs saluis ipsum perire necesse erat, una cum Christo & fide & ueritate. Igitur Ioannes Hus non repugnare uidetur, quo minus sit Monarchia Papæ, Hoc tantum agit, impium pontificem non esse membrum Ecclesiæ, multo minus Papam: ferendum tamen sicut quemuis alium tyrannum. Ego uero, etiamsi S. Petrus hodie præsideret Romæ, negabo Ro. Episcopum esse Papã. Papa. n. res ficta est in mundo, neqꝫ fuit, neqꝫ est, neqꝫ erit, sed fingitur esse. Quare ipsam sedem Bestiæ nego, nihil moratus, sit ne bonus an malus qui in ea sedet. Hæc ipsemet Lutherus, ut minime opus sit, nos plura aduersus eum testimonia producere, ad probandum, ꝙ deterior sit eius doctrina q̃ Ioannis Hus, quoniam id ipsemet apertissime cõfitetur, & in ea malitia sua etiam gloriatur, ut quadret in eum illud Psalmistæ: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Gene. 10 | 1. Reg. 17 | Prouer. 3 | Esaiæ 5 | Verba Lutheri contra S. patres. | De Ioan. Hus. | Cõtra Papam. | Prouer. 2 | Psalm. 51

TRIGINTA ARTICVLI IN QVIBVS LVTHERVS PEIOR MAGISQ; IMPIUS DEPREHENDITUR QUAM SUNT VUALDENSES & PIGHARDI.

PIGHARDI, qui & Vualdenses, a Catholicis in multis dissentiunt. Erga quos admodum uarie (ut solet) habuit se Lutherus in scriptis suis. In quibusdam enim eos damnat ut pessimos hæreticos, In quibusdam uero laudat ut optimos Christianos. Certe in libro de decem præceptis uocat eos infœlices hæreticos, impios peruersores scripturæ, & subdolos calumniatores pietatis nostræ. Propter horum (inquit) rudissimam & insulsissimam rusticitatem, dico ego, ad sanctorum suffragia recurrendum esse omni modo. Item in libro Resolutionum ait: Mihi certissimum est, Purgatorium esse, nec multum me mouet, quid blaterent hæretici, quando iam Mille & plus Centum anni sunt, quod beatus Augustinus in suarum Confessionum libro nono pro matre & patre suo orat, & orandum petit, Et eadem sancta mater eius moriens (ut ibi scribit) memoriam sui optauerit ad altare Domini. Sed & a B. Ambrosio id factum narrat. Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium (ut superbit fastidiosus Pighardus) nunquid ideo credendum est hæretico, uix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot sæculorum falsam fuisse contendendum? Maxime cum ipse nihil aliud faciat, quam quod dicit, Non credo. Et sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra. Quasi non & lignum & lapis non credant. Et rursus in eodem libro: Hæc (inquit) ideo commemoro, ne Pighardi, nostri uicini, hæretici, infœlix populus (qui fœtore Romano gaudet, sicut pharisæus super publicanum, non autem compatitur) ne, inquã, illi nos crederent nescire uitia & labes nostras. Item in expositione Psalmi CIX. sic ait: Qui separant se a malis, faciunt sicut Pighardi in Bohemia, miseri hæretici, qui a malis Christianis fugiunt, & ad seipsos in angulum repunt. O blasphematores dei, et proditores Christi: si Christus fecisset ut uos facitis, quis unquam saluatus esset? Et in commentario ad Gala. haud dissimilia scripsit, quæ referre longum foret. Postea uero in reprobum sensum datus, blandissime ad eosdem scripsit, plenis eos super omnes alios Christianos laudibus extollens, & quæ prius in eis improbauerat, collaudat: & quæ ipse approbauerat, reprobat. Ne tamen per omnia eis consentire uideretur, reprehendit in eis quædam, in quibus adhuc Papæ & Catholicis consentiunt, nempe quod more Papistarum (ut loquitur) tenent adhuc septem Sacramenta, quod presbyteros & Diaconos suos a coniugio arcent, quod bonis operibus merita tribuunt &c̃. Ex quibus sane iam facile constat Lectori, Pighardos multo minus reprehensibiles esse quam est Lutherus, Id quod clarius ex sequentibus patebit articulis.

Conuitia Lutheri in Pighard. Præcep. 1

Propõ. 15

Propõ. 80

Laudes Lutheri pro Pighardis.

ART. I.

ART. I. De ſymbolo Apoſtolorum.

Pighardi in ſua ad regem Vladiſlaum confeſſione fatentur ſe tenere Symbolum Apoſtolorum. Omnem (inquiunt) ueritatem fidei, ſpiritu ſancto reuelatã, in ſcripturis deinde ſacris eodem ſpiritu ſancto repoſitam, atq; in apoſtolorum Symbolo ſummatim recollectam, ſimulq; a primitiua Eccleſia reipſa cuſtoditam, uirtutibus, prodigijs, ſyncero dogmate, martyrio quoq; certificatam, poſtremo Concilio Nicæno & ab Epiſcopo Athanaſio plurimiſq; dogmatiſtis in hęreticos ſtudio explanatam: neceſſariam eſſe ad animarum ſalutem, præcipue hoc æuo, pari fide fatemur. Lutherus autem, cum non reperiat omnes huius ſymboli articulos expreſſe in ſcripturis, reijcit eos cum iniuria, ſicut noui Teſtamenti ſacerdotium reijcit in libro de abroganda miſſa, dicens: Quid ergo hinc ſequitur? ſcilicet, leges Papæ eſſe figmenta & mendacia, tũ ſacerdotium eius eſſe Idolum & laruam, Miſſas uero, quas ſacrificia uocant, eſſe ſummam impietatem & Idololatriam. Dubitat adhuc in his quiſpiam? Probatum eſt enim, in ſcripturis hoc ſacerdotium non haberi. At quod in ſcripturis non habetur, hoc plane ſatanæ additamentum eſt. Contra hunc autem Lutheri errorem ait Apoſtolus: State fratres, et tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Non debent igitur Apoſtolorum & Eccleſiæ traditiones, quę in ſcripturis non ſunt expreſſæ, pro ſatanæ additamẽto haberi, uti nugatur Lutherus. Nam Paulus perambulans Syriam & Ciliciam atq; ciuitates Pamphiliæ, confirmando Eccleſias, præcipiebat cuſtodire præcepta & dogmata Apoſtolorum & ſeniorum.

Confeſſio Pighard.

Error Lutheranorũ.

2. Theſſ. 2

Act. 15. 16.

ART. II. De Nicæno Concilio.

PIGHARDI fatentur ſe tenere Nicænum Concilium. Ego autem in libro de poteſtate & Primatu Rom. Pontificis oſtendi per ſingula capitula & decreta illius concilij (quod temporibus Conſtantini Magni celebratum eſt a CCC. & XVIII. Epiſcopis Anno domini CCC. XXIIII. uti teſtatur in Chronicis Euſebius) quod nullum eorum inuiolatum reliquerit Lutherus. Et quãtum ad fidem attinet, determinatum eſt ibi contra Arrij hæreſim, ut recipiatur hoc uocabulum Homouſion, Quod poſtea tot ſæculis per omnes Eccleſias uſitatum, Lutherus refutare atq; calumniari non eſt ueritus in eo libro, quem contra D. Iacobum Latomum ędidit, ubi & S. Hieronymo falſiſſime imputat eiuſmodi impietatem, affirmans eum dixiſſe, quod neſciat quid ueneni lateat in huius uocabuli literis & ſyllabis, cum conſtet Hieronymum, non de Homouſio, ſed de Hypoſtaſi ita ſcripſiſſe ad Damaſum Papam. Sed gaudiũ eſt Luthero, quomodocũq; turbare Eccleſiam, & exploſa pace inter fideles Chriſti & unanimes fratres diſcordias cõtentioneſq; excitare, ut etiã in tonſtrinis, in foro & in tabernis uane atq; irreligioſe diſputent atq; rixentur Chriſtiani de ſacratiſſimis fidei noſtræ myſterijs, ſicut & per Arrij hæreſim factũ olim fuiſſe, conqueſti ſunt religioſiſſimi patres, & Eccleſiæ Doctores, Baſilius magnus, Gregorius Nazianzenus,

Luth. contra homouſion.

Hilarius & id genus alij. Quod siquando Lutherus eā ob rem increpa-
Matt.10. tur, respondet, Christum dixisse, non ueni pacem mittere sed gladium,
& ait, hanc esse ueram Euangelij certitudinem, quando propter ipsum
turbatur pax, surguntque uariæ commotiones in populis. At longe recti-
Esa.9. us Esaias uocat Christum principem pacis, qui & discipulis ait: Pacem
Ioan.14. meam do uobis, pacē relinquo uobis. Itaque discipuli eius Petrus & Pau
lus in suis epistolis præmittunt gratiam & pacem in Christo. Et ad Ro.
Rom.14. ait Paulus: Itaque ea quæ pacis sunt sectemur. Et ad Cor. Non enim dis-
1.Corin.14 sensionis est deus sed pacis. Et Christus ipse: Habete in uobis sal, & pa-
Mar.9. cem habete inter uos. Quod autem dixit, non ueni pacem mittere, hoc
de pace mala, qua gentiles in sua concordabant infidelitate & Idolola-
tria intelligi debet, non de bona pace quæ inter fideles esse debet. Nam
Matt.10 in eodem capitulo docet discipulos in domū intraturos dicere, Pax huic
domui. Quemadmodum & Angeli in eius natiuitate cecinerunt, Glo-
Luc.2. ria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

ART. III. De Symbolo Athanasij.

PIGHARDI recipiunt symbolum Athanasij. At in eo multa con-
tinentur, quæ non sunt in scripturis expressa, Secundum Lutherum
igitur pro Satanæ additamentis (quod absit) habenda sunt. Cū itaque di-
Tres personæ in una essentia. cat Athanasius, alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti,
In scripturis autem nusquam habeatur hæc uox persona, in ea significa-
tione, Audent Lutherus & sui complices, de persona, sicut de homou-
sio, dicere quod non teneantur dicere aut credere tres personas in una
deitate, aut trinitatem personarum in unitate essentiæ, Quia hæc uoca-
Lut. de abrog. Missa bula non habentur in scripturis. Quod autem in scripturis non habetur
satanæ additamentum uocat Lutherus. O blasphemiam intolerabilem,
& non solum hominibus pijs in terra, sed etiā sanctis angelis dei in cœlo
execrabilē atque stupendam. Nec prodest eis, qui sic blasphemant, dicere,
in latina tātum lingua dici personas, Hoc enim non est uerum, In omni
enim lingua & gente fideles Christi confitentur idiomate suæ linguæ
tres personas in una deitatis essentia, Quemadmodum attestatur Apo-
stolus dicens: Vt omnis lingua cōfiteatur, quia dominus Iesus Christus
Philip.2. in gloria est dei patris, Et constat Athanasium natione Græcum (nem-
pe Alexandrinum) non latinum aut Romanum fuisse. Quare & in græ
co habetur eius Symbolum.

ART. IIII. De Ecclesia Christi.

PIGHARDI fatentur unam sanctam Ecclesiam Catholicam, quam
credunt esse congregationem omnium ministrorum ac populi obe-
dientia subiugati, ab initio usque ad consummationem omnium tempo-
rum, diuinæ uoluntati obsequentium. Non autem tantum sibi arro-
gant, ut ipsi soli Catholica Ecclesia dici fierique uelint, apud quos dunta-
Eccle. Lutheri figmētū est. xat salus reposita sit, uerum solicita (inquiunt) diligentia laboramus, Ec-
clesiasticæ ueritatis participes effici. Lutherus autem in plerisque libris suis
fingit sibi Ecclesiam, quam nemo unquam audierit aut uiderit, aut un-

quam

quam uisurus sit, Quemadmodum Sophistæ Chimæram, & Poëtæ aureos fingunt montes & uaria monstra fabulosa, quæ neq; sunt neq; fuerunt, nec erunt unquam in rerum natura. Ait igitur in libro de abroganda Missa: Quod e scripturis autoritatem non habet, manifestissimum est ex diabolo esse. Quod uero dicunt, quæ ab Ecclesia fiunt & ordinantur, a Deo fieri & ordinari, cuius spiritum Ecclesia habet: frustra dicunt, inquit, Quis enim Ecclesiam illam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & solum credatur? At rectius ait Dominus in Euangelio: Dic Ecclesiæ, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Quod si monstrari non posset Ecclesia, quomodo posset ei aliquid dici? aut quomodo posset ipsa a nobis audiri? Nulla igitur scriptura facit nobis phantasticam aut mathematicam Ecclesiam sicut Lutherus, qui hoc uno nititur argumento, quod dicimus in Symbolo: Credo sanctam Ecclesiam. Credere autem sit eorum quæ non uidentur. Quoties autem contra in Euangelio scriptum legitur de Christo: Et crediderunt in eum discipuli eius? Item Iudæi quidam, item cæci, claudi, paralytici, quos ipse sanauerat? Videbant utique Christum coram se præsentem, & tamen credebant in eum. Credebant eum esse Deum, quod non uidebant: sic nos credimus Ecclesiam sanctam, cuius sanctitatem fide, non oculis uidemus. Sed non minus reprehensibilis est hæc Lutheri & sectæ eius arrogantia, quam iste error, quod se solos dicunt ueram Christi Ecclesiam esse, adeo ut qui Lutheri doctrinam non recipiunt, saluari non posint. Ergo ante hos XX. annos, quando nemo sciebat hanc Lutheri doctrinam, nemo saluari potuit? nec ulla fuit in M. D. annis Ecclesia Christi? O impudentiam plus quam barbaricam.

Matth. 18.

Credere sanctã ecc.

Ioan. 3. 5. 9 11. &c.

Luther. in lib. contra statũ eccl.

ART. V. De septem Sacramentis.

PIGHARDI in confesione sua sic dicunt: Similiter sacramenta septenario inclusa numero, Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus, quibus populo credulo promissa Dei impleta esse significantur. Ingressus etiam in Ecclesiam Dei, ad seruandam unitatem in ea conuersantium, in gloriam per ea ministratur. Quam fœde autem ibi erret Lutherus, qui septem sacramenta negat, superius ex parte declaratum est. Hic addendum est, quod hæreticam ait esse sententiam, sacramenta nouæ legis dare gratiam ijs qui non ponunt obicem. Addit autem, neq; ueteris neque nouæ legis sacramenta, sed solam fidem iustificare. Ex quibus satis patet, quanto barbarior Pighardis magisq; impius sit sacramentorum hostis Saxonicus iste aper, qui uineam Domini Sabaoth demoliri ac deuastare conatur.

Art. Ioan. Hus. 24.

In asser. arti. 1.

Esa. 5.

Psalm. 79.

ART. VI. De Baptismo paruulorum.

PIGHARDI sic aiunt: Professio ista nostra de baptismo etiam in pueros extenditur, qui decreto Apostolorum (prout Dionysius scribit) baptizari debent: post ductu Compatrum in Christi lege eruditorum, uitam fidei inuitandos esse assuescendosq;. At Lutherus circa paruulorum baptismum multipliciter furit & errat. Primo enim ait: In puero

Dionys. in ec. hi. c. ult.

In asse. ar. 2

 post ba-

post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. Hunc eius errorem egregie confutarunt Episcopus Roffensis, Ambrosius Catharinus & Ioannes Cochlęus. Secundo ait sic: Paruulos, cum sint sine fide, per baptismum iustificari, fortiter negamus. Quin asserimus, paruulos prorsus non esse baptizandos, si uerum est, eos in baptismo non credere. Cum autem ex hac eius impia assertione orta sit Anabaptistarum truculenta secta, mutauit hanc suam sententiam Lutherus in alijs libris, nempe in Catechismo suo, in uisitatione Saxonica, & in libro contra Anabaptistas: ubi docet, utique baptizandos esse paruulos, etiam si non credant. Præcipua enim res in baptismo non est fides (inquit) sed uerbum & mandatum Dei. Verus est igitur baptismus, etiam si non credat is qui baptizatur. Baptismus enim nihil aliud est quam aqua & uerbum Dei, iuxta & simul coniuncta. Tertio tollit chrisma & sacrum oleum a baptismo, tanquam humanas inuentiones. Sed eadē ratione deberet tollere abrenunciationem & exorcizandi ritum. Vbi enim reperiuntur in scripturis? Reperiuntur quidem in sanctis atque etiam antiquissimis Patribus, utpote in Dionysio (quemadmodum & Pighardi recte fatentur) Pauli Apostoli filio in Christo, in Cypriano, Ambrosio, Augustino &c. Sed in ijsdē reperiuntur etiam chrisma & sanctum oleum. Cur igitur quædam rejicit, quædam uero retinet? Non alia profecto est causa aut ratio, nisi quia rotatur ac rapitur spiritu uertiginis, de quo ait Dominus per Esaiam prophetam: Dirumpetur spiritus Ægypti in uisceribus eius, & consilium eius præcipitabo. Scilicet, ut uerificetur in eo illud sapientis: Stultus ut luna mutatur.

In lib. cōtra Io. Cochl.

Anabapt. origo.

Esai. 19.

Eccli. 27

ART. VII. De gratia sacramentorum.

PIGHARDI fatentur, per nouæ legis sacramenta gratiam dari ijs qui rite accipiunt ea. Lutherus autem ait hanc sententiam esse hæreticam, uti dictum est supra. Cum autem bonus Ioannes Cochlęus eleganti libro hanc eius assertionem per multa & Euangelij & Pauli ueterumque Ecclesiæ Doctorum testimonia confutasset, Lutherus duos aut tres duerniones contra eum ædidit, in quibus iuxta nouum Euangelium suum uocat eum, Coclear, Testudinem, & quicquid per probrosa cōuitia excogitare potuit, ut præ uerecundia referre non queam, quod is Corinthijs suis tam lupinum lac dare non ueretur. Sed uerum esse oportet quod in Euangelio dixit Dominus: Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro suo profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Cum igitur præter odium atque inuidiam nihil sit in hoc desolato sepulchro (de quo Psalmista ait: Sepulchrum patens est guttur eorum) quomodo possumus colligere uel de spinis uuas, uel de tribulis ficus? Tolle ex Lutheri libris calumnias & conuitia, & uidebis maiorem papyri partem uacuam remanere. Vnde fit, ut sæpe miratus sim, quo nam modo fieri queat, ut ex uno hoc uase profundi queant tam multa maledicta. Reperimus quidem in Euangelio sæpe locuta fuisse dæmonia: si tamen colligas omnium dæmonum uerba, quotquot in utroque

Lac lupinū Luthe.

Psalm. 5. 13

Matt. 7.

Maledicētior Luth. omnib. dęmonijs.

in utroq; Testamento reperiuntur, non tamen æquari poterit numerus eorum cum numero conuitiorum unius Lutheri, quæ uel in uno aliquando profundit libello paruulo.

ART. VIII. De S. Dionysio Areopagita.

PIGHARDI S. Dionysium uenerabiliter citant, & per eum sua plerumq; dogmata probare satagunt. Quod & Lutherus aliquando fecit. Posteaquam uero uidit illum nouis & peregrinis suis doctrinis contrarium esse, cœpit eum superbissime contemnere, Sic enim ait in sua Babylone: Recens est inuentio sacramentorum, atque mihi (ut magis temerarius sim) in totum displicet, tantum tribui (quisquis fuerit) Dionysio illi, quum ferme nihil in eo sit solidæ eruditionis. Nam ea, quæ in cœlesti Hierarchia de Angelis comminiscitur (in quo libro sic sudarunt curiosa & superstitiosa ingenia) qua rogo autoritate aut ratione probat? Nonne omnia sunt illius meditata, ac prope somnijs similima, si libere legas & iudices? In Theologia uero mystica (quam sic inflant ignorantissimi quidam Theologistæ) etiam perniciosissimus est, plus Platonizans quàm Christianizans, Ita ut nollem, fidelem animum his libris operam dare uel minimam. Christum ibi adeo non disces, ut si etiam scias, amittas. Mihi non operosum fuerit meliorem Hierarchiam scribere, quàm Dionysij sit & c. Quid mirũ igitur, si Goliath iste superbissimus, me & Cochlæum aliosq; nostri temporis Catholicos contemnat, qui Dionysium, discipulum Pauli Apostoli, & primitias spiritus sancti, atque Ioannis Apostoli et Euangelistæ dilectissimũ amicum, tam superba censura & notare & contemnere audet?

In cap. Baca. de ord. Contra S. Dionysiũ.

ART. IX. De Confirmationis sacramento.

PIGHARDI confitentur Confirmationis sacramentum, etiam Apostolorum temporibus obseruatum fuisse, non solum in adultis, sed etiam in infantibus, Quatenus orationibus Ecclesiarũ adiuti, incrementum munerum spiritus sancti, ad stabilitatem militiamq; fidei recipiant, & manus impositione, ad firmanda promissa dei ueritatisq; habitæ, in uirtute nominis patris & uerbi eius flatus quoq; almi, Ecclesiæ socientur. Lutherus autem in peruersa Babylone sua ait, mirum esse, quid Catholicis in mentem uenerit, ut sacramentum confirmationis facerent, ex impositione manuum, qua legimus Christum paruulos tetigisse, Apostolos dedisse spiritum sanctum, ordinasse presbyteros, & infirmos curasse. At sacramentum hoc non esse recens, testãtur sancti patres nostri, sacer Dionysius, Melchiades Papa & martyr, S. Ambrosius, alijq; id genus classici autores, quibus Lutherus ne matellam quidem digne porrigere posset. Nobis contra nænias eius uel unicum illud Apostoli ad Ephe. iij. dictum sufficit, nempe, Vt deus det uobis (inquit) secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum eius, in interiori homine.

Mar. 10. Actu. 19.

ART. X. De ritu confirmandi.

PIGHARDI docent, ut confirmandus ad Episcopum aut sacerdotem duci statuiq; debeat, ut ab eo interrogatus de ueritate fidei, reueren
In ca.Bab. ter hoc sacramentum suscipiat. Lutherus autem Episcopos nostros pup pas contemptim uocat & laruas. Confirmationem autem non pro sacramento, sed pro ritu quodam Ecclesiastico & ceremonia sacramẽtali uult haberi, similem cæteris ceremonijs consecrandæ aquæ aliarumq; rerum. At Ecclesiæ doctores, tum antiqui, tum noui, Confirmationem nequaq̃ pro minimo habent sacramẽto, sed quadam ratione pro maximo, nempe ratione ministri, Nam ad solos pertinet episcopos eius administratio
In eccl. Hi atq; etiam unguenti seu Chrismatis consecratio, Quemadmodum etiam
erar.cap.4 antiquissimus docet Dionysius.

ART. XI. De Forma Baptizandi.

PIGHARDI non permittunt suis, alia uti baptizandi forma, quàm in
In ca.Bab. nomine patris & filij & spiritus sancti. Lutherus autem docet, uane de baptizandi formula uerborũ contendi, Ideo adhuc hodie posse nos baptizare in nomine Iesu Christi, sicut baptizarunt Apostoli, aut in nomine domini. Quocunq; igitur modo tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine dñi tradatur, recte tradi affirmat, Cũ soli fidei omnia, nihil ritibus & operibus debeamus, ut ait, Fides autem faciat nos liberos spiritu, ab omnibus istis scrupulis & opinionibus. Sed non consyderat rixator iste, quod scriptum est: Multitudinis credenti
Actu.4. um erat cor unum & anima una. Item: Vnus dominus, una fides, unum
Ephe.4. baptisma Item: Vt idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schisma
1.Cor.1. ta. Multo igitur melius est, omnes eadem uerborum forma uti, ea scili
Matt.28 cet, quam Christus ipse instituit atq; præcepit, q̃ ut unus baptizet in nomine Iesu Christi, alter in nomine aliquo Hebraico dei, qualia multa sunt, ut El, Elohim, Elohei, Adonai, Schadai, Ia &c. alius uero in nomine altissimi, alius in nomine omnipotentis &c. Christus enim rogauit
Ioan.17 patrem, non ut uarij aut diuersi, sed ut unum sint omnes qui crediturí essent in ipsum.

ART. XII. De officio Sacerdotali.

PIGHARDI credunt, Ordinationẽ sacerdotum a summo Episcopo, sacerdoteq; magno in ueritate prodire, ut in loco legationis Christi, ministerium, Euangelizatio, doctrina, iudiciũ, oblatio orationum, gratiarum actiones, & laudes deo, ab eis peragantur &c. Lutherus autem Apostatice contendit in plerisq; libris suis, omnes Christianos per baptismum esse æqualiter sacerdotes, Ordines autem sacros, quos uocamus,
In ca.Bab. esse merum commentum humanum. Hoc (inquit) sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inuentumq; est ab Ecclesia Papæ. Quare eos, qui tantum ad horas Canonicas legendas, et missas offerendas ordinantur, esse quidem Papisticos, sed non Christianos sacerdotes, cum sacramentum ordinis aliud esse non possit, q̃ ritus quidam eligendi concionatoris in Ecclesia. Hæc ille in sua Babylone. Cætera uero, quæ aduersus sacros Clericorum ordines scripsit in diuersis libris, tum latinis, tum teuthonicis, ni

cis, ni

cis, nimis longum foret referre, quæ & sic impia sunt atque horrenda, ut non deceat me, per ea pias aures aut mentes fidelium offendere. Pleriqꝫ nostrum argutias eius iustis confutauere libris, Et ante nos religiosissime de sacerdotali dignitate scripserunt Dionysius, Ambrosius, Chrysostomus & id genus alij, quibus Lutherus cum nugis & conuitijs suis digne conferri nunquam poterit.

ART. XIII. De Confectione Eucharistiæ.

PIGHARDI in sua confessione sic aiunt: Vbicunqꝫ dignus sacerdos cum fido populo, iuxta sensum & intentionem Christi, Ecclesiæqꝫ ordinationem, orationem faciens huiusmodi uerbis, uidelicet, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, testificatus fuerit: confestim præsens panis est corpus Christi, in mortē pro nobis oblatum, Vinum similiter præsens est sanguis eius, effusus in peccatorum remissionem. Lutherus autem contra hanc Pighardorum sententiam, & contra totam Ecclesiam Catholicam, adeo impia atqꝫ feralia scripsit alicubi, utpote in Babylone sua, de abroganda missa, & contra sacrum Canonem missæ (cætera eius scripta, partim pudoris, partim breuitatis gratia hic taceo) ut absqꝫ graui gemitu a pijs legi non possint. Et in factis tanta a Lutheranis plurimis huic sacrosancto mysterio & sacramēto facta est plerumqꝫ irreuerentia, irrogataqꝫ contumelia, ut non libeat mihi, tanta scelera, quę in Germaniæ confusionem reuelarentur, hic referre: Sed reseruabo potius in eum diem, de quo dominus ait: Nihil est opertum quod nō reuelabitur, & nihil occultum quod non scietur. Matth. 10.

ART. XIIII. De Communicatione Eucharistiæ.

PIGHARDI statuunt simultaneum usum, hoc est, ut ex Christi & primitiuæ Ecclesiæ institutione atqꝫ praxi, tunc sacerdos ministrare debeat, quando fidelium necessitas fuerit, qui cum eis simul accipere teneatur, Iuxta illud Apostoli: Calix cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi: et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Lutherus autem contra affirmat, Exemplum Christi referre, & institutum eius sequi nullos, nisi eos, qui uel infirmis uel publice accedentibus ministrant Eucharistiam, ipsi non accipientes. Hos ait proxime omnium hanc cœnam Christi repræsentare, sicut Christus factus minister, non sibi accipit sed alijs ministrat. Sed ubi consecrauerit, alijsqꝫ distribuerit, tum & ipse ab alio accipiat. Hæc de abroganda missa Lutherus. Sed in hac sentētia sua, non solū Hussitis, Pighardis & Catholicis, uerum etiam sibi ipsi contradicit. Ait enim Christum in cœna alijs dedisse, non accepisse sibi, & uult ut consecrans sacerdos non per sese accipiat, sed postquam omnibus distribuerit, ipse tandem ab alio accipiat: Alibi uero affirmat Christum quoque in ea cœna & manducasse suam carnem & bibisse suum sanguinem. Et longe rectius concordant Ecclesiæ praxi & ritui Pighardi in hac re q̄ Lutherus, qui aduersatur omnibus atqꝫ etiam sibiipsi. Sic enim canit Ecclesia in hymno Completorij de festo corporis Christi: Sic sacrificium istud instituit, cuius officiū com

1. Cor. 10.

In li. de abrog. Missa

In li. 2. contra Zuin. & Oecol.

mitti uoluit solis presbyteris, quib. sic cōgruit, ut sumant et dent cęteris.

ART. XV. De digna sumptione Eucharistiæ.

PIGHARDI per hoc sacramentum faciunt discretionem inter dignos & indignos, ita ut qui uitiorum labe foedati sunt, non debeant communicare, sed pro excommunicatis haberi, iuxta illud Apostoli: Cum

1.Cor.5. huiusmodi neque cibum accipite. Lutherus autem longe aliter sentit: Concludit enim in sua Babylone, quod digne communicent ij soli, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas & erroneas habent conscientias.

Absurda Luthe. opinio.

Quod sic probat: Nam uerbum diuinæ promissionis huius sacramenti, cum exhibeat peccatorum remissionem, secure accedit, quicunque peccatorum suorum uexatur siue morsu siue titillatione. Et in libro de abroganda Missa sic ait: Insuper unus est furor omnium, præparatorijs, orationibus, confessionibus præuijs, sic se mundos & sanctos reddere, ut Eucharistiam digni accipiant, ne sit aliquid ibi quod remitti debeat, sed omnino spectabiles in munditia sua compareant, & sanguinem Christi, in remissionem peccatorum fusum, rideant, et sic mundi accedant, quo non debent accedere, nisi qui remissione peccatorum eget. At hæc impia & peruersa Lutheri sententia, non solum Pighardis, sed & Catholicis omnibus maxime aduersatur. Quantis enim rationibus & scripturis hunc eius errorem impugnat uel unus Cyprianus in sermone de lapsis?

In captiui. Babyloni. At hunc tanti facit alicubi Lutherus ipse in eodem sermone, ut dicat: Vnus Cyprianus contra omnes Romanistas satis potens est. Nobis hic

1.Cor.11. sufficiat illud Apostoli: Quicunque manducauerit aut biberit indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Item: Iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Item: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

ART. XVI. De sacerdotum ordinatione.

PIGHARDI dicunt in sua ad Regem suum confessione: Ad plenam presbyteri gradationem tria esse necessaria approbamus. Primum, probatio uitæ, fidei, donorum, fidelitatis quoque in exilioribus negocijs. Alterum, orationes cum ieiunijs. Postremum, contributio potestatis, aptis ad hoc uerbis, et manuum impositio ad corroborationem. Lutherus autem non exigit a presbyteris aut Episcopis, rite ordinatis, emendationem aut probationem uitæ, non orationes aut ieiunia, non potestatem ligādi atque soluendi, sed uult simpliciter, ut uel trāseant in sectam ipsius, uel exterminentur atque tollantur de medio. Hoc enim nititur esse

Hester.7. in Germania Clero catholico, quod Iudæis in Perside erat truculentus ille & sanguinarius Aman. Quemadmodum enim Aman per cursores

In lib. contra statum Ecclesiast. mittebat exitij literas in uniuersas regni prouincias: ita Lutherus iam pridem euulgauit per omnes Germaniæ prouincias & Imperij ciuitates Bullam exterminij, ut quicunque in hoc exponerent corpus, substantiam & honorem suum, ut exterminentur Episcopi cum toto regimine suo, hi essent uere Christiani & dilecti filij Dei.

ART. XVII. De Pœnitentia.

PIGHARDI exigunt a lapsis in peccata cor contritum & humiliatum, ut uadant ad sacerdotem, scientem discernere malum a bono, cuius labia scientiam diuinæ legis custodierint, & ei recta intentione scelera sua reuelent atque rubore perfusi, ab eo iudicentur tanquam a iudice loco Dei, & Christi clauibus aut soluti aut ligati humiliter obsequantur. Lutherus autem, contempto & sacerdote & pœnitentiæ sacramento, docet suos breuissimum liberandi a peccatis compendium, in sua Babylone, nempe, ut recogitent modo se baptizatos esse, aut recurrant ad Eucharistiæ sacramentum, quod ait unicum esse remedium peccatorum præsentium, præteritorum & futurorum. De baptismo autem sic ait: Ita uides, quam diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiam uolens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat uel stet fides in promissionem diuinam, baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem. Contritio autem & peccatorum confessio, deinde & satisfactio, & omnia illa excogitata hominum studia, subito te deserent, & infœliciorem reddent, si oblitus ueritatis huius diuinæ, in ipsis tete distenderis. Simul uides, quam periculosum, imo falsum sit, opinari, pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, & quam perniciosus sit error, putare, per peccatum excidisse uim baptismi. At hæc Lutheri opinio plus distat a fide tum Pighardorum, tum Catholicorum, quàm Ganges a Gadibus, imo quam cœlum a terra, & aduersatur omnibus diuinæ scripturæ oraculis, de agenda pœnitentia, quorum infinitus est in utroque Testamento numerus.

Confitendũ esse sacerdoti.

Figmentũ Luthe. de iustificati.

ART. XVIII. De extrema Vnctione infirmorum.

PIGHARDI in sua confessione sic habent: Ægrotantium unctio duo in se tenet: Primum, causam facilioris accessus ad languentes, Hac re sacramentum non est: Alterum, est res ipsa, signata tali unctione, quæ tribuit a deo in Christo, pro qua re in recta fide ut languenti fideli id cõdonetur præcipue orandũ est, B. Iacobi præcepto. Infirmet quis (ait) in uobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ, ungentes eũ oleo in nomine dñi etc. Lutherus uero in sua Baby. sic ait: Ego aũt dico, si uspiam delyratum est, hoc loco præcipue delyratum est. Omitto enim quod hanc Epistolam, non esse apostoli Iacobi, nec apostolico spiritu dignam, multi ualde probabiliter asserant, licet cõsuetudine autoritatem, cuiuscunque sit, obtinuerit: tamen si etiam esset Apostoli Iacobi, dicerem, non licere, Apostolum sua autoritate sacramẽtum instituere &c. In alio autem loco uocat Lutherus eam Epistolam stramineam, quia opera adiungit fidei, Lutherus autem solam fidem absque operibus requirit. Cæterum extremæ unctionis sacramentum, non solum ex hac Iacobi epistola, sed etiam ex Marci Euangelio testimoniũ habet, ubi dicitur: Exeuntes Apostoli, predicabant, ut pœnitentiã agerent, et dæmonia multa ejiciebãt, &

Iaco. 5

Verba Lutheri.

In prolog. noui Test.

Mar. 6.

ungebant

ungebant oleo multos ægros & sanabantur. Recte igitur & de hoc sacramento & de S. Iacobi epistola Catholicis consentiunt Pighardi: impie autem aduersatur Lutherus utrisque, qui tantam apud suos barbariem introduxit, ut non uereantur hoc sacro oleo contemptissime suos aliquando ungere calceos.

ART. XIX. De sanctorum Communione.

PIGHARDI sic aiunt: Sanctorum communio est, quãdo membra Ecclesiæ sanctę, bona gratuita, salutifera, administratoriaque, omnibus gratia dei siue pœnitentia largita, mutuo in communi utuntur, atque secundum donationis gratiam, seipsos exhibent ad cõmunem aliorum utilitatem. Lutherus autem ait hunc articulum nõ pertinere ad Symbolum, nec olim in Symbolo positum fuisse, sed esse adiectitiam Glosam illius articuli, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Quàm fœde autẽ erret de Ecclesia Catholica, quam suæ tantum parti arrogat, dictum est supra.

Lut. in Catechis. suo.

Art. 4.

ART. XX. De libero arbitrio.

PIGHARDI fatentur liberum arbitrium hominis, Sic enim aiunt ad regem suum: Neque etiam dignitatem uestram Pontificium ius latere existimemus: ad fidem uidelicet cogendum esse neminem. Quanto magis ad bona opera? Vtrumque uoluntarium deus ab homine exigit. Quodque etiam apud homines uulgo obseruatur, nullum seruũ habendum esse nisi uoluntarium: Multo magis deus libertatis non coactũ aliqua necessitate, sed electione liberi arbitrij uerioribus acquiescentem exposcit. Lutherus autem etsi aliquandiu nobiscum confessus est lib. arbitrium, paulatim tñ illud cauillari, eique indies magis detrahere cœpit, donec tandem penitus negaret. Dicebat aliquando, illud nihil posse in bonum, sed duntaxat in malũ, Deinde audacior factus, dixit lib. arbitrium post peccatũ rem esse de solo titulo, & peccare mortaliter dũ facit quod in se est. Cumque propositio ista damnata esset a Leone PP. X. ipse in assertione sua sic ait: Habes miserande PP. quid hic oggannias? Vnde & hunc articulũ necesse est reuocare, Male enim dixi, quod lib. arbit. ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, lib. arb. est figmentum in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua, quippiam cogitare mali aut boni, sed omia (ut Vuiclephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eueniunt. At error iste pestilentissimus, totam euertit scripturam, & omne iudicium dei tollit. Quomodo enim reddat deus unicuique iuxta opera eius (ut scriptum est Psalmo lxi. Matth. xvi. Rom. ij. Apoc. ij.) si omnia ex necessitate eueniãt, & deus ipse tam mala quam bona in omnibus nobis operetur atque efficiat, uti Lutherus cum suis impie docet et affirmat? Tota profecto reclamat scriptura, Hic breuitatis gratia sufficiat ex uno Hieremia indicare contrariũ in plerisque cap. nẽpe xxi. xxxviij. xl. &c. ubi manifeste facit deus liberum & offert electionem populo Iudæorum, a Chaldæis in Hierusalem obsesso, ut uel exeat, uel remaneat, Reliqua adducere scripturæ loca, nimis longum foret.

Luthe. uaria senten. de lib. arb.

Assert. arti. 36

Reprobatio erroris.

ART. XXI. De Obedientia erga superiores.

PIGHARDI in sua confessione sic aiunt: Simul etiam in dignitatum potestatibus constitutis subiecti, imperata seruamus, omneq; opus iustum parata mente exequimur, neminem etiam blasphemantes, pacem & concordiam cum omnibus habere contendimus. Quàm rebellis autem sit Lutherus, non solum Papæ Episcopisq; & alijs Ecclesię prælatis (id quod nemo ignorat) uerum etiam Ro. Imperatori alijsq; Regibus & Principibus, abunde ipsius scripta declarant. Sic enim in sua Babylone ait: Dico itaq;, neq; Papa, neq; Episcopus, neq; ullus hominum, habet ius unius syllabæ, constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu. Dicunt Pighardi: Neminem blasphemantes, pacem & concordiam cum omnibus habere contendimus. Lutherus autem, ne mortuus quidem uult cum Papistis habere pacem aut concordiam. Nec ulli parcit uel statui uel dignitati aut Maiestati. Cæsarem uocat contemptim miserum saccum uermium. Qualiter Regem Angliæ proscinderit innumeris conuitijs, quis ignorat? Principes nostros uocat Tyrannos & Germanicas bestias, Vniuersitates uero lupanaria, & patens guttur inferni. Et Ro. Imperium a Græcis ad Germanos translatũ pro maximo habet portento. Cui igitur detulit aut pepercit?

Luthe. nemini recte obedit.

Luth. contra statum Ecclesiast.

Luth. contra duo cæsa. mãdata.

Cõtra Ambros. Cata.

ART. XXII. De libro Apocalypsis.

PIGHARDI in secunda sua ad Regem Vladislaum Confessione librum Apocalypsis Ioannis Apostoli & Euangelistæ pro authẽtico libro habent. Lutherus autem in prologo suo ait, se multa desyderare in eo libro, propter quæ neq; Apostolicum neq; propheticum eum existimet: Tum quia uisionibus agit & Imaginibus, ideo uidetur sibi simile quarto libro Esræ, & non a spiritu sancto procedere: Tum quia ita obscurus sit, ut nemo sciat quid sit, ac tantundem sit, perinde ac si non haberemus. At nusquam ita loquuntur Pighardi, multo minus Catholici, qui potius S. Hieronymi de hoc libro iudicium approbant, Cuius hæc sane sunt uerba: Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot uerba. Parum dixi, & pro merito uoluminis laus omnis inferior est. In uerbis singulis multiplices latent sententiæ.

ART. XXIII. De potestate consecrandi.

PIGHARDI rursus in secunda sua confessione sic aiunt: Quando presbyter rite ordinatus uerba testimonij Christi expresserit, continuo panis est corpus Christi uerũ, naturale, ex castissima uirgine sumptum. Lutherus autem potestatem consecrandi communem facit omnibus Christianis & quibuslibet laicis, quam r[illegible] ordinatis presbyteris eripere suis uirulentis persuasionibus conatur, tum in plerisq; alijs scriptis suis, tum uero præcipue in eo libro ter execrabili, quem ad Senatum Pragensem ædidit. Christus autem in cœna nouissima, quando Eucharistiæ consecrationem instituit, non dixit uulgo aut passim omnibus Christianis, sed duodecim tantum discipulis, non matri suæ, non alijs mulieribus quæ eum sequutæ fuerunt a Galilæa, & de facultatibus suis ei ministrauerant,

Luc. 8.

uerant, necq alijs Christifidelibus, sed præsentibus tantum Apostolis: Ibid.22. Hoc facite in meam commemorationem. Ad significãdum, quod nemo hoc facere aut consecrare debeat, nisi qui ad hoc ab Apostolis & eorum successoribus fuerit legitime uocatus ac rite ordinatus.

ART. XXIIII. De uirginitate Mariæ perpetua.

PIGHARDI in eadem confessione sic dicunt: De pudicissima uirgine Maria credimus, & usq ad uitæ extremum stabiliter credituri sumus, quod plena gratia, ex inspiratione spiritus sancti electa est ad id, ut sit uerbi incarnati immaculata genitrix. Quæ quidem electissima uirgo, uti ante filij Dei incarnationem, ita eo tempore & post usq ad mortem, nunquam uirum cognouit, sed perpetua uirginitate integra, casta tam animo q̃ corpore permansit. Hoc reuera ordo nostræ salutis exigebat &c. Lutherus autẽ & complices eius, multos pios & consuetos honores, huic perpetuę uirgini hactenus exhibitos, in suis conuenticulis & speluncis abrogant, atq etiam prohibent, & perpetuæ eius uirginitati ita derogant, ut nisi eis duo obsisterent, palam dicturi essent ore, quod occulte in corde gerunt. Primum ex ijs est, quod timent adhuc multos ex populo, qui Heluidij hæresim & blasphemiam aduersus eam resuscitari non æquo ferrent animo. Alterum uero, quod nondum possunt inter sese conuenire, dum in angulis mussitant, quot nam filios & filias Mariam peperisse dicunt. In has tamen Mariæ iniurias Lutherus palam prorumpere iampridem ausus fuit, in sermone quodam de Natiuitate Mariæ. Nimis profunde (inquit) in honorem Mariæ itum est, quia sublimius reputatur quàm oportet. Idcirco uelim, quod festum eius dimitteretur. Item, in Salue, qualia sunt ibi uerba quæ ei tribuuntur? Salue regina mater misericordiæ, uita, dulcedo & spes nostra. Nonne hoc est nimium? Quis de hoc respõdebit? Ita est etiam cum Regina cœli. Hoc etiam non est melius, in quo nominatur regina cœli. Nonne hoc est Christo iniuriam facere? Item: Et tua oratio tam mihi chara est, quàm illius. Cur ita? Nam si credis, quod Christus æque in te, sicut in illa, habitet, potes æque bene iuuare me, sicut illa. Pro aduocata igitur nolumus eam habere &c. Sed contra uniuersas Lutheri & complicum eius blasphemias, quas in Dei genitricem expuunt, sufficit nobis illud Ecclesiæ: Sancta & immaculata uirginitas, quibus te laudibus referam, nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Aut illud: Gaude Maria uirgo, cunctas hæreses sola interemisti. Interemit iampridem Antidicomaritarum & Heluidianorum antiquas hæreses. Et non Esa.59. est abbreuiatum brachium ipsius, maxime uero filij eius, ideo bene poterit & hanc nouam Lutheranorum hæresim interimere.

Malignitas Lutheranorũ cõtra dei genitricem.

Verba Lutheri.

ART. XXV. De Presbyteris.

PIGHARDI fatẽtur presbyteros iudicare loco dei et uice Christi. Luthero autem nihil est abominabilius aut contemptius presbyterorum rite ordinatorũ iudicio, quos non Christi sed Antichristi atq adeo ipsius diaboli uices atq officia peragere cauillatur.

ART. XXVI. De S. Petro.

FATENTVR Pighardi S. Petrum & inter Apostolos principatum habuisse, & Romę xxv. annis præsedisse. Vtrumque pro maximo mendacio habet Lutherus sua cum factione.

ART. XXVII. De dissonantia doctrinæ.

PIGHARDI ea utuntur cautela, ut non scribant temere sibiipsis contraria, quemadmodum Lutherus perquam sępissime fecit, adeo sane, ut nihil ferme ex libris eius proponi queat, cuius contrarium in eiusdem scriptis aliis non reperiri queat. Vnde statim sequitur, doctrinam eius ex deo non esse, quia non est dissensionis deus, sed pacis, ut ait Apostolus. Non poterit igitur perdurare, iuxta illud ueritatis: Omne regnum diuisum in se, desolabitur. 1.Cor.14 Matth.12.

ART. XXVIII. De sanctis in coelo.

PIGHARDI credunt sanctos in coelo esse, de quibus ita dicunt: Nos beatos dei decenti cultu honoramus, diligimus, obsequimur, et ęmulamur. At nihil horum credunt aut faciunt Lutherani, qui e Letaniæ tabulis omnium sanctorum nomina eraserunt. In cōfess.2

ART. XXIX. De bello contra Turcas.

PIGHARDI uocant gentem Turcarum perfidam, & nusquam prohibent aut dissuadent Regibus aut Principibus Christianis contra eos pugnare aut bella suscipere, sicut persæpe fecit Lutherus, Cuius cauillationes referre omnes, ex diuersis eius libris, nimis longum foret. Hic sufficiat, ex uno eius libello, quem Assertionem inscripsit, pauca recitare uerba ipsius. Præliari (inquit) aduersus Turcas, est repugnare Deo, uisitanti iniquitates nostras per illos. Item: Qui habet aures audiendi, audiat, & a bello Turcico abstineat, donec Papę nomen sub coelo ualet. Hęc & id genus multa censuit superba grauitate Lutherus. In cōfess.1. In assertio. art. 34

ART. XXX. De seditionibus.

PIGHARDI, quanquam multas passi essent persecutiones, quibus incarcerati ac grauiter afflicti fuerant: in confessione tamen sua humillime supplicant Regi, ut suam ab eis, tanquam innocentibus, indignationem clementer auertat, quia pacem & cōcordiam cum omnibus habere contenderent &c. Lutherus aūt neque incarceratus neque afflictus ullis corporis cruciatibus, sed leui aliquando attactus uerbo, & de resipiscentia admonitus, quanto furore in utranque potestatem intumuit? quantos excitauit motus? Non hic opus est nobis, ipsum uerbis suis conuincere, quando facta nimis sunt (proh dolor) manifesta, tot per seditiones uarias occisis rusticis atque plebeis ciuibus, quum ipse mox, ad unam Magistri Syluestri Prieratis Epitomen paruulam, furioso sanguinariæ mentis impetu exclamaret ad arma, peteretque ut Cæsar & Principes Imperii omnibus armis Ro. Curiam impeterent, manusque suas in sanguine Papæ Cardinaliumque & omnium Romanensium lauarent, quando nulla adhuc a Papa in eum lata esset sententia. Recte igitur dicunt in confessione sua Pighardi: Hæreticus noua dogmata sua ad multorum homi- Impatientia Luthe. Luth. contra Epito. Syluestri. Verba Pighardorū In cōfess.1.

num sanguinis effusionem defendit (id quod maxime de Luthero uerum dicunt) At nobis longe alia mens est, qui nedum a cruore humano fundēdo studiose abstinemus, sed etiam diuino iussu uitam nostram, fluxas opes, orantes pro persecutoribus, patienter, ob uitæ æternæ adeptionem, abijcimus, simul etiam in dignitatum potestatibus cōstitutis subiecti, imperata seruamus.

Hæc ex Pighardorum scriptis duabus ad Regem Vladislaum Confessionibus, quas anno domini M. D. VIII. exhibuerunt, dicta sint. Quod si qua ex ijs aliter in factis obseruantur, quam uerba indicāt, non mihi recitanti, sed ipsis mentientibus potius imputetur. Certe non ideo hæc scripserim, ut ullum ex erroribus eorum aut defendere, aut iustificare (quod absit) uelim, sed utcunq; ex istis collationibus intelligant Germani, quanto grauior intolerabiliorq; sit doctrina hæresisq; Lutheri, quem nonnulli in communis patriæ infamiam perniciemq; scandalose ac male fouēt, quam sint hæreses Pighardorum, quas tanto insectati ac detestati fuerunt odio parentes & maiores eorum. Multo igitur amplius ac uehementius deberent ipsi insectari ac detestari ea quæ Lutherus multo illis peiora pessime disseminat, si nolint a maiorum suorum pietate degeneres & esse & haberi.

XXX. ARTICVLI IN QVIBVS MAGIS REPREHENSIBILIS est Lutherus, & longius ab Ecclesia recedit, quàm M. Vuesselus Groningensis.



Quamuis uero M. Vuesselus non traxerit post se ullam rebellionis aut schismatis sectam, Multa tamen extranea contra probatam Ecclesiæ doctrinam, & contra receptam consuetudinem docuit, ut non immerito censeantur scripta eius inter Apocrypha & de hæresi suspecta. Certe si nulla alia subesset causa, propter quam suspecta haberi debent, uel una ista sufficeret, quod tantopere laudauit ea Lutherus, damnatus hæreticus. Iuxta illud sapientis: Non est speciosa laus in ore peccatoris, Et illud Psalmistæ: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Non potest igitur in fide Catholica per omnia syncerus esse, quem sic laudat Lutherus, ut dicat unumquemque Theologum aliquid auri ex eo colligere posse, quem & uere Theodidacton appellat. Sed quantumuis eum laudet, parum tamen ea laudatione proficit. Nos enim facile ostendemus, eum non raro esse non solum Ecclesiæ Catholicæ, Pighardisque, sed etiam Vuesselo suo contrarium, ut uideat Lector, Lutherum in locum & famam successisse antiqui Hismaēlis filij Agar ancillæ Sarai, De quo prophetauit angelus domini dicens: Hic erit ferus homo, Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & e regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Talis enim ho-

[Margin: Eccl. 15 / Psalm. 140 — beside "Lutherus, damnatus hæreticus…"]

[Margin: Luther alter Hismael est. / Genes. 16 — beside "ficit. Nos enim…"]

enim hodie est Lutherus, ut omnino nullus hominum dari aut indicari queat, cui nō contradixerit unq̃, nec ulli hæreticorum siue antiquorum siue neotericorum per omnia concordat, qui & a seipso discordat sæpissime, uti in Antilogiarum libro ego, & in septicipite Luthero Cochlæus apertissime demonstrauimus. De Vuesselo nunc idipsum breuiter demonstrabo, nempe quod eius sententijs persæpe contrarius sit Lutherus.

ART. I. De Cooperatione nostra.

MAGISTER VVESSELVS in libro de prouidentia dei, probat ex Apostolo, quod in bono simus cooperatores dei. Lutherus autem habet nos pro truncis, quasi nihil operemur aut cooperemur. Ait enim, Deum ipsum omnia in nobis agere tam mala q̃ bona. 1. Cor. 3. In assertio. art. 30.

ART. II. De lib. arbitrio hominis.

VVESSELVS affirmat lib. arbit. hominis, & probat per illud sapientis, Deus ab initio constituit hominē, & reliquit eum in manu consilij sui, Adiecit mandata & præcepta sua, Si uolueris mandata conseruare, cōseruabunt te, Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod uolueris, porrige manum tuam, Ante hominem uita & mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Lutherus autem contra hæc omnia ait, lib. arbitrium esse rem de solo titulo, imo titulum sine re, uti declaratum est supra. Eccli 15. De pighardis art. 20.

ART. III. De studijs hominum.

VVESSELVS uult, ut homo suum apponat studiū ad dei prouidentiam, Quamuis enim deus principaliter operetur in nobis bonū, iuxta illud Apostoli, ego plantaui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit, & illud Psalmistæ, nisi dominus ædificauerit domum &c. Nisi tamen & agricola colat agrum, & ædificator faciat quod in se est, neq; ager feret fructum, neq; domus ædificabitur. Lutherus autem negat in potestate hominis esse, quicquam facere aut boni aut mali. 1. Cor. 3. Psal. 126. In assertio. artic. 30.

ART. IIII. De Epistola S. Iacobi.

VVESSELVS affirmat S. Iacobum Apostolū uere autorem esse Epistolæ, quæ Iacobi dicitur, Ex qua quædam ad sublimes sententias de deo allegat uenerabiliter. At Lutherus de ea longe aliter iudicat, uti ostensum est supra. De pighardis art. 18.

ART. V. De Inuocatione Sanctorum.

VVESSELVS non modo dei genitricem Mariam, uerumetiam latronem, qui a dextris pependit in cruce cum Christo, uenerabiliter inuocat, in hæc sane uerba. Oratio ad beatum latronem. Te ergo o fœlix latro, per bonam manum dei super te, per misericordiam, quam inuenisti in illa tua sera pœnitentia, esto mihi comes in illa extrema hora. Lutherus autē ne S. Petrum quidem inuocat aut pro se orare petit, Quin etiam dei genitricem Mariam non uult amplius pro aduocata habere, Quamuis ipse cum suis antea maxime collaudauerint Carmen Pean, quod in eius præconium ædidit Erasmus Roterodamus. Fœlix Latro in cruce.

ART. VI. De Sacrificio Christi.

VVESSELVS interrogans, Cur deus homo factus est, inter alia sic respondet: ut haberent omnes in templo sacrificantes hostiam suam. Ad Hebræ. ix. Si enim sanguis hircorum aut uitulorum, quanto magis sanguis Christi emundabit &c. Lutherus autem hoc iuge sacrificium e templis nostris eliminare conatur.

ART. VII. De Sacramento & Sacrificio.

VVESSELVS affirmat cum Catholicis, quod Eucharistia sacramentum est, quando sumitur, Eadem sacrificium est, quãdo offertur in commemorationem mortis Christi, quæ maxima fuit oblatio. Lutherus autem tale sacrificium nostrum maxime detestatur & execrat.

ART. VIII. De Administratione Eucharistiæ.

VVESSELVS uult, ut Eucharistia sumatur e manu sacerdotis. Lutherus permittit unicuiq; eam attrectare, Addit tamen in quodam sermone, si quis adeo petulans sit, ut eam omnino attrectare uelit, is faciat eam sibi domum deferri, & contrectet eam ibi usq; ad satietatẽ, sed non coram multitudine.

In 500. artic. à Cochlæo excerptis, artic. 401.

ART. IX. De S. Petro.

VVESSELVS ait: Nullus Papa sapientior Petro, nullus maior autoritate, nullus maior sanctitate unquam fuit. Lutherus autem etiam si hodie præsideret Romæ S. Petrus, negaturus esset Ro. Episcopum esse Papam. Alibi tamen affirmat, omne quod e baptismo repit, mox esse Papam, Episcopum & presbyterum.

In assertio. artic. 30. In li. ad nobil. Germ.

ART. X. De Ieiunio.

VVESSELVS nusquam docet, in quadragesima aut in sextis ferijs alijsue ieiuniorum diebus uesci carnibus, contra Ecclesiæ consuetudinem, sicut in Ecclesiæ contemptum facit Lutherus cum suis.

ART. XI. De Consilijs Euangelicis.

VVESSELVS non facit ex consilijs Christi præcepta necessaria, sicut facit Lutherus, Quemadmodum declaratum est supra.

De Ioanne Hus ar. 26

ART. XII. De Clauibus Petro datis.

FATETVR Vuessellus Petri claues, & curam pastoralem a Christo ei commissas. Lutherus eas cauillatur & Petrum in ordinem redigere conatur, ne fuerit alijs eminentior, uti dictum est supra.

De Io. hus art. 19.

ART. XIII. De duplici sacerdotio.

VVESSELVS duplex docet sacerdotium, unum sacri Ordinis, quod pro sacramẽto habet, Alterum rationalis naturæ, generale cunctis Christianis. Lutherus autem sic affirmat secundum, ut primum neget ac detestetur, Contra illud Apost. Translato sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. Nam & ad Iudæos dictũ fuit: Mea est enim omnis terra, & uos eritis mihi in regnũ sacerdotale & gens sancta, Sicut Pet. ait ad Christianos: Vos aũt genus electũ, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis. Iam in lege erat duplex sacerdotiũ, generale et speciale. Ergo in Euangelio multo fortius sic erit, Sicut enim Euangelium perfectius est

Heb. 7. Exod. 19. 1. Pet. 2.

ctius est lege, ita & eius sacerdotium perfectius est sacerdotio Aaron. Heb.7.

ART. XIIII. De Apostolorum consecratione.

VVESSELVS sic ait: Inuenimus Christum consecrasse Apostolos & discipulos in Episcopos & sacerdotes suos, Receperunt em̄ omnes unguentum spiritus sancti. At Lutherus Episcoporum consecrationem non admittit, sed execratur.

ART. XV. De Ceremonijs Ecclesiæ.

VVESSELVS sic subiungit: Nullo quidem alio oleo seu chrismate usus est Christus in Episcoporum et sacerdotum suorum consecratione, Sed propter reuerentiam & dignitatem sancta Ecclesia plurima ordinauit, quibus cultus sacramentorum redimitus est, quæ in primitiua Ecclesia fieri non solebant. Lutherus autem putat, quicquid extra scripturam superadditum est, non a sancta Ecclesia, sed a satana & eius Ecclesia superadditum esse, Et tamen non ignorat Christum dominum, qui solo uerbo poterat omnia facere, ceremonijs quibusdam usum esse, imponendo aut extendendo manus, faciendo lutum ex sputo, suspiciendo in coelum, item, uoce magna clamando, Lazare ueni foras &c. Luc.4. Matth.14. Ioan.11.

ART. XVI. De numero Sacramentorum.

VVESSELVS nusquam negat septem sacramenta, sicut Lutherus facit, qui nunc unum, nunc duo, nunc tria asserit: septem autem negat. In ca.Bab.

ART. XVII. De gratia sacramentorum.

VVESSELVS gratiam sacramentorum nusquam negat. At Lutherus ausus est dicere, hæreticam esse eam sententiam. In assertí. artic.1.

ART. XVIII. De Statu Perfectionis.

VVESSELVS ait, eos in statu perfectionis esse in terris qui in deo uiuunt. At Lutherus, qui omnia opera iusti, etiam optime facta, pro peccatis habet, negat omnem perfectionis statum in hac uita, cum tamen non ignoret, Christum dixisse: Estote perfecti, sicut pater uester coelestis perfectus est, Et Paulum Apostolum: Sitis autem perfecti, in eodem sensu &c. Matt.5. 1.Corin.1.

ART. XIX. De ritu Baptizandi.

VVESSELVS uult, ut extra casum necessitatis non omittatur consuetus Ecclesiæ ritus circa baptismum. Lutherus autem in ecclesiæ despectum multa circa baptismum abrogauit.

ART. XX. De casuum reseruatione.

VVESSELVS etsi negat iure diuino scripto sic reseruari casus, sicut usus habet: ait tamen eam reseruationē non esse contēnendam aut omittendam nisi in casu necessitatis. Lutherus autem omnia confundit & æquat, tantum potestatis ad absoluendum tribuens laico, quantum sacerdoti: tantum mulieri, quantum uiro, propter generale & spirituale sacerdotium Christianorum: sacerdotium ordinis contemnens, ut dictum est supra. Sup.art.13

ART. XXI. De communione sanctorum.

VVESSELVS ait sanctorum communionem esse articulum fidei, in Symbolo Apostolorum. Lutherus autem pro adiectitia tenet glosa, Quemadmodum & supra dictum est.

De pighar dis art. 19.

ART XXII. De uigilijs & festis.

VVESSELVS non uult contemni uigilias & festa. Lutherus autem qui uentri seruit & ieiunia detestatur, neque uigilias neque festa quae in scripturis non habentur, uult obseruare, cum tamen facile cognoscere queat ex scripturis, quam utile & ad multa proficuum fuerit ieiunium, Mosi & Heliae, Niniuitis & Israelitis, Apostolis item, quibus dicebat dominus, Hoc genus daemoniorũ non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Exo. 34. 3. Reg. 19. Matth. 17.

ART XXIII. De participatione bonorũ spiritualium.

VVESSELVS affirmat participationem bonorum spiritualium in religiosis, qualia sunt ieiunare, orare, celebrare &c. adeo, ut nec Prior neque Capitulum possit eum, qui ista desyderat, eis priuare aut ab ijs excludere. Qualis autem Lutheri sit de ijs sententia, liber eius de uotis Monasticis indicat.

ART. XXIIII. De participatione Sacramentorum.

VVESSELVS uult quod etiam sumptio Sacramenti in bonum alterius fieri queat, Id quod Lutherus maxime negat.

ART. XXV. De Oratione pro defunctis.

VVESSEL. affirmat defunctis prodesse orationes & exequias, quas Lutherus omnino abrogauit apud suos.

ART. XXVI. De Aureolis sanctorum.

VVESSELVS omnino fatetur & approbat Aureolas sanctorum Martyrum, Doctorum atque Virginum, quas negat & irridet Lutherus.

ART. XXVII. De contrarijs sententijs.

VVESSELVS negat contraria aut contradictoria simul uera esse. At Luthero nihil usitatius est quam affirmare utranque partem, siue sint contraria siue contradictoria inter sese, quae ipse affirmat, uti ostendimus in libro Antilogiarum eius.

ART. XXVIII. De libris Macchabaeorum.

2. Mach. 12 VVESSELVS probat orandum esse pro defunctis, per illud libri Macchabaeorum, Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis soluantur. Vtrumque negat Lutherus, & sententiam & librum, quem uelut Apocryphum reijcit.

ART. XXIX. De Intercessione sanctorum.

VVESSELVS non modo docet orare pro defunctis, sed etiam affirmat defunctos, atque etiam Angelos orare pro nobis. Lutherus autem non permittit nos inuocare sanctos aut angelos, ut orent pro nobis, Idcirco mutauit Letaniam.

ART. XXX. De non scriptis traditionibus.

VVESSELVS non solum scripturas Canonicas, sed etiam traditiones Apostolorum non scriptas, uult pro regulis fidei haberi. Et confessionem peccatorum affirmat partem esse sacramenti poenitentiæ, & a Christo institutam, dum in genere dixit ad Apostolos: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta sunt, Quam in specie postea expresserit S. Iacobus, dicens: Confitemini alterutrum peccata uestra. Lutherus autem his omnibus oppositum tenet, uti manifestum est & ex libris eius, & ex usu sectæ eius. Si ergo Theodidactus fuit Vuesselus, sicut affirmat Lutherus, cur toties ab eo dissentit? cur in reprobis tantum dogmatibus eum imitatur atque etiam superat? cur ex auro stercora potius quàm ex stercore aurum colligit? Sed ita facere solent ij, quos propter superbiam ipsorum Deus tradidit in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conueniunt.

Ioan. 20.
Iaco. 5.
Rom. 1.

CONCLVSIO.

EX HIS breuiter commemoratis uidebit prudens Lector, quam periculosum sit adhærere Luthero, qui usqueadeo uariat sua scripta, ut neque ulli ab origine mundi sectæ per omnia consentiat, & a semetipso quoque sæpissime dissentiat, ita interim superbus & mordax, ut nulli deferat uel dignitati uel potestati quantumuis sublimi. Non potest igitur doctrina eius ex Deo aut de coelo esse, quãuis ipse id uane iactitet. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis. Et sapientia quæ de sursum est (inquit S. Iacobus) primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Vbi autem zelus & cõtentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Hæc est uerissima regula doctrinæ fidei ab hæresi internoscendæ, a spiritu sancto per os Apostoli Iacobi dictata.

Vnde est doctrina Luthe.
1. Cor. 14.
Iaco. 3.

SERMONES DOCTORIS IOANNIS FABRI EPISCOPI VIENnensis, aduersus Anabaptistas.

CASPARIS VRSINI VELII EPIGRAMMA.

Qualia sollicito curauit tela Tonanti,
  Mulciber aduersus, horrida, terrigenas,
Cum fera coelicolis Titanes bella mouerent,
  Impiaq; in magnos arma tulere Deos:
Præcipites quando ille uiros in tartara adegit,
  Exoluitq; Deum territa corda metu.
Talia, magne FABER, moliris tela, nefandas
  Auersusq; acies, impiaq; arma uirum,
Qui magnum aggresi manibus rescindere coelum,
  Pacis amatores sollicitant superos,
Omniaq; horrendo miscent agitantq; tumultu:
  Hos contra ualida tu facis arma manu,
Arma quibus Deus ipse suum defendere coelum
  Possit, & est telis tutior ille tuis.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO STANISLAO, Episcopo Olomuzeñ. IOANNES Fabri, Doctor, salutem & gratiam precatur, ab eo qui est benedictus in secula, Amen.

IN MORAVIAM nuper sequutus Regem inuictiss. ac potentissimum Ferdinandum, Dominum meum clementissimum, ubi cum alijs erroribus pullulantium hæreseon, tum nephando Anabaptismi lauacro, complurimos inuenissem haud aliter quam letiferi gurgite ueneni submersos, perculsus rei tam insolentis ac nefariæ nouitate, ac deinde simplicis popelli misertus, super tam atroci facinore aliquot Conciones habui: quas deinde tantum nactus ocij, e Germanico sermone in Latinũ conuerti, propterea quod bona pars Morauorum linguæ nostræ scientiam non habet. Quibus ædendis cum patronum disquirerem, cui nuncupatim dicarentur, tu unus occurristi longe primus, & dignissimus cui non solum hoc operis, sed quicquid est perfectissimarum lucubrationum a doctissimis quibusq; elaboratarũ, iure optimo nuncupari debet. Qui præterquam q̃ sis singulari & excellenti

eruditione præditus, quoſcunqꝫ noſti, uel mediocriter literis imbutos mero amore complecteris, egentes opibus iuuas, ſplendidos alioqui muneribus honeſtas, & ueneraris, ita ut merito inter doctos liberaliſsimus, inter liberales doctiſsimus habeare: & ſi tui ſimiles Germania omnes, ut deniqꝫ multos Epiſcopos haberet, profecto aut nunquam ſcelerata Lutheranorum factio extitiſſet, aut exorta non tantopere inualuiſſet, inueteraſſetqꝫ. Nunc orbi terrarum negocium faceſſunt, & ſimul diuina ac humana peſſundant, omniaqꝫ extremum rapiunt in diſcrimen: & quamuis totis uiribus connixi ſimus aliquot, attamen pauci, qui tot monſtra enaſcentia quotidie excindere conamur, tamen portentoſa fœcunditate ita præſtant, ut ueluti Hydræ capite uno abſciſſo, alia decem ſubito renaſcantur. Ad quæ quidem conficienda Hercule opus fuerit Chriſtiano, qui perculſam rempublicam, tandem aliquādo (quod fore propediem auguror) reſtituat. Neqꝫ ſpes uana eſt apud Morauos poſſe religionem integrari, ſi me non fallunt animi multorum, ac præcipue principem locum obtinentium. Qui cum alia fœda ac ſcelerata facta deteſtantur, tum ab retingendi abuſione nephanda & impia, incredibilem in modum abhorrent. Itaqꝫ non dubium eſt, uel tuo exemplo, quo non niſi recte facere docentur, multos confirmari, ac plures ad ſanitatem reduci poſſe. Ipſe quoqꝫ, ſi hoc noſtro ſtudio ac concionandi labore, ut ſpero, nonnihil profecero, deo immortali merito gratias agam: Tibi uero, ſi intelligam hoſce ſermones gratos eſſe, & tuo iudicio probatos, gaudebo, qui tuo candidiſſimo nomini dicati, quod fœlix fauſtumqꝫ ſit, ac pijs Chriſtoqꝫ fidelibus ſalutare, audacter emiſſi nunc euagantur, eiuſdem nominis tui præſidio tuti, fauoreqꝫ immenſo grati omnibus haud dubie futuri. Datum Pragæ XXIIII. Aprilis. Anno a Chriſto nato M. D. XXVIII.

AD EXIMIVM ET DOCTRINAE PIETATIS ET VIRTVTIS LAVDIBVS CELEBERRIMUM PRINCIPEM, STANISLAVM TVRSONEM, Epiſcopum Olomuzenſem, digniſſimum Mecœnatem ſuum optime meritum

GEORGIVS LOGVS SILESIVS.

TVRSO pater caſtæ exemplum pietatis & almæ
Virtutis lumen, præcipuumqꝫ decus,
Cui ſyncera fides, bonitas, paxqꝫ aurea cordi,
Semper & in ſtudijs ocia trita bonis.
Religio inprimis, & priſcæ laudis honores,
Et Muſæ & Charites, doctaqꝫ corda uirum,
Aurea quem decuit, tam ſanctum, in ſæcula quondam
Incidere, aut uitam degere cœlicolum,

Nec ſub

Nec sub mortali talem te lege creari,
Quando colit terras ferrea progenies.
Illo te decuit nascentem in tempore Diuos
Inter & Heroas uiuere semideos,
Sponte sua tellus quando omnis cuncta ferebat,
E facili fundens cuncta inarata sinu.
Nam tunc perpetui florebant ueris honores,
Aurea pax, uirtus aurea, cana fides.
Ast illi umbroso in nemore, aut prope fluminis undam,
Qua uitreas blando murmure torquet aquas,
Iucundos auium cantus, strepitumq; Fauoni,
Dum teneros flores spargit in ora procax,
Audire, & soliti fragrantes inter odores,
Cespitis in molli sternere membra thoro,
Quos inter uates cecinit qui primus ab alto
Ventura in terras numina quicq; Deum
Carmina sancta quidem digitis cum uoce loquutus,
Fatidico sanctus promit ab ore senex.
Ah nimis ingrato sæclorum in tempore es ortus,
Non hæc te talem talia sęcla decent.
Nam quæ te indigno fortuna inimica dolori
Obijcit, aut quæ nam tristia fata nimis?
Talia ut inciderent atq; in tua tempora monstra
Pernicies hominum, pestis & atra Deum?
Quis studium innocuæ nullum est bonitatis & æqui,
Omnia qui in terris perdita uersa uolunt,
Omnia sacra prophana malo permixta furore
Quis nec cura hominum, cura nec ulla Dei,
Sacra nouant, diræ genus impietatis, & audent
Tinctum iterum in sacro tingere fonte caput.
Damnantes decreta patrum, ritusq; probandos,
Sacraq; maiorum prodita & ore Dei.
Quin ipsum (horresco referens) detrudere coelo
Nituntur casta cum genitrice Deum.
Numina iam terris sibi pulsa, & auerna sub alta
Condita & horrendi sub Phlegetontis aquas.
Audiat hæc olim, uentura hæc audiat ætas,
Et sceleri huic ullam possit habere fidem
Herculeo inuictoq; animo, fera monstra, sed arcens
Vsq; renascentis desecat anguis opus.
Cudit & ignipotens FABER ignea tela sagittas,
Dum sacri eloquij fulmine & igne tonat,
Titanasq; Ioui æthereo fera bella mouentes
Sternit ad ardentes usq; Acherontis aquas,

Vulcano melior FABER hic tela omnibus unus
Suggerit, hic idem cudit & ipse ferit,
Vtq; Ioui alta petens, uolucrum regina ministrat
Fulmen & artifici tela parata manu,
Taliter armipotens diuinę inclusa pharetræ
TVRSO tibi mittit fulmina certa FABER,
Quis usi pariter TVRSO fortissime, ubiq;
Inuicta adseritis sacra deosq; manu.
Macti ambo uirtute, ambo præstante labore,
Quos diuum atq; hominum tam pia cura tenet,
In terris homines uobis dent præmia digna,
In cœlo superi dent bona cuncta boni.

IN NOVARVM SVPERSTITIONVM authores, Ioannes Rosinus.

Quæ uestras mentes furiosa agitare libido
Informes animæ nunq̃ satiata quiescit?
An non sæuitum satis est, nostriq; cruoris
Exhaustum? nondum uestris erroribus orbis
Condignas soluit pœnas? tot millia late
Agrestum concisa iacent, orbataq; matres
Pignora complexæ lugent, fœdata ruinis
Tot loca uasta situ squallent, delubraq; diuum
Funesta temerata manu: quin Pelion Ossæ
Ingeritis magnoq; mouetis bella Tonanti?
Hoc super, hoc reliqui nobis audacia fecit.
O scelus, o facinus, nostro sceleratius æuo
Quid fieri poterit? prætextu relligionis
Fallimus, & uultum uitijs prætendimus, atrox
Humani generis prædo ludibria fecit
Nos sua: præcipites fraternum rumpere fœdus
Diuersi ruimus, facies non una malorum,
Non unum genus errorum, pars plurima summo
Pontifici bellum denunciat, omnibus unum
Esse sacerdotij ius autumat, una salutis
Cui spes est, nullis diuum se credere uotis.
Libera (proh nimium) uulgi dum frena remittunt,
Atq; arctos alij ueteris dum relligionis
Exoluunt nodos, infernaq; regna, metusq;
Vltricis flammæ contemnunt, sacraq; damnant
Maiorum seruata pie ac tot culta per annos.
Eheu, quam miseris stragem, quæ damna dederunt?
Quanta malis scelerum patefacta licentia mundo
Extremum exitium minitatur? in ultima præceps
Voluitur hoc æui, uideor audire tremendi

Iudicis

Iudicis ex alto signum, non ulla timenda
Vis maior scelerum, fraterni foedera amoris
Nunquam laesa magis, fratres en impia contra
Arma ferunt fratres, natis nunc esse parentes
Ludibrio, iussus famulos contemnere heriles
Cernimus, in peius totus consumitur orbis.
Errorum tantum peperit tantumque malorum
Dira superstitio, ueterum decreta refigens.
Magne FABER, summi quando te certa Tonantis
Has contra tenebras atque impia monstra uoluntas
Vindice constituit uerbo, tu lumina mundo
Redde agedum misero, tetras caligine mentes
Exue, securoque uagas errore bidentes
Exceptas humeris refer ad praesepia ueri
Pastoris, nullis cedendo laboribus ardens
Terrigenas de more truces demitte sub umbras
Illunes umbras Herebi, noctemque profundam.
Pro meritis posito mortalis munere uitae
Ambrosia dulci & diuini nectaris haustu
Eximere immortale aeuum, foelicibus horis
Concedet superum pater & regnator Olympi.

ADVERSUS ANABAPTISTAS
SERMO PRIMUS.



CHARISSIMI, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrū sint ex deo, i. Ioan. iiij. Dilectus Christo discipulus, Diuus Ioannes, cui matrem suam Mariam affixus cruci dominus commendauit, Apostolus, Propheta, & Euangelista, qui ultima in coena accumbens in domini sinu acquicuit, de pseudoprophetarū spiritu omnes Christifideles fidelissime praemonuit, & quemadmodum Christus, Petrus, Paulus, aliique sancti, praeuidit, ac praedixit, extremis temporibus cooriturος aliquos, eosque non paucos, qui gloriarentur se ueros dei spiritus habere, se a deo missos fingerent: a deo autem missi non erant: de ueritate gloriarentur, erant autem mendacia, & Sychimitarum spiritus errorum, De quibus etiam Paulus i. ad Timo. iij. & iiij. in nouissimis temporibus fore, ut quidam discederent, & fidem desererent, attendentes spiritibus errorum. Haec tempora uereor nunc impendere, cum uideam, nostra memoria, quosdam tumultuarios, furibundos, qui in angulis extitere tenebrarum spiritus Germaniam admisisse. Videmus em̄ (proh dolor) paucis annis, plurimis in locis, uaria schismata, multa inaudita, noua decreta, in ueteri nostra indubitata fide extitisse, eorumque contagia sensim (opinione hominum latius) serpsisse, quorum authores singuli iactarunt, ueram reuelationem, uerum dei spiritum sese habere, perinde ut

Marginal notes: Ioan. 19 / Ioan. ult. / Mat. 7. 24 / 2. Petr. 2 / 1. Tim. 4 / 2. Timo. 3 / 2. Petr. 3 / 1. Ioan. 4 / Eccl. 50

inde ut Prophetæ, ac ſpiritum domini ſuper eos, ut olim apoſtolos, ip-
ſum, et omnino ueros propheticos ſpiritus, qualem Daniel, aut Helias Dan. 5.
ſe poſſidere glorioſe clamitant. Itaq; accipio, in hoc laudabili Morauiæ 4. Reg. 2
Marchionatu, apud uos plures breui tumultuum, bellorum, diſſenſio-
numq; authores ſpiritus conſediſſe, qui alijs e regionibus, ob nepharia
eorum fœdera, ſcelera, factiones, ac tumultus eiecti, ueſtra bonitate ab-
uſi, huc irrepſere, faciūtq; perinde, ut in Euangelio ſcriptum de immūdo Luc. 11.
eiecto dæmonio, quod omnes peragrans ſolitudines, ſibi locum ubi ha-
bitet quærit, ac cacodæmones hæ hominum peſtes imitatæ, cum quos
impetant non habent, porcos, ut Geraſenorum ſpiritus inuadunt: hypo Matt. 8.
critico ſpiritu perſonati, ſeſe inſinuant in ſynagogas: comedunt uiduarū, Mar. 5.
ac miſerorum domos & facultates, quomō callidus ille ſerpens, in Para Luc. 8.
diſum irrepſit: qui, quanq; miſsi ſint, ſatanæ, & tenebrarum angeli, mira- Gene. 3.
biliter tamen ſe honeſta larua, ſpecieq; circuminuoluentes, in angelos lu 2. Cor. 11.
cis transfigurant, exhibentq; ſe ſimplici popello oues ſimplices, innocen
tes, humiles, intus uero alunt lupos rapaces. Perſuadēt imperitis agreſti- Matt. 7.
bus & rudibus idiotis puerorum baptiſmum uanum eſſe: ideoq; eum, Actu. 20.
qui puer baptizatus, nō eſſe in fœdere Chriſti, ſed neceſſe eſſe, etiāſi cen
tū annos natus ſit, iterū baptizari, alioqui ſaluari nō poſſe. Ita in angulis
imperitam multitudinem ſeducunt, & ut bouem ad cædem, mactatio-
nemq; protrudunt, ac Cameli inſtar, inſerto per nares circulo circumdu Similitudi
cunt. Ad terrorem prǫponūt res horrendas auditu de extremo iudicio, nes nō in-
deq; alijs id genus, quo authoritatem illorū hypocriſis augeat. Quo cir- eptę.
ca cum Moſi lex præcipiat, Deuteronomij xxij. ut fratris mei iumen-
tum, ſiue bos fuerit, ſiue aſinus, aut ouis, ſi quo aberrans ab itinere repe-
rero, congregem, ac integrum fratri tuear, ſi in puteum delapſum, inde
ut extraham, Et Chriſtus meus ouem errantem per ſolitudinem perſe- Luc. 19.
cutus, exceptam ad gregem nonaginta nouem deduxit, humeriſq; por-
tauit, Equidem fratres dilectiſſimi, charitate adductus, in ueſtri ædifica-
tionem, nullo meo proprio commodo, mihi propoſui, Euangelica ueri
tate, cuius me exemplo Pauli non pudet, aliquot ſermonib. malignum, Rom. 1.
erroneum, uiperinum catabaptiſtarum ſpiritum, ex eorum ſcholarū an-
gulis, ſeceſſibus, ſpeluncis, fidenter extrahere, ac cōiurare, illicq; doloſum
caput contundere: Nō quod meas uires tanto muneri pares exiſtimem,
ſed ut (confiteor cum diuo Paulo ad Rom.) debitor ſim, tam ſapientib. Ibidem.
q̄ inſipientibus, Græcis, Barbaris, & Latinis: neq; poſſum neq; uolo mi Matth. 25.
hi tributum a dn̄o talentum in ſudariolum inuolutū reponere, & Euan Luc. 19.
gelij lumen ſub modio abſcondere, ſed luceat oportet in propatulo, ubi Matt. 5.
omnium oculis ſubijciar. Enimuero dilecti, neceſſe hic eſt catabaptiſtas, Mar. 4.
ut ut in errorem temere impliciti ſint, ita in eo ipſo non pertinaciter hæ- Luc. 11.
rere, aſpideſq; imitari, quæ ubi a ſapientibus coniurantur & incantan- Pſalm. 57.
tur, aures, ut Dauid indicat, terra abdunt: nec furere, ſæuire, clamare, ut Matt. 8.
de ſpiritibus immundis omnibus locis in Euangelio ſcriptum legimus, Mar. 5.
qui cum Chriſti uim experirentur, illius iuſsibus adacti, magnis clamo- Luc. 8.

ribus e corporibus proruētes, obſeſſos humi adflixerunt, uarieq; tumul
Luc. 10. tuati ſæuierunt: Quin potius humili, ac cōtrito animo ſedeant cum Ma
gdalena ad domini pedes, audiantq; uerbū dei, ac Hieroſolymis unani
Act. 1. miter exemplo Apoſtolorū miſſionem ſpiritus ſancti expectare dignen
tur, pulſantē dñm, & ad oſtiū foris expectantē uocantemq; intromittāt.
Apoc. 3. Et quoniā omnia in pōdere, mēſura, ordine cōſtituta ſint, cōuenitq; oīa
Rom. 13. ordine & honeſte fieri, ut Paulus docet, Quocirca in ſingulis meis ſer-
1. Corin. 14 monibus, tria ſequi in animū induxi. Primo inducā, uniuerſalem Eccleſi-
In præſentiarum tria puncta cōcio quæq; includet. am, i. omnium Chriſtifidelium conſenſum non erraſſe, ſed recte & ordi-
ne feciſſe, quod plus mille annis, ab Apoſtolorum tempore, ad noſtram
uſq; memoriam, puerorum baptiſmum ſanctiſſime obſeruarit. Secūdo,
erratilem catabaptiſtarum ſpiritum, ex angulorum tenebris in lucē pro-
ducam, ut uideant & intelligant omnes homines, ipſos ſcripturam non
intelligere, uerbum domini ad ſuum dogma indigne tractare, detorque
re, atq; adeo ipſam ſcripturam adulterare, laniare, falſificare, cum ne ipſi
quidem quid de qua re dicant ſatis ſciant. Tertio, impium aliquem erro
rem coniunctum cohærentemq; eorum nephario dogmati, oſtendam.
Occultum enim catabaptiſtæ fœdus coierunt coniuratione clandeſtina
Mat. 16. Catilinaria conciliati, in tenebrarū angulis ſuū dogma deprędicāt: Hinc
Luc. 6 licebit cognoſcere, q; nox prędicet nocti, & cæcus cæcū ducat. Reuelata
Matth. 10. eſt eorum impietas, nihil enim occultum, quod non ſciatur, & nihil ab-
Mar. 4 ſconditum, quod non aliquando pateſiat: iuxta hunc rebaptiſandi erro-
Luc. 8 rem, nepharias, inauditas, horrendas, alias hæreſes alunt, & ſeditioſa, dia
bolica decreta fouēt. Cuiuſmodi ſunt: breui extremum iudicij diem ad-
Ionæ 3. fulſurum ad Penthecoſtes feſtū ſcilicet diem, aut certe ab eo anno proxi
mo: haud aliter, atq; ſi Ionæ ſint, ſciantq; quot diebus Niniuę ſtatura du
raturaue ſit. Chriſtum etiam dei filium eſſę negant, magnis clamoribus,
plenis buccis negant Magiſtratus eſſe in Chriſtianis. Sunt qui tenent,
Chriſtum breui uenturum, eorumq; opera, ad ea qui ueteris ſunt fidei
Hoc idem Origeniana hæreſis credit. omnes cędendos uſurum, ac tandem etiam malos dæmonas ad ſalutem
uocaturum, uindicaturumq;. Multis locis tenēt, omnes demortuos dor
mire, dormiturosq; cum anima & corpore ad extremum uſq; diem. Ple
Manichæi riq; uetus teſtamentum contemnunt, perinde ut Manichæi. Non pauci
etiam a nouo teſtamēto deſciuere. Quin etiam omnia communia facere
Nicolaitę, de quibus Apoc. 2. conantur, etiam uxores, Nicolaitarum more: Quando enim pater ſiue
ſpiritus iubet, ſic enim aiunt, quamcunq; acceſſerint ſororem, eam cuili-
bet ilico communem, obtemperantem, ſubditam eſſe neceſſe eſt. Proin-
de uereor ne eiuſmodi ſit conſpiratio nequiſſimorum hominum, qualis
illa, qua unanimiter Sodomę domus Loth expugnare parabāt, hoc ſit
in noua hac ciuitate Platonis, ſcis & forte ſubodoras credo quid dicam,
quid uelim, & quos acu tetigerim. Nunc (agedum) uideamus, quomo-
do iſti ſpiritus ſpirent, quidue moliantur, an non pro Chriſto Belial no
Belialiter uiuere. bis inducant. Belialiter ſane uiuunt, homines nullis magiſtratibus ob-
temperantes, ad omne iugum inſolentes, in omnē licentiam, uerius q̄ li-
bertatem, & carnis & ſenſus inclinati.

PRIMVM PVNCTVM.

VNIVERSA Ecclesia Catholica, a tempore Apostolorū ad nostram usq; tempestatem, in toto mundo, Asia, Aphrica, Europa, Christianorum liberos, ubi primum in lucem æditi, continuo baptismi fœdere deo dicat, neq; quisquam unquam tam impie audax fuit, qui contra aliquid mutire auderet, excepto execrabili hæretico Pelagio, qui ante mille ducentos annos, eadem de re dubitare cœpit: sed Hieronymi, aliorumq; eius memoriæ eruditorum autoritate, ac scriptis oppressus, deuictus ac damnatus est. Deinde nō modo ueris Christianis, sed etiam schismaticis baptisandorum liberorum consuetudo constantissime est obseruata, quod nostris etiam temporibus fieri uidemus. Quum itaq; baptismus insigne sit fidei, & eius qui in Christum unicum dei filium credit (ut Paulus ad Galat. iij. docet, eos qui baptisati, Christum induisse scilicet) & Apostolorum institutis Christifidelibus impositus ac impartitus sit, necessario cōsequitur, si iste baptismus uerus non fuerit, non Christianum quenquam, neq; Christianitatem plus mille annis fuisse, uerum gentilium, Turcarumue concilium. Quum porro tot milia hominum uiuant in omnibus quatuor mundi plagarū Christianis regnis, qui homines cum infantes essent, sunt baptizati, iterum sequitur, si Christianorum infantum baptismus uerus non est, omnes eiusmodi gentilium loco, ab anabaptistis numerari, Quæ res & dictu & auditu horrenda est, difficilis ac tyrannica. Et quoniam, ut Christus Nicodemo ait, nemo nisi renatus ex aqua & spiritu ingredi potest in regnum dei, iterum sequitur, maiores nostros, homines per uniuersam Christianitatem damnatos, & a regno dei exclusos esse, neminem in cœlos receptum, pro omnibus frustra Christum passum, quasi in uentum sanguinem suum profudisse, quandoquidem hij homines in ipso fidei aditu, id est, baptismo errarunt, neq; recta ianua ouile Ecclesiæ sunt ingressi. Iam dicunt balneatores isti ac balneatrices (sic enī Catabaptistas appellemus necesse est) posse infantes unda ablui, atqui spiritū sanctum hic non adesse, quo sine sacramentum nullum est. In confesso enim est, spiritum nisi credenti non adesse, aduenireq; tantum ijs, qui fidem habēt. In infantibus autem pueris fides non est, non igitur habent spiritum sanctum. Respondeo: quod negas Catabaptista infātes fidem habere, id uero Catholicus ego non admitto, quid ita, paulo post adferam, minus autem fero, pro Christianorum parte faciens, eorum liberos spiritu sancto spoliari. Huc oculos adijciant pij, uideant blasphemiam in spiritum sanctum, quæ neque hic, neq; illic futuro in sæculo remittetur, uideant tandē quomodo hoc hominum genus contra Pauli ad Ephesios iiij. doctrinam, contristat et perturbat spiritum sanctum, facitq; ut Eucharistiæ sacramēti euersores, qui Christum imaginatione sua in cœlo sedentem dextræ dei patris ueluti clauis adfigūt immobilem, ut qui aliò uenire nequeat, Sic istæ Furiæ spiritui sancto metam figunt, ætatem certam, in qua primum adueniat in hominis animam, annos iam uiginti, triginta, centumue nati, Interea no

Mūdi tres partes.

Pela. Brito & Monachus, post Arriū successit.

Ioan. 3.

Anabaptistæ balneatores sunt.

Matt. 12.

Psalm. 109

bilem animam,pro qua Christus pati est dignatus, in satanæ potestate relinquunt. Audi quid dicat ueritas: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis,sed nescis unde ueniat,aut quo uadat:Non est in hominis potestate,prohibere spiritum,Eccle. viij. neq; dat deus secundum mensuram spiritum,Ioan.iij.Et quemadmodum non est acceptator personarum,ita neq; rationem ducit annorum aut ætatis.Quapropter isti puerorum trucidatores perinde faciunt, ut Pharao cum Israeliticis pueris facere decreuerat in ueteri testamēto, Exo.i.& Herodes in Rama Bethlehem, in nouo Testamento perpetrauit. Similes sunt impiæ matri coram Rege Salomone, quæ puerum gladio secari expetebat, Negant infantibus spiritum sanctum,commune inuident aquæ elementum, quod per uerbum sanctificatur. Ostende,inquiunt illi,ubi legatur, infantes spiritum habere. Respondeo:Inducere possem, de flore Iesse, de recens nato infante,quæ scripta sunt apud Esaiam, q̄ habeat spiritum sapientiæ & intellectus,spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis. Et quomodo Lucas de puero Christo, quod creuerit in sapientia &c. Sed quoniam hic infans Emanuel,quod omnes in eo thesauri scientiæ & sapientiæ sepulti latuerint, Ideoq; non communi sorte casuue fuerit quo aliarum matrum, nempe uulgarium liberi. Depromamus de Sampsone: namq; scriptum reperio Iudi. xiij. quomodo infans creuerit,& spiritus domini fuerat cum illo. Samuel natum docet scriptura gratum fuisse apud deum,i.Reg.ij.De Hieremia porro legimus, quod ei dominus dicit: Antequam de utero matris tuæ prodires, sanctificaui te. De Ioanne item baptista, quem constat spiritum domini adhuc cubantem in matris utero habuisse, ut manifeste nobis indicat scriptura, Luc.i.Cognouit enim dominum, eiq; honorem in utero matris exhibuit,Eapropter Luc.i.puer crescebat,& confortabatur spiritu.Hinc liquido patet,spiritum sanctum operari, & esse etiam in pueris. Catabaptistæ uero contra necesse habent probare, fieri non posse, ut spiritus sanctus uel sit uel operetur in pueris infantibus. Sed quid pluribus?Spiritus sanctus frequentius in baptismo reperitur antecessisse, & tunc demum aquę ablutionem,& signum cōsecutum. Quod uerum esse docet uocatio Pauli ad Damascum,Acto.ix. & xxij. ubi dominus ipse Paulo uisibilem se obtulit. Et Petrus eodem in libro testatur, cum ad Cornelium Centurionem Cæsareæ uenisset, & dicit: Quomodo quis potest prohibere aquam,ut non baptisentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?Et iussit eos baptisari in nomine Iesu Christi.Ideoq; toties in sacris literis reperitur baptismus absq; adiectione aquæ per spiritum sanctum. Ita Acto.i.ait dominus: Ioannes baptisauit aqua,uos autem baptisabimini spiritu sancto, non ita multos post hos dies. Actu. xi.iterum eorundem uerborum mentio fit. Et Luc. iij.Ioannes baptista ait: Ego baptisaui uos aqua, sed ueniet fortior post me, cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius, is uos baptisabit spiritu sancto,& igni.Hic dilectiss.Ioannis uerba, non ut in India Chaldæi sub

Ioan.3. Rom. 2. Ephe.6. Col.3. Actu.10 Iaco. 2 Hiere.3.31 Matth.2. 3.Reg.3 1.Timo.4. Esa.11. Luc.2. Mat.1. Col.2. Hiere.1. Actu.10. Matth.3. Mar.1. Ioan.1.

Presbytero

Presbytero Ioanne, & interpretari & intelligere debetis, qui ultra aquæ baptiſmum ferro candenti pueris crucem inurunt, & aliquibus in locis utriusq; temporibus, Nam is ritus ſchiſmaticorum eſt. Et iterum de baptiſmo ſpiritus S. Ioannes ita proloquitur: Super quē uidebis ſpiritum deſcēdentem, ut maneat ſuper eum, is eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Proinde ſpiritus ſanctus cum dominus baptizaretur ad Iordanē, in ſpecie columbæ uiſibiliter apparuit. Quando igitur pueri etiam infantes, creatura dei, ratione prædìti, & ſpiritus ſancti capaces ſunt, erunt etiam ad accipiendum baptiſmum Chriſti, qui in ſpiritu ſancto magis q̃ elementali aqua eſt fundatus, idonei: neq; cauſa ulla eſt, quur fœderis ſignum, id eſt, aqua illis negetur. Quod ita eſſe, quo perſpicuum uobis faciamus, geminam prophetiam proferamus. Eſaias cap. xliiij. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta profluentes aquas. Loquitur dominus ad populum Iſraël, Ioel. ij. Effundam ſpiritū meum ſuper omnem carnem. Quod prophetæ dictum, Petrus cum tria milia baptiſauit, introduxit, Acto. ij. Si igitur ſpiritus domini effunditur ſuper omnem carnem, & qui dicit, omnes, nihil excludit, quod non modo dialectici, ſed Paulus etiam ad Hebr. ij. docet, non excluduntur ergo pueri, neq; infantes. Et ſi idē ſpiritus ſemini Abrahæ, Iſaac et Iacob promiſſus, & pueri ſpiritualiter eius ſunt ſeminis, cōprehenduntur igitur in hoc ſigno etiā pueri. Sed de hoc ſigno & ſemine, proximo in ſermone ita dicemus, ut oēs intelligant, etiā infantes & habere & poſſe habere purificationē ſpiritus ſancti. Et cū fidem unicū dei donū eſſe conſtet, quis infantes ex hoc bono deijciet? qs diuinæ gratię fontes illis reſtinguet? An non dei ſpiritus, qui Cornelium Cæſareæ, qui Eunuchum in curru eſt complexus, tacita fide teneros Chriſtianorum infantes pueros donare potis eſt? ut ſæpe etiam donaſſe legimus. Sed de his alias, Nunc ſatis ſit quo ad ſecūdum punctum, Venio ad tertium. Quod Catabaptiſtę ſuis aſſeclis perſuadent breui, ut ad proximum Penthecoſten, aut ab hinc uno anno, extrema iudicij horrendi tempora adfulſura, qui error duos ante annos in Apocel, Catabaptiſtarum magnum numerum, in æditū montem conſcendere compulit, ridiculeq; natali die cœlos expectabundos, Apoſtolorum inſtar, aſcendentem dominum oculis perſequentium intueri, ut mirum non ſit, Catabaptiſtas in his terris homines & ſimplicitate et inſcitia rudes ac credulos perſuaſiſſe, ut domos, agros, poſſeſſiões relinquerēt, & eorum ſaluatoribus, Epiſcopis ac theſaurarijs ultro offerrent, & in inauditos inexplicabileſq; errores inciderent. Contra hos igitur inſanos Euangeliſtas, qui non ea quæ Chriſti ſunt, quærunt, ſed priuatis omnia commodis metiuntur, aperta ſcriptura eſt. Nam cum diſcipuli a reſurrectione percontati ſunt, quando Chriſtus regnum Iſraël reſtituturus eſſet, Reſpondit: Veſtrum non eſt ſcire tempora & momenta, quæ pater ſeruauit in ſua poteſtate. Idem antequam pateretur mul-

Mos Chaldæorū in India qualis ſit circa infantes baptizandos

Ioan. 1.
Matth. 3.
Mar. 1.
Luc. 3.
Ioan. 1.

Vbi data eſt Iacob bñdictio

1. Cor. 15

Actu. 10. 8

Apocel loci nomē ē.

Matt. 28
Luc. ult.
Actu. 1.

ta ſigna ac prodigia, quę extremum diem anteceſſura eſſent, indicauit in
Matt.24. cœlo, in terra, etiam in templo, ac concluſit, de extrema die atq; hora ne
Marc.13. minem ſcire, neq; angelos, ac ne ipſum quidem filium hominis. Idcircò
dicit dominus, uenturum filium hominis, ſe ne ſcire autem quãdo, Ideo-
Luc.21 que nos omnes uigilare debemus, neſcimus enim quando ſponſus uen-
Matth.25. turus ſit, & lampades noſtras ardentes tenere, ne nobis id uſu eueniat,
quod fatuis quinq; uirginibus. Et omnino paucis ſuæ uitæ extremum
diem, ut Ezechię, deus reuelauit: omnium autem extremum diem et ho
4.Reg.20 ram iudicij futuri, nemini, niſi in inuolucro prophetiarũ occultarũ. Vn-
2.Para.32. de in Daniele uaria legimus de illa die, & p̄cipue, q̄d in tp̄e, temporibus,
Dan.9. & dimidio tp̄e ante extremũ diē. i. tribus annis ante & dimidio, iuge in-
taminatum ſacrificium auferri debet, q̄d eſt ſacramentum ueri corporis
& ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti, in Miſſa: quod (proh dolor) ab
Hęreſeos impijs Zuinglianis, Oecolãpadianis, Caroloſtadianis, alijſq; Berengari
Lutherani anis Vuiclephitis nouis doctoribus e medio tollitur, iuxtaq; prophetiã
cæ primi- Danielis, oboritur abominatio, nouum, ſcilicet in angulis, cœnæ genus,
pili. ueri ſacrificij loco inſtitutum. Hic & eſt mea ſententia, catabaptiſtas non
Dan.ut ſu. alium ſcopum quo ſe referant, non aliam qua ducantur coniecturam ha
Matth.24. bere ad extremum diem pronunciandum, q̄ hanc Danielis prophetiam
eis reuelatam, quando illi ipſi ſolidam inconcuſſamq; petram Chriſtum
in ſacramento oppugnatũ, labefactatumq; euertere conati ſunt, & ab-
1.Corin.10 ominationem emptitij panis uulgaris, & horroris cõuiuium inſtituunt,
alioqui in tota ſacra ſcriptura nihil habent, quo innitãtur ad extremum
Sichimitę. iudicij diem prędicendum. Verum enimuero alios eorũ Sichimitarum,
apoſtatarum, pſeudoprophetarum ſpiritus, quos neq; dominus miſit,
ſed eorum deſignata ſcelera, et admiſſa flagitia, ex peregrinis regionibus
expulſos, in has terras hæc infamia monſtra profudere, poſthac ſuis co-
loribus depingam. Quo circa fratres dilectiſſimi, obſecro uos, ut quon-
2.Theſſ.2. dam Theſſalonicenſes Paulus, ne ſinatis uos tam cito commoueri ac ſe-
duci a uera ſentẽtia, neq; timore afficimini, neq; per ſpiritũ, neq; ſermo-
ne, neq; literis cuiuſquã, ut putetis iam domini diem impendere, et quaſi
1.Theſſ.5. fores pulſare. Veniet enim domini dies in nocte ut fur, & cum dicent:
2.Pet.3.
Apoc.3. pax & ſecuritas, ſuperueniet repentinus interitus, dum uos ſtultos homi
Gal.3. nes dicent, & inſenſatos Galatas, Quippe qui in aliud Euangelium uos
ſeduci paſſi ſitis, & paſſi ſitis uos ueneficijs & faſcinationibus corrumpi,
ut ueritati non obedientes eſſetis. Vobis adſcriberetur id, quod Paulus
2.Cor.11. Corinthijs: Libenter patimini inſipientes, quãuis ſapientes ſitis, ęquo ani
mo fertis uos in ſeruitutem redigi, eſſe in uobis qui uos deuorent, & in
Matth.7. faciem uos cædant. Nolite itaq; dilecti cuiuis ſpiritui credere, uerũ pro-
bate ſpiritus, utrum ſint ex deo, Ex fructibus eorũ cognoſcetis illos. In
ore ipſorum nihil præter mendacia, quod uos perinde ut alij, ita eſſe ex-
periemini, ſi extrema iudicij dies non uenerit, ad eam quam ipſi præſcri-
bunt diem, & iam uulgo imperitæ multitudini deſignarunt.

Chariſſimi,

CHarissimi, nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, utrum sint ex deo, i. Ioan. iiij. Proximo in sermone tres res induximus: Iam nos porro ex Ægypto in terram promissionis proficiscamur, uideamusque, quem & qualem se dominus, utroque in testamēto erga pueros gesserit, amauerit ne illos an nō. Gene. xxi. scriptum reperio, Agar ancillam ab Abraham & Sara domo eiectam, puerum Ismaëlem secum in solitudinem Bersabeæ detulisse, Cumque uterque inedia laboraret, neque esset unde se reficerent, declarat textus, Agar puerū abiecisse, subterque arborem in solitudine collocasse, & ad sagittæ iactum lōge a puero sedisse, Fleuit puer, Habet idem textus bis deum exaudisse pueri uocem. Puer autem natus erat nō ex libera Sara, sed Agar ancilla, de qua multa Paulus. Hic animaduertite dilecti, pueri uocē exauditam a domino. Deu. xx. Quando dominus deus tuus terram tradet in manum tuam, percuties omne quod in ea est, generis masculini, mulieribus exceptis & pueris. Deute. xxiiij. Non debent interfici patres filiorum gratia, neque filij propter patres. Ideoque Ioab laudatur, iiij. Reg. xiiij. quod patris sui mortem ultus sit, sed pueros non percusserit. Ideoque Ezech. xviij. Filius non portabit iniquitatem patris. Vnde iterum sequitur, Deum ueteri in testamento pueris ualde propitium fuisse. Iam etiam legimus Nume. xiiij. cum dominus irasceretur obmurmuranti populo, noluit qui uigesimū annum superassent, in terrā promissionis proficisci, sed in solitudine mori, quomodo etiam Christus Ioan. vi. commemorat. Interim dicit: Liberos uestros ego inducam ut uideant terram, uestra autem corpora emortua iacebūt in solitudine. Hos pueros nominat, quod discrimen boni & mali nondū sciant, Deut. i. Noluit porro deus, ut pueri populi Israël ex Ægypto nō educerentur. Ideoque Exo. x. per Mosen ait: Cum liberis nostris, & maioribus proficiscemur, cum filijs & filiabus. Et quanquam Pharao plurima molitus, uoluit tamē deus etiam pueros educere, de quibus xij. ca. ij. li. Mosi, ubi mulieres & pueri nō numerantur, nihilominus tamē eos dominus appellat populum electum. Sic itaque in ueteri, dura, implacabili, sanguinolentaque lege pueri putantur etiam populus deo optimo maximoque gratus & acceptus. Quid igitur nos in regno gratiæ & Euangelij eos in librum iræ & æternæ damnationis collocabimus? Pleraque alia plena gratiæ & benignitatis diuinæ argumenta indicare queam, e ueteri testamento deprompta, Verum illud non est mediocre, quod fœderis sui signum pueris dominus dedit, per quod pueros in gratiam recepit, præcipue autem Abrahę, patri multarum gentium, cum semini eius dedit circumcisionem. De Abraham referta scriptura est, Incipit Gene. cap. xi. et xij. ubi promittit illi dominus, se eum facturum populum magnum, & quod in eo benedicētur omnes generationes terræ. Hic aduerte, omnes generationes. Apparuit ipsi & semini eius promisit terram: ubi oues a Loth, post pastorum bella segregauit. Gene. xiij. idem dominus ait: Omnem terrā in quatuor plagas mundi, quam uides tibi dabo, & semini tuo. & filios tuos faciam ut puluerem terræ, Porro Gene. xv. cum consolatus,

Puelli plorantis uox in deserto a deo exaudita est.

Gal. 4.

Ephe. 2.

Rom. 4

Gal. 3.

Iaco. 2.

solatus, obtulit se fore protectorem, & mercedem ualde magnam, promittit hęredem legitimum, & multiplicationem seminis illius, ac iterum filiis eius promittit terram. Cumque is iam annos natus esset nonaginta et nouem, facit cum eo fœdus, mutat illi nomen, exque Abram facit Abraham, i. patrem multarum gẽtium. Neque hoc tantum Abrahamo promittit, uerum multa & longa mentione etiam semini eius in æternum, Gen. xvij. & imponit signum fœderis circumcisionem, ut omnes pueri masculini sexus, octo dies nati, etiã natu profectiores, circũciderentur, tenuitque hæc consuetudo sub Mose: Et quanquam circumcisio sub Mose in lege recensita sit, non est tamen, ait dominus, ex Mose, sed ex Abraham, siue ex patribus, durauitque tã diu, quoad agnus dei natus, Iesus Christus, qui octauo itidem die circumcisus de more fuit, ut legem adimpleret. Is itaque Abraham pater noster est, & de semine eius nos manamus, tametsi non omnes secundum carnem, sed spiritualiter: accepitque hoc signum, ut Paulus ad Romanos iiij. ca. scribit, in sigillum iustitiæ. Hoc signum iam absoletum, abrogatumque est. Ita enim Hierosolymis primo in cõcilio Christifidelium, nõ per indomitum uulgus, et Lutheranorum agrestium uęsanum cõciliabulum, Sed per Petrum, Iacobum, atque alios seniores Hierosolymis conclusum, decretumque est: Eaque constitutio apostolorum et seniorum concitos Antiochię tumultus sedauit, & Paulus ait: Si circumcisi eritis, Christus uobis nihil proderit: & si nos circumcisionem acciperemus, necesse haberemus totam legem et sexcenta ac tredecim ceremonialia, iudicialiaque pręcepta obseruare. Nondum tamen fœdus ablatum est: Iris adhuc in cœlo est: Sed quod fœdus illud erat, id est iam signum, qui est baptismus: Idque fœdus non cum maioribus natu tantũ, sed etiam pueris percussit deus, Haud aliter, quam si uel rex, uel princeps fœdus iniit cum prouincia aliqua, aut populo, signumque eius fœderis constituit non tantum pręsentes, sed qui absunt etiam, neque maiores natu solum uerumetiã iuniores ac pueri fœderis nomine cõtinentur. Iam si circumcisio, quam mordicus Iudæi tenuerunt, ablata est (ut manifesto liquet ex Paulo ad Colos. ij.) eaque sub lege nati infantes, ad æternæ uitę spem uocati, in cuius locum aliud institutum signum est, Iure optimo constanter asseremus, non hoc signum minus q̃ illud ad ęternam salutem uiam patefacere. Ac quid illud? quantum diuinæ benignitatis argumentum? quod pueros incircũcisos, ut sexus fœminini, omnes post circũcisionis fœdus, atque eos etiam, qui ante fuerant nati, ut i. Genesi. ca. ad usque septimum, saluos fecit, sola maiorum fide nitẽtes: alioqui omnes damnatos necessario confiteremur. Ea porro fides maiorum meritis comparata, non paruo cõmodo fuit, a temporibus Abrahæ. Et cum Moses populum in solitudine moderaretur, annos totos quadraginta circumcisio silebat. Proinde legimus Iosue v. cum populus annos quadraginta in solitudine uastam uitam degeret, totidem annis circũcisione temperauit, qui ubi Cananitarum terram est ingressus, tum primũ Iosue cultello petrino mares circũcidit, locumque appellauit Galgala. In dubium autem nemini uenit, plurimos

Leuit. 12. Luc. 2. Act. 15. Gal. 5. Gene. 9. Nu. 14. 32. Galgala loci nomen.

plurimos infantes, ex sexcentis millibus ad bellandum idoneis, & numeratis procreatos esse & non circumcisos occubuisse, quos omnes Iudæi saluos pronũciant parentum suorum fide, & audent sanguinis nostri, ac sobolis hostes, nepharij, animarum trucidatores, uagi, ac discoli Catabaptistæ innocentes paruos pueros, qui Christi morte redempti, & Christianis parentibus nati, coelo excludere, cum pro pueris puer saluator Iesus natus, acerbamq; mortem pertulerit. Ideoq; scriptũ de his est, Psal. xciij. Sanguinem innocentem condemnabunt. Infantes autem innocentes esse Dauid docet, Psalm. c v. Obtulerunt filios suos & filias dæmonijs, profuderunt sanguinem innocẽtem, sanguinem filiorũ & filiarum, quos obtulerunt sculptilibus Chanaan. Hæc autem sacra facta sunt Idolo Moloch. Quemadmodum pridem Maiestas Cæsarea, dominus noster gratiosissimus, in immensa quadam Insula comperit, qui Idola infantum cæde & sanguine placarent, Etiam hodie respersas iugulatorum sanguine uestes sacrificorum uidere licet. Si innocẽtes igitur pueri spiritum habent, habeant & gratiam oportet. Iam si sub lege, quando dominus iratus modo aquarum eluuie hominum scelera ultus, modo igne flagitiosas ciuitates deleuit: alios terrę hiatu absumpsit: populi multa milia per angelum percussit: Legem horribiliter per fulmina, tonitrua, terræmotus, aliaque terribilia tulit in monte Sinai: tam benignum se pueris patrem exhibuit, ut tempus nullũ reliquerit, quo fuerint destituti pueri & solatio & medicina ad spem salutis ac gratiæ: Cur nos uero innocentes pueros, quorum saluti sanguine suo seruator noster consulere uoluit, ita salutis spe destitutos, crudeliter truculenti Herodes iugulamus? Ideoq; beatus, inquit Dauid, uir est, qui collidit filios suos ad petram, non ut ad petram naturalem illidat, sed ad spiritualem petram, quæ est Christus, quomodo Paulus Corinthijs scribens ostendit, dirigat atq; infligat. Ad quam petram spiritualem scilicet etiam Mosis uirga inflicta est, unde patres sitim bibentes sedarunt, neq; solum patres, sed etiam filij. De quo Paulus quid sentiat, ostendit: Omnes uidelicet sub nube & transitu maris rubri baptizatos fuisse, nemine excepto, ne infantibus quidem, qui omnes noctu diuq; nubium & columnæ igneæ beneficia sunt experti. Ex his alijsq; argumentis apparet, summum Deum nunquam non ut asiduum patrem de puerorum salute fuisse solicitũ. Quid autem tempore gratiæ fauoris & beneuolentiæ in pueros effuderit, alio sermone uberius persequemur. [Ac dicunt isti noui impij Herodes ac infantum trucidatores Catabaptistæ: Scriptum est, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Ideoq; credi oporteat. Haud aliter, dilecti, isti scriptura abutuntur, quã Pharisæi apud Herodem Hierosolymis, & coram Christo Sathan tentator. Legimus Herodem scribas & pharisæos percontatum de Christo, ubi nam nasciturus esset. Protulerunt illi quidem dictum Michææ, egressum illius fore e Bethleem, sed quod pręcipue prolatum oportuit, omisere, nempe hæc: Et egressus eius a diebus æternitatis ipsius. Quibus uerbis propheta ostendit, æternum dei filium

Nota hic lector, Filios in parẽtũ fide saluatos fuisse.

Catabaptistæ sunt animicidæ.

De Moloch, uide Hiere. 32. Amos. 5. Actu. 7.

Gen. 7. Gene. 19. Vide de Chorę Dathan & Abyron, Nume. 16. et Psal. 105. Exod. 19. Vt patet de Sennacherib regis Assyriorum exercitu. 4. Reg. 19. 2. Para. 32. Matth. 1. 2. Psalm. 136. 1. Cor. 10. Exo. 18. Exo. 13. Psalm. 104

[

Matt. 2. Mar. ult.

Matt. 4.

Luc. 4 Mich. 5.

dei filium Christum esse, non autem hominem simplicem, & ut uulgo, nasceretur. Coram domino autem diabolus satan ipse scripturam induxit, Psalm xc. etiam præcipuam dicti partem relinquens, Vt te custodiãt

Mar.16. in omnibus uijs tuis. Eodem modo Catabaptistæ prædicta uerba tractant, Addendum enim erat: qui nõ crediderit, condemnabitur. Si uero ea opinione sunt, ut credant infantem nõ baptizatum, si antequam contigerit annos discretionis boni & mali, moriatur, neq; saluatũ, neq; damnatum iri: quomodo illud ita apertum, ita simplex ad suum dogma corrumpent? Qui nõ crediderit, condemnabitur. Non credunt aũt, quomo

1.Pet.3. do ipsi docent. Pueri necessario igitur confitebuntur eos damnari. Hic illorum error esto, nos autem, qui in arca Noẽ, id est, in Ecclesia Ca

Ose.6. tholica, in fide, & religione maiorum perstamus immoti, secus sentimus,

Mat.9.12. Ezech.18. In Euangelio cum CHRISTO loqui discimus: Misericordiam uolo, non sacrificium, Dicimus, authore DEO: Non mortem uolo, sed uitam. Illi autem, non solum maiorum, magistratuumq; mortem, perniciemq; exoptant, sed insontum adhuc puerorum animos trucidare cogitant. Agedum itaq; boni Catabaptistæ, existimate æqui iudices, ego ne tyrannus sim immanior, an uos? Angelos constituo innocentes pue

Origeniana hæresis quæ anno fermè 231. exorta est. ros in summi patris cõspectu refero ad crucẽ Christi, coelos ipsis aperio, unde eos uos uiolenter extruditis, exuditisq; peius dęmonib. de quibus Origenis doctrina moti hodie quidam sentiunt saluos fore. Quod aũt fidem habere uos Catabaptistæ infantes negatis, respondeo, non

Gal.5. me admittere fidẽ infantes non habere, Si enim habent spiritum sanctũ,

Matt.13 Mar.4. spiritus quoq; fructus habent, de quibus ad Galatas Paulus, qui in euãgelio semẽ sparsit, uadit, dormit, fidem habet, & si non loquitur. Et quis scit, utrum uos Catabaptistæ fidem habeatis? Equidem plane puto neminem Catabaptistam ueram fidem tenere. Nam anteq̃ se retingendũ pręs

Petri apostoli fides, de qua Lucæ 22. beat, necesse habet maximam sanctissimãq; fidei nostræ particulam deserere: quod manifestum est, neq; uerbis indiget. Proinde ipsius fides nõ Petri, sed falsi & mendacis Iudę Iscariotis fides est. Non igitur est quamobrem tantopere de fide glorientur perfidi Catabaptistæ. Nos uero

Quæstionis rñsio. de infantũ fide plura dicemus crastino sermone. Vbi (inquiũt illi) Apostoli infantes baptizarunt? Respondeo: ubi illi ipsi prohibuerunt? Hos infantes baptizandos, baptizatosq; a tempore inde Apostolorum ad nostram usq; memoriam, ex scriptura probabo: Verũ perinde uobiscũ

Matth.21. Mar.11. Luc.20. Catabaptistæ agam oportet, ut seruator noster cũ principibus sacerdotum & senioribus, quum percontarentur, qua authoritate res tantas faceret, respondit: Ego quoq; interrogabo uos uerbum, ad quod si mihi responderitis, ego quoq; uobis dicam, qua authoritate hæc faciam: Baptismus Ioãnis unde erat? coelitus ne, an ex homine? Cogitabant apud se

Catabaptistæ balneatores & lotores sunt. & dicebant: Si dixerimus, coelitus fuisse, dicet nobis: qui igitur illi nõ credidistis? Sed si ex homine dixerimus, populũ timemus, Et responderunt Iesu: Nescimus. Ita uos interrogabo Balneatores et balneatrices, lotores & lotrices Catabaptistas, ubi scriptum legistis, & ubi aut unde edocti

as antequam

estis, Apostolos, quomodo uos soletis, in angulis baptizasse, horas duas antequam illucesceret, catinum aqua plenum super mensam statuisse, inde tinctis digitis, crucem fronti adscripsisse, docuisse uestrum, non autem Ecclesiæ baptismum uerum esse? Quod si mihi ex Biblijs ostendetis, uestro ritu Apostolos baptizasse, me quoque retingēdum exhibebo. Hic non effugietis, nam uos dicere necesse est, sic.n. uestra decreta iubēt, sic uester balneatorum ordo flagitat, nihil recipiendum ac pro rato habendum, nisi clarissime Biblijs expressum legatur, atque adeo omnia Ecclesiæ instituta contemnitis, nisi Christum ac discipulos suos eadem obijsse uobis constet. Quæ (malum) igitur uestra tanta amentia est, cæcorum cæci duces, quæ orthodoxæ Ecclesiæ receptum, confirmatum, tot sæculis approbatum, baptizandi ritum uos contemnere impulit, nouaque hac insolenti formula, quam ex Euangelij doctrina nullo modo probare poteritis, uti hortata est? Quo circa uestram doctrinam ex deo non esse liquido patet, sed Beelzebub, principe dæmoniorum & muscarum deo. Insomnia hominum agitis, humanis nugis ac commentis hominibus imponitis, spiritus uestros probate, ut aurū lapide Lydio aut indice, plane præter plumbum cuprumque nihil elucebit.

Forma baptismi anabaptistarum.

Catabaptistæ omnes orthodoxos patres respuunt.

Matth. 15

Beelzebub muscarū deus

QVOD AD TERTIVM PVNCTVM ATTINET.

SCITOTE furiosos Catabaptistarū spiritus in angulis iactitare, Christum deū non esse, non esse etiam dei filium. Quod si uerū est, necessario sequitur, fidem nostrā nullam esse, nostrosque sermones uanos. Nos autem impiorum uanissimas iuxta ac sceleratissimas argutias Euangelij gladio uindicemus. Christum dei filium esse, Matth. docet ca. iij. & xvij. ubi pater cœlestis ad Iordanem, & in monte Thabor ait: Hunc esse filium suum dilectum, Ac cui (inquit ad Hebr. i. Paulus) in angelis unquā dixit, Hic est filius meus dilectus, hodie ego genui te? Mar. v. etiam dæmon fassus est cum clamaret: Quid mihi & tibi Iesu fili dei altissimi? Matth. xiiij. Vere dei filius es tu. Matth. xvi. Petrus non ex carne & sanguine, sed quod pater reuelauerat, confessus est, Christum filiū esse dei uiui. Matth. xxvij. Vere dei filius erat iste. Quid multa? omnibus locis plena scriptura est, non modo dei filium, sed unigenitum esse dei filium, per quem nobis deus loquutus est, nosque erudijt, ut initio Epistolæ est ad Hebr. Deum porro esse, indicat nobis initium Euangelij diui Ioannis, cum scilicet & uerbum esse & deum, & uerbum carnem induisse: de quo multa in sermone ultimæ cœnæ. Et Paulus eum nominat benedictum dominum in sæcula, id est, in æternum. Thomas quoque incredulus, eum dominum suū & deum uocat. Quum itaque manifestum sit ita fidem Catabaptistas deseruisse, merito eorum spiritus non ex deo, sed inferorum abysso proficisci putandus est. Quo circa dilectissimi, nolite, ut Ioannes docet, credere omni spiritui, sed probate spiritus, utrum sint ex deo, Amen.

1. Cor. 15

Mar. 9.
Luc. 9.

Psalm. 2.
Actu. 13
Luc. 8.

Rom. 9.
Ioan. 20.

1. Ioan. 4.

Sermo

SERMO TERTIVS.

NOLITE credere, dilectissimi, omni spiritui, sed probate spiritus, utrum sint ex deo, prima Ioan. quarto. cap. Hesterno in sermone audistis, dilecti, me aduersus lymphaticos spiritus prædicantem, eque ueteri Testamento probantē pluribus exemplis, summo deo paruulos cu-
Esa. 9. ræ fuisse. Nunc animus est e nouo pariter Testamento depromere di-
Matt. 2. uini erga pueros amoris testimonia. Primo itaque reperio eum iux-
Luc. 2. ta Prophetiam, puerum nasci uoluisse. Ideoque cum in Bethleem Magi,
Ose. 11. stellam ducem sequuti, ab oriente egressi, uagientem fascijs inuolutū in-
Luc. 2. uenere, similiterque pastores e campo collecti, Puer fuga in Ægyptū delatus, redijtque puer, & in Nazareth puer annos natus XII. cum in templo stipatus caterua scribarum & pharisæorum sedit docens multa eos percontatus. Quæ omnia facta esse, optimus author Hirenęus, discipuli
Hirenęus epus Lugdunēn, lib. 2. cap. 39 Ioannis discipulus scribit, quod dn̄s decreuerit etiam infantes ac pueros saluos facere. Ostendit præterea scriptura, cum in medio discipulorum puerum constituisse, eiusque exemplo docuisse, qualem esse oporteat, qui ingredi cogitet regnum cœlorum. Ideoque Matth. xix. & Luc. xviij. scriptum legimus, adductos ad dominum Iesum pueros cum semouerant discipuli, grauiter eos increpauit dominus, & ne prohiberent iussit, quod horum esset regnum cœlorū, hæcque locutus admissos amplexus, eis manus imposuit, suaque benedictione dignatus est. Quod si illi pueri benedictionem a domino accipere meruerunt, perlubens scirem, quamobrem Catabaptistę damnationi eos deputēt? Atqui dicunt illi, qui e quo-
Logomachia catabaptistar. uis non modo uerbo, sed apice etiam nouam litigij ansam quærunt, pueri circumcisi erant, qui benedictionis sane capaces erant. Respondeo, quomodo ipsi solent, sed & in loco & uere, Vbi hęc scripta legistis, fieri etiam potuit, ut fuerint fœmellæ. Sed ut hæc missa faciamus, Quid est,
Mat. 18. quod singulis pueris singuli angeli sunt adscripti, qui semper uident faciem patris in cœlis? An non tuentur pueros? Quomodo de Michaële,
De Michaele, Danie. 10. Raphaële, alijsque legimus? An non custodiētium angelorum referta scriptura est? Hæc custodia dubio procul est contra potestatem inferorum
De Raphaele, Tobi. 5. & 6. tenebrarumque mundi huius, ne hinc insontes & teneri puelli offendantur. Iam quum Dominus proficisceretur in templum Hebræorum, pueri cum laudibus efferentes occinebant: Hosianna, Benedictus
Ephe. 6. Luc. 19. qui uenit in nomine domini. Cumque flagitarent Iudæi tacere ut iuberet,
Matth. 19. respondit: Etiam si hi taceant, lapides tamen non tacebunt, Obiecit illis
Psalm. 8 scripturam: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Ecce tibi, quàm uoluerit dominus laudari a pueris, qui hoc non intellexerunt. Ac
1. Pet. 2. diuus Petrus cū electis & dissipatis in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia,
1. Cor. 4. & Bithynia scriberet, eosque doceret, quo modo omnem malitiam exue-
Heb. 5. rent, eos emendauit ad recens in lucem æditorum puerorum exēplum,
1. Ioan. 2. quomodo ipse etiam facit Euangelista. Ioannes item prima canonica scribit, non tantū natu maioribus & mediocribus, sed minoribus etiam natu filiolis, quos græco nomine adpellat παιδία, alias scribo uobis τεκνία, id est,

τυκνία, id est filioli, & παιδίαι, id est puellæ, & ἡς τυκνίοις, id est filiolis Petrus affirmat, cum tria milia baptizasset, factam esse promissionem. Ecce mysterium. Hinc ego liquere arbitror, quantæ curæ in nouo etiam testamento fuerint summo patri infantes. Non possunt autem hęc omnia ad Iudæorum liberos referri. Circumcisio enim Hierosolymis conuicta & damnata est, ob hanc caussam credo, uel potius constantissime adfirmo, quod huiusmodi macula spiritu sancto, iamq; mitiore in statu gratiæ, aqua eluitur, quę antea per circumcisionē sanguine erat emendāda, Neque hodie tantum uaccarum, boum, uitulorum, hircorum, arietum, aliorumq; animalium cædere cogimur, ut eorum cruore nostra delicta abstergamus, Solo enim aquæ elemento lustrati omnium medelam reperimus: unde, ut olim sanguine populus conspersus, ita hodie pura aqua conceptas labes emendat atq; eluit. At dicunt illi: Adhuc in sententia perstamus, puerum nisi credat, et fidem suam confiteatur, baptizari non debere, omnino enim scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Respondeo: ubi scriptum inuenitur, puero de fide confitendum esse? Quoq; modo mutum, quem natura loquēdi facultate spoliauit, baptizabis? An ne immeriti huius uitæ mala, nō bene propitius deus, æternę damnationis poena cumulabit? Neq; enim fidē exprimere potest. Ecce tibi puerum profero e pluribus unum Ioannem, qui priusquam nasceretur, & Christum agnouit, & in eum credidit: tu mihi contra scripturam profer, quæ pueris fidem adimat, profer quæ eos baptismo excludat. Qui uesceris carne uetito tempore, ieiunia uiolas, quæ & sobrie & sancte instituta, ab Apostolorum tempore fideles sanctissime obseruarūt, facisq; hoc in multorum scandalum, qui tuo exemplo deteriores fiunt. Nempe, inquis dn̄m non prohibuisse. Etsi etiam ex hac parte falleris, Sed regulam sequeris generalem, a deo non prohibita, tibi per Christianam libertatem licita esse. Iam mihi dicas, uolo, qui pueros uetas baptizari, quibus deus baptismum non ademit, & quis certiorem me facit, utrum tu baptismi perinde ut Iudas sacramenti, particeps fias nec ne? Multi sunt, atq; adeo plurimi Catabaptistæ, qui ore gloriose credulitatem iactant suam & fidem, corde autem ut pharisæi & hypocritæ, a deo sunt remotissimi. Equidem puto non aliter q̄ dormientis concreditum terrę semen crescit, taciteq; humo coalitū adolescit augeturq;. Sic pueri fidem accepto spiritu sancto, cuius capax est sensum augeri, & cum intellectu simul ætateq; accrescere, præcipue, si Christifidelium cōmunitas in Christianum foedus per baptismum in librum uitæ inscribi eiusmodi puerū permiserit. Id nobis declarat similitudo de grano synapi, & q; pleriq; in Euangelio fidem adaugeri sibi precibus exoptauerint, tamen ut sua pueri fide & propria careant, subsidio tamen ipsis est fides maiorum. Nam aut damnabitis Catabaptistæ omnes uiduas, uirgines, & omnem sexum foemineum ueteris testamenti, qui ab Adam inde plus quinq; milibus annorum in ueteri lege incircumcisi obierunt, aut eas maiorum suorum fide nixos in saluis numerabitis, Eandem cū masculis labem, ab Adam

Marginal notes: Acto. 2 · Heb. 9. 13. · Leuit. 14. Nume. 19. · Luc. 1. · Esai. 29. Matt. 15 Mar. 7. · Mar. 4. · Liber uitæ Apoc. 3 20. 21. · Matth. 13. Mar. 4. Luc. 13. 17.

traxerunt peccato, eadem autem medicina non sunt potitæ, sed saluæ
Gen. 4. sunt dubio procul maiorũ fide, eaq; ipsis suffecit, cum non ipsæ ut Abel
Matth. 23. ad honorem dei uenerint. Ac quemadmodum fides in ueteri testamẽto
Luc. 11 profuit multis, etiam his, qui mille annos post nati sunt, ut in Abraham,
Heb. 11. Isaac, Iacob &c. pro eorum liberis ac posteris elucet: Sic Christus sæpe-
Mar. 2. Math. 8. numero alienam fidem respexit, ut eorum quatuor, qui paralyticum per
Luc. 6. tectum demisere, fides Centurionis pro puero, Marthæ pro demortuo
Ioan. 16. Lasaro, qui quatriduanus foetens in sepulchro tabuit, fides uiduæ pro
Luc. 17. unico filio. Est item in Euangelio de patre, qui mutum obsessumq; fili-
um ab ineunte ætate, grauiter uexatum a dæmonio, ut sæpe in ignem,
non raro in aquam proturbaret, cum haberet, accessit ad Iesum, ut pro
Math. 17. filio intercederet. Ad quem Iesus: Nunquid possit credere? Respondit
pater: Credo domine, iuua incredulitatem meam, Cõtinuo filius conua
Luc. 9. luit, Mar. ix. Ita adduxerunt ad Iesum & mutum & surdum, Sic Syro-
phoenissa pro filię salute precatur, Ita etiam de cęco ad Christum allato,
Matth. 15. Et Gayro euenit principi Synagogę pro filia precãti, Quibus omnibus
Marc. 7. in historijs aliena fides utilis fuit. Et puerum in fide Ecclesiæ, oratione
Mar. 8. in spiritu Ecclesiæ, intercessione parentum ac maiorum iam mille quin-
Matth. 9. Mar. 5. gentis amplius annis usitata nitentem, surda aure negligat deus? non ex-
audiat? ita exorsam a se reijciat, quomodo impij Catabaptistæ uelle ui-
Matth. 7. deantur? quum contra Christus nos tam humaniter inuitet ut pulsemus,
Luc. 11. quodcunq; petiuerimus in nomine suo accepturos promittat, & si duo
Ioan. 16. tantum aut tres congregati fuerint precantes, se in medio eorũ fore con-
Matt. 18. firmet. Et fieri non potest, ut multorum preces non exaudiantur, Atq;
Ambr. in lib. de pœ. adeo solis Catabaptistis secus uidetur, qui negant tam efficaces totius
Multorũ preces impossibile est contemni. Ecclesiæ preces, ut annis plus mille unam animulam dæmonum potesta
ti extorserint, aut extorquere ualuerint.

Nunc porro uideamus, quid pręterea eorũ dogmata tradant, quod
tam scripturæ q̃ deo aduersetur. Docent sceleratum archihæreticũ Mar
Luthe. Catabaptistarum antecessor. tinum Lutherum sequuti, in sermone quodam, quem habuit de diuite
& paupere, omnibus qui a Christi ascensione uita functi, coelum pręclu
sum & fuisse & esse, neq; cuiquam eo aditum patuisse, neq; fore ut pate-
at cuiquam, usq; ad extremum iudicij diem. Nos interim uita defunctos
obsopitos dormire aiunt cum corpore & anima, quomodo autem aut
ubi, explicare nequeunt. Vide quam Catabaptistæ egregie a pueris ex-
orsi etiam senibus negocium facessent? omnes in uniuersum coelo et ęter
na patria spolient? Impij Balneatores ferratis uectibus coelum obfirmãt,
ac perinde fingunt, atq; si æneum aut calibeum adamãtinumue sit, & ut
Lucian. Samosatẽsis. deorum hominumq; illusor Lucianus, fores habere imaginantur, quæ
obfirmatæ aditu prohibeant adeuntes. Hinc Iouem aliquoties per annũ
res humanas intueri. Contra hanc doctrinam scriptũ est: Qui mihi mi-
Ioan. 12. Ioan. 14. nistrat me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Vado ut
parem locũ, ut ubi ego ero, uos quoq; sitis. Iam in coelo esse Christum,
etiam ipsi fatebuntur. Sunt igitur Apostoli, alijq; eius ministri etiam in
coelo,

coelo. Hinc illud ardens Pauli desyderium dissolui cupiētis,& esse cum Christo. Et alio loco, cum tabernaculum corporis sui corruptum fuerit,ut mansionem habeat in coelis. Cum itaq; coeli iustum Messiam deserint,& fatali uitæ humanæ cursu expleto denuo acceperint,qui suo baptismo omnibus nobis coelos aperuit, non debemus dilecti illius benignitate contempta,& nobis & alijs regnum occludere, sed grati in coelum oculos intendere,Sic enim natura facti sumus,ut cum cætera animalia prona humum contueantur,nos sublimes in coelum aspiciamus, & cum diuo Stephano orare,tum nobis quoq; patefient coeli. Probate itaq; spiritus,utrum sint ex deo,i.Ioan.iiij. Philip.2. 2.Cor.5. Esa.45. Ioan.20. Sententia est Nasonis lib.trās for.primo Acto.7.

SERMO QVARTVS.

NOLITE credere,dilectissimi,omni spiritui,sed probate spūs,u trum sint ex deo,i. Ioannis iiij. Plures in hoc sermone rationes inducere in animo est,quibus commoti maiores nostri infantum baptismum docuerint,tenuerintq; constantissime. Quo circa constituendum uobis est baptismum maiores nostros habuisse non modo non paruum,sed præcipuum,maximeq; necessarium sacramentum,quod plena de eo esset omnis scriptura. Si nos referimus ad libros Mosis, inuenimus baptismū per archam Noë figuratum fuisse:idq; planum facit Petrus. Si peragramus libros Legum,crebro per aquam purgationem fieri animaduertimus. Ita baptizatus Aaron cū filijs, Exod.xxix. Ita tabernaculum aquis ablutum,Exod.xl.Ita probantur,quæ de adulterio infames & suspectę sunt mulieres, Nume.v.Ita aqua aspergitur,qui cadauer contrectauerit. Similiter in Euangelio de probatica piscina in qua aris destinatæ oues abluebātur,natatoria Siloë, deq; alijs multis aquis in mari ęneo &c̄.cū legimus, figuram baptismi aquæ fuisse agnoscimus.Cum deinde porro prophetas prosequimur, Ezechielis xxxvi. reperimus, quæ ad uniuersum populum loquutus est: Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Quando itaque omnes prophetiæ,omnes figuræ,ad uniuersum populum,nemine excepto pertinent, in populo præcipue dilecto, recte pueros Ecclesia non excludit.Quod pluribus agere constituimus.i.Cor.x.Patres nostri fuerunt sub nube,& omnes rubrū mare transiere, & omnes baptizati sunt in Mose,in nube, ac mari. Constat autem dominum cum ab Ægypto populum educeret, in nube præcessisse, ad ostendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: cuius ductu,uniuersus populus sequutus est. Sub nube hac non tantum fuere ij, qui in libro Mosis (quem Iudæi,propter primum uerbum, VAIADABER, nos Numerorum librum appellamus)uiginti annorum aut ultra, uerum etiam pueri profecti sunt:neq; solum sexcenta milia armati, sed ex tenera ætate etiam,qui arma ferre non possent. Nam quandoquidem Christus fatetur,eaq; ueritas est,patres in solitudine mortuos: constatq; 1.Pet. 3. Num.19. Ioan. 5. Ioan. 9. 2.Reg.8. 1.Para.18. Exod.13. Exod.14. Psal.104. Numeri Vaiadaber. Ioan.14. Ioan.6.

Nume.32. ex ijs,qui ab Ægypto reuersi,duos tantum,Iosue & Caleb in terrā promissionis rediisse,reliquos oēs mortuos: non dubiū est, plurimos infantes XL. annis,& XLII. castramentationibus(quas mansiones uocant)procreatos esse,qui oēs sub nube profecti sunt, Igitur & pueri sub nube per mare profecti,quæ baptismi, teste Pau.figura fuit. Et cum Paulus de o-
1.Cor.10 mnibus mentionem faciat,neque fœminas neque pueros excipit. Neque eñ dialectici solum,sed etiam Paulus ad Hebræos atque alibi docet,cum,qui
Heb.2 de omnibus loquatur,neminem excludere. Quando itaque Christus na-
1.Corin.15 tus,passus,ac resurrexit pro omnibus, ne infantes quidem a natiuitatis, passionis,resurrectionis beneficio excludendi sunt. Quod nos clarum facere ex scriptura conabimur. Dauid Psalm.xiij. et lij.ostēdit, omnes defecisse, & inutiles factos esse usque ad unum Esai.liij. Omnes errauimus ut oues. Ideoque Dauid cōfitetur,Psalm.cxviij. Erraui sicut ouis quæ periijt. Et dominus noster, Matth.ix. Similis populus erat ouibus errantibus absque pastore. Ideoque se pastorem profitetur, Ioannis x. nos oues su-
Lu.15. as appellat, quæ cum per solitudinem amissæ erraremus,humeris suis nos ad nonaginta nouem retulit. Vnde i.Petri.ij. Eratis ut oues errantes,iam conuersi estis ad pastorem &c. Hoc factum est per mortem domini nostri Iesu Christi,de qua Paulus,i.Cor.xv. Sicut in Adam omnes moriuntur,ita in Christo omnes uiuificabuntur. Attendite hic,omnes,
Lector qui-quis es, uoculā omnis, perpende. dici, Est enim dñs, per quem omnia facta sunt, Ioan.i. Omnia replentur in omnibus,ad Ephes.i. In eo omnia constant, Ad Colos. i. Omnia ipsi subiecta sunt, Psalm xxi. Ex ipso et per ipsum sunt omnia, Paulus ad Hebræos ij. Et idem: Per eū,ex eo, in eo sunt omnia. Is uenit, ut omnes saluos faceret. Ideoque brachia sua in quatuor mūdi plagas expandit, ac idē dixit: Omnia ad me ipsum traham. Vnde neminem, neque in natiuitate,
Rom.11 Ioan.12. neque in passione,neque in resurrectione exclusit. Nec uero pro multis tantum,uerum pro uniuerso mundo mortuus est,i.Ioan. ij. Vnde appellatur & a uero Baptista Ioanne denotatur agnus dei, qui tollit peccata
Ioan 1. mundi. Et Christus reconciliauit mundū deo,ij. Corin.v. Venit in hunc mundū ut saluos faceret peccatores,i.Timo.i. Dicit porro dilectus dño
Luc.19. Ioan.3. 1.Ioan.4. discipulus: Misit deus unigenitum suū in hunc mundū,ut in eo uitam haberemus. Qm̄ igitur pro omnibus mortuus est,et ad mortem Christi baptismus refertur, non sunt ergo a baptismo pueri exclusi. De qua rescriptura audiamus,ad Rom.vi. Nescitis,oēs,qui in Iesum Christū baptizati sumus,in mortē eius baptizati sumus. Ad Gal.iij. Oēs (Hic iterum, omnes,quid ferat,attēde) filij dei,per fidē in Christum Iesum, Quicunque enim baptizati estis, Christum induistis,ad Ephesios v. Vos uiri,diligi-
Col.3. te uxores uestras,quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam, proque ea seipsum tradidit,ut eam saluā faceret,& mundificauit eam,per lauacrum aquæ,in uerbo. Ex his omnibus sequitur,quando pro omnibus, nemi-
Catabaptistæ infantum trucidatores. ne excepto,Christus natus, mortuus, sepultus, et a mortuis excitatus,quod ab harum rerum significatione, siue signo, qui est baptismus,neminem excluserit. Quo uehementius nos admiramur Catabaptistas crudeles, infantum trucidatores,cœlum plus minus quinque milibus annorum oc-

clusum, quibus per Esaiam prophetam, patres clamarunt: Vtinam sese disrumperent coeli, & mitteret dominus eum, qui uenire debet. Et: coeli rorate desuper, & nubes pluant iustum. Iterum, atque si adamantinum fo ret oblitos tantæ beneficētiæ occludere conatos. Mirifica quædam dif ferentia est ueteris ac noui testamenti, ut ad propositum ab initio huius sermonis thema reuertar. Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosi, uniuersoque popu lo Israelitico, assidue deus promisit terram fluentem lacte & melle: Sed nouum gratiæ testamentum, ubi primum Christi sermonem orditur, i lico nobis proclamat ac elargitur regnum coelorum. Ideoque Ioannes & Christus statim, in ingressu prędicationum suarum, ita concinunt: Poe nitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum, Matth. iij. & Marc. i. Idcirco docuit, pauperum spiritu regnum coelorum esse, Matt. v. Et, Regnum coelorum uim patitur, ac uiolenti rapiunt illud. Ac, cum adducti ad Iesum pueri essent, eos cōplexus est, benedictione dignatus est, & dixit: talium est regnum coelorum. Quid plura? uniuersum Euan gelium nos erigit, expectatione regni coelorum, nō huius mundi, quod Christum deuitasse constat, cum dicat, regnum suum non esse de hoc mundo, Regnum autem dei prædicauit, Marc. i. Et docuit, ante omnia quærendum esse regnum coelorum, Matth. vi. Docuitque, quam difficile sit diuitem ingredi in regnum coelorum, Matth. xix. Hoc regno pueris non interdixit, Sed signum regenerationis baptismus est, ut Petrus do cet, quo qui caret, regnum coelorum nequit ingredi: si uera sunt, quę Ni codemo dominus dicit. Quo circa ex aqua nos qui sanius & cum Ec clesia sapimus, puellos nostros baptisamus, constanterque credimus a spiritu sancto mundificatos, idoneos fieri ad regnum coelorum ac cipiendum. Nam, ut Petrus docet, lauacrum regenerationis non idcirco institutum est, ut corporis sordes abstergat, sed ut animæ la bem immunditiamque aboleat. Ideoque uis tota baptismi est in uerbo, & mundificatione spiritus sancti. Dicunt porro illi: Prædicandum ante est, quàm baptizatur. Respondeo: Raro maiores nostri, nisi tem pore necessitatis, baptizarunt, baptizantesque nunquam non testibus ba ptismi, orationem dominicam, fidei nostræ Symbolum, Euangelia, con tradictionem potestatis inferorum, solenniter proposuerunt. Quando igitur uos impij Catabaptistę dicitis, baptizandum non esse, sed ante do cere oportere, sic dominum & uoluisse & dixisse, Respondeo, nos ita fa cere solere. Est enim, et semper fuit omnium, nō modo orthodoxorum, sed schismaticorum congruentibus uerbis consentiens, & unanimis for ma quædam baptizandi, ac ritus idem multis præculis, multis doctrinis euangelicis egregie cōscripta. Tenemus igitur dictum illud, ac nullo mo do negligendum putamus. Possem etiam a uobis Catabaptistæ rationē exigere, quid sit, quod dominus dicit, de omnib. creaturis, omnibus po pulis, quibus prædicandum euangelium, administrandusque baptismus, ut manifestissime in Euangelio expressum legitur: Prædicate omni cre aturę, & docete om̄es gētes, ac baptizate eos. Omnes, inquit, populos;

Esaiæ 64. Ibidē 45. Leuit. 20. Deut. 8. Matth. 19. Luc. 16. Matth. 19. Luc. 18. Ioan. 18. Luc. 12. Mar. 10. Luc. 18. 1. Pet. 3. Ioan. 3. Petrus ut supra. Mar. 16. Mat. ult.

Luc.24. An non pueri creaturæ? an non in populis numerantur? quos præcipit baptizari. Quod si serie uerborum ita moleste abuti uoluerimus, ut Catabaptistæ, ex quouis apice suæ perfidiæ subsidium quærētes, neminem baptizare debere argutabimur, nisi orbem uniuersum obambulauerit,

Mar. ult. omnino em̄ dixit: Ite in orbem uniuersum. Verū dicite mihi, nouarum

Docete cur bis positum in Euāgelio. religionū opifices, cur duo docete texus habet? Dubio procul, ut quemadmodum in ueteri testamento factum, ut populus uniuersam legē, etiā pueri audierint, qui primum ut pueri in ea auditione adoleuere, ac rationis rapaces, deinde legem edidicere. Ita uoluit dominus, ut in puerorum

Matth. 18. 2. Esdrę 8. baptismo, Ecclesia Euangelio uteretur, qui ubi accreuerint, a parentib. compatribus, maioribus, preculas, fidei articulos, decem præcepta, & cætera, quæ fidei sunt, ac religionis nostræ, ut cognoscerent. Nihil igitur Catabaptistę his obiectis proficiunt ad puellorum baptismum euertendum.

QVOD AD TERTIVM ARTICVLVM ATTINET

Origenis error. Docent Catabaptistæ, Extremo iudicij die etiam dæmones ad salutem uocatum iri. Aduersus hunc errorem, multa scriptura est: mihi autem uno hoc tempore uti loco satis sit, quod scriptum est: Horren-

Matth.25. da illa die dominus his, qui ad sinistram assistent, dicet: Ite maledicti in ignem æternū, qui præparatus est diabolo, & angelis suis. Si igitur ignis diabolo ęternus paratus est, fieri non potest, ut dæmones salui fiant. Nolite igitur credere omni spiritui, sed probate spiritus, utrum sint ex deo.

SERMO QVINTVS.

Nolite credere chariss. omni spiritui, sed probate spiritus, utrū sint ex deo, i Io. iiij. Quanq̄ Catabaptistę probare nequeāt ex Euangelio, pueros non esse baptizandos, neq; ostendere possunt, paruulos ab Apostolis non baptizatos, fatebuntur tn̄ illi ipsi in eā partē coniecturā

Acto.4. propensiorem esse, ut pueri fuerint in ea multitudine, trium. s. & quinq;

Petrus primus Baptista, post Christi ascensionē. milium hominum, qui a diuo Petro, primo uere baptista, a Christi ascensione baptizati. Priusquam enim baptizasset, in eo sermone quem ad baptismum retulit, his uerbis usus est: Vobis, liberisq; uestris facta est promissio. Ecce tibi, liberis uestris, inquit. Dicit etiam: Vos filij estis Prophe-

Acto.2. tarum: dirigitq; eos in benedictionem Abrahæ. Inducit illam promissio-

Acto.3. nem: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Hac re fretus ba-

Gene.12. ptizauit, dubio procul a baptismo suo puellos non exclusit. Neq; uero

De baptismo discipulorum, utrū baptizati sint, scriptura tacet. est necesse, circa baptismum anxie scrutari, ut quem baptizatum esse non legimus, ilico non baptizatum arbitremur, alioqui magna pars Apostolorum, discipulorum ac seruorum Christi damnarentur, de quibus nihil legimus, quando, quomodo, & a quibus sint baptizati, In Christi autem fidelibus numerātur. Quinetiam sacrosanctum corpus, quod Christum tulit, atq; ubera, quæ Christum lactauerunt, nolimus uelimus, da-

Luc.11. mnabimus, neq; em̄ legimus Mariam baptizatā esse. Quo circa etiamsi testari

testari non ualeamus, infantes ab Apostolo quouis baptizatos, non continuo tamen sequitur, baptizatos non esse, baptizari non oportere.

Dicunt præterea Catabaptistæ, se nouam rem non agitare, ea opinione etiam Hieronymum fuisse, qui Matthæi ultimo capite scripserit, non capax esse corpus sacramenti baptismi, nisi anima prius fidei ueritatem acceperit. Respondeo iuxta uisionem Ezechielis, rota rotam excipit. Et, Dies diei eructat uerbum. Scriptura scripturam aperit. Ideoq; cathena aurea est, unum ex alio pendet. Et quemadmodum scriptura per scripturam, ita author aut suis aut aliorum scriptis explicandus uenit. Iam constat Hieronymum apertißime scribere ad Athletam de puerorum baptismo, quem teneri uult. Damnatus porro hæreticus Pelagius Monachus una cum discipulis ac sectatoribus suis, annos ante mille ducentos, qui primus reijciendi baptismi puerorum author fuit, aduersus quem tertio libro cõtra Pelagianos multa egregie de puerorum baptismo diuus Hieronymus scripsit, quod quemadmodum omnes in Adam mortui sumus, ita omnes pueros in baptismo per paßionẽ Christi reuiuiscere, nititurq; authoritate præclaræ epistolæ diui Cæcilij Cypriani Episcopi ac Martyris, qui Carthagine in Aphrica floruit, & duorum Augustini librorum ad Marcellum, qui sub Heraclio paßus est, qui uterq; scripti sunt de puerorum baptismo. Ideoq; uos Catabaptistę, iniuria diuum Hieronymum afficitis, & uestri dogmatis author Doctor Balthasar, Hieronymi sententiam adulterinam reddidit. Et quandoquidem in doctorum mentionem incidimus, quid alij ex eo genere sentiant, uideamus. Origenes Adamantius, qui annos post Christi ascensionem centum & quinquaginta uiguit, super epistolam ad Rom. v. lib. scribit, etiam ab Apostolis transmissam baptizandorum puerorum consuetudinem acceptam esse. Diuus Cyprianus, qui Valeriano Imperatore uixit, ante mille ducentos ac plures annos, pro Christi fide martyrio affectus, in præclara quadam ad Fidum Episcopum epistola, quæ tertio in libro est, scribit, pueros nullo modo a baptismo excludendos, Cum enim Christus uenerit non ad perdendas animas, nolle se, diuinus author, suosq; asserit pueros priuatione baptismi, condemnare, ac communiter grandes natu cum iunioribus baptizandos, & pueros docet, inducto ex Regum libro miraculo, de mortuo uiduæ filio, quem Helisæus ex morte excitaturus, superimposuit caput capiti, faciem faciei, manibus manus, pedibus pedes, miraculoseq; omnia consensisse quadrasseq; ait uirtute diuina: Ita in hoc casu sacramenti baptismi omnia congruere, nullius ætatis respectu senes, mediocres, pueros, baptismi capaces esse, neq; enim ullum ætatis discrimen Deus facit, neq; spiritus sanctus facile patitur suæ gratiæ modum mensuramue præscribi, quemadmodum Christus ipse docet, non ad mensuram spiritum dat Deus, neq; acceptator Deus personarum est, sed pater est grandior iuniorq;. Ostendit porro baptismum spiritualem circumcisionem esse, & in circumcisionis locum suffectum, ideoq; pueris non esse adimendum. Ac diuus Petrus non temere

Arcanæ literæ Christiparæ uirginis baptismũ non exprimunt.

Ezech. 1.
Psal. 18.

Scriptura aurea cathena est.

Pelagius hereliarcha.

mere uidit demissam coelitus telã,& aperte locutus est, quod Deus ipsi reuelauerit, ne quenquam hominem immundum diceret aut faceret. Quod si nepharij peccatores, quibuscunq; scelerum generibus obstricti, ueniam peccatorum suorum gratiamq; sunt assecuti, quanto magis pueri per innocentis agni sanguinem innocentes a peregrino malo, seu peccato alieno aliunde ex primis parentibus contracto, redimi possunt, & a labe maiorum suorum, non sua culpa, ante quinq; milia annorum contracta exolui? Ideoq; omnes infantes, ubi hanc lucem aspiciunt, multis lachrymis non sine sensu doloris expresis, conceptam maculam com mitigant, eosq; exaudiri ualde credibile est. Vnde uos Catabaptistę, uestrum errorem licet agnoscatis, in quem uos Doctor Balthasar foede lapsus impie praecipitauit, ut non erubescatis dicere, Diuum Augustinum primum fuisse, qui pueros baptizari noluerit, Secus enim esse, optimis ex authoribus luce meridiana clarius fecimus. Legite item quem diuus Ioannes Polycarpum discipulũ habuit, Episcopum Smyrnæ, eum praeceptorem fuisse Hirenæi secundi Episcopi Lugdunensis in Gallia, qui ante mille quadringentos annos uixit, isq; aduersus Ebionitas ac Nicolaitas aliosq; libros quinq; scripsit, in quorum .ij. libro, capite .xxxix. pulchre docet puerorum baptismum. Quid autem pluribus uerbis utar? Publicanum Dominus Matthęum uocat: Zacchęi usurarij domum ingredi dignatur: Adulterij condemnatam in gratiam recipit: Peccatrici mulieri sese lauandum, ungendum, osculandum exhibet: Cum peccatoribus comedit, bibit, conuersatur, eos erudit: Medicum sese profitetur ægrotis: Amissas ac perditas oues conquirit: Perditum filium reuocat: Negantem sese Petrum conuertit: Persequentem ecclesiam Paulum uocat: Latroni in cruce paradisum promittit: Pueris autem, alienis delictis reis, sua natura puris & innocentibus ita iratus sit, ut solos coelo dignos coelo excludat? Sed non sic impij non sic.

De tertio autem nostri sermonis instituto, Scitote eo etiam errore transuersos agi Catabaptistas, ut Magistratum omnem tollant, omnibus dominijs reclament, Quam ego illis culpam affinxisse uideri nolo. Quin eorum in Christo fratrum prædicatorum Nurenbergensium, Augustanorum, Zuinglij Tygurini, Lutheri etiam testimonijs eos conuincam, quos ipsi testes refutare non poterint. Pręsto sunt, eorum testimonia in manibus nostris habemus, illorum ipsi fratres sunt, foedere uno coniuncti, una ex hæresi, diuersam tamen in familiam ceu nouam dæmonum coloniam deducti. Prædicatores Augustani, suo contra Catabaptistas uolumine totidem uerbis scripsere, hos esse errores Catabaptistarum.

ARTICVLI CONSCRIPTI EX AVGVSTANORVM PRAEDICATORVM LIBRO, contra Catabaptistas.

Nemo

Nemo Christianus gladium gerere, nemo cum Magistratu esse aut potest, aut debet, ex illo Lucæ: Reges gentium dominabuntur illis, uos autem non sic. I.

Iuramentum facere nemo debet magistratu iubente. II.

Ad ciuiles defensiones, & reipub. curam magistratui non obtemperandum. III.

Qui eorum hæresis & sectæ non sunt, eos hœdos nominant, stantes ad sinistram. IIII.

Cathedram Mosi penes neminem esse, nisi penes ipsos, neminem præterea uocatum. V.

Vetarunt ne quis sui ordinis uerbum Dei auscultatum nostra in templa accederet, ubi imagines sanctorum collocatæ colerentur, sed in eorum tantum conuenticulis Euangelium cognosci uoluerunt. VI.

Qui eorum in ordine ac secta non, eos pro damnatis habent. Sunt etiam in ijs, qui omnia communia esse uolunt. VII.

HOS OMNES articulos ad tumultus & bella, dæmonum astu compositos, apertissime scripturæ aduersari demonstrabo.

Principio diuus Paulus ad Roma. scribens ait: Omnis anima subiecta sit potestatibus sublimioribus ac magistratui. Neque enim est potestas, nisi a Deo. Omnis autē potestas ita ordinata est a Deo, ut qui repugnet magistratui, Dei repugnet ordinationi, Qui autem repugnabunt, subibunt iudicium. Magistratus enim nō sunt terrori ijs, qui bene agunt, sed malis. Timere magistratus non uis? Bene age, & laudaberis ab eis. Si autem male feceris, time, Neque enim frustra gladium gerunt magistratus, Ministri enim Dei sunt, uindices ad iustitiam ei qui mala operatur &c. Rom. xiij. Diuus etiam Petrus concordi spiritu commotus, non abhorrenti a Pauli sententia scribit &c. Breue uerbum Petrus adiungit, in quo totius rei summa posita est, cum inquit: Deum timete, Regem honorate, j. Pet. ij. Paulus præterea docet, hortari populum ad obediendum &c. Atque idem scribit: Obsecro uos &c. Ac quanquam hæc cuiuis fidelium sufficere debent, libeat tamen etiā, quæ uerissima mens suggerit, promere. Christus etiam si liber fuit, eo tamen tempore, eoque loco nasci uoluit, quo Augusto Cæsari totus mundus illius imperio obtemperans conscribebatur. Cuius rei gratia Ioseph & Maria, quæ Domino grauida erat, ex Galilæa in Iudæam profecti sunt. Neque tributū Christus debebat exigenti, tamen ne scandalo esset, ne malum exemplum præberet, exolui iussit, cum Capharnaum ex comprehensi piscis ore Petrum eripere moneret, quod pro utroque daret, Matthæi xvij. Numisma Cæsaris imagine insignitum non reiecit, sed dari Deo iussit, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris. Iudici sæculari cum de hæreditatis diuisione interrogaretur, nihil obstitit. Coram Pilato fassus est, potestatem esse desuper, id est, a Deo. Ferri igitur non potest error iste Catabaptistarum, magistratum potestatemque omnem e medio tollentium, quod Christus effugerit rex esse, cum diceret Luc. xxij. Reges gentium dominabuntur

Luc.22. illis,uos autem non sic. Hoc seruatoris nostri dictum prophani principes ac primores facile passi sunt ad impugnandam sacerdotum iurisdictionem ac potestatem quosdam abuti,Hoc gratum illorum auribus pabulum fuit.Atqui nunc iusta talione temeritatis suæ pœnas dât, cum uel Christo uel gladio ac magistratu sese abdicare, si horum rationibus aurem præbeant,necesse habeant. Nequit enim idem Christianus, & in magistratu esse, tametsi id nō iure,intolerabilius tamen est,quod ijdem Catabaptistæ dicunt,& pertinaciter faciunt, & non admittunt quenquam ad eorum impium balneum,nisi magistratu decedat, nisi potesta-
Acto. 10. tem exuat.Petrus enim Cornelium Centurionem baptizauit Cæsareæ,
Acto. 8. Philippus Eunuchum,Reginæ Candacis famulum, cum a neutro neuter cōditione sua ut decederet,locum qualemcunq; teneret,relinqueret, flagitaretur.De Sergio autem,alijsq; pluribus,breuitatis gratia,nihil inducam,Sed breuiter concludo,istos tumultuum, bellorum, discordiarum authores,furiosos spiritus,iterum apertissimo in mendacio esse deprehensos, neq; recte spirasse, conuictos iacere. Idcirco dilecti, Nolite credere omni spiritui.

SERMO PARAENETICVS, AD ORTHODOXOS INDVBItatæ ueteris fidei Christifideles

D. IO. FABRI.

PLVRIMA sunt,dilectissimi in Christo fratres, quæ aduersus impios Catabaptistas,in medium proferre queam.Sed operæprecium non duxi, puerorum baptismum pluribus confirmare, quando hæc sancta nostra Catholica Ecclesia, in qua nati sumus,& per baptismū adhuc infantes regenerati, atq; insiti a spiritu sancto, subornata,erudita, conseruata perstat in possessione infantum baptismi, præscriptioneq; legitima tot sæculorum, quæ ab Apostolorum inde memoria fluere,proprie suum usurpat,neq; se feret leuium insultu temerario suis bonis spoliari.Contra euangelium puerorum baptismus non est,pro nobis igitur est.Cum igitur is,qui de domo Dauid, domo Zachæi,idemq; de domo Abrahæ egressus, omnibus salutem tulerit peccatoribus, agnus Dei innocentissimus, pro Adæ principis humani generis parentis casu, nostrisq; omnium delictis mactatus, Iubilæum annum induxerit,sanguinem & aquam, non tantum pro natu grandioribus,sed etiam paruis atq; insontibus pueris,alieno malo perstrictis,e latere suo in crucem sublatus,largiter ad confirmandū baptismum aliaq; sacramenta effuderit.Ideoq; Emerentiana atq; alij Dei sancti non pauci sanguinis baptismo saluati sunt, neq; immerito innocentes pueri sub Herode trucidati,qui multis sæculis pro sanctis sunt obseruati,eiusdem baptismi præsidijs in cœlestium numerum sunt repositi. Tutius itaq; est

cum

cum Ecclesia constanter, atq; istis leuiculis circulatoribus, de hoc articulo & sentire & credere. Gloriantur catabaptistæ, ut quondam Nouatus hæreticus, sese solos catharos. i. mundos esse, & ab omni delicto alienos. Eorũ conciliabula, Ecclesiam appellant, nostram sacrosanctam congregationem negant esse Ecclesiam. Omnes præterea non suæ factionis nephariæ complices, etiam Lutheranos, ut impuros contemnunt, cum interim eorum manus & pedes pleni sint sanguine. Mundities autem quæ esse potest, quam nam puritatem speremus apud eos, quorum conciliabula uxoribus cõmuniter pro libidine abutuntur? Quæ eorum puritas eiusmodi est, ut tam impurus nemo hactenus fuerit, qui literis committere ausus sit. Et quanq̃ præclara eorum res a quibusdam doctoribus quos illi in custodias inclusos iam uirgis cędere et urbibus exigere solent, præscriptæ sunt, et nos singula si persequi uelimus, plures decades confecturi: unum tamen præterire nequeo, quomõ Catabaptistæ magnam pecuniæ uim, multũ preciosi suppellectilis ex miserorum inopia emunxerint. Audite quibus artibus (historiam narro, rem gestam affero, nihil adfingo) tredecim Catabaptistæ societatem ac fœdus coiere, unum, qui ad id idoneus magis uisus est, magistrum fecere, duodecim reliqui discipulos agebant. Cum itaq; in mõtanis, in prædiuitem, eumq; simplicem agricolam incidissent, ex duodecim aliquot facie, uultu, habitu magnam humilitatem sanctimoniamq; hypocritice simulantes, magistrum pręcessissent, ad miserum agrestem accedentes, magistrũ, quem saluatorem appellabant, uirum sanctum, prophetam, in illius ædes diuersurum nunciabant, habiturumq; sermonem, Cęterum ipsos discipulos esse XII. qui magistrũ sequerẽtur. Cum uero agricola neq; uini neq; cæterarum rerum quæ ad uictum pertinent, copiam se habere quereretur, ne pisces quidem quibus saluator uesci solitus sit, quib. tam sanctum uirum, tantumq; prophetam pro dignitate accipere queat, Tum discipuli amphoras duas aquæ plenas pro fenestra statui iusserunt. Cum igitur uenisset saluator, reliquis discipulis sequentibus, misero agricolæ familięq; illius sermonem fecit. Interim commodum nacti tempus discipuli, effusa quæ in amphoris erat aqua, uinum quod secum attulerant, infuderunt: piscesq; aliquot bene magnos, in puteum, qui præ foribus erat, in quo piscis antea nunq̃ uisus, immiserunt. Confecto itaq; sermone, rebaptizatisq; omnibus, nihil tale suspicatus agricola simplex, amphoras aquæ plenas ratus, in medium protulit. Hic magistraliter pseudosaluator ille, uerum simulans saluatorem, qui in nuptijs in Cana Galilææ, diuina benedictione aquæ amphoras in uinum commutarat, sua benedictione, fucatis gestibus usus, itidem sese facere uideri uoluit. Cum igitur uir simplex, qui probe sciret se aquam infudisse, uinum experiretur, attonitus procidit coram saluatore, eumque adorauit. Quod cum probe successisset, alterum actum aggressi de piscibus percontati sunt. Et cum pisces in promptu esse negaret agrestis, saluator ad puteum progressus solitis usus præstigijs, pisces excipi iussit. Hic maiori admira-

ri admiratione ducitur agrestis ille in solitudine uiuens, quippe qui sciret eo in puteo pisces non reperiri. Hisque rebus adductus, omnes facultates suas uanissimis nebulonibus est impartitus. Quod non paucos præterea fecisse constat, ut relictis cõiugibus, liberis, possessionibus, hæc hominum ludibria sequerentur. Cuius generis exempla (sic enim legitur: Ecce ego ad Prophetas, ait dominus, qui furanť uerba mea, unusquisq; a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait dominus, qui assumũt linguas suas, & aiunt, dicit dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait dominus, qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, quum ego non misissem eos, nec mandassem eis) si persequi uellem, uolumen totum complecterer. Contra hos Hier. xxiij. ac dubio procul, ut Cham patrem, & Chanaan seruos suos, ita eos deus maledicet, & eorum flagitia traducet, deq; ipsis, ut olim Ianne ac Mambre supplicium sumet. Quo circa, dilectissimi, qui adhuc pacificos, pios, obediẽtes agitis Christifideles, quandoquidem oculis uestris, qui certissimus sensus est, intueri potestis, ipsis manibus (ut dici solet) palpare, quam perniciosę atq; impię sint Catabaptistarũ doctrinæ, quam intolerabilia reipub. Christianę facinora. Quis enim unq̃ uel audiuit, uel mente concipere queat, tantam impietatẽ, tam scelerato cogitatus, qualibus isti armati, cœlo manus, gigantum instar, afferre pararunt, qui tam diu Euangelium ac Christi doctrinam, ludos fecere, quoad eo peruasit eorum peruersitas curiosa, ut a dei primum metu, deinde sensim etiam honore elapsi, postremo & fidem & Ecclesiam penitus deseruerint. Vbi autem in impietatis profundum mens humana delapsa est peruicaci animo, per contemptum & per ludibrium, diuina omnia tractando facile metu religionis soluta, & templis bella indicit, diuum imagines eludit, euertit Sacramenta, contemnit dei seruos, exosos pro libidine omnes contumelijs dignos, quotquot hac impietate imbuti sunt, quin ipsum deũ omniũ autorẽ negligunt, summumq; pastorem Christi uere negant. Recordentur itaq; authores impijssimi dogmatis, ꝓpugnatores & complices perniciosissimi fœderis, quanta mala, quãta corporis, animarum, bonorumq; clades et pericula proruperint ex hac lerna pestilentissima malorum omnium, uitiorumq; sentina. Iterum angelus percussorem gladium nudauit. Verendum est, cum multi magistratus Christum in sacramento exegerint, & in præcipuis articulis fidei desertores desciuerint, ne nos quoq; deserat altissimus nostris delictis, nostra ingratitudine exagitatus, & ad Lydium lapidẽ allisos conterat. Videte autem quo eorum animi tendant, Non id agunt, ut Euãgelium ac religionem fortiter tueantur, sed si Turca eoue immanior, & si quid truculentius Turca esse potest, forte inuaserit, eum lubenti animo accepturi, eũ adoraturi uidentur: Sic enim ab Archihæretico supremo tot monstrosissimarum opinionum capitaneo Luthero sunt edocti. Octo iam anni sunt, quando a me scriptum est fore, ut ille Monachus Turcas in Germaniam introduceret: Quod (proh dolor) utinam non tam uere prouidissem,

prouidissem, nam plane effectus iam existunt, testanturque id multae impiae actiones, uaria argumenta in Catabaptistarum tenebris reperta, ac in lucem protracta. Hi fructus an sint Euangelici, quiuis expendere poterit, in quo uel scintilla amoris Dei resedit. Timendum praeterea est, nisi diligentius acriusque uigilent Principes, maiora quaedam immanioraque facinora, ante hoc tempus nunquam audita, designatum iri. Nam tametsi illorum uagi scurrae circulatores, quorum magnum numerum in uarias Germaniae partes, oppida, pagos legarunt, in hisque principes Episcopos, Thesaurarios constituerunt, non omnibus in locis, uerum fundamentum crudelissimorum impiissimorumque conatum ac mysteriorum protulere, sed simplices ex imperita multitudine primo caelandos putauere, ne abominabilibus eorum institutis absterrerentur. Constat tamē illorum Capitaneos, ubi in dissolutissimos Lutheranae factionis nebulones inciderint, qui Euangelium ad omne genus libidinum effrenatarumque cogitationum carnis abutuntur, qui nemini obtemperare, neminem obseruare, pietatem habent, eiusmodi nepharios suos cogitatus communes fecisse, Ac quum omnibus rebaptizatis magnam partem iurandum sit, corpus, animam, honores, facultates in mediū ponere, inque discrimen conferre uelle, quid aliud est, quam ut recte depinxit diuinus ille Propheta Esaias, foedus atque adeo auidissima humani sanguinis conspiratio? quae ab orbe condito non audita sit, Non solis enim principibus, Magistratibus, omnium ordinum hominibus, sed toti Christianae reipub. ultimam perniciem exitiumque minitantur. Extinctus est amor Christianus, inualuit improborum malitia, contempta iacet religio inquinatissimis sermocinatorum furiosissimorum sermonibus per summam licentiam protrita ac pessundata, quae nisi restauretur, & in pristinum locum reponatur, ac uerbum Dei pio, honesto, pacifico, Christianoque intellectu, more maiorum fidelium mentibus inseratur, fieri non potest, ut quisquam princeps aut dominus potestate gladij se suamque salutem ac dignitatem tueatur. Ex istis nouorum, id est, dissolutissimorum, uanissimorum uerbi Dei praeconū, concionibus tumultuosis, leuissimis, licentiosissimis opinionibus, non nisi summa uastitas bonorum omnium, & extrema pernicies expectanda est. Summus Deus faxit, ut suum uerbum uti malleus aliquis conterat saxa, Sodomae caecitatem abstergat, Nembroth efferat flagitia, Antiochum templorum uastatorem frangat, uastationem desolationemque Pharaonis post tot plagas a nobis auferat, nobisque germanicam illam multis millibus annorum partā pacem denuo reddat. Fiat, fiat.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

IOANNIS FABRI EPISCOPI VIENNENSIS ANTILOGIARVM MARTINI LVTHERI LIBER.

SERENISS. AC POTENTISS. DOMINO D. Ferdinando Hungariæ atq; Bohemiæ &c. Regi, Archiduci Austriæ &c. Ioannes Fabri Doctor salutem, gratiam, & omne bonum a Deo Optimo Maximo exoptat.



SERENISSIME Rex, Quicunq; in Lutherum hactenus unquam scripserunt, omnes doctrinæ constantiam in eo desiderauerunt, imo eius inconstantiam reprehenderunt. Quam & Cæsarea maiestas in suo aduersus eum edicto Vuormaciensi clarissimis uerbis detestatur & exprobrat. Quoties uero interim per annos nouem in libris sermonibusq; suis adeo multis uarijsq; argumentis sententiā mutauerit, quis enarret? Visus est itaq; nonnullis biceps, quibusdam triceps, imo & septiceps in multis recte conuictus est argumentis. Nusquā enim firmiter in ullo proposito perstat, sed uarius ubiq; & mutabilis ut fœmina semper. De quo rectissime intelligitur illud Iacobi: Vir duplex animo inconstans est in omnibus uijs suis. Nos igitur ex innumeris ipsius contradictionibus aliquot locos in compendium redegimus quoddam, R. Ma. tuæ suppliciter offerendum. Ex quo sane facilimum sit Lutherum Luthero redarguere, profligare, conficere, damnare. Speramus itaq; eos principes proceresq; & status Imperij, qui hactenus illius doctrinam plus æquo laudauerunt & amplexi, mitiores erga Lutheri aduersarios futuros esse, ubi uiderint neminem Luthero aduersari magis aut manifestius quàm Lutherum ipsum, ut tandem admonitione clementi Ecclesiam potius, quæ nec errare, nec sibijpsi contradictoria esse potest, nobiscum unanimiter sequantur, & defendant, quàm Lutherum, qui seipsum a seipso sibimet contradicente defendere non potest. Vir & lingua & calamo uarius, sensuq; duplex & diuisus, non modo contra Ecclesiam & sanctos patres, uerumetiam contra complices defensoresq; suos, & cōtra seipsum maxime & in primis, ut nulli iustius quàm illi dictum uideatur: De ore tuo te iudico, serue nequam, & ex uerbis tuis iustificaberis & condemnaberis. Bene ualeas serenissime Rex. Datum Augustæ v. Septembris anni xxx.

TITVLI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAP. I.

Lutherus.

In li. de potestate Papae.



MNIVM Ecclesiarum idem est baptismus, eadem Eucharistia, eadem confirmatio, idem uerbum Dei, idem sacerdotium, eadem pœnitentiæ, unctionis, matrimonij, & omnia sacramenta.

In cap. Baby. Antiluth. Neganda sunt septem sacramenta.

De cap. Bab. II Luth. Tria sunt in ecclesia Dei sacramenta, Baptismus, Eucharistia & Pœnitentia.

De cap. Bab. Antiluth. Si rigide loqui uolumus, sunt tantum duo in ecclesia Dei sacramenta, Baptismus & panis.

De potestate Papae. III Luth. Septem sunt sacramenta.

De cap. Bab. Antiluth. Tantum tria sunt sacramenta pro tempore ponenda.

Ad Vualden. IIII Luth. Duo tantum sunt sacramenta.

De cap. Bab. Antiluth. Si iuxta scripturam loqui uelim, est tantum unum sacramentum.

De abroganda Missa. V Luth. Quod sine uerbo Dei ordinatur, non ab Ecclesia, sed a synagoga Satanæ sub Ecclesiæ nomine ordinatur. Qua igitur audacia sacramenta dicitis, quæ Deus in scriptura sacramenta non dicit?

In li. 2. aduer. Carlstadium. Antiluth. Age animicida tu, & spiritus peccati, fatemur Deum non dixisse sacramenta, nec præcepisse ut sacramenta dicantur, sed dic nobis contra, ubi prohibuit ita appellari? Quis ergo potestatem dedit prohibendi, quod Deus non prohibuit? quid si hic temerarius es, ut tam grande facias peccatum, ubi Deus nullum facit?

In resolutio. conclu. 7. VI Luth. Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat.

In li. aduersus Catabaptist. Antiluth. Qui baptismum fundare uult super fidem baptizandi, is nunquam baptizabit ullum hominem, Quia etsi centies unum hominem uno die baptizes, nescis tamen an credat, Neque igitur baptizator neque baptizatus potest baptismum super fidem fundare. Qui autem baptizatur super uerbum & præceptum Dei, etsi nulla adsit fides, adhuc tamen uerus & certus est baptizatus, quia fit sicuti Deus præcepit.

DE VIRTVTE SACRAMENTORVM.

CAP. II.

Lutherus.

In sermõe de præparatione ad mortẽ. MOriturus magnifaciat sacramenta, ea ueneretur, eis secure hilariterque confidat, ac contra peccatum, mortemque & infernum, ea sic libret, ut longe præponderent, ac multo plus de sacramentis & eorum uirtutibus cogitet, quàm de peccatis.

In Resolutio. & assertio. Antiluth. Vsitata, sed hæretica sententia est, sacramenta nouæ legis dare gratiam his qui non ponunt obicem.

DE BAPTISMO. CAP. III.

Lutherus.

QVocunq; modo tractatur baptiſmus, modo non in nomine hominis, ſed in nomine Domini tradatur, uere ſaluum facit. *In cap. Baby.*

Antiluth. Seruanda eſt Euangelij forma, ut baptizetur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. *In multis lib.*

II Luth. Baptiſmus non eſt plus quàm externum ſignum. *In ſermo. de recũbentibus undecim.*

Antiluth. Deteſtandi ſunt Suermeri ſacramentarij, qui ſacramenta pro ſignis externis habent, quibus Chriſtiani ſignantur, ſicut oues creta rubea. *In epiſto. aduerſus regem Angliæ.*

III Luth. Baptiſmus non ſolum ſignum eſt pueris, ſed & adultos allicit & hortatur ad pœnitentiam. Pœnitentia enim & contritio, ac dolor, per aquæ baptiſmum deſignatur. *In lib. uiſita.*

Antiluth. Periculoſum eſt uerbum illud diui Hieronymi, ſiue male poſitum, ſiue male intellectum, quo pœnitentiam appellat ſecundam poſt naufragium tabulam, quaſi baptiſmus non ſit pœnitentia. *In cap. Baby.*

IIII Luth. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare. *In aſſer. ar. 2.*

Antiluth. Baptiſmus omnia peccata remittit. *In cap. Baby. de baptiſmo.*

V Luth. Præſtat prorſus omittere baptiſmum in paruulis, quàm baptizare ſine fide, quia ſacramenta neq; debent neq; poſſunt ſine fide accipi. *In li. ad Vualdenſes.*

Antiluth. Paruuli baptizari debent, ſicut hucuſq; obſeruatum eſt, quandoquidem idem ſignificat baptiſmus, quod ſignificauit circumciſio. Cum igitur circumciſi fuerint pueri, debent & baptizari. *In lib. uiſitat.*

VI Luth. Sine dubio inſtitutum eſt a Chriſto, baptizandum penitus in aquam immergi debere. *In cap. Baby.*

Antiluth. Quod e ſcripturis authoritatem non habet, manifeſtum eſt a diabolo eſſe. *De abroganda Miſſa.*

DE CONFIRMATIONE. CAP. IIII.

Lutherus.

COnfirmatio ſacramentum eſt. *De poteſtate Papæ.*

Antiluth. Mirum quid illis in mentem uenerit, quod ſacramentum confirmationis fecerunt ex impoſitione manuum. *De cap. Bab.*

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

CAP. V.

Lutherus.

MAgnus & pernicioſus error eſt, ſi quis accedat ad ſacramentum Euchariſtiæ, ea nixus fiducia, quod confeſſus non ſit conſcius mortalis peccati, quod orationes ſuas & præparatoria præmiſerit. Omnes illi iudicium ſibi manducant & bibunt, quia his omnibus non ſunt digni, neq; puri, Imo per eam fiduciam puritatis peius inficiuntur atq; polluuntur. *In ſermõe de præparatione ad Euchariſtiam.*

In uisita. Sax. Antiluth. Parrochi primum doceant populum, quàm grande sit peccatum, hoc sacramentum inhonorare, ac eo non recte uti.

In sermone feria 5. post Inuocauit. II Luth. Si aliquis adeo petulans est, quod contrectare uelit manibus sacramentum, is faciat illud sibi domum deferri, & contrectet, sed non coram multitudine.

In sermõe de præparatiõe ad mortem. Antiluth. Omni studio ac uigilantia magnifacienda sunt & honoranda sancta sacramenta, maxime sacramentum altaris.

In ser. de triplici iustitia. III Luth. Non peccat Laicus, si calicem aut corpus Domini contrectet.

Antiluth. Proculdubio inulta non manebit inhonoratio, quę corpori & sanguini Domini fit.

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE.

CAP. VI.

Lutherus.

De cap. Bab. Negare utranq; speciem Laicis, est impium & Tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, nedum Papæ, aut Concilij cuiusquam.

In ser. de Eu. Antiluth. Quamuis populo nunc non datur utraq; species, sicut olim, neq; est necesse, tamen sacerdotes utranq; sumunt quotidie coram populo, & satis est populum quotidie desyderare, & suo tempore alteram speciem, quantum ordinat & dat Ecclesia catholica, sumere.

In declaratione Eucharist. II Luth. Non dixi, neq; consului, neq; est intentio mea, ut unus aut aliquot Episcopi propria authoritate incipiant alicubi utranq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur ac mandaretur in Concilio generali.

In asser. arti. Antiluth. Consultum mihi uidetur, ut non modo per Concilium, sed per quamcunq; Dioecesim, quilibet Episcopus, etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus utranque speciem Laicis daret.

De Euchari. III Luth. Quamuis Romana Tyrannis integritatem sacramenti nobis abstulerit, non tamen peccant in Christum, qui una specie utuntur, cum Christus non præceperit ulla uti, sed arbitrio cuiuslibet reliquit dicens: Quotienscunq; hoc feceritis, in mei memoriam facietis.

De cap. Bab. Antiluth. Quod dicunt Ecclesiæ arbitrio relictum esse distribuendam utranq; speciem, sine ratione dicitur, sine authoritate producitur, & eadem facilitate contemnitur qua probatur.

IIII Luth. Non probo utranq; speciem Laicis dari, nisi fiat mandante Concilij generalis authoritate.

De formula Missæ. Antiluth. Si quo casu Concilium statueret, minime omnium nos uellemus utraq; specie potiri, imo tunc primum in despectum Concilij uellemus aut utra tantum, aut neutra, & nequaquam utraq; potiri, ac plane eos Anathema habere, quicunq; authoritate talis Concilij potiretur utraq;.

In assertioni. art. 16. V Lutherus. Neutra species, sed sola fides ad salutem necessaria est.

Antiluth.

Antiluth. Fortiter ac libere prædicent parrochi, hanc Euangelij doctrinam de utraqꝫ specie, & nullo pacto alteram speciem iustificent, sed redarguant, uelut rem iniquam. In cap. Baby.

VI Luth. Caput sextum Ioannis est in totum seponendum, ut nec syllaba quidem de sacramento loquitur.

Antiluth. Sub utraqꝫ specie communicandum probatur Ioannis sexto. In Visitat.

DE PRAEPARATIONE AD EVCHARISTIAM.

CAP. VII.

Lutherus.

SEcure ad sacramentum accedit, quicunqꝫ peccatorum suorum uexatur siue morsu siue titillatione. In cap. Baby.

Antiluth. Non debent ad hoc sacramentum admitti, qui in manifestis iacent peccatis. In declaratio. ser. de Euch.

II Luth. Fidele consilium meum est, ut homo Christianus tempore Quadragesimæ & Paschatis neqꝫ confiteatur, neqꝫ ad sacramentum cat. De confessione parte 3.

Antiluth. Nemo debet admitti ad sacramentum, nisi prius a pastore suo sit specialiter requisitus, an dispositus sit ad sacramentum. In Visit. Sax.

III Luth. Verbum promissionis solum regnare debet in fide pura, quæ est unica & sola sufficiens præparatio ad sacramenti sumptionem. De cap. Bab.

Antiluth. In lecto ægritudinis constitutus, antequam Eucharistiæ sacramentum accipiat, suo sacerdoti confiteatur, ac per inuocationem sanctorum alijsqꝫ modis præparare se studeat. De homine moriente.

DE TRANSSVBSTANTIATIONE.

CAP. VIII.

Lutherus.

IN sacramento altaris non est panis & uinum, sed species panis & uini, Nempe panis in uerum & naturale corpus Christi, Et uinum in uerum & naturalem sanguinem Christi transmutatur. In sermo. de Euchari.

Antiluth. Thomistica doctrina est, transsubstantiari panem & uinum: liberum est, & citra salutis periculum, imaginari, opinari & credere, remanere aut non remanere substantiam panis & uini. In cap. Baby.

II Luth. Ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit, nec unquam de transsubstantiatione meminerunt sancti patres. De cap. Bab.

Antiluth. Ego frater Martinus Luther Augustinianus, protestor me colere & sequi sanctam Romanam ecclesiam in omnibus dictis & factis præsentibus, præteritis & futuris. In Actis Augusten.

III Luth. Docendi sunt Christifideles, ut credant in pane uerum corpus Christi, & in uino uerum sanguinem Christi. In lib. visita.

Antiluth. Docui hactenus & adhuc doceo eiusmodi sententiam non esse necessariam, nec multum habere momenti, siue maneat panis siue non.

In Visita. IIII Luth. Paulus ait j.Cor.xj. quod cibus iste non debet ut communis cibus existimari,sed pro corpore Christi, Et arguendi sunt, qui absq; timore,& ueluti communem cibum sumunt.

Ad Vualden. Antiluth. Non damnandi,nec hæreseos accusandi sunt, qui sacramentum non adorant,cum non sit præceptum,nec Christus in hoc ibi adsit.

In lib.contra regē Angliæ V Luth. Impius est blasphemus,si quis dicat panem transsubstantiari,Catholicus autem & pius est,qui contrarium docuerit.

In ser.de Eucha. Antiluth. Sicut panis & uinum transsubstantiatur,ita nos in spirituale corpus transmutamur.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI. CAP. IX.

Lutherus.

Ad Vualden. NVllum festum odi magis unquam, quàm festum corporis Christi.

Ad Vualden. Antiluth. Multi adorabant Christum,conuersantem in terra, & ipse quoq; non reiecit, ut Magi ex oriente occurrentes,& cæcus Euangelicus &c.

DE MISSA. CAP. X.

Lutherus.

In 10. præc. ETiam ne diebus festis beatæ Virginis & Apostolorum celebrandæ sunt & audiendæ Missæ?

De abroganda Missa. Antiluth. Non nisi die dominica semel celebrandum & communicandum est.

In cap.Baby. II Luth. In consecratione calicis aqua cum uino misceri debet.

In Psal. & multis alijs suis libris. Antiluth. Non est necesse aquam cum uino misceri,quod ita factum in Euangelio non reperitur.

De cap.Bab. III Luth. Impijssimus abusus est in Ecclesia persuaderi,Missam esse opus bonum & sacrificium.

De 10.præ. Antiluth. Missas pro uiuis & defunctis ualere tota approbauit Ecclesia.

In Decalogo IIII Luth. Diebus dominicis ac festis unusquisq; Christifidelis,Missam in sua parrochia audire tenetur.

De cap.Bab. Antiluth. Missa summa est peruersitas.

In resolu.conclusio.26. V Luth. Plus prodest si Missa per sacerdotem applicetur uni,quam si sine applicatione pro omnibus celebretur.

De cap.Bab. Antiluth. Manifestus & impius error est,Missam pro peccatis,pro satisfactionibus,pro defunctis,aut quibuscunq; necessitatibus suis aut aliorum, offerre seu applicare.

De cap.Bab. VI Luth. Missa pars est Euangelij,imo summa & compendium Euangelij.

In li.2.cōtra Zuingliū & Oecolampa. Antiluth. Maxima peccata mea sunt,quod tam sanctus fui Monachus,ac tot Missis per annos quindecim Dominum meum tam grauiter offendi.

De Euchari. in lib.de abrogāda Mis. VII Luth. Christus Eucharistiā sibi non accepit,sed alijs ministrauit.

Antiluth.

Antiluth. Quamuis scriptum non sit, Christum ualedictionis haustum accepisse, tamen non solis discipulis dedit, sed & ipse bibit. Et cum ipsi biberunt sanguinem Christi, ipse quoq; cum illis proculdubio bibit. In li.2.cōtra Zuingliū & Oecolampa.

VIII Luth. Ad abolendum uictoriosum Eucharistiæ mysterium profecit Satan, donec Missa ferme solis mortuis seruiat, quæ pro uiuis solis est instituta. De abroganda Missa.

Antiluth. Error esse non potest, pro defunctis celebrare Missas, cum & illud idem sanctus Augustinus pro sua matre Monica fecerit. De 10.prece.

IX Luth. Eucharistia seu Missa prorsus nulli alteri potest applicari & communicari. De abroganda Missa.

Antiluth. Certus sum & scio, Missas tam uiuis quàm defunctis prodesse. De 10.prec.

X Luth. Manifestum est, sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus in cœna fecit, & id facere, quod Iudæi fecerunt in cruce Christo. Contra Regē Angliæ.

Antiluth. Quum sacerdos cum populo orat, ieiunat, sacrificat, De quo suffragio nullum est dubium, quin uehementer prosit & redimat animas. Resol. 26.

DE CANONE MISSAE.

CAP. XI.

Lutherus.

STulte interpretamini Canonem fratres, uolentes in eo Missam legendam altiore uoce, quod non uideri, sed audiri sit præceptum, quasi non magis præceptum sit, Canonem Missæ, qui solus proprie Missa est, pressa uoce legi, ne audiatur, Cætera uero orationes & paramenta ad Canonem Missæ. De 10.prec, cap.3.

Antiluth. Vellem quod nos Germani germanice Missam legeremus, & uerba secretißima altißima uoce decantaremus. In sermōe de nouo Testa.

II Luth. Habeo quod pro sano sensu Canonis dicere poßim, quod & alias feci. De abrogan da Missa.

Antiluth. En tibi sacrum Canonem, ut scias quid nam sit, & obstupescens, cruce te signes, fugiasq; ab eo, haud secus atq; a diabolo & abominatione peßima. De abominatione Canōis.

DE SACERDOTIBVS. CAP. XII.

Lutherus.

SAcerdotes a subditis honorandi sunt. In Decalogo.

Antiluth. Nullum est in nouo Testamento sacerdotium, nisi quod est humanis mendacijs a Satana creatum. In cap.Baby.

II Luth. Reipsa omnes sumus æquales sacerdotes & Laici. De cap.Bab.

Antiluth. Non parua differentia est inter sacerdotes & Laicos. In Decalogo.

III Luth. Esto itaq; certus, & sese agnoscat quicunq; se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes. Hoc est eandem in uerbo & sacramento quocunq; habere potestatem. De Cap.Bab.

Antiluth.

In reſolut. Antiluth. Solis ſacerdotibus ad hoc ordinatis ſacramenta miniſtra-re & uerbum Dei prædicare permittitur.

De abrogan-da Miſſa. IIII Luth. Præſtat publicum lenonem aut latronem eſſe, quàm ſa-cerdotem Papiſticum.

In explicatio ne Pater noſter. Antiluth. Chriſtus docet nos orare pro uniuerſis Prælatis ſpirituali-bus, pręcipue pro illis, quorum intereſt uerbum Dei impartire nobis.

In lib. Viſita. V Luth. Ad quartum præceptum pertinet, honorarę presbyteros, qui uerbo Dei nobis miniſtrant. Miniſtri enim ſunt uerbi Dei, & nos per eos uerbum Dei habemus.

De abrogan da Miſſa. Antiluth. Vere dixi ſacerdotes eſſe idola mundi. Ego ne idola illa raſa & oleata ullo dignos cenſeam honore?

In reſolutio. VI Luth. Nulli Deus remittit culpam, ſi non ille ſe ſubiecerit & hu-miliauerit ſuo ſacerdoti uicario.

Ad Senatum Pragenſem. Antiluth. Sacerdotes nullo iure, ſed abuſu damnabili utuntur in confeſsionibus ligandi & ſoluendi iudicio. Nam nos omnes qui Chri-ſtiani ſumus, habemus commune officium clauium.

In reſolutiõe concluſio. 7. VII Luth. Ordine generali non eſt nobis certa remiſsio culpæ, niſi per iudicium ſacerdotis, Hæc eſt illa dulciſsima poteſtas.

De abrogan-da Miſſa. Antiluth. Sacerdotes ſunt onera intolerabilia orbis terrarum, neq; ſacerdotes appellari debebunt.

DE POENITENTIA. CAP. XIII.

Lutherus.

In Decalogo. Poenitentia poſt peccatum ſummopere laudanda eſt.

De cap. Bab. Antiluth. Non eſt pœnitentia poſt naufragium ſecunda tabula.

In lib. Viſita. II Luth. Pœnitentia inter ſacramenta connumeretur, ideo ſane quod omnia ſacramenta pœnitentiam ſignificant.

In lib. Viſita. Antiluth. Scriptura tantum duo ſacramenta nouit, Baptiſmum & Euchariſtiam.

DE SATISFACTIONE. CAP. XIIII.

Lutherus.

In Reſolutio. Martyres, item Romani Pontifices & uetuſtiſsima Concilia recte ſtatuerunt modum pœnitendi & ſatisfaciendi pro peccatis ad ali-quot annos.

In aſſertio. Antiluth. Oſtendant ſi poſſunt, ubi in tota ſcriptura unus apex aut iota ſcribatur, pro peccato mortali uno debere ſatisfieri ſeptem annis.

In Aſſertio. II Luth. Dicant ubi pro differentibus peccatis differentes pœnas ſtatuant Chriſtus & Apoſtoli.

In Aſſertio. Antiluth. Sancta mater Eccleſia pro affectu præuentura manum Dei caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant fla-gella Dei.

In reſto. con-cluſione. 3. III Luth. Tres ſunt partes ſatisfactionis, Ieiunium, oratio, & elee-moſyna.

Antiluth.

I Antiluth. Satisfactio pro peccatis nostris nulla sunt opera nostra. In lib. visita.
IIII Luth. Peccantes absoluimus ante satisfactionem impletam. De cap. Bab.

Antiluth. Vehementer odi & sublatum uellem hoc uocabulum satisfactio, quod non modo in scripturis non reperitur, sed & periculosum habet sensum. In Assertio. art. 5.

V Luth. Poena satisfactionis arbitraria est, non in totum, ut illi uolunt, sed tamen necessaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata. Ibidem.

Antiluth. Sic instant & necessariam faciunt satisfactionem, ut fidei in Christum non relinquant locum, miserrime excarnificatis eo scrupulo conscientijs.

DE CONFESSIONE. CAP. XV.

Lutherus.

MVltæ sunt circumstantiæ, quæ peccata grauant. In decalogo.

Antiluth. In confitendis peccatis apud Christianos una dumtaxat circumstantia est, peccasse in fratrem, nec aliquid facit obseruatio locorum, temporum & personarum. In cap. Baby.

II Luth. Solis sacerdotibus confitendum est. In resolu. & 10. precep.

Antiluth. Omnibus & singulis Christianis, etiam mulieribus, dictum est, Quodcunque ligaueritis super terram &c. & absoluitur quisquis fuerit, & quicunque sic confessus fuerit. In Cap. Baby.

III Luth. In mortis articulo constitutus ad se sacerdotem uocet, ubi sua confiteatur peccata omnia. De præparatione ad mor.

Antiluth. Non est necesse confiteri peccata omnia. In Resolutio.

IIII Luth. Si absoluit me presbyter, acquiesco eius absolutioni tanquam uerbis Dei, & super hoc morior. Tam firmiter enim credere debes absolutioni presbyteri, ac si Deus specialem Angelum aut Apostolum ad te mitteret, imo tanquam Christus ipse absoluerit. De præparatio. ad mortē.

Antiluth. Vtuntur in confessionibus quoque & excommunicationibus ligandi & soluendi officio, sed iure nullo, abusuque damnabili. Ad Senatum Pragensem.

V Luth. Confessio auricularis in Ecclesia, etsi ex scriptura probari non possit, utilis tamen est, imo necessaria. De cap. Bab.

Antiluth. Confessio auricularis est fictio hominum. De 10. lepro.

VI Luth. Nolo ut quisquam mihi confessionem tollat, nec uelim eam pro totius mundi thesauris dare. In sermone dominica Reminiscere.

Antiluth. Nolo confiteri ob id solummodo, quod Papa præcepit & fieri uult. Ibidem.

VII Luth. Imo iam pridem a diabolo interemptus essem, si me non seruaret confessio. Ibidem.

Antiluth. Qui habet fortem ac firmam fidem, quod dimissa sunt sibi peccata sua, is potest hanc confessionem omittere, & sibi soli confiteri. Ibidem.

DE CONTRITIONE. CAP. XVI.

Lutherus.

 Contritio

In sermõe de poenitentia. Contritio quæ fit per deteſtationem peccati, amiſsionẽ æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis, facit hypocritam, imo magis peccatorem.

In lib. uiſitat. Antiluth. Vera fides non poteſt eſſe ſine ſeuera ac ueraci contritione atq; terrore coram Deo.

DE SACRIFICIO MISSAE. CAP. XVII.

Lutherus.

De cap. Bab. Longe impijſsimus abuſus eſt dicere, Miſſam eſſe opus bonum & ſacrificium.

In 10. præce. Antiluth. Iniquiſsimus hoſtis, nec hoc ſaltem ſacrificium reliquit ſyncerum.

In cap. Baby. II Luth. Qui docuerunt Miſſam eſſe opus operatum & ſacrificium, monſtra impietatis docuerunt,

De 10. præc. Antiluth. Expertus ſum & ſcio, Miſſæ ſacrificium ualere pro defunctis.

De abroganda Miſſa. III Luth. Sacrificium ex Miſſa facere, eſt ſubſtantiam ipſam ſacramenti & totum quod eſt a Chriſto inſtitutum mutare.

In Pſal. 109. Antiluth. Quid eſt quod Melchiſedech panem & uinum obtulit pro Abraham: Ibi expreſsit ſacerdotium Chriſti in hoc tempore uſque ad nouiſsimum diem, quod abſconditum ſacramentum altaris, ſacri corporis & precioſi ſanguinis ſui offert in Eccleſia.

DE SACERDOTIO NOVAE LEGIS.

CAP. XVIII.

Lutherus.

De abroganda Miſſa. Certus eſto, nec ulla perſuaſione falli te ſinas, quiſquis uoles eſſe pure Chriſtianus, nullum eſſe in nouo Teſtamento ſacerdotium uiſibile & externum, niſi quod humanis mendacijs per Satanam erectum, Vnum uero & ſolum eſt nobis ſacerdotium Chriſti, quo ipſe ſeſe obtulit pro nobis, & nos omnes ſecum.

In lib. uiſita. Antiluth. Sacerdotes Chriſti honorandi ſunt, iuxta illud Apoſtoli: Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt.

Ad ſena. Pra. II Luth. Videmus itaq;, quales fiunt per ordines Papiſticos ſacerdotes, non utiq; ſacerdotes Dei, ſed ſacerdotes Satanæ tantum ut Chriſtum conculcent.

De 10. præce. cap. 3. Antiluth. Per omnem Eccleſiam nullus, niſi ſolus ſacerdos, Miſſam audit totam, magno ſcilicet eo ſacramento, quod Chriſtus uerus ſacerdos, quanquam multa operatur in Eccleſia per externa ſacramenta & uiſibiles ceremonias, tamen plurima agit inuiſibiliter pro nobis apud Deum.

DE MATRIMONIO. CAP. XIX.

Lutherus.

In cap. Baby. Matrimonium non ſolum ſine ulla ſcriptura pro ſacramento cenſetur, uerum eiſdem traditionibus quibus ſacramentum eſſe iactatur, merum ludibrium factum eſt.

Antiluth.

Antiluth. Matrimonium in eccleſia Dei ſacramentum eſt.

De poteſtate Papæ.

II Luth. Matrimonium ſacramentum eſt, non diuinitus inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, ignorantia tam rei, quàm uerbi adductis.

In cap. Baby.

Antiluth. Matrimonium uere ſacramentum eſſe ac diuinitus inſtitutum probat Paulus Ephe. v.

In ſermo. de Matrimonio, Anno 19.

III Luth. Sciant parentes ſibi ius eſſe matrimonia filiorum irrita faciendi: & filij ſciant ſeſe obedire debere in his & omnibus quæ contra Deum non ſunt, parentibus ſuis, & matrimonia ſua occulta nihil eſſe, niſi ea demum impetrent humili prece a parentibus rata haberi, & execrentur Papam iſtum aduerſarium Dei cum ſuis legibus.

De ſacerdotio, legibus & ſacrificijs Papæ.

Antiluth. Qui matrimonia ſeparant, aduerſantur Euangelio Chriſti dicentis: Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CAP. XX.

Lutherus.

IN gradibus affinitatis & conſanguinitatis nulla alia attendi debent & poſſunt, quam quæ in Leuitico cap. xviij. ſcripta ſunt, quæ & ſeruari debent.

De cap. Bab. & uita coniugali.

Antiluth. Ego Moſen non accipio, Nam ſi acciperem in uno mandato Moſen, oporteret me totum accipere, ſicq; neceſſarium eſſet ut circumciderer, ueſtes lauarem, ac Iudaico ritu uiuerem.

In ſermõe de Moſe.

II Luth. Vt finem faciam iſtorum figmentorum, magis quam impedimentorum, dico mihi nullum apparere impedimentum, quod contractum iure matrimonium dirimat, niſi impotentiam cognoſcendæ coniugis, ignorantiam iam contracti, & uotum caſtitatis.

In cap. Baby.

Antiluth. Chriſtus concedit diuortium in cauſa fornicationis duntaxat, quare errare Papam neceſſe eſt, quoties diuortium facit alijs cauſis.

Ibidem.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAP. XXI.

Lutherus.

ORdo in eccleſia Dei ſacramentum eſt.

Antiluth. Sacramentum ordinis eccleſia Chriſti ignorat, inuentumq; eſt ab eccleſia Papæ.

De poteſtate Papæ. De cap. Bab.

II Luth. Presbyteri, Epiſcopi & Papa propter uerbum Dei honorandi ſunt, tanquam hi qui nobis Dei noſtri uerbum nunciumq; afferunt, quod abſoluti ſumus a peccatis.

In ſermõe de pœnitentia.

Antiluth. Sacramentum ordinis pulcherrima machina fuit, & eſt, ad ſtabilienda omnia portenta, quæ hactenus facta ſunt, & adhuc fiunt in Eccleſia.

De cap. Bab.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

CAP. XXII.

Lutherus.

De potestate Papæ. EXtrema unctio sacramentum est.

De cap. Bab. Antiluth. Si usquam antea delyratum est, in extrema unctione nunc præcipue delyratum est.

In lib. de preparatione ad mortem. 11 Luth. In articulo mortis constitutus ungatur oleo sancto, iuxta beati Iacobi sententiam: Si quis infirmatur &c.

De cap. Bab. Antiluth. Figmentum est ex hac Apostoli sententia, si quis infirmatur, a nobis oportere hominem ungi, cum non sacramentum, sed figmentum sit.

DE PAPATV. CAP. XXIII.

Lutherus.

In resolut. conclu. 86. NOn est nostrum iudicare uoluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiam si fuerit iniquissima.

Antiluth. Certus sum Papatum esse regnum Babylonis.

De cap. Bab. In li. aduersus Catabaptist. 11 Luth. Fatemur sub Papatu multa bona ad nos promanasse, Nempe ueram scripturam sacram, uerum baptismum, ueras claues ad remittenda peccata, uerum prædicandi officium, uerum catechismum.

In lib. aduersus Regē Angliæ. Antiluth. Et Papatus est principis Satanæ pestilentissima abominatio, quæ nunquam sub cœlo fuit, aut est futura.

In resolutio. conclu. 0. 111 Luth. Bene nobis fecit spiritus sanctus in Papa excipiendo in suis decretis semper articulum mortis & necessitatis.

In Cap. Baby. Antiluth. Romanus Pontifex superstitionum omnium fons & author est.

DE POTESTATE PAPAE. CAP. XXIIII.

Lutherus.

In Resolutio. conclusiōe. II PApa non habet alterius generis potestatem, quàm alius sacerdos, sed alterius quantitatis, quia ipse omnium peccata, alij aliqua remittunt.

In cap. Baby. Antiluth. Quodcunq; ligaueritis super terram, ligatum erit & in cœlis, & quodcunq; solueritis &c̄. Hoc omnibus & singulis Christianis dictum est.

In Resolut. conclusi. 61. 11 Luth. Clarum est quod ad remissionem peccatorum & casuum sola sufficit potestas Papæ, Quando ergo sacerdotali officio excommunicat, absoluit, ordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur. In his omnibus agit uirtute istius uerbi: quodcunq; ligaueritis &c̄.

De cap. Bab. Antiluth. Ego non dubito cum a peccatis esse absolutum, quicunq; siue sponte confessus, siue correptus ueniam petierit & emendauerit coram quouis priuatim fratre, quicquid contra hęc insanierit Pontificum sententia.

In Resolut. conclu. 26. 111 Luth. Ego audio Papam ut Papam, id est, ut in Canonibus loquitur, & secundum Canones loquitur, aut cum Concilio determinat.

De cap. Bab. Antiluth. Clamo fidenter, Christianis nihil ullo iure imponi posse legum,

legum siue ab hominibus, siue ab Angelis, nisi quantum uolunt, Liberi enim sunt ab omnibus.

IIII Luth. Potestas Pontificis est Lerna, Tartarus, Simonia libidinum, pomparum, cædium, reliquarumq; abominationum in Ecclesia. *In resolutio.* *In li. de potestate Papæ.*

Antiluth. Si potestas Papæ non esset a Deo, nec iure diuino, tam diu subsistere non potuisset.

V Luth. Orationes, ieiunia, donationes, & quæcunq; tandem Papa in uniuersis suis decretis tam multis, tam iniquis statuit & exigit, prorsus nullo iure statuit & exigit, peccatq; in libertatem Ecclesiæ toties, quoties aliquid attentauerit. *De sacramento baptismi.*

Antiluth. Statuta & decreta Pontificis nullo modo contemnenda, sed potius seruanda sunt, quia authoritati Papali in omnibus cum reuerentia cedendum est. *In resolu. conclusio. 69.*

VI Luth. Deinde assero & amplector fiducia tota spiritus mei articulos per eam damnatos asserendosq; pronuncio omnibus Christianis, sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos, quicunq; Bullæ consenserint, quos & his scriptis, cõiuncto mihi omnium spiritu qui pure Christum cognoscunt & colunt, pro ethnicis habeo & deuito, secundum præceptum Domini nostri Iesu Christi, Amen. *Aduersus execrabilẽ Bullã.*

Antiluth. Sententijs, decretis & censuris Papæ standum est, neq; contraueniendum, etiam si iniquissimæ aliquando fuerint & sint. *In Resolutio.*

DE CAESARE. CAP. XXV.

Lutherus.

SVbiecti sumus cum corpore, cum omni substantia nostra Cæsari iurisq; sæculari. *In li. 2. cõtra rusticos.*

Antiluth. Inter Christianos nulla potest esse superioritas. *In li. 2. de secul. p. potest.*

II Luth. Apparui tertio iam coram eis, deniq; Vuormaciam ingressus sum, etiam cum scirem mihi uiolatam esse a Cæsare fidem publicam. Nam didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequium idoli Romani, nihil magis quàm fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. *Contra regẽ Angliæ.*

Antiluth. Principi populi tui scriptura docet non esse maledicendum. *De 10. prece. cap. 4.*

CONTRA PRINCIPES. CAP. XXVI.

Lutherus.

EPiscopi & Principes, plebani & senatus, utrunq; scilicet dominium sunt quàm maxime timendi: & cauendum est, ne obloquatur ullus, scriptum est enim: Dijs tuis non detrahas. *De 10. prec.*

Antiluth. Episcopi & Principes non sunt Christiani, neq; ad ecclesiam Christi pertinent. *In li. de iudi. Chri. cõgre.*

II Luth. Mendaces & obstinati sunt Principes nostri, nec homines ratione præditi, sed Germanicæ bestiæ. *In episto. cõtra duo Cesaris mandata.*

Antiluth. Etiam aliquando malis Principibus obediendum est. *In li. 2. cõtra rusticos.*

In lib. contra epistolam regis Angliæ. III Luth. Vos principes estis bullæ aquarum, & lendes capitis nondum facti pediculi.

In libro de 10. precep. Antiluth. Principibus non est obloquendum, quia scriptum est: Principi populi tui ne maledicas.

In lib. de secu lari potesta. IIII Luth. Princeps est caro ferina in cœlo, id est, auis rara. Sunt enim principes lictores, apparitores & carnifices Dei.

De 10. prec. Antiluth. Principes maxime timendi sunt, quia gladium Domini portant.

De cap. Bab. V Luth. Turpe est & iniquiter seruile, Christianum hominem, qui liber est, aliis quàm cœlestibus ac diuinis subiectum esse traditionibus.

In lib. uisita. Antiluth. Nobis bene licet & æquum est, uti legibus Imperatorum, Ait enim Petrus: Subiecti estote &c.

De cap. Bab. VI Luth. Nulla est alia remedii spes, nisi reuocato libertatis Euangelio, secundum ipsum, semel extinctis omnium hominum omnibus legibus, omnia iudicemus & regamus, Amen.

De 10. pre. Antiluth. Omnis potestas a Deo est & licet rusticos premant principes, aut ciues, aut sacerdotes, tamen sunt uerendi.

Cõtra duo Imperato. mandata Anno 1524. VII Luth. Oro cunctos pios Christianos, dignentur simul rogare Deum pro huiusmodi miseris excæcatis principibus, quibus nos Deus proculdubio magno iræ suæ furore corripuit, ne ullo pacto obsequamur, uel in militiam ire, uel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies probior prudentiorque est, quam sunt nostri principes. Quid talibus fatuis contra Turcas prospere eueniet?

In sermõe de bello contra Turcas. Antiluth. Qui in bello contra Turcas moriuntur, uere sunt Martyres Dei, qui & sine dubio post mortem ad cœlum euolant.

DE TVRCIS.

CAP. XXVII.

Lutherus.

Ad nobilitatẽ Germaniæ. NVllum est regimen sæculare pulchrius, quam apud Turcam, & nullum est turpius, quam apud Christianos.

Antiluth. Turpissima est Mahumeti lex.

In ser. contra Turcas. In præfatiõe li. de ritu Turcarum. II Luth. Vmbræ sunt nostri religiosi ad Turcarum religiosos collati, & uulgus nostrum plane prophanum, ad illorum uulgus comparatum.

In lib. Visita. Antiluth. Multo tolerabilius foret uiro bono uidere filiorum suorum interitum, quam Turcicis moribus eos imbui. Turcæ enim nullam prorsus honestatem uel sciunt uel curant, eripiunt bona uxoris, & liberos pro libito suo ducunt, & extrudunt uxores &c.

In Assertio. art. 24. III Luth. Præliari aduersus Turcas est repugnare Deo.

In uisita. Sax. Antiluth. Clamant aliqui prædicatores temere de Turcis, non resistendum esse Turcæ, quia uindicta Christianis prohibita sit. Hic sermo seditiosus est, qui neque ferri neque permitti debet.

In assert. art. 34. IIII Luth. Qui habet aures audiat, & a bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cœlo ualet.

Antiluth.

Antiluth. Tenentur poteſtates reſiſtere Turcis, quia non ſolum cu piunt prouincias uaſtare, uxores & liberos uiolare ac interficere, uerum etiam iure prouinciæ, cultum dei, omnemque ordinationem abrogare & tollere. *In uiſita.*

v Luth. Nullis prorſus eſt reſiſtendum, neq; Turcis neq; alijs aduerſarijs, iuxta præceptum Chriſti dicentis: Si quis te percuſſerit in maxillam dexteram, præbe illi & ſiniſtram. *In reſolu. Con clu. 5*

Antiluth. Turcis reſiſtere tenemur ob cauſas plurimas. *In ſermõe de bello contra Turcas.*

vi Luth. Turcarum ſacerdotes aut religioſi, tam ſeueram, grauem ſtrenuamq; uitam ducunt, ut angeli, non homines uideri queant: ut omnes noſtri clerici & monachi in Papatu iocus præ illis ſint. *In ſermone caſtren.*

Antiluth. Apud Turcas nulla honeſtas aut diſciplina eſt. *In uiſita.*

DE SOLA FIDE.

CAP. XXVIII.

Lutherus.

DEus pater in fide om̃ia poſuit, ut ſi quis habuerit, hãc om̃ia habeat. *De liber. Chriſtiana.*

Antiluth. Dominus et magiſter noſter Ieſus Chriſtus, dicendo pœnitentiam agite, omnem uitam fidelium pœnitentiam eſſe uoluit, non tamen intendit ſolam interiorem, imo interior nulla eſt, niſi foris operetur uarias carnis mortificationes. *In Reſolut. Concluſi. 1.*

II Luth. Chriſtianus liber ab omnibus eſt, et ſuper omnia, ut ita nullis operibus ad hoc indigeat, ut iuſtus ac ſaluus ſit, ſed ſola fides hæc omnia largitur abunde. *De liber. Chriſtiana.*

Antiluth. Fœliciores ſunt hi qui per ſe ſatisfaciunt, quam qui indulgentias redimunt, cum indulgentiæ nihil aliud ſint, quam relaxationes bonorum operum, quibus ſatisfactio impletur. *In actis Augu ſten.*

III Luth. Ergo neq; opera pœnitentiæ, neq; Sacramenta iuſtificationem hoc eſt remiſsionem peccatorum faciunt, ſed ſola fides. *In Aſſertio. art. 1.*

Antiluth. Abſq; pœnitentia nulla eſt peccatorum remiſsio, neq; poteſt peccatorum remiſsio abſq; pœnitentia intelligi. *In uiſita.*

IIII Luth. Tanta eſt in fide noſtris temporibus confuſio, ut fere nemo ſciat quid credere debeat aut poſsit. *In lib. contra Anabap.*

Antiluth. Euangelium tam copioſe prædicatum eſt modo, ut tam clarum non fuerit temporibus Apoſtolorum. *In ſermo: de deſtructione Ieru.*

v Luth. Hic ſtat Ionas cum ſuo, libro docens quomodo Niniuitæ abſq; Iudaica ſola fide & bonis operib. deo placuerunt & ſatisfecerunt, nec deus plus requirit ab eis. *Super Ionam.*

Antiluth. Quapropter nil amplius neceſſarium nobis eſt, quemadmodum & Niniuitis, quam recta fides, quæ bona operetur & homines iuſtificet. *Ibidem.*

vi Luth. Nulla peccata poſſunt hominem damnare, niſi ſola incredulitas. *De Cap. Bab.*

Antiluth. Hic laudãtur bona opera. Quid de hoc dicemus? Hic em̃ uicerunt. Reſpice autem textum dicentem, Deus reſpexit eorum opera, *Super Ionam cap. 1.*

 hoc eſt

hoc est placuerũt. Quę autem fuerunt opera illa, ipse exponit dominus: Auerterunt se a uia sua mala. Talia opera fac & doce, & fauebimus tibi ut laudes ea, uerum ipsi quoqꝫ ea laudabimus. Non paruum opus est a mala uia discedere.

In sermõe de Anabap. VII Luth. Qui fidem habet, contra conscientiam agere non potest.

Antiluth. Nos fideles etiã si labamur & peccemus, mox resurgamus.

De uotis. Ad Galat. c. 2 VIII Luth. Sola fides Christi necessaria, quod iusti simus, cætera omnia liberrima, neqꝫ præcepta amplius neqꝫ prohibita.

De 10. leprosis. Antiluth. Vita Christiana est credere et diligere, At diligere nihil est nisi bene facere.

De 10. leprosis. XI Luth. In nullo alio melius deprehenditur fides, quam in operib. charitatis; dicente domino: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.

De Nouo Testamento. Antiluth. Caueamus a peccatis, sed multo magis ab operibus bonis e legibus, solamqꝫ promissionem dei attendamus et fidem, ipsa enim breuis est perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus, imo & legem proscindit & opus, omnes leges, omniaqꝫ complet opera.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA CAP. XXIX.

Lutherus.

In lib. de bonis operibus. SIcut carnales parentes nostros amamus, reuerenter honoramus, ita et spiritualem superioritatem iustificare tenemur in omnibus, quæ non sunt contra tria prima præcepta.

De abroganda Missa. Antiluth. Pia conscientia nouit, nec dubitat, Ecclesiam nihil statuere aut ordinare, citra & ultra uerbum dei, Quæ autem hoc tentat, Ecclesia non est, sed fingit sese Ecclesiam.

De 10. præc. II Luth. Ecclesia non potest errare, quilibet autem potest in deuotione sua errare.

In lib. contra statum Eccle. Antiluth. Ego certus sum quod Christus ipse me uocat & reputat, qui doctrinæ meæ magister est, atque etiam testis erit in nouissimo die, quod mea non sit, sed ipsius purum Euangelium.

Sermone de Excommunicatione. III Luth. Potestas Ecclesiæ potestas est Christi, licet pro nostris peccatis plerunqꝫ tradatur, Pilatis, Herodibus, Annis, Cayphis, uiolentissimisqꝫ alijs tyrannis, nostrum tamen est eam semper summis studijs reuereri & colere, exemplo Christi, qui sic Caypham, Pilatum honorauit. Ideo nec indignissimæ eiusdem abusiones debent nos permouere, quin quicquid ipsi fecerint hilariter feramus, aut saltem cum reuerentia declinemus, nam tempus nostrum periculosissimum est, ideo prudentissime oportet nos agere.

Aduersus execrabilem bullam. Antiluth. Parati sumus pro hac nostra sententia, stultas uestras censuras non modo cum gaudio ferre, sed etiam rogare, ne unquam nos absoluatis.

In Captiuita IIII Luth. Oratiões, ieiunia, quæcunqꝫ Papa statuit, nullo iure exigit.

Antiluth.

Antiluth. Statuat Ecclesia alteram partem quæstionis,& sequar li-bentissime: ego teneo negatiuam, paratus tenere affirmatiuam, postq Ecclesiæ sic placuerit. In Resolutio.
V Luth. Manifestus & impius error est, missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunq; necessitatibus suis aut aliorum referre seu applicare. In Cap.
Antiluth. An nondum uidemus quam uigil sit Christus in Ecclesia sua,ut & iam errare uolentes,non permittat errare? In Resolut.
VI Luth. Submitto me iudicio & determinationi sanctæ Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus. In disp. Lips.
Antiluth. Quid mihi arbitrium Ecclesię,et potestas Papę iactatur? De cap. Bab.
VII Luth. Obedientia Ecclesiastica eo admirabilior, quo etiam in uilioribus suo sensui cedit & humiliatur. In Resolut.
Antiluth. Nulla est potestas Ecclesiastica. De falso statu Ecclesiæ
VIII Luth. Istam libidinem corrumpendæ scripturę, iam ferme tre-centis annis patitur Ecclesia incomparabili damno suo a doctoribus scholasticis. De obiectioni bus prioratus Syluestri.
Antiluth. Ecclesia regitur a spiritu sancto. De 10. prec.
IX Luth. Quando se homo debilem esse senserit in fide, se brachijs sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ committat. De præparatione ad Eucharistiam.
Antiluth. Ecclesia est inuisibilis & spiritualis, & sola fide perce-ptibilis. Contra Amb. Cathar.
X Luth. Ecclesia errare non potest. De 10. prec.
Antiluth. Ludificatio Sathanæ est affirmare,quod Ecclesia,si quan doq; erret aut peccet, ideo non sit Ecclesia. De abroganda Missa.
XI Luth. In Eucharistiæ sumptione, obedientiam Ecclesiæ exhibi-tam sic deus acceptat, quasi sibijpsi facta fuerit. De præparatione ad Eucharistiam.
Antiluth. Ecclesia est synagoga satanæ & sedes bestiæ &c. Contra Amb. Catha.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS CAP. XXX.

Lutherus.

AB humanis constitutionibus & præceptis tanq̃ a maximo infortu-nio cauendum & fugiendum est nobis. In lib. de confeßione.
Antiluth. Opus est infirmis non secundum ueterem hominem iu-stificatis,ut certis officijs, diebus,modis,uigilijs,ieiunijs,laboribus,ora-tionibus,disciplinis & similibus occupentur, quibus perueniant ad per-fectionem interioris hominis. De 10. pre.
II Lutherus. Neq; Papa,neq; Episcopus,neq; ullus hominum ha-bet ius unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. In cap. Baby.
Antiluth. Ideo sunt positi Canones patrum,ut dirigant populum. De 10. prec. cap. 3.
III Luth. In manibus Ecclesiæ aut Papæ prorsus non est statuere ar ticulos fidei seu bonorum operum. Aduersus Ambro. Cathar.
Antiluth. Vtraq; præcepta & dei & Ecclesiæ seruanda sunt. In declarat. quorun. art.
IIII Luth. Moses Deut. iiij. ait: Ad uerbũ quod loquor uobis non De confes.

addetis, neq; auferetis ex eo. An non clarum est hoc dictum contra omnes leges humanas?

In Resolut. Cõclusiõ. 69 Antiluth. Ecclesia certe infinitis oneribus hodie premitur, & tamen pie & humiliter fert omnia quiete.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

CAP. XXXI.

Lutherus.

Conclus. 10 contra Eckiũ RECte conclusi, meritum Christi thesaurum esse Ecclesiæ, & sanctorum meritis iuuari certum est.

In art. 4. §. 6. Antiluth. Pro meritis sancti Petri, ne unum quidem obulum darem, ut me adiuuarent, quia seipsum iuuare non potest.

De decem Preceptis. II Luth. Omnes sanctio mnia possunt, & tantum tibi per eos a deo datur, quantum credis te accepturum.

In ser. de sancto Ioanne Baptista. Antiluth. Ego æque bene per Christum ad deum ire audeo, sicut S. Petrus & Paulus.

De 10. prec. III Luth. Quid enim aliud sunt sancti, nisi uelut guttulæ roris, seu guttæ noctium in Cincinnis de capite sponsi, Cantic. v.

In sermõe ubi supra. Antiluth. Quod me ita humiliarem, ut nõ accederem ad deum, sed sanctum aliquem pro mediatore ponerem, id non debeo facere.

DE MERITIS. CAP. XXXII.

Lutherus.

Vt supra 4. §. 6. artic. SI coelum uiderem apertum, & possem illud leuatione unius festucæ promereri, nollem facere, ne ausim dicere: ecce promerui.

In lib. 2. contra rusticos. Antiluth. Tam mirabile bellum est contra rusticos nostros, ut princeps quispiam illorum sanguinem fundendo coelum promereri posset, melius quam alij orando.

In sermone de Mammona II Luth. Pro meritis sancti Petri, ne unum quidem obulum darem, ut me adiuuet, seipsum enim iuuare non potest.

In serm. de Indulgentijs. Antiluth. Ideo data sunt nobis præcepta a deo, ut per ea mereamur. Nam ubi non est obedientia, ibi non est meritum, Vbi autem non est præceptum, ibi non est obedientia.

DE INDVLGENTIIS.

CAP. XXXIII.

Lutherus.

In resolutio. INdulgentiæ tollunt poenas a Pontificib. & sanctis patrib. impositas.

De cap. Bab. Antiluth. Nec Pontifex, nec Episcopi, in hominem quicquam statuere possunt.

In resolut. II Luth. Contra ueritatem Apostolicarum ueniarum qui loquitur, sit ille anathema & maledictus.

De cap. Bab. Antiluth. Indulgentiæ nihil sunt, nisi Ro. Pontificum imposturæ.

In resolut. cõclusione 15 III Luth. Tenentur Episcopi & curati, ueniarum Apostolicarum commissarios cum omni reuerentia admittere, quia authoritati Papæ in omnibus cum reuerentia cedendum est, Qui autem deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Antiluth.

Antiluth. Indulgentiæ ſunt adulatorum Romanorum nequitiæ. *In cap. Baby.*

DE SANCTIS. CAP. XXXIIII.

Lutherus.

NIhil eſt ſub cœlo periculoſius geſtis ſanctorum, teſtimonio ſcripturarum non roboratis. *De canone Miſſæ.*

Antiluth. Feſta ſanctorum Apoſtolorum ac aliorum celebrari debent. *De 10. præc.*

II Luth. In mortis articulo beatam Virginem, Angelos, proprium Apoſtolum, ac ſanctos reliquos, quibus in uita ſeruiuit, inuocare non ceſſet, ut pro ſe intercedant ad Dominum. *In lib. de præparatione ad mortem.*

Antiluth. Non eſt qui apud Deum patrocinetur, aut aduocare poſsit, niſi ſolus Ieſus Chriſtus. *In multis locis.*

III Luth. Olim in heremo ſancti patres multis in annis non communicauerunt ulla ſpecie ſacramenti, fide ſeruati & deſiderio ſacramenti contenti. *In cap. Baby. Pagina. 11.*

Antiluth. Facta ſiue exempla ſanctorum ſunt pernicioſiſsima, quæ ſunt ſine ſcriptura. *In tractatu de Votis.*

IIII Luth. Sancti errare potuerunt docendo, & peccare uiuendo. Quid ſi non minus errauerũt elucidando, quam uiuendo & docendo? *De abroganda Miſſa.*

Antiluth. Permiſit Deus ſæpe ſanctos errare & labi in uita, ſed in doctrina non permittit eos errare. *In ſermo. de Anabaptiſtis.*

DE COELIBATV. CAP. XXXV.

Lutherus.

SIcut in poteſtate mea non eſt, quo minus ſim mas, ita minime ſitum in me eſt, ut ſim ſine muliere. *De coniugali uita.*

Antiluth. Virginitas in lege olim ſummum erat opprobrium, nunc autem ſumma gloria. *De 10. præc.*

II Luth. Creſcite & multiplicamini, non eſt præceptum, ſed plus ꝗ̃ præceptum, quod nos non poſſumus impedire uel prætermittere, ſed perinde neceſſarium eſt, & magis neceſſarium quam edere & bibere, purgari, expuere, dormire & uigilare. *De coniugali uita.*

Antiluth. Sacrilegium eſt ubi iam non tantum caſtitas polluitur, ſed etiam quæ Deo ſoli fuit oblata, tollitur & ſancta prophanatur. *De 10. præc.*

III Luth. Religioſi grauiſsime peccant, quando ſponte conſecrauerunt ſeſe Domino, & ſeſe rurſus ſubtrahunt. *De 10. præc.*

Antiluth. Vota omnia nullius ſunt momenti, quia ſtulta & impoſsibilia. *De uotis Monaſticis.*

DE PRAECEPTIS DEI. CAP. XXXVI.

Lutherus.

DEcem ſunt præcepta Dei. *In Catechiſ.*

Antiluth. Decem præcepta Dei in plura aut pauciora reddi poſſunt. *De 10. præc.*

II Luth. Decem præcepta ad nos non pertinent, ſed ad ſolos Iudæos. *In ſermõe de Moſe.*

Antiluth.

De bonis operibus. Antiluth. Ex decalogo & præcepto Dei docemur honorare patrem ac matrem.

In comment. sup Psal.13. III Luth. Inter præcepta Dei summum, maximum & primum est, quod in decalogo Dei primo loco ponitur.

In sermõe de Mose. Antiluth. In nouo Testamento Moses non tenetur. Si enim Mosen in uno articulo obseruarem, debitor fierem uniuersæ legis obseruandæ.

In Visit.Sax. IIII Luth. Christianæ uitæ est bona opera facere, idcirco decem præcepta iterum diligenter prædicari debent, in eis enim bona opera omnia continentur.

In assertioni. art.31. Antiluth. Ego contra Papam & omnes Papistas assero, iustum in omni bono opere peccare, & hic non est defectum, sed uere peccatum.

In li.de bonis operibus. V Luth. Opus quarti præcepti est obedire matri spirituali sanctæ Ecclesiæ catholicæ, ecclesiasticæ potestati, quicquid præcipit, prohibet, statuit, ordinat, ligat, soluit, ut illud sequamur.

De indi. Christianæ cõgre. Antiluth. Prorsus nullis hominum legibus tenemur.

In sermõe de Mose. VI Luth. Ex textu clare habemus, quod etiam decem præcepta ad nos non pertinent. Non enim nos, sed solos Iudæos ex Ægypto eduxit Dominus.

De 10. præc. Antiluth. Ad hoc sunt ordinata præcepta Dei, ut eadem homo pro uoluntate Dei operetur.

In præfatiõe noui Testa. VII Luth. Non est aliquod in Euangelio præceptum a Deo.

In sermõe de indulgentijs. Antiluth. Ideo data sunt nobis a Deo præcepta, ut per ea mereamur: & ubi non est præceptum, ibi non est obedientia.

DE ORATIONE. CAP. XXXVII.

Lutherus.

In lib. uisitat. SIcut grande peccatum est homicidium, ingens quoque peccatum est, nihil a Deo rogare & petere.

In ser.de Ascensiõe domi. Antiluth. Constanter dicimus, orando etiam peccare iustum, iuxta illud Psalmi centesimi octaui: Et oratio eius fiat in peccatum.

In lib.de bonis operibus. II Luth. Accepta est oratio coram Deo, Sic enim Iacobus: Qui postulat aliquid a Deo, in fide non hæsitet.

De cap. Bab. Antiluth. Opera Deus nihil curat, nec eis indiget.

De bonis operibus. III Luth. Sacerdotes & ecclesiastici Missam quotidie celebrant, omni hora orant, seque in uerbo Dei exercent, studendo, legendo, audiendo, ideo & priuilegium præ alijs habent.

Ad sena.Pra. Antiluth. Quam iusta est uindicta Dei in istos abominabiles oratores, Ecce dum soli uolunt esse qui pro populo orent, facti sunt mirabili consilio Dei non nisi pictæ quædam oratorum imagines.

DE HORIS CANONICIS. CAP. XXXVIII.

Lutherus.

In explanatione pater noster. QVando sacerdotes & cœnobitæ ex mera obedientia cantant ac orant, etiamsi non attendant, adhuc illorum oratio est frugifera & diaboli cruciatrix.

Antiluth.

Antiluth. Sacerdotum & Monachorum orationes non nisi quædam orationum sunt imagines. *Ad senatum Pragensem.*

II Luth. Orationem sacerdotum uocalem nemo reijcere debet, etiamsi precaria uerba sint, sed magna cum gratitudine suscipere, sicut grande munus Dei. *In explanat. pater noster.*

Antiluth. Stultum est confidere nos super aliorum opera & fidem, ac dicere quod Moniales & Monachi, presbyteriq; suis canticis, quæ noctu in Monasterijs exercent, possint alios homines iuuare. *In sermõe de surdo et muto*

III Luth. Hic boantur aut murmurantur horæ Canonicæ, ingenti labore, sic tamen ut nunquam orentur. *Contra Amb. Catarinum.*

Antiluth. Tam ineffabilis gratia in uerbo Dei est, ut illud ipsum ore dumtaxat, & sine attentione, ex obediendi tamen studio prolatum, frugifera & diaboli cruciatrix oratio censeatur. *In explicatio. pater noster.*

DE PVRGATORIO.

CAP. XXXIX.

Lutherus.

Noui hominem Christianum, qui purgatorij patitur aliquando pœnas super terram breuissimo quidem temporis interuallo, sed tantas ac tam infernales, quantas nec lingua dicere, nec calamo scribere, nec inexpertus credere potest. *De resolutio. conclu. 15.*

Antiluth. Nemo astringitur ad credendum, esse purgatorium, cum de hoc nihil sit in scripturis. *Ad Vualden.*

II Luth. Non est præceptum in scripturis, pro mortuis orare. *In sermõe de diuite & Lazaro.*

Antiluth. Desiderium animarum merito omnis iuuat Ecclesia. *In resolutio. conclu. 19.*

III Luth. Mihi dubium non est, Missam pro defunctis celebratam, efficaciorem ac meliorem esse ad redimendas animas, quàm sunt indulgentiæ per Missam quæsitæ. *In sermõe de Indulgentijs.*

Antiluth. Missa pro defunctis nihil ualet. *De abrogan da Missa.*

IIII Quod negatis purgatorium, damnatis Missas, uigilias, cœnobia, Monasteria & omnia, etiam per omnia probo, nec quisquam astringitur ad credendum esse purgatorium. *Ad Vualden. de Eucharist.*

Antiluth. Firmiter credendum est, & ego scio uerum esse, quod miseræ animæ ineffabilem pœnam patiuntur, & nos eas iuuare tenemur orationibus, ieiunijs, eleemosynis & quocunq; modo possumus. *In declaratio nibus articu.*

V Luth. Tutius est totum purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere. *De abroganda Missa.*

Antiluth. Non solum credo, sed & certissime scio, purgatorium esse. *In disputatio. Lipsi.*

VI Luth. Consulo suadeoq; credendum esse purgatorium. *In assertion. art. 37.*

Antiluth. Ideo non est docendum purgatorium, nam iudicia Dei sunt occulta, neq; a nobis scrutanda. *Ad Vualden.*

VII Luth. Credo fortiter & ausim dicere purgatorium esse, cum de eo in scripturis mentio fiat, Quemadmodum est illud Matthæi: Non remittitur hoc peccatũ neq; in hoc, neq; in futuro sæculo, uolens peccata *In disputatio. Lipsi.*

remitti

remitti in purgatorio, Et illud ij. Macha. xij. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, Propterea scio purgatorium esse.

Ad Vualden. de Eucharist. Antiluth. De purgatorio nihil est in scripturis.

De canone Missæ. VIII Luth. Tutius fuerit totum purgatorium negare, quam Gregorio in Dialogis exempla spirituum apparentium referenti credere, quod hic sit periculum erroris, illic nullum sit periculum.

In resolutio. Antiluth. Purgatorium esse inter cætera Gregorius ille Magnus in libris Dialogorum probat.

DE FESTIS. CAP. XL.

Lutherus.

Ad nobiles Germaniæ. Consulo ut omnia festa præter diem dominicam aboleantur.

In lib. visita. Antiluth. Tertium præceptum docet dies festos celebrare, iddirco festa Apostolorum, beatæ Virginis &c. obseruari debent.

In li. de Indi. Christ. cong. II Luth. Sub animarum nostrarum periculo debemus abolere omnia festa.

In lib. visita. Antiluth. Nec debent Parochi contentionem inire, si unus diem festum celebret, alter uero non, sed unusquisque teneat consuetudinem suam pacifice, ita tamen ut non omnia festa aboleantur.

In lib. contra Anabaptistas III Luth. Obseruatio festorum dierum est duodecima facies Antichristi, cum omnes dies liberi sint, & ad laborandum & ad feriandum.

In 10. præce. cap. 5. Antiluth. Quinque sunt facienda pro sanctificatione festi, ut colligitur ex decretis: scilicet audire Missam, audire uerbum Dei, orare, offerre, secundum aliquos & confiteri de peccatis, Et in his omnibus quisque sequi debet, non suum iudicium, non suam opinionem, sed authoritatem Ecclesiæ, ad captiuandum sensum in obsequium Christi, quia scriptum est: Stultus est qui confidit in corde suo.

In sermõe de Mose. IIII Luth. Sabbati & aliorum obseruatio festorum, non ad nos, sed ad Iudæos pertinet.

In lib. de bonis operibus. Antiluth. Vt nos in Ecclesia in diebus festis conuenimus, uidere Missam, audire uerbum Dei, ac unanimiter in commune orare, licet non sit ulterius præceptum a Deo Christianismo, necessarium tamen est illud, ac ab ecclesia Christi ordinatum.

DE LIBERO ARBITRIO. CAP. XLI.

Lutherus.

In explicatione Pater noster. O He nunquid non Deus nobis arbitrium liberæ uoluntatis contulit?

In asse. ar. 36 Antiluth. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo.

In explicatio. pater noster. II Luth. Reuera Deus nobis liberam uoluntatem contulit, Cur tu illam liberam non permittis? Cum enim tu illa ad tuum abuteris libitum, non est libera, sed magis seruitutem apud te seruit.

In assertioni. arti. 36. Antiluth. Nulli est in manu sua quippiam cogitare boni aut mali.

In lib. visita. III Luth. Homo habet ex propria uirtute liberum arbitrium, ad faciendum uel omittendum opera externa.

In asser. art. 36 Antiluth. Quomodo potest homo se ad bonum præparare, cum nec in

nec in potestate sit suas uias malas facere, nam etiam mala opera in impiis deus operatur.

IIII. Luth. Liberum arbitrium habemus, et deum orare debemus, non solum pro æternis bonis, sed etiam pro necessitatibus nostris. In lib. uisitat.

Antiluth. Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua cogitare quippiam mali aut boni, sed omnia (ut Vuigleui articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eueniunt. In asser. art. 26.

DE LIBERTATE CHRISTIANA CAP. XLII.

Lutherus.

SI quis te cogere uult, quemadmodum fecit Papa in legibus suis, ne comedas carnes feria sexta, & in quadragesima, Hic nullo pacto sinas te a libertate, in quam te deus posuit, extrudi. In sermone feria 4. post Inuocauit.

Antiluth. Alij putant Christianam libertatē nihil aliud esse, quam comedere, non confiteri, non ieiunare &c̄. Eiusmodi ineptas opiniones uulgi, debent prędicatores increpare. In uisita. Sax.

II. Luth. Obsecro quo iure Papa super nos constituit leges? Quis dedit ei potestatem captiuandæ huius nostræ libertatis per Baptismum nobis donatæ? In Cap. Baby.

Antiluth. Autoritati papali in omnibus cum reuerentia cedendum est, Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit. In Resol. conclusione 69.

III. Luth. Christianis nihil ulla in re potest imponi legum, siue ab hominibus, siue ab angelis, nisi quantum uolunt, Liberi enim sumus ab omnibus. De Cap. Bab.

Antiluth. Et si papa ferret iniustas sententias, timendæ tamen sunt, & ut Carolus imperator, quicquid imposuerit, quantumuis graue sit, ferendum tamen est. De resol. conclusione 69.

DE ABSOLVTA NECESSITATE CAP. XLIII.

Lutherus.

SIc hodie habet uidua Christi sancta Ecclesia, ut omnibus omnia liceant, & præsertim Theologis scholasticis, inter quos est inuenire, qui ueras etiam sententias damnent, nulla causa, nisi quia ex suo fonte non prodierunt, ipsis tamen licet asserere, quod deus peccatum facit, Deus est causa mali, culpæ, & multa alia. In resol. conclu. 72.

Antiluth. Omnia ex absoluta necessitate eueniunt, adeo quod etiam deus non solum est causa peccati permissiue, sed effectiue. In resol. art. 36.

II. Luth. Si pręsciuit deus Iudam fore proditorem, necessario Iudas fiebat proditor, nec erat in manu Iudæ, aut ullius creaturæ aliter facere aut uoluntatem mutare, licet id fecerit uolendo non coactus, sed uelle illud erat opus dei. De seruo ar.

Antiluth. Hæc si quis Poëta aut Orator, ut uocant, aut græce, latine, hebraice doctus diceret, omnium hæreticorum pessimus fuerit. In resol. conclu. 72.

III. Luth. Omnia de necessitate absoluta eueniunt, quod & poëta In Asser. art. 36.

uoluit quando dixit, certa ſtant omnia lege.

In uiſita. Antiluth. Homo habet ex propria uirtute liberum arbitrium, ad faciendum uel omittendum opera externa, per legem & pœnam adactus.

DE SEDITIONIBVS.

CAP. XLIIII.

Lutherus.

In uiſita. AD quartum præceptum pertinet obedire poteſtatibus, idcirco puniendi ſunt omnes ſeditioſi.

In lib. 1. contra ruſticos. Antiluth. O principes, ſcitote ſic procurare deum, ut ſubditi nec poſſint, nec uelint, nec debeant ueſtram tyrannidem diutius ferre.

De ſer. Arbi. 11. Luth. Nos igitur tumultus uelle ſedari, aliud nihil eſt quam uerbum dei uelle tollere & prohibere, Sermo enim dei uenit mutaturus orbem quoties uenit. Adde etiam gentiles ſcriptores teſtantur mutationes rerum, ſine motu & tumultu, imo ſine ſanguine fieri non poſſe. Iam hęc eſt præſenti animo expectare, & ferre ſicut Chriſtus dicit: Cum audieritis prælia, & rumores præliorum, nolite terreri, oportet primum hęc fieri &c. Et ego niſi iſtos tumultus uiderem, uerbum dei in mundo non eſſe dicerem: nunc cum uideo, gaudeo ex animo, & contemno.

Lib. 2. cōtra ruſticos. Antiluth. Ex deo non ſunt, nec eſſe poterūt ruſtici, qui tales ac tantos tumultus faciunt, Igitur talium tumultuum authores ruſtici omnes occidendi ſunt, & quod nec unus remaneat.

DE EPISCOPIS.

CAP. XLV.

Lutherus.

De x. Præce. MAxime ſunt honorandi Epiſcopi, qui ſunt loco Apoſtolorum.

De Abrogan da Miſſa. Antiluth. Epiſcopi ſunt Apoſtoli Antichriſti.

Sermone de Excommunicatione. 11. Luth. Prudentiſſime oportet nos agere, ne propter perſonas poteſtatem Eccleſiæ pariter uilipendamus, Imo propter poteſtatem etiam uiliſſimas perſonas honoremus.

Contra falſo nominatū ſtatū Eccleſiæ. Antiluth. Epiſcopi ſunt indoctæ laruæ Papales, quæ non ſolum ad ueritatem opprimendam creatæ ſunt, ſicut & creator ipſorum, Ideo deleri debet Epiſcoporum regimen & deuaſtari Epiſcopatus.

DE ACADEMIIS

CAP. XLVI.

Lutherus.

De inſtituen. ſcholis. SVnt intertenenda Gymnaſia, fouendæque Academiæ.

De abrogan da Miſſa. Antiluth. Gymnaſia ſunt Sodoma & Gomorra, ideo ipſa ſatanæ lupanaria.

In uiſita. Sax. 11. Luth. Prędicatores exhortari debent populum, ut filios ſuos tradant ſcholis, ut edoceantur homines idonei tum ad docendum in Eccleſijs, tum ad gubernandum.

Contra Amb. Catharinum. Antiluth. Ad Euangelium funditus extinguendum uidetur ſatan nec aſtutius nec efficatius inueniſſe commentum, quam uniuerſitatum erigendarum.

De uotis

DE VOTIS MONASTICIS CAP. XLVII

Lutherus.

VOta omnibus modis seruanda & soluenda stant. In lib. de x. praeceptis.

Antiluth. Vtinam uota omnia, scilicet religionis ac peregrinationis, ac omnium operum, sublata essent. In lib. de Ca.

II. Luth. Vota monastica sunt impia, gētilia, Iudaica, sacrilega mendacia, erronea, dæmoniaca, Hypocritica, Apostatica, etiam sanctorum exemplis aduersaria, Quare cum fiducia reuocanda & deserenda sunt, etiam si pia & seria opinione emissa fuerint. De Votis monasticis.

Antiluth. Religiosi debent suam obedientiam seruare, etiam si possent alibi martyrio coronari. In Resolut. cōclusiōe 50

III. Luth. Cælibatus, uirginitas, aureolæ, nugæ sunt, & mera satanæ mendacia. De Votis mo.

Antiluth. Sacrilegium ubi iam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ deo soli fuit oblata tollitur, & sanctum prophanatur. De x. Prece. Cap. 6.

IIII. Luth. Cupio eradicata, extincta et abolita esse uniuersa monasteria, quæ utinam dominus igne & sulphure cœlesti ad exemplum Sodomæ & Gomorræ demergat, adeo ut ne memoria quidem illorum supersit, neq; enim satis fuerit illis anathema imprecari. De Votis mo.

Antiluth. Sacerdotes & monastici, missam quotidie celebrant, omni hora orant, seq; in uerbo dei exercent, studendo, legendo, audiendo, ideo & præ aliis priuilegium habent, a laboribus exempti, censibus donati, omnemq; diem feriatum agunt. De bonis operib. ad ducem Saxon.

V. Luth. In religiosis grauissimum est peccatum, uiolare castitatem, quia sponte sese consecrauerunt domino, & sese subtrahunt rursum. De x. prece.

Antiluth. Decima facies Antichristi est, insignis ille cælibatus & monasticæ castitatis multitudo, plane angelica facies, sed diabolica res. Contra Amb. Catha.

DE BONIS OPERIBVS CAP. XLVIII.

Lutherus.

OPera bona sunt peccata mortalia secundum iustitiam dei. In Asser. art. 30.

Antiluth.

Bona opera extra gratiam facta, remunerat deus temporaliter diuitiis, honore, gaudio &c. In declaratio. quorundam artic.

II. Luth. Opus non potest doceri, nisi lædas fidem, cum fides & opera in re iustificationis extreme aduersentur, Ita fit ut doctrina operum necessario fit doctrina dæmoniorum & discessio a fide. De Votis mo.

Antiluth. Omni studio debemus de peccatis dolere, confiteri, ac bona opera facere. In sermone de pœniten.

III. Luth. Bona opera non ideo solum bona dicuntur, quod in bonum proximi fiunt, ob id ea præcepit dominus & bene placent deo, neque placent deo qui ea non faciunt. De. Visi.

Antiluth.

Quanto sceleratior es, tanto citius deus gratiam infundit, Si autem adornes te ut cattus bonis operibus, ut te deus acceptet, nihil efficies. In sermone de piscatione Petri.

In Art. 29. IIII. Luth. Opera bona in gratia DEI facta, uitam consequuntur æternam.

In Asser. art. 32. Antiluth. Opus bonum etiam optime factum, est ueniale peccatum, secundum misericordiam dei, sed mortale peccatum, secundum iudicium dei.

In lib. Visit. V. Luth. Multi clamant bona opera nihil promereri: at multo satius esset ut impellerentur homines, ad bona opera facienda.

In sermone recumben. undecim. Antiluth. Opera nihil omnino ad salutem aut iustitiam ualent.

De Cap. Bab. VI. Luth. Nec alia uia potest homo cum deo aut conuenire aut agere, quam per fidem: opera ille nihil curat.

In lib. Visit. Antiluth. Multi dum audierunt, ut solummodo credatur, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarij & securi, Huiusmodi autē carnalis securitas peior est cum errore, quam ante hoc tempus unquam fuit.

De sacra. pœ. VII. Luth. Opera bona inueniuntur esse peccata.

In Psal. Antiluth. Opera bona prætermitti non debent.

VIII. Luth. Bona opera non saluant nos, & peccata non damnant nos.

Antiluth. Tam peccata quam bona opera damnant nos: sola gratia saluat.

In Asser. art. 31. IX. Luth. Iustus in omni opere bono peccat.

In lib. an status militaris sit salutaris. Antiluth. Deus, gratias ago tibi, quoniam me in tali opere constitueris, in quo sum certus quod peccatum non sit, sed opus rectum, & tuæ uoluntati beneplacita obedientia.

X. Luth. Ex libertate Euangelica sublata sunt uniuersa hominum mandata, & quicquid in externis ceremonijs obseruari potest, Vt sunt omnes cibi, omnes personæ, omnes uestes, omnes gestus, omnia loca, uasa, dies, ut ea liceat seruare uel non seruare, quam diu, ubi, quomodo, quando, & quoties placuerit.

In sermone de Indulgentijs. Antiluth. Præcepta nobis a deo ideo tradita sunt, ut per ea mereamur. Cum igitur nullum sit pręceptū, de redimendis pro animabus indulgentijs, melius est circa certiora & meritoria permanere, per bona opera pro eis orare, quam indulgentias redimere.

DE CONCILIIS GENERALIBVS
CAP. XLIX.

Lutherus.

De Cap. Bab. SÆpius errauerunt Concilia, præsertim Constantiense, quod omnium impijssime errauit.

In resolution. Antiluth. Ecclesia errare non potest.

In sermone, attendite a falsis prophe. II. Luth. Sępe nullus uir in Concilio est, qui diuinum spiritum, uel modicum olfecerit, Sicut contigit in Nicęno Concilio, ubi de uxoribus sacerdotum agebatur.

In dispu. Lip. Antiluth. Concilijs nihil derogo, sed omnium sacratissimum fuit Nicęnum.

Luth.

III. Luth. Non aliquos, sed omnes articulos Ioannis Hus Constantiae esse damnatos dico, ab Antichristo & suis Apostolis in synagoga satanae ex sceleratissimis Sophistis congregata. *In Asser. art. 30.*

Antiluth. O quantis Diris & Furijs in me agerent isti Stolpenses, si ego tam blasphemo & impio dogmate statuissem, non licere loqui de potestate Conciliorum. *Contra schedulā Stolpen.*

DE BOHEMIS CAP. L.

Lutherus.

GRauissime peccauere Bohemi, quod ab Ecclesia Romana discesserunt, etiam si stet pro eis Euangelium. *De potestate papae.*

Antiluth. Non sunt Haeretici neque Schismatici Bohemi, aut Graeci, quod Euangelio nituntur, Sed uos Romani estis Haeretici & impij Schismatici. *In Cap. Baby.*

II. Luth. Bohemorum dissidium a Romana Ecclesia, nulla potest excusatione defendi, quia sit impium & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatē, in qua omnes leges summantur, perstat. *In commento ad Gal. ca. 6.*

Antiluth. Bohemi sub utraque specie cōmunicantes, non sunt neque Schismatici neque Haeretici, sed Christianissimi et Euangelicissimi, Quos oro & obtestor in domino, ut in ea sententia firmiter permaneant. *In Asser. art. 16.*

III. Luth. Nunquam mihi placuit, neque in aeternū placebit, quodcunque schisma inique faciunt Bohemi, quod se autoritate propria separant a uestra unitate. *In dispu. Lip.*

Antiluth. Quanto iustius feceritis, si tantum uos a papa separaueritis, ut nec odorem nominis sui pestiferum, quoad fieri potest, sentiatis. *Ad Senatum Pragen.*

DE CERTITVDINE SALVTIS CAP. LI.

Lutherus.

INcertum est homini, num sit in statu salutis, nec ne. *De x. prece.*

Antiluth. Fabula est scholasticorum asserere incertum esse, num sit homo in statu salutis, nec ne. *In Epist. ad Galat.*

II. Luth. Omnium pessime docent theologi dicentes nos nescire an simus in charitate uel non. *In Epist. ad Galat. 5.*

Antiluth. Quamcunque dederis Ecclesiam, incertum est an sit sub peccatis & sub portis inferi. *Cōtra Amb. Catharinum.*

DE CONCVPISCENTIA CAP. LII.

Lutherus.

SINE DVBIO concupiscentia est peccatum, authore Paulo.

Antiluth. Sicut concupiscentia in homine non est peccatum, sed consensus in concupiscentiam. *In Asser. ar. 2. In Psal. 4.*

II. Luth. Vltima duo sunt praecepta maxima, quae sola Apostolus ad Romanus adducit dicens, Non concupisces. *De x. prece.*

Antiluth. Peccata contra duo ultima praecepta a confessione sunt prorsus excludenda, quia magis rationem affectionum & passionum, quam peccatorum. *In Assertion. Artic. 2.*

De x. præc. III. Luth. Peccata contra duo ultima præcepta sunt crassissima.

De ratione confitendi. Antiluth. Peccata contra duo ultima præcepta, non habent rationem peccatorum.

AD ANTILOGIARVM LECTOREM CATHOLICVM.

IAM DESINE amplius mirari, Catholice Lector, quod Lutheranum uulgus tam uarium sit, uanum, & nusquam sibi constans, Adeo ut si sexcentos des Lutheranos, totidem apud eos inuenias in fide Sectas. Nihil inquam miri hoc est, Probe enim ita sequitur magistrum & doctorem suum Lutherum, cuius inæqualis & monstrosa uarietas facile quoduis Indicum superat monstrum. Qualis ergo magister, tales sunt scholares, & qualis Doctor, tales discipuli. Nec mirum. Sola enim Catholica Ecclesia, uera hæc & solida basis est, a qua si uel unguem latum recesseris, facile in deuia mille deflectes. Accipe igitur iam has Lutheri Antilogias, quę si tibi arriserint, propediem alias dabo, his longe plures, criminum Carolostadij, Zuinglij, Oecolampadij, Melanchthonis, Catabaptistarum, Pneumaticorum, & id genus aliorum nouorū Pseudoprophetarum, uidelicet, quomodo mirabili et confusissimo bello alius contra alium pugnet, et interim quiuis contra seipsum, ut uisurus sis mare quoddam, infinitis pene antilogiarū monstris fluctuans & turbidum. Interim bene uale mi Christiane, & pestes has uitato, neq; te a Catholica Ecclesia, unica constantis ueritatis anchora diuelli unquam patere.

FINIS ANTILOGIARVM LVTHERI.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM FERDINANDVM ARchiducem Austriæ, Moscouitarum iuxta mare glaciale religio, a D. Ioan. Fabri ædita.

ΧΑΣΠΑΡΟΣ Ο ΧΟΥΡΡΑΡΙΟΣ

Δεῦρο φίλε, πρὸς πίστιν ἔχεις ἀγάλματα θῶα
βαρβαρῶν, ὅτι οὐ σῶμ᾽ ἔλαι εὐσέβεια.

NON DVBITABAM futuros, ut sunt comparata hominum ingenia, qui simul atque illa de Moscouitarum religione, pietate moribus atque potentia legerent, suspicaturi essent, ingenio me potius indulsisse, quam quod res ita, ut optima fide retulimus, haberet, præsertim cum sit multo maxima hominum pars, quæ uix sustineat quicquam sibi boni ea de gente persuaderi, qua hactenus religionis nomine uix alia peius audijt. Eam ob rem sero licet (supremam enim iam librarius manum imposuerat) nacti exemplar earum literarum, quæ a diuo Carolo rege Roma. principi Moscouitarum destinatæ essent, quarum superscriptione quoniam crederem nonnullos delectatum iri, uolui & hanc gratiam a lectore inire, ut tanquam appendicem annecterem, cum ut res per se obscura tanto nixa autore credatur promptius, tum ut & tandem agnoscamus pro Christianis, quorum mores omnisque uitæ tenor aliud nihil quam ueram pietatem spirat.

SERENISSIMO, & potentissimo principi domino BASILIO dei gratia Imperatori & dominatori uniuersorum Ruthenorum, & magno principi Volodomerię, Moscouiæ, Nouogardiæ, Plescouiæ, Smolenskiæ, Iferiæ, Lugariæ, Permiæ, Vuerthiketiæ, & Bologariæ, Nouogardię terræ inferioris Tzeringouiæ, Rozauiæ, Volotschiæ, Rhesciæ, Bolami, Beleskiæ, Roscouiæ, Iaresklauoriæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Optoriæ, Condiuiæ, &c. fratri maiori, et amico nostro chariss.

CAROLVS ROMANORVM IMPERATOR.

SERENISSIMO PRIN-

CIPI AC DOMINO, D. FERDINANDO, HISPANIarum Principi & Infanti, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ &c. Sacratissimæ Cæsareæ maiestatis per Rom. imperium locum tenenti, Principi suo clementissimo D. IOAN. FABRI salutem & pacem in CHRISTO dño nostro.



CVM HVMANITER SALVTASSES, AC MAgnifice pro regio in te animo excepisses, Serenissime Princeps, oratores Moscouitarum, qui iam a sacratissima Cęsarea maiestate ex Hispanijs fœliciter, cum & illic pleraq; magis etiam quam uel par esse posit in eos magnificentiss. collata essent, læti ad te Tybingã redierant, statim, ut est excellentiss. tui ingenij consuetudo, cõmisisti, ut quam primum, mecum sumptis aliquot insignibus, qui huiusmodi negocio pares essent, uiris tum eruditis, tum multarum rerum usu prædítis, istiusmodi Moscouitarum, nobis Germanię uiris prius admodum incognitorum, percõtarer (idq; tuo nomine) originem, ritus, mores, religionem, atq; id genus alia, Quod & ob hoc facile fieri poterat, quoniam interprete utebantur ipsi, qui cum & natus Moscouita esset, præter suam uernaculam linguam, & Germanice & Latine mediocriter callebat. Ob id maxime desyderasti Princeps sereniss. proculdubio, si cui forte mirum uideretur, quo certior factus, cum quibusnam olim diuus Cæsar Maximilianus auus tuus pro communi Rep. fœdus inijsset. Tum aliud est, quod forte huic rei perquirendæ plus addidit desyderij, ut cum olim in conuentu uel doctorum hominum, ubi frequẽs esse soles, uel principum, mentio quædam de exteris inciderit, id quod usu non possis, saltem monumentis admonitus, æque in lucem proferre queas, quicquid est ex uarijs exterorũ morib. Qua re & ipse facile motus, atq; ut par erat, uotis tuis obtemperaui. Accessimus simul, primumq; quę tui animi sententia esset exposuimus: id quod & illis summe placuerat, talis principis idolem ac ingenium mirantibus, de quo & plurimum spei sibi polliceri poterant, quod unus esses ex omnibus, ad quos ipsi, longa quidem profectione, quæ iam biennium compleuerat, ab Oriente facta in Occidentem diuerterãt hospitalitatis iure antiquissimo, qui gentis suę uaria amplecteretur. Itaq; & ipsi talibus beneuoli facti, nihil omnino eorum obticebant quæ quærebamus, uerum omnia cum fœnore reddebant. Idem & ego tibi facturus serenissime Princeps, quo ordine, quibusue locis, uniuersa huiusmodi hominum in publicũ proferri possunt, etiam maiora q̃ illi retulerunt, nihil relinquens, fidi interpretis munere functurus, exponam. Primo itaq; omnium tum congruum, tum necessarium mihi uisum, ut quæ nominis appellatio huic genti existat hodie passim uulgo, tum quæ prisca fuerit,

ſecta fuerit, referam, ubi et maximus nobis labor incumbit. In conferendis nanque uel Græcorũ cum Latinis monumentis, uel uetuſtiſſimis illis cum recentioribus, non mediocris exigitur ingenij iudicium, Facile enim omnia commutari contingit, quemadmodum in moribus fieri frequenter cernitur. Inuenio itaque eos populos, quos communi uocabulo nos Moſcouitas appellamus hodie, olim teſte Plinio, Roxolanos eſſe dictos, quos tamen aliquantulum commutata litera, tabula Europæ octaua Ptolomæus Roſolanos nominat, quemadmodũ & Strabo, Qui etiam multo iam tempore Rutheni dicti fuere, Atque hi ſunt, qui quõdam aduerſus Mithridatis Antipatorum duces ſtrennue dimicarunt, ueluti Strabo refert. Hodie uero, cuiuſmodi & antea memini, pro temporum uarietate, nihil plus immutari cernimus, quàm regionum prouinciarũque nomina. Quoniam urbs eſt illis regalis totius prouinciæ Moſcouia dicta, unde & Moſcouitæ nomẽ acceperunt, uel ut alijs placet, ueluti Volaterano, à fluuio Moſcouij. Vtcunque deriuaueris hoc modo, nõ admodum retulerit, dummodo nominis ratio liquida fiat. His olim præfuit Ioannes dux, cui Helena coniunx erat de Palæologorum, hoc eſt, Conſtantinopolitanorum imperatorum genere nata. Vltra hos Roxolanos quidem Strabo ait neminem habitare. Sunt itaque Rutheni ſiue Moſcouitæ Orienti plus confines, propioreſque ac Boryſteni, conterminant ex uno latere Lituanis, dein Polonis, atque Tartaris ex alio latere. Qui quidem Tartari illis ſæpe hoſtiles manus inferunt, crebras incurſiones faciunt. A Cæſare item Caphenſi, qui certe præſidio Tartarorum potentiſſimus exiſtit, & à Capham nomen ducit, iuxta mare in Taurico Cherſoneſo reſidens, innumera belli mala ſuſtinent quaſi omni momento. Verſus itaque Septentrionem mari clauduntur glaciali, cuius littus cum ſit amplifſimum, uniuerſim fere Moſcouitarum ducis exiſtit. Atque hoc mare eſt, quod ueteres, lacum Cronium, ob eius glaciẽ perpetuam fere appellarunt. Cronium enim ἀπὸ τοῦ κρόνου Græce, Latine Saturno appellato, uenit, qui quoniam ſenex frigidus ac tardus extitit, pro huiuſmodi aſtro a poëtis ponitur. Hinc quæcunque frigida, tardaque ſunt, & huiuſmodi, Cronia appellari conſueuerunt, & hoc mare Cronium, quod immenſo Septentrionis communi frigore, & hac parte maximo, quanto longius a ſole eſt, multis milibus paſſuum congelari ſoleat. Quapropter & Hecathæus, teſte Plinio, Amalchium uocat, lingua Schytarum, quod Latine quoque interpretari poteſt congelatum. Sic in contrarium, eadem de cauſa, ab Ammonio hiſtorico, lacus qui prope Conſtantiã eſt, quem Solinus alias Pregantinum nominat, Acronius uocatur, quod nequaquam ex integro unquam congelatus memoretur. Verum ne longius ab inſtituto aberremus, Moſcouitarum certe ducis imperium adeo latis protenditur longiſque agris, ut aliquot ſpacia Aſiæ complectatur, aliquot etiam Europæ, eaque minime parua. Moſcouia autem urbs eſt, ut quod alias minime conſequi poſſumus, hoc comparatione quaſi ob oculos cõmodiori modo ponamus, duplo maior quã ſit Colonia Agrippina, quemadmodum

Moſcouitæ Roxolani.

Rutheni.

Cur Moſcouitæ dicti.

Ioannes quondam dux eorum extitit, qui ex Palæologorum genere Helenam duxerat.

Situs Moſcouitarum circumquaque hoſtib. cinctorũ.

De mari glaciali pleraque, quo etiam uerſus ſeptentrionem cinguntur.

Vrbes celebres. Moſconiæ.

admodum ipsi retulerunt, qui in profectione ista huiusmodi urbis plus forsan quam reliquarum Germaniæ explorandæ curam habuere. Huic tamen magnitudine non imparem habent & aliam urbem Fladimeri, tum Blescouiam, & Nouigradiam, Smolne, & Otiferi, quas regijs amplissimisq; ædificijs extructas dicebant, muris quoq; bene munitis, illisq; tum ex quadratis, tum decoctis lapidibus extructis. Quarum etiam Blescouia præter cęteras præmunita, muris trib. cingitur. Reliquæ uero quas habent innumeras, non usq; adeo celebres habẽtur. Quoniam ab his quas prædiximus, titulum suum ac inscriptionem Rusiæ Imperator accipit. Nam in præsentiarum quoties uel per Oratorem, uel per Epistolam sese Moscouitarum Imperator insinuat, hoc titulo uti cõsueuit: BASILIVS dei gratia, Imperator totius Rusiæ, ac magnus dux Fladimeri, & Moscouiæ, Nouigradiæ, Blescouiæ, Smolne, & Otiferi. Atq; certe ille est titulus, quo anno proximo elapso XXIIII. mense Augusto, dum in inclyta Vienna tua, te ex magni Basilij nomine salutarent, sunt orationem suam exorsi. Habet is Princeps Moscouitarum sub se principes multarum prouinciarum, cosq; præpotentes, Ex quibus non postremus est canus ille & barbatus, quem uelut Oratorem Ruthenorum Imperator misit, ut serenitatem tuam primo ac post Cæsariam maiestatẽ in Hispanijs adiret. Qui & triginta milibus equitum quoties belli necessitas exigit, Imperatori suo succurrere solet. Sunt et alij principes, quorum potentia nõ parua est. At illud singulare est, quod in ipsis summe cõmendari potest, ut nullus sit eorum tam illustris, diues ac præpotens, quin accersitus a duce, per quam humilimum etiam præconem, statim aduolet, omnibus mandatis sui Imperatoris, instar dei, obtemperet, etiam in ijs causis, quæ uel uitæ detrimentũ, periculumq; exigere uidentur. Imo hæc maxima noxa ac ignominia apud ipsos censetur, quum minus aliquis in cunctis duci suo pro uoluntate egerit. E contra præclarissimam in uiro esse obediẽtiam. Idcirco intra paucos dies aliquando bis aut ter centena milia, uel alias ingẽtem quandam multitudinem congregare potest, contra hostes suos, aut Tartaros, aut Cęsarem Caphensem, uel alios quosuis exercitũ ducturus, adeo nulla est natio quæ Imperatori suo magis obediat, nihil plus uiro dignum aut gloriosius esse ducẽtes, quam pro principe etiam mori. Sic enim recte se immortalitate donari existimant. Ideo etiam frequenter contra Tartaros, Turcas, et alios cum tam potenti equitum exercitu, instar apum collecto, fortissimos triumphos agere solent. Et eo tempore, quo Cæsar Maximilianus cum ipsis fœdus inijt, cum rege Poloniæ bellum gesserunt. Qui ut indies bella gerunt, indies quoq; aptiores ad uim inferendam exercitu, tum ad pugnandum, tum ad conserendum manus, fieri solent. Nam cum olim, pro more Parthorum, plus fugiendo quam insequendo uictoriam nacti essent iactu iaculorum ex arcub. nunc uero ad omnes belli insultus, uel inferendos uel patiẽdos aptiores facti, etiam æneis machinis, quas bombardas uocant, utuntur, atq; miræ magnitudinis acies instruunt, industria qua fieri solet.

Fladimeri. Blescouia. Nouigradia. Smolne. Otiferi.

Titulus Imperatoris Moscouitarum.

Prouinciæ tũ principes.

Quantum Imperatori suo præsides prouinciarum obtemperent.

Quantas belli copias breui tempore educere queant.

Pro principe etiam mori in ipsis egregiũ.

Belli industria.

fieri solet. Et si summam cupis, aiunt plerique historici, quod Moscouitarum gens sit quae nunquam sit experta pacis commoda, quae nisi natura, situque adeo munitissimam haberet terram, periculum sit, iam saepissime eam expugnatam fuisse. Lingua uero eis est, qua sibi multum cum Bohemis, Croatis, & Sclauonibus conuenit, adeoque uicina, ut Sclauo Moscouitam plene percipiat, nisi quantum uisum est nonnullis, Moscouitis asperam magis ac duriorem esse phrasim. Sclauonum autem linguam a confusione, quae in Babel tempore Nembrotis fortis illius in Genesi uenatoris facta est, nomen accepisse tradunt historici. Eam tamen rem satis mirari non possum, quod cum inter Dalmatiam quidem & Moscouiam, utraque Pannonia sita sit, Vngaro tamen nihil minus quam cum linguae cognatione conueniat cum Moscouita. Quare coniectura est, olim has gentes per legiones diuisas esse, atque ex Dalmatia illuc migrasse: ob hoc quoque asserit Volateranus Ruthenorum linguam semidalmaticam esse. Vtcunque tamen fuerit, hoc certum esto, Bohemis, Croatis, Dalmatis, & Moscouitis lingua conuenire, id quod e tuis interpretibus, quos in aula tecum fouebas, quotquot eramus, deprehendimus. Nam cum & illi interpretes inter Croatos & Dalmatas nati essent, nullusque unquam illorum uel Moscouitas accesserat, uel moratus cum eius fuerat, adhuc tamen tunc praesentes uerba illorum deprehendere poterant. Sunt etiam in Moscouia nemora mirae magnitudinis, in quibus uulpes nigri, & ursi albi uenantur, ita monumentis prius admoniti, nunc uero demum interprete Oratorum edocti. Nec mirum fortassis, in causa enim facile fuerit nimium illud Septentrionis frigus, quod semper mater est albedinis, uti Philosophia constat. Viuunt autem in syluis plerique uenationibus ferarum admodum sedulo incumbentes. Habent & apes frequentissimas, a quibus mel & ceram cum copia colligunt, quae tamen apud illos mediocris admodum sunt precij. Cum uero belli frequentia terram eorum incultam ac neglectam faciat, uitae suae necessaria non aliunde magis, quam e pellibus quaeritant, ad quas comparandas mercatores tum e nostris, tum e longinquioribus ueniunt regionibus, ea est illorum nobilitas, Qui nanque nobilissimi sunt apud nos, ab illis nobis comparamus: ueluti sunt, pelles Zobolini, Martyres, Hermelini, & his similes. Simplici uerborum fide, non longis ambagibus contrahunt, mercem pro merce. Quamuis enim aureorum & argenteorum numismatum ipsis & multus usus sit, tamen pro frugibus, ac reliquis uitae necessarijs pelles frequentissime commutant. Sunt etiam ex gentibus eius imperatoris, quae uino & frumento neque utuntur, neque habent, sed uti bestiae bestijs uescuntur: id quod cum Tartaris commune habent. Ignobile uulgus est, et omnino syluestre, Tartariae uicinum, ad littus maris glacialis in syluis habitans. Alij uero

Lingua.

Nemora. Ferae coloribus cum nostris dispares.

Apum frequentia.

Maxima merx pellium.

Pleriq; eorum cum bestijs commune habent in cibo.

aliarum

Pleriq; ut nos cibis uescuntur. Numismatis usus. Fide Christiã profitentur, ab Andrea apostolo primum edocti. Quàm modeste dein decreta patrum suspiceantur, ac sancta habeãt

aliarum urbium Moscouiæ, scilicet Nouigradiæ &c. ciues in esu piscium nobiscum magis ciuiliter communicant: in decoquendo uero nonnihil a nobis discrepant, quantum ipse uidi. Et cuius fere oblitus fuissem, Volateranus scribit, Ruthenos uti moneta non signata: illud tamen experiri uolens, ab ipsis certior factus, monetæ Vngariæ multum usum apud eos esse. At quod maximũ est, in uita fidem Christianam sequuntur, quã a sancto Andrea apostolo, fratre Simonis Petri, primũ eis prædicatam affirmant. Ea quoq; quæ sub Constantino magno a CCCXVIII. Episcopis, anno CCCXVIII. in Nicęa urbe Bithyniæ primo Nicęno concilio conclusa, ac a Basilio magno & sancto Chrysostomo tradita & prædicata fuerunt, tam sancta, tam firma, tam syncera esse credunt, ut ab illis hactenus nunq̃ licuerit transuerso digito, ut aiunt, recedere cuiquam, sicuti neq; ab euangelio Christi. Ea quoq; uel modestia est eorũ, ut quæ a sanctis patrib. in suis cõcilijs semel sunt decisa, nunq̃ audeat quisquam suæ professionis in dubium denuo uocare. Constantiori itaq; animo q̃ pleriq; nostrum in hac prima fide perseuerare solent, quã ab Apostolo Andrea, suisq; successoribus, sanctisq; patribus didicerunt, atq; ab ubere materno suxerũt. Nequaquam sese in uarias scindi hæreses patiuntur, uerum si qua uel fidei difficultas, uel ritus religionis inciderit, uniuersa ad archiepiscopum, ac reliquos Episcopos, pro ipsorum tantum spiritu definienda refertur, neq; quicquam inconstanti uulgo et inconcordi relinquitur. Sacerdotis enim labia custodiunt legem dei, & lex ex ore eius requirẽda erit. Habent autem Archiepiscopum, qui in urbe Moscouia, in eo loco ubi sedem Imperator habet, cathedram archiepiscopalem obtinet. Sunt & Episcopi quamplures, in Nouigradia unus, in qua & Isidorus extitit, sub Eugenio pontifice Ro. Cardinalis, teste Raphaële. In Rosciuia alius, alius in Sustali, alius in Otiferi, alius in Smolne, alius in Resan, Colmum, Volut, & Frotini præficiuntur episcopi: qui & suas habent dioeceses. Hi quidem omnes Episcopi archiepiscopum uelut supremũ agnoscunt. Archiepiscopus autẽ ille, antequam patriarcha Constantinopolitanus a Mahometica tyrannide suppressus esset, semper hunc patriarcham ut superiorem recognouit. Huic tamen Romanum pontificem ueluti Petri successorem præcessisse, semper ac merito fatebatur. Neq; hodie eius rei immemor Ruthenorum Imperator, adhuc pietatis eiusmodi diligens custos, quotannis enim Constantinopolitano patriarchæ in hanc usq; horam, quo uiuere, & Ægyptiacæ seruitutis finem æqua mente expectare posit, eleemosynam mittere consueuit. Satis nanq; impium sibi uideretur, eum deseri, quem totidem Ecclesijs pręfuisse notum sit, & a quo unico fere totidem, tantorumq; prouinciarum religio olim dependerit. Cum uero in episcoporum nomina, sedesq; inciderit mentio, authoritatem illorum planius ac rudius (ut aiunt) promulgare placuit, ubi uideo illos a nostris in plerisq; non multum differre, rem enim ex ordine compertus sum. Nam apud Moscouitas ea lex est & sanctio, ut presbyteros, & omnes quotquot clerici sunt, solos ordinent

Quomodo hæresibus medeantur. Ordines presbyterorum. Pietatis exemplũ Imperatoris in patriarcham Cõstantinopolitanũ. Episcoporũ autoritas & munus in administrandis sacramentis. Sacramẽtum ordinis.

dinent Episcopi. Neq; ulli presbytero unq̃ quenq̃ confirmare licet. Hoc em̃ muneris Episcopo soli incũbere asserũt, ut posteaq̃ tinctus aqua adultus fiat, per impositionẽ manuum Episcopi, & signaculum crucis adeptæ fidei testimonium reddat, firmeturq; per unctionem, quæ in fronte fieri solet. Iidem in cœna dñi chrisma et oleum celebrant atq; conficiunt, cuius dein usus sit in baptizando, confirmando, ungendo infirmos. Soli sunt qui instituũt & destituũt presbyteros. Neq; unq̃ licet laicis in ipsos animaduertere, recte ob oculos habentes Pauli doctrinã ad Timotheũ, qua dicit: Accusationẽ aduersus presbyterũ ne admiseris, nisi sub duob. aut trib. testib. Ita nec se unq̃ Imperator ipse de pœnis clericorꝫ ingerit, Hoc Episcopalis tm̃ animaduersionis cõstanter affirmant et prædicant, ut eos arguat et castiget, quos sibi subditos Euangelicus ordo, ac in sortem dñi uocatio fecerit. Habent & Episcopi suos uicarios & officiales, quemadmodum et nostri, qui iurisdictionem in subditos exercent, & iustitiam in rebus Ecclesiasticis administrant. Decimis quemadmodum a deo decretum est, quoq; uiuunt Episcopi, dñijs utuntur iure concessis, uillas ac castra possident. Reliqua uero sacerdotum turba aliquibus decimis, oblationibus, & alijs quamplurimis tam uiuorum q̃ mortuorum aluntur. Pro ijs em̃ beneficia habent fundata, quorum patroni sunt tam spirituales q̃ laici. Seueriori tñ cura hic agitur q̃ soleat interdũ nobiscũ, negligentius scilicet. Nemini em̃ facile aliquod munus Ecclesiasticũ commendatur, neq; cõfertur beneficium, nisi prius huic ipsi satisfacere posse comprobetur: per eius rei tñ peritos, uelut Episcopos aut uicarios. Sunt Episcopis suæ familiæ, tum nobilibus, tum alijs constitutæ. Hi certe sunt Episcopi, per quos statq; caditq; uniuersa Ruthenorum religio. Diuina sæpe quum cum Imperatore conueniunt peragere solent. Pro insignib. tanti huius muneris, baculis utũtur & mitris, perinde atq; nr̃i solẽt Episcopi. Ea uero abstinentia est, quę nunq̃ satis laudari poterit, insignis admodũ et magna, tum archiepiscopi, tũ reliquorũ episcoporum, cibi atq; potus, nec minor fere q̃ monachis eius regionis, quib. ipsa solet esse refertissima: qui quidẽ ea lege obstricti abstinentię, ut nunq̃ in perpetuũ carnibus uesci liceat. Ne igitur tam facile uesana nostræ Germaniæ cohors se solam deludi atq; onerari ducat quasi monstris monachis: plebs certe dei selecta est, passim per uniuersum quæ increbruit, quam quidem hodie mirari solent, nescio quibus persuasi, quasi nouam faciem: cum fere nulla professio Christianorum sit antiquior, uel adhuc magis Euangelio accedens, quam stulta hominum nostrorum opinio, ueneratur, magni æstimat gens efferata bello continuo, id, quod nos abominationes dicimus. Non procul ab urbe Moscouia monasterium est amplissimum, in quo trecenti fratres perpetuo fere sub regula magni Basilij degunt, in quo etiam sepulchrum sancti Sergij abbatis, quod ab exteris e longissimis etiam agris frequẽtatur: multis enim miraculis celebre factum est, Christianorum admiratione non parum dignis. E quibus uel unicum in medium prolatum sufficiet, omnium illustrissimum,

Confirmationis.

Vnctionis.

In clericꝫ animaduertunt soli Episcopi.

1. Timoth. 5

Facultates Episcoporũ ex decimis, uillis castris, alijsq; prædijs.

Sacerdotia uero pro reliquis fundata sunt.

Collatio beneficiorum.

Insignia Episcoporum.

Ieiunium frequens clerus habet.

Monachi plures.

Monasterium prope Moscouiam insigne miraculis sancti Sergij.

 quod pau.

quod paucos ante annos illic contigit: Duobus cæcis quidem uisus donatus est. Cum enim abbas ille uiueret, tanta uitæ sanctitate extitit, ut facile sibi persuaserint, atque credant iam multa ipsum precibus suis apud deum posse efficere atque consequi mortalibus. Ideoque monumentum eius crebro mira cũ deuotione accedunt, honorantque. Vniuersi uero tum monachi, tum uirgines Vestales, quotquot sunt in monasterijs, unicę regulæ, unique habitui obnoxij, nigro scilicet, usque adeo religiose uiuunt, ut non mirentur solum, uerumetiam summo honore eos prosequantur.

Voti constans obseruatio.

Neque ipsis tam uilis ratio uoti habetur, uelut hodie nobiscum: uerum cum quis ingressus fuerit monasterium, nunquã in perpetuum quoquo modo, quaue indulgentia ei licebit exire, aut reliquo uotum irritum facere. Vota uero tria sunt quæ exhibent, ceu nostri, Obedientię scilicet, paupertatis, & castitatis: Quæ si quis prætergressus, e monasterio qui profis sijt, deprehẽditur, perpetuo carcere in pœnã tanti sceleris clauditur. Tanta est uotorum sanctitas, ut etiam quamuis multa apud Ruthenos archiepiscopi & Episcoporum autoritas sit, in his tamen illis minime quicq̃ concessum est, Quod uouendum & reddendũ domino utriusque testamenti scriptura edoceat, imo ipsa ueritas requirat.

Castitas.

Castitatis itaque adeo ratio haberi solet, ut nunq̃ monachis uxores ducere, neque monialibus nubere liceat. Ita enim a Paulo & tota Ecclesia prohibetur.

In ducendis uxoribus à sacerdotibus Moscouitarũ mores, subinde eorum qui in matrimonio constituti sunt.

Is autem qui uirginem bonæ famæ duxit, in sacerdotem ordinatur, in monachum tamen nunquam recipitur. Episcopus autem uel sacerdos postea quam coelebs in sortem dominĩ uocatus atque conscriptus fuerit, coniugio non copulatur, sed perpetuæ castitati adstringitur. Quod si quis concubinatus crimen admiserit (quod tamen apud Ruthenos uitium est rarissimum) acerrima pœna ab Episcopo affligitur, suoque beneficio priuatur. Cumque uxor semel mortua fuerit, quam primo duxit, in perpetuum quoque aliam in uxorem nunquam ducit. Non bigamum nanque, at unius uxoris uirum Episcopum instituit Paulus. Et quod pietati colophonium addere uidetur, deuotionisque spiritum augere, ut cum sacerdos diuina celebraturus est in coniugio constitutus, maximeque in Missa celebranda obseruari solet, minime phas esse putant, præcedenti nocte cum uxore dormire: periculum enim illic esse uerentur, si non cum peccato id fiat. Ideo quoque pro pleniori reuerentia nocte sequenti ab uxoribus quoque abstinent. Ea est in his quidẽ tanti corporis & sanguinis mysterij reuerentia, is cultus, hæc spiritus persuasio. Videant igitur nunc nostri quam pollutis manibus hoc sacrosanctum mysterium, pignus omnis redemptionis nostræ, tractare soleant. Moueret optarim uel unicũ Dauidis exemplum, qui cum extremo iam fere ieiunio laboraret, non tamen propositionis panes ab Abimelech obtinuisset, nisi ipse & serui eius ab heri & nudiustertius ab uxoribus aut alijs mundi fuissent. Cur igitur non mundiciei ille quoque studeret magis, qui uasa domini, imo ipsum dominum administraturus est, & manibus contrectaturus? Est & aliud officium sacerdotum præcipuum, ut Euangelium Christi

populo

populo annuncient,salutem scilicet & pacē:id quod fieri consueuit ubi- que,omnibus diebus dominicis,festis quoq; diuæ uirginis Mariæ,apo- stolorum item & quorundam confessorum,martyrumq;. Verbum aūt domini pari deuotione & prædicatur & auditur. Magna quoq; est illis reuerentia uirginis Mariæ, crebris quidem orationibus, ueluti Christi mater pro intercessione apud filiū rogatur. Vere enim ea putatur, cum theotocos sit,quæ pro nobis in terris plurima possit a filio consequi. Fe- sta itaq; eius, Annūciationis, Purificationis,Natiuitatis,Assumptionis, & quotquot deniq; inciderint,ieiunijs indictis, orationibus, missis tum lectis tum decantatis celebrare, pro cōmuni ritu Ecclesiæ solent Græco- rum:quemadmodum & toto anni spatio,excepto quadragesimali tem- pore,quando S.Gregorij missam theologi celebrare consueuerunt. Est autem utraq; missa ter prolixior quam sit ea quæ apud Latinos commu nis habetur. Qualis autem sit missa S.Gregorij Papę,non omnino igno rat Serenitas tua,cui nonnunq̃ interfuit in Hispanijs, ubi in quibusdam partibus peragi compertum est,mihi tua aliquando referente solennita- te. Deuotis quidem mentibus accedunt illam populi audituri, tanq̃ par ticipes futuri eius. Solet autē hoc differre illorum missa a nostra, quod Moscouitæ in pane fermentato,Græcorum more,cōficiunt:Calici item tantum aquæ quantum uini rubei miscent:quam aquam & calidam esse uolunt,quod ex latere domini nō sine mysterio magno profluxerit san- guis & aqua,quam calidam fuisse credere phas est:alioqui enim miracu- lum uix censeri posset. Hocq; sacramentū corporis & sanguinis a solo sa cerdote consecratur,qui ueluti nostri fere,stola alba indutus,tota mente ad deum eleuata,id efficere conatur mysterium, quod pro sufficienti pi- gnore om̄ium promissionum suarum Christus in ultima cœna reliquit, quemadmodū uniuersus orbis fatetur. Epistolam item & Euangelium ęque in missis habent. At lecto Euangelio nō mox Nicęnum illud sym- bolum, sed post angelicum cantum, qui Sanctus appellatur, primum fides Nicęna decantari solet, cumq; dn̄icæ orationi finis factus fuerit, mox antiphona de uirgine Maria sequitur. Consecratio itaq; æque ab ipsis uerbis fit a Christo prolatis,quib. & eam uim cōcessam credunt,ut prolatis ipsis a sacerdote,mox creatura creatori suo cedat, illudq; quasi necessarium esse. Dum uero sic conficitur,ecce panis iustæ magnitudinis ordaceus apponit̄,in cuius medio hostia, est cui crucifixi forma perinde ut apud nos,impressa cernit̄,quā ui benedictionis in corpus Christi con uersam sacerdos sibi sumit & manducat,reliquum uero pānis per frusta diuisum petentib. distribuit:quem singuli,non ut corpus Christi,sed ue- luti benedictum aliquem, & quodammodo sanctū panem cum summa deuotione suscipiūt. Solēt itaq; has missas celebrare: de trinitate,de bea ta Virgine,deq; alijs sanctis. Et quoniā illis ꝓcul dubio purgatorij opi- nio est,igitur assidue pro defunctis orant,missis subueniunt. In qua qui- dem re tanta illorū est religio,ut pleriq; bina pro mortuis anniuersaria, ut uocant,agant: alterū qui fatalis quo mortuus est die agitur: alterum

Commune aliud, adeoq; præcipuum sacerdotum munus, annunciare Euāgelium Christi.

Theotoci ueneratio.

Missa.

 autem

autem, quo ab Ecclesia institutum, sancti illius, cuius nomē habuit proprium, festum celebratur. Ad hæc fiunt frequentes oblationes & Eleemosynæ Christianorū. Hoc quicquid est rituū, et potissimū missarum, omne quidem ex institutione primæua Ecclesiæ esse affirmant, uti tradunt etiam Chrysostomus, Basilius magnus, ac Gregorius theologus. Hęc igitur sint breuius dicta quam uel par sit huic mysterio: nemo enim facile reperiri poterit Christianorum, qui humanis præconijs satis commendare poterit turbæ fidelium, adeo multum momenti, remissionis uitiorū ex hoc pendere merito credimus. Iam uero ad reliqua salutis Christianæ sacramenta pedem conferemus. Eucharistiæ quidem sacramentum, quantum ipsis in usu est, populo administrari solet, tempore quo Christus ipse instituit et dein sequuta Ecclesia, paschali scilicet: alia tamen serie forsan q̃ Romana Ecclesia faciat atq; decreuerit. Baptismum pro sacramento primo adeoque præcipuo ducunt, quapropter hoc si quisquam neglexerit derisertq;, mortis pœna affligitur. Baptizant itaque pueros in nomine patris & filij & spiritus sancti. Huic muneri fungendo, quæcunq; necessitas inciderit, nemo hominum sufficere putatur, nisi sacerdos extiterit. Prius uero quam baptimsus administretur, orationes fiunt frequentes ac deuote a sacerdote, a parentibus, a patrinis, a proximis, ab amicis, & quicunque denique adsunt, quo deus Optimus Maximus e cœlo per plenitudinem gratiæ suæ puero per uniuersum uitæ suæ curriculum assistere dignetur. Quibus certe precibus ad deum fusis, in Ecclesia, ad quod peragendum illic baptisterium ordinatum est, aut tempore brumali, molestiam frigoris fugientes, in loco secretiori puer baptizari solet. In cuius rei testimonium adhibentur patrini, pro more etiam nostro, quibus ex pollicitis incumbit, ut huius baptismi memores esse uelint, ut puerum olim, cū ętas patitur aut expostularit, in fide erudire non negligant, ut deum pro tanta gratia laudent, ac orent, ut donum hoc diuinissimum fidei datum, indies augere dignetur. Prælectis itaq; orationib. atq; etiam exorcismis, cum puer fortioribus naturę uiribus apparet, ter totus immergitur, alioquin aqua tingitur, raro tamen: conspersio enim minus sufficiens iudicatur, Oleo & chrismate interim quoq; appositis fronti & scapulis. Sal uero quod a nostris adhibetur, & lutū ex saliua & puluere, non admodū receptum est Moscouitis. Abrenūciationē uero trinā, fidei quoq; confessionē trinā in usu retinēt. Hæc certe cūcta ab his qui apud Rosolanos prima fidei fundamēta iecerūt, quasi per manus tradita, illi ꝑpetuo firma, syncera, incorrupta, seruarūt: neq; Christiani hominis esse ducūt, instar arūdinis uento agitatę, facile cuiusq̃ persuasione ab his ꝑturbari in futurū, neq; si angelus de cœlo descenderit, cerę instar torquendas dabūt mentes eorū ab hoc instituto.

Sacramentum Eucharistiæ. *Baptismus.*

Interrogati dein per nos quantum ipsi circumcisioni tribuerint, num & ipsi in usu haberent. Procul quidem ab eis abesse responderunt, ut uel scintillam ueteris & aboliti Iudaismi obseruent, imo in detestationem illius, nec quisquam Iudęorum per uniuersum Ruthenorum imperium ad-

rium ad-

rium admittetur, etiamsi multis milibus aureorum hoc consequi præsumeret. Id tamen non negabant, Tartaros sibi multum persuadere e præputio, eosq; omnes circumcidi pro labe abluenda ueteris Adæ, contagionis instar contracta: in hoc Mahometicam legem sequutos, quam Mahomet instituit, ut statim quam plurimos sibi compararet sequaces, cum pronos ac beneuolos ad eam suscipiendam faceret Iudęos. Quam rem sedulo affirmabant ab eis procul abesse, nihilq; quod non ex omni parte Euangelicæ ueritati, orthodoxæ fidei, huicq; quam tot sæculis, intemeratam, impollutam, sanctam retinuerint, cõsonet redoleretq;, quod ab ubere ipso tenelli suxissent, admittere. Cui si quid contrarium inciderit, per hæreses sese intrudere cœperit, principio quidem obstant, antequã uelut cancer latius serpat, q̃ eradicari possit, statim põtificali cẽsura, quasi membrum putridum, resecant ac reijciunt: Christi professionem ac crucem eius nunq̃ se neglecturos constanter affirmantes, neq; unq̃ idololatriæ obnoxios futuros. Esse tamen plerosq; in syluis, longius a conuersatione hominum, qui facti sunt idololatræ.

Cum uero iam adultus est puer, & perfectam ætatem consequutus, ita ut suæ fidei Christianæ testimonia reddere potest, ad Episcopum ducitur, ut confirmationis huiusmodi fidei sacramentum recipiat, quod & Chrismate in fronte per signum crucis cõfertur. Administratio uero huiusmodi sacramenti nulli concessa nisi Episcopis: quo coniecturare licet, atq; argumenti loco haberi, quandoquidem omnem religionem suam per manus traditam habent ab apostolis, impositionem illam manuum uel in confirmatione, uel in ordine sacro soli Episcopo traditam esse, sicque hactenus monumenta omnia tenuerunt, atq; perpetua obseruatione custoditum est. De matrimonio si qua dicenda sunt: hoc certum esse affirmarunt, consanguinitatis simul atq; affinitatis multum curæ ac solicitudinis esse ipsis, neq; unquam facile negligi, adeo quoq; ut nec unquam in quarto gradu uel repertus sit, qui contraxerit, neq; indultum, uerum perpetuo illicitum. Hoc enim a sanctis patribus sancitum semel, nunquam irritum facere conantur. Et quod plus est, illud quicquid est cognationis quod in baptismate & confirmatione contrahunt patrini, in uniuersum æque obseruare solent, atq; Ecclesiæ Romanæ decretis cautum est. Quod si in his decernendis concertatio oborta fuerit, lis omnis Episcoporum arbitrio dirimitur, ita tamen, ut nequaquam indulgentia causam leniorem fecerint, quo nulla fraus fiat omnino constitutionibus. Adulterij abominatio fortasis maior illis, quam nobis existit. Illud enim summa execratione detestari & persequi solent. Lex est etiam firma, ut quamdiu uir uixerit, simul alteri nubere uxor non posit: at hoc defuncto primum etiam lege liberatur, alioquin indiuidua consuetudine uitæ cum marito commorandum est. Vnicum etiam solamen omnium miseriarum, et calamitatum quæ accidunt, tum fœlicitatis æque summa æstimatur proles, laborum patientiam parit infœliciũ, tolerantiam, spem meliorum, famæ curam, uirtutis calcar, sudoris sedulitatem &

Confirmationis Sacramentum.

Matrimoniũ.

tatem, & reliqua huiusmodi, quibus parentes posteris suis accommodare student. Sacri ordines quoq; apud ipsos suis quibusdam obsecrationibus & ceremonijs sacerdotibus conferuntur. Neq; illis clauium potestas tradita creditur, nisi ad imitationem Christi in aures illorum dicatur: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Huiusmodi certe Euangelij forma, a Christo nobis præscripta, omni huic qui ab Episcopo uocatus, ordinatusq; in presbyterū fuerit, autoritas tribuitur, qua uel a peccatis soluere, uel ijs ipsis obnoxios sinere potest. Sacerdotali enim hoc ministerio Moscouitæ ad pœnitentiam utuntur. Quisquis nanq; ad prouectiorem ætatem atque eam uenerit, quæ ingenij sui uiribus uti potest, ac discernere inter bonum & malum, rectum & prauum, lepram et non lepram, per contritionem sese peccasse agnouerit, recte spiritus contribulati sacrificium reddens, mox ad pedes sacerdotis procidit, & in aurem illi, ut qui sedem dei teneat, scelera omnia admissa sigillatim, quantum memoria recolligere potest, ex ordine cum planctu aut gemitu declarat: a quo postea beneficium absolutionis, tanq̃ Christi uicario, accipit. Huic rei conficiundæ quoq; tempus habent constitutum. Quotannis enim Paschę festo pro Ecclesiastica ordinatione facere coguntur: pleriq; tamen deuotiores ac celebriores festiuitates exomologesin auricularem facere non negligunt. Id si quis constituto tempore Paschatis neglexerit, anathema esse solet omnibus, abominaturq;, ipseq; ab omnium conuersatione, adeoq; ab Ecclesiæ ingressu coërcetur. Confessus itaque quo digne particeps fieri possit tanti mysterij corporis & sanguinis domini, prius per aliquot dies corpus affligat oportet, et in seruitutem usq; redigat carnem suam, reliquósq; pœnitentiæ fructus dignos in testimonium afflictæ conscientiæ peragat. Proin ieiunium illud quadragesimale a Christo & Apostolis nobis institutum prorsus affirmant, Quo quidem tempore, quoniam omnium procreantium Veneri commodissimum est, atq; pruritus acerbissimos animantium cunctorum non est quod plus prouocet, opus est summe, ut ueteris illius Adæ insultus perdomemus carnis abstinentia: quæ certe abstinentia, apud hos quidem septem hebdomadis summa diligentia perficitur, adeo ut hoc tempore in perpetuum nulli suorum hominum, carnibus, ouis, caseo & butyro uesci liceat. Præter hoc etiam a decima die Nouembris ad festum usq; Natiuitatis Saluatoris nostri Iesu Christi, ieiunant. Habent & alias hebdomadas cõtinuas, quibus ieiunant: ut in Iunio ad festum Petri & Pauli. Aliquot item hebdomadas in Augusto ad festum Assumptionis Mariæ, tum diem Veneris per uniuersum annum, quidam & Mercurij. Votum proin fecerant octo ex peregrinis illis, qui cũ tua Serenitate fuerũt, ut singulis hebdomadis tres dies ab esu carnium abstinerent, Lunæ scilicet, Mercurij, & Veneris: id quod diuina gratia hactenus obseruatum aiebat interpres. Tanta est aũt illis harum constitutionum obseruantia, ut quocunq; ieiunio piaculum esset aliquem carnibus uesci aut ouis. Narrabant interim quoq; ex

Clauium commendatio.

Pœnitentia.

Confessio auricularis.

Ieiunium.

suis inueniri, qui cum ieiunia persoluunt, nihil quod unq̃ uisum sit uitá fungi, neque pisces ipsos ederent. Inueniri & alios qui ieiunio statutis diebus neque uinum, neq; quicquam aliud potuum bibant. Qua re audita ita moti, ut mente ἐκστατικῶ correpti, destituti uideremur, quod admodum iniquam esse nostrorum Christianorum cum illis in rebus istis Christi religionem concernentibus comparationem apparebat: nec magis unquam quicquam animis nostris tenatius inhæsit, quod nos qui nobis ipsis multũ persuademus de arbore fidei nostræ, fructu quidem deteriores illis esse contingat. Oremus igitur sedulo boni Christiani, ut semel obdurationi huic Pharaonicæ cordium nostrorũ finem imponat ac gratiam retribuat, ut cum alıȷs quos alias ferinæ uitę æstimamus, cognoscere liceat his fructibus bonæ arboris: ut est abstinentia animas nostras deo lucrari, deum propitium immemoremq; scelerum nostrorum fieri, quandoquidem Niniuitarum pœnitentiam ac ingemiscentem afflictumque spiritum semel est oculis immensæ misericordiæ suæ contemplatus. Tuentur & alios pœnitentiæ gradus, quibus deum nobis reconciliari credunt, Ex quibus & potissimus est Oratio, in qua frequentanda non facile similes reperiri censeo. Omni nanq; diluculo cuncti eorum, toto corpore in puluerem ipsum prostrati, prolixas orationes, & quotidianas ad deum fundunt, & fere absque omni temporis intercapedine rogant precibus. Quarum primum locum obtinet oratio dominica, dein cum archangelo Gabriele diua Virgo salutatur, dicunt & fidei professionem symbolo, quod apostolorum esse a ueteribus persuasi sumus: & nullus eorum est, qui non singulis diebus litaniam persoluat. Qui uero ditiores sunt, e quorum facultatibus est magnos pro ıȷs sumptus posse facere, Ruthenicis literis imbuti, libros orationum sibi comparant, earum solum tum quæ ab Ecclesia receptæ sunt, cuiusmodi apud Oratores uidimus. *Orationes.*

Imaginum uero non tam leuis cura aut contemptus apud ipsos uiget, ueluti apud nos his factionib. huius sæculi increbruit præter om̃em pietatem: uerum ut monumenta, quo nec unquam immemores beneficiorũ dei fieri cõtingat præ oculis habent. Nam cũ apud fratres D. Francisci cubiculum ingressus essem, quo præcipuus Oratorum dormire con sueuerat, inueni illic pulchro ex ordine ad caput dormientis posita, imaginem diuæ uirginis mira honestate depictam, & instar eius, quã in Moscouia esse aiebant a S. Luca olim depictam, dein tabulam incarnationis dñi, aliã quæ ostentabat, ut amice susceptus est in ulnas Symeonis, aliam quę profectionem in Ægyptum, aliam quę passionem, resurrectionẽ, et triumphabundã ascensionẽ in cœlos teneret. Erat & alia tabella, in qua pulcherrime depictę fuerant tum mœrores tũ gaudia diuę uirginis Mariæ. Postremo erat q̃ apostolorũ figuras & nomina cõtinebat. Ad sinistrã aũt mensã q̃ positus erat liber iustę magnitudinis, Ruthenicis literis, e q̃ dicebãt ducẽ q̃tidie oratiões suas quasi pẽsum soluere. Frequẽtes cõueniũt in Ecclesıȷs, quas & ipsi magnis sumptib. extruũt, orõnis domos *Imagines sanctorum.* *Aedes sacra.*

ex Euangelio uocitantes, quasq; imaginibus uarijs, Crucifixi, diuæ Virginis, Apostolorum, & aliorum quorundam ornant, id quod licere sibi ex moribus uetustissimorum Christianorum prędicant. Necq; tam facile ipsos mouet, quod apud Græcos Constantinopoli ante septingentos annos extiterunt, qui imagines idololatris conuenire docuerunt, necq; phas esse, ut cum uere Christianis reperiantur. Qui certe secunda dein Nicæna synodo damnati fuerunt, quotquot pertinaci animo hanc sententiam sunt tutati. Necq; est ut uel unum aut alterum, qui his ut monumentis utitur, adorare, facile reperire queas. Quoniam nemo est, qui uel ignoret a lege prohibitum esse ne ueneremur lapides. E cōtra etiam nullibi scripturæ locus est, quo non uti liceat ijs monumentis, qui uetet. Imò & in conuiuijs illi ob oculos ponere consueuerunt monumenta huiusmodi, ut in perpetuum animo obuersentur, quæ pręstitit nobis deus, utq; facilius recordentur uniuersæ uitæ nostræ exēpli, Christi. At quod e ceremonijs est, communem habent nobiscum usum, in sacris candelarum: quoniam cera opulentissimi sunt, frugibus uero terræ, & ijs omnibus, quæ ex substantia sunt alicuius, uenerãdum ducunt deum, quę candelæ tunc potissimum accēduntur, quando totius redemptionis nostræ mysterium corporis & sanguinis domini in missa a sacerdote contrectatur. In organa uero illa Pipiniana, quæ tamen nobis primo e Græcia sunt missa, nullos omnino sumptus faciunt, necq; hactenus usi.

Ceremoniæ.

Eleemosynæ.

Neque illud quidem minori, quam reliqua quæ egregie faciunt, loco habendum erit, quod plurimum commendatos habent pauperes, quibus quisq; pro sua facultate, atq; quantum Euangelij pietas consulit, exponit eleemosynas, uestit, potat, pascit, hospites colligit, & reliqua agit huiusmodi, quibus filios dei in uita prouehere potest, timēs ne quo tam horrendi iudicij reus fiat, quod Christus dicturus est in ualle Iosaphat hœdis, postquam separauerit ab ouibus: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui enim & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me. Quandiu enim non fecistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis. Sicq; non parce, sed libenter ac benigne largiendo sementem faciunt pœnitentiæ, ieiunio, orationibusq;, ac reliquis quibus pœnitentiam consummari uidetur, ut & aliquando copiose metant, noxæ scilicet obliteratione, & gratiæ suæ largitionem, sempiternæq; uitę munus, ad quod omnes nos spirare ex cunctis uiribus cordis nostri conuenit unice. Constituunt ad hęc peregrinationes ad præscripta quædam ac sancta loca: quam rem nunc lubens prætereo. Nam si cuncta referenda essent Serenitati tuæ, quæ ex illorum religione essent, iusto quidem uolumine illud agendum foret. Is quoq; qui morbo aliquo pręgrauatus est, cuiusmodi in extremum mortis periculum ducere uidetur, non solum auriculari confessione sua peccata enumerare solet, uerum ad hoc etiam, ut fidem suã testetur in Christum, qui hoc modo testamento reliquit se remissurum noxam, sacramento eu-

mento eucharistiæ prouidetur. Extremam item unctionem minime negligit. Tum pro ægrotante frequentes fiunt orationes, atque litania res agitur. Sicq; tandem exacta exomologesi, pro ritucq; communi Christianorum omnibus perpetratis, confessus ille a sacerdote absoluitur. Septem igitur numero sacramenta habent, uelut ea quæ sine omni fraude promissionum suarum eum qui pro Christiana pietate ipsis utitur, participem ac compotem faciunt, necq; tam facile se deludi talibus promissionibus suspicantur, sed constanti animo credunt ijs omnibus, quæ ab Ecclesia docentur. Præcepta item decem eadem autoritate tenent, qua Mosi primo tradita sunt, quasi nunquam intermoritura, certi per uerbum eius, quod uenerit ut impleret legem, minime ut solueret. Indulgentias ab archiepiscopo & episcopis accipiunt, magis tamen caste forsitan ab ipsis agitur in ea re, q̃ a nostris. Impijssimũ enim esse ducunt, ut quæ ipsi gratis acceperint, sibi magnis sumptibus redimenda essent. Necq; fas est ulli episcopo dare potestatem uescendi carnibus. *Indulgentiæ*

Gymnasia habent, pauciora tamen, in quibus pueri nobilium bonis literis, maximecq; sacris instituuntur, lingua Ruthenica frequentiss. Admodum pauci sunt, qui peregrinis linguis operam impendant. Græcæ plericq; incumbunt ob sanctorum patrum Chrysostomi, Nazianzeni, Basilij, & reliquorum monumenta, omniumcq; eorum gratia, quę a Gręcis deriuata ad eorum mores uel religionem accõmodari possunt. Hebræam omnino negligunt, nisi quod unica hęc uox Alleluia in missa frequentari solet. Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, Epistolæ Pauli, & reliquæ a nobis receptę cum Apocalypsi, inter canonicas noui testamenti scripturas recensentur. De canonicis uero ueteris testamenti idem asserunt quod decreuit Ecclesia Catholica. Pontificem Ro. ut Christi uicarium & successorem Petri agnoscunt. Propterea S. Clementis, S. Leonis, et D. Gregorij festa apud Moscouitas celebrari consueuerũt. Quod aũt ab eo apostatę ueluti ac schismatici dãnentur, hoc uelint iudicio iusti iudicis dei committere, dicebant. Sæpiss. certe tentatũ est eos persuaderi quo ad Occidentalem Ecclesiam redirent, quæ tamen fuerint, quæ infoelicius homini frustrata sint, forte plus profuerit obticere quam commemorando uel scandalum infirmioribus præbere, uel odium quorũdam in me contrahere. Bene tamen se sperare affirmabant, ut quando cum Cæsarea maiestate, capite omnium, simul atq; tua serenitate conueniat, facile euenturum, ut is qui uera pax est, eis etiam cum summo pastore ut conueniat effecturum. Dissentiunt a nobis in sacramenti consecratione aliquantulum, ac fractione panis. Spiritum sanctum a solo patre, nec a filio procedere perinde atq; Græci tuentur. Quanquam uero sint apud Græcos plericq; qui purgatorium negent, & alij qui purgatorium scripturis probare conentur, in hoc tamen se non facile scissuram pati affirmant, quin idipsum firmiter cũ Romana Ecclesia teneãt. Missas nostras animo promptissimo audiunt, necq; se ob aliud magis cruciari aiunt, q̃ q; a quibusdam quasi alieni a fide uitentur, quãdo omnia fere nostra sacra *Gymnasia.* *Libri authentici.* *Quibus dissentiant à nobis.*

cum studio

cum studio obseruent. Festa item quatuor solennia celebrant: Natalis scilicet domini, Paschæ, & Pentecostes, atq; diei quo mater domini a filio assumpta est in cœlum. Magno loco habent apostolos, pręcipuo tamen sanctum Nicolaum, quem celebrant, honorant atq; inuocant. Neque ipsis solum, uerum & Tartaris atq; Mahometanis plurimis est peculiare. Diem Palmarum ad imitationem Ecclesiæ Ro. celebrant, palmas & oliuas, atq; reliquas huiusmodi arbores benedicētes: Hancq; benedictionem creaturarum, non solum ab Ecclesia pie receptam, sed et sacris literis recte fundatam probant. Ex aqua enim quæ est in Numeris cap. quinto & decimonono aperte monstratur, quid execrationes possint. Et e Paulo ad Timotheum, sanctificari creaturam per uerbum & orationem, notissimum est omnibus. Apud ipsos deniq; per uerba incantari serpentes, per uerba ejci dæmones, & liberari obsessos commune fit. Per ieiunium enim & orationem expelli dæmoniū, Christus post se scriptum reliquit. Signū crucis ac imaginem crucifixi, etiam contra hostes pugnaturi, secū deferunt, inde triumphari desiderātes, unde & Christus. Sanctos uere pro nobis apud deum intercedere posse credunt, ac quod sedulo faciant sperant, quorum etiam uota facilius exaudiri autumant. Quare & eos inuocant & uenerantur. Eos quoq; qui publice peccant, excōmunicatione persequuntur, quam eorum lingua Obscha uocant, quam si quis incurrit, e communi omnium hominum consortio, & conuersatione Ecclesiastica ejcitur. Vnicum est quod a nobis sane probari non potest, & a nostris institutis alienissimū, quod pueris uix dum tres annos natis eucharistiæ sacramentum præbent, quodq; in pane fermentato conficiunt, & ex cocleari panem uino intritum pro corpore & sanguine populo ministrant.

Inuocatio sanctorum.

Hi sunt itaq; mores Moscouitarum, hęc religio, illa pietas, Serenissime princeps, quæ in uniuersum inclyta tua in rebus diuinis procurandis sedulitas ignorare omnino noluit, ideoq; iussu tuo hęc certe illorum hominum perquisita sunt, qui quod Turcis ac Tartaris undiq; circundati, ad mare glaciale longissime a nobis sunt siti. Igitur hactenus aliquot sæcula parum cōmertij cum imperio nostro, adeoq; Christianis habuerunt, nihil tamen minus q̃ sacrosanctam illam fidem in Christum, quam primitus a patribus eorum plantari in eis contigit, temeraria, impia, pollutaq; inscitia labefactari permiserūt: uerum adhuc integram, synceram, deuotamque conseruant. Quo fit, ut Serenitas tua satis mirari non poterit, qui fiat, ut qui continuo bello ferocientes, pacem nunquam consequuti, adeo constanti animo suam tueantur uetustam religionem: Germanos autem totos a Christo alienatos iam aliquandiu extitisse. Quis nam dæmon, aut quę Erynnis eos fascinarit, satis augurari non possum, qui eos nescio in quam furiam atq; tyrannidem conuertit, quam non solum absq; ratione in eos exercuerunt, qui Christi testimonio æternam patriam, imo quod plus est, libere interpellādi munus sunt consequuti, pro ijs qui in terris laborant cum periculo & iactura animæ suæ. At

quod

quod omnium maxime, ut semel dicam, Germanis indignũ, qui semper Christianissimi sunt æstimati, merito uideri potest, quod pugnantia potius cum religione deligere cœperint. Vbi enim illorum uitæ ratio perspicua est, illic nostri mortem magis amplectuntur: ubi hi Euangelium dei, illi certe iram hominum plantarunt: ubi hi ieiunijs dediti sunt, illi certe crapulæ: ubicunq; hi uitam duram agunt, illi quidem mollẽ: & quod hi coniugio ad castitatẽ, nostri certe Germani minus recte ad libidinem uti cœperunt: quodq; certissimum esse potest, ut his sacramenta peccatorum molem auferunt, ita nostris, proh dolor, accumulationem, qui contemnunt. Et quod ad rempub. pertinet, hi aristocratian amplectuntur; nostri uero democratia, oligarchiaq; omnia magis misceri uolũt. Merito igitur tu atq; uniuersi principes Germaniæ indignari possunt, hucq; deuẽtum esse dolere, quod pro genuina hactenus pietate sui sint amplexi omnem impietatem, & in deos, & in parentes, maioresq;, & in patriam. Obliti enim ueteris probitatis, suam ipsorum patriam, tum animas hostibus prodere solent. Interim tamen bene sperandum censeo: statim enim sua mole corruet iniquitas. Cæterum hilari fronte, sereno uultu hæc mea, minora etiam quam uel æqua esse possint Serenitati tuæ, nunc accipias rogo, boniq; consulas, breui quidem daturus, forsan quæ plus iuuarint animũ tuum, de Sophi magni regis Persarum tum moribus, tum legibus, tum pietate, cuius orator in comitijs Nurenbergensibus olim tuã conuenit Serenitatem. Bene uale, & me tibi deuinctum atq; cõmendatum, ut soles, in perpetuũ habere uelis oro. Data Tybingæ, XVIII. Septembris, ANNI M. D. XXV.

ORATIO DE ORIGINE, POTENTIA, AC TYRANNIDE TVRCArum, ad sereniſſimum & potentiſſimũ Henricum Angliæ & Franciæ Regem &c. eius nominis VIII. dicta Londini à D. IOANNE FABRO.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI BERNARDO Epo Tridẽtino, sereniſſimi ac inuictiſſimi D. FERDINANDI, Hungariæ ac Bohemiæ Regis, &c. Archiducis Auſtriæ, &c. Prothocancellario, IOANNES FABRI Doctor, ſalutem, gratiam, & pacem, ab eo qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.



CVM NVPER EXACTIVS MECVM, NEQVE id ſine maximo dolore perpenderem, reuerendiſſime præſul, quam uarijs calamitatum inſultibus & procellis reſpub. Chriſtiana aliquot iam retroactis annis undiquaq; uorſum ſit laceſſita, afflictaq;, adeo ut parum abfuerit (niſi deo Opt. Max. aliter uideretur) quin perinde ut nauis altiſſimo maris gurgite ad ſcopulũ illiſa, tot diſcriminum naufragio penitus interiret. Inde eſt, quod dubium mihi oboriri cœperit, tibi ne magis, qui iam in inuictiſſimi atq; potentiſſimi Hungariæ, Bohemiæq; regis D. Ferdinandi principis noſtri auguſtiſſimi, Prothocancellarium, communibus omnium uotis pariter ac publico bono electus es, an uniuerſo potius orbi terrarum, cui talis, tamq; circumſpectæ prudentiæ Princeps moderator contigiſſe uidetur, congratulari conueniat. Precor itaq; ut hoc quicquid eſt eminentiæ, tum priuatim, tum publice fœlix fauſtumq; ſit futurum. Sed quis porro dubitabit, diuina quadam prouidẽtia, huius ferrei ſæculi longe quam difficilimo temporum articulo, te in eum locum, dignitatiſq; culmen, idq; citra ullam ambitionis notam eſſe euectum? Nam in præſentiarum æque ac inter Scyllam & Charybdim conſtitutis, omnis melioris auræ ſpes, ſi quæ reliqua eſt, in te uno & unico, non ſecus atq; in ſacra anchora conſiſtit. Siquidem cũ altera ex parte Lutheriſmi præſentiſſimo toxico tota pene Germania ſit infecta: altero item e latere truculentiſſima Turcarum immanitas, toties iam (proh dolor) noſtro malo experta, latius ſæuire tentet. Tu ille ipſe es Hercules, ſeu (ut ſignificantius dixerim) Dauid potius, qui funda tua, hoc eſt, ſingulari ac diuina propemodum, qua præditus es, & eruditione & magnis magnorum conſiliorum induſtria, ſuperbum illum Turcarum Goliad ſis proſtraturus, ita ut ab his imminentibus periculis ſecuritatem, portum, ac ipſam deniq; ſalutẽ nobis audacter polliceri poſſimus. Præterea ſi quis ad orthodoxam fidem & præſentem reipublicæ

Prothocancellarius.

Chriſtianæ

Christianæ statum, hæreticorum uidelicet arietibus non mediocriter quassatum, oculos reijciat, nonne sicuti de Hieremia propheta testatum est, quasi columnam ferream, murumque æreum, pro tota ciuitate Hierusalem, fortiter te opponi deprehendet? ita quod (auxiliante Christo) impij seu etiam inferorum portæ aduersum te nihil præualebunt. Iam uero operæprecium quod sim facturus non arbitror, ut altius tum ipso (quod aiunt) ab ouo repetam, quot et quantas clades non dico ab exoticis illatas, sed quas a Germanis Germania perpetuo biennio acceperit. Illas, inquam, furias & faces unde obsecro nisi a Luthero, quem pro sua uirili acriter suffudisse frigidam constat primum ortas dicam? Sed incendium hoc, utcunque uires suas longe lateque sparserit, modo uigiles habere uelis oculos, nullo negocio restinguetur. Germania enim, quę olim inter omnes nationes ob uerum dei diuorumque Christi cultum, ob morum denique incorruptißimorum plus quam niueam synceritatem, cum primis spectabilis commendabatur, simul atque mutato instituto cum porcis in uolutabro sese immergi, quam e lympidißimis fidei scatebris bibere maluit, quid aliud, præter intestinorum dissidiorum semina fructus pepererit, non uideo. Itaque tandem factum est, quod huic regno in sese diuiso, Turca ductu & auspicijs Satanę, desolationem minari coepit. Cui quidam in Lutherano ludo edocti, imo ipse Lutherus, minime gentium resistendum esse fortiter contendit. Belli, si dijs placet, homunculi, meoque calculo nequaquam indigni, qui ad coruos amandentur, qui cum infidelibus bellandum esse prohibēt, interim centena Christianorū milia misere interficiunt. Alij uicißim ut sanioris iudicij, ita probabilioribus argumentis, quantis quantis dicendi uiribus possunt, bellum omnibus modis aduersus Turcarum impreßionem suscipiendum persuadere conantur, Quorum sententię omnes, quotquot sumus Christiani, merito subscribere debebamus. Ea igitur ratione ego quoque ductus, orationem illam, ad Sereni∫simum Anglorum Regem in celebri Episcoporum ac procerum consessu Londini a me habitam, tibi non modo Mecoenati meo, sed & omnium studiorum, studiosorumque tanquam cuidam asylo dedicare uolui, quam ubi (quæ alioquin tua est ciuilis admodum humanitas) renitenti fronte susceperis, omnino exhibebis ansam, ut in posterum ad consimiles labores maiori spiritu suscipiendos accingar. Vale Reuerendißime Antistes, bonorum omnium patrone. Ex Vienna, decimosexto Martij. Anno a Christo nato, millesimo, quingentesimo uicesimooctauo.

Clades Germaniæ a Luthero.

Bellum Turcis inferendū



SERENISSIME AC POTENTISSIME Angliæ & Franciæ Rex, Sacrosanctæ orthodoxæ fidei defensor pientissime, Nobis, quos hic ob communem usum & rempublicam Christianam non modo in pristino suo statu conseruandam, uerumetiam latius propagandam adesse corã cernis, Serenissimus atq; inuictissimus dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Rex Ferdinandus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Slesiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Vuirtembergæ &c. Princeps Sueuiæ, Marchio Morauiæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Lantgrauius Alsatiæ, Marchio sacri Romani Imperij super Anasum, & Burgouuiæ, Dominus Marchiæ Sclauonicæ, portus Naonis & Salinarum Dominus, D. ac Princeps noster clementissimus, tuæ Maiestatis auunculus & frater, suo nomine tuam Regiam Maiestatem ut plurima salute impartiremus iniunxit, atq; ita se offert beneuolũ, ut quibuscunq; reb. tuę Regię Maiestati placere possit, nunquam non facilem & spontaneam operam suam præsto tuæ Regiæ Maiestati futuram polliceatur. Veruntamen cum eiusmodi functio ab eadem Regia Maiestate mihi semel delegata sit, ut coram te omnibus numeris excellentissimo Principe, ac potentissimo Rege uerba sim facturus, uereor equidem conceptæ de me expectationi omni ex parte satisfacere nequeam, cum uidelicet onus sit grauius maiorisque molis, quam ut humeris meis illud subire posse mihi arroganter adscribere uelim. Nihilo secius interim, dum me necessitas & uoluntas eo Regia compulit, rem licet perarduam, utcunq; humili dicendi filo expedire, & quoad fieri poterit paucissimis absoluere conabor. Non ignorat Regia Maiestas tua, quæ inter grauissimas florentissimi huius regni occupationes Regias, etiam res sanctas, & quicquid uspiam ad Christi fidem, religionemque pertinet, tum crebra lectione, tum meditatione frequenti pertractare consueuit, quomodo Christus dominus & Saluator noster, qui in principio erat, est, manebitque uerbum æternum, uerbi sui semen, sanctæ & illibatæ uitæ exemplo, ac iugi prædicatione in huius mundi agrum solicitudine non parua seminarit, quo semen hoc, in bonam terram iactum, fructum quoq; produceret uberiorem, hanc suo proprio sanguine irrigauit, Sic ut ipse uere unicus filius, primusque fuerit, ac sit, qui exierit seminare semen suum, non uolens ut caderet, uel in uiam publicam, uel inter uepres, aut supra saxum aliquod, sed in bonam frugiferamq; terrã, ortumq; faceret fructum cũ fœnore, Ad huiusmodi causam de semine parabolam ab Apostolis non intellectam pulchre edisserit, Regnum cœlorum grano sinapis, quod sumptis radicibus in stipitem, in ramos, tandemq; in magnam arborem crescit, comparat, multipliciterq; in Euangelio testatur, sese hoc uoluisse, ut Gentilium erroribus ac Iudæorum superstitione ueluti spinis, tribulis, urticis, infœlicibusq;

Regna prouinciæq; Regis Ferdinandi.

Initium religionis Christianæ ex semine Verbi.

lolijs et mi

lolijs & miricis, atq; id genus alijs terræ nascentibus, falsam ac sterilem proferentibus messem, ab agro mundi præsentis funditus erutis ac euulsis, totus ager, qui mundus est, flauescentis & fertilissimæ æstatis spicas ex omni parte refertas perpetuo generaret. Eapropter de ficu, ficulnea, ac cæteris arboribus, de messe, messoribus, falce, regionibus albis, uinea, uite, agricultura, uinitoribus, colonis, æstate, horreo, area, fructib. centesimo, sexagesimo, ac tricesimo, thesauro in agro abscondito, & tribus farinæ satis, grano frumenti & hisce similibus sexcentis propemodum parabolis, arcana mysteria, ignitasq; sentētias ore suo diuine deprompsit. Percurrens deniq; Iudæam, Galilæam, Samariam, totamq; Palęstinam, plantator, irrigator, & incrementi præcipuus author, sua manu stiuam aratri, etiam usq; ad crucem crucisq; mortem non retrospiciens, duxit, torcularq; solus calcauit, quo lętas segetes, messem uineamq; perfectam in hoc agro patri ęterno, quem & ipse uocat agricolam, plantaret. Et ne quid uspiam neglectum iret, etiam Apostolos quos alibi palmites, & in Marco designat agricolas, in mundum uniuersum misit, ut & illi reliquum & totum terrarum orbem, quasi communem agrum hac fœcunda plantatione replerent, deniq; iuxta uerbum Doctoris gentium (qui Sacri Euangelij est tuba) Dei agriculturam facerent, et ad illius exemplum etiam sanguinis effusione terram, alioqui ex primorum parentum transgressione spinosam, sterilem, aridā & penitus infœcundā, cœlestis gratiæ riuulis abūde irrigarēt. Cecidit itaq; res breui fœliciter, atq; adeo ut Apostolorum sonus in omnem terram exiuerit, & in fines orbis terræ, A solis ortu usq; ad Britanniæ occasum uerba eorum. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem uenerunt cum exultatione, portātes manipulos suos. Non modo Samaria, sed etiam οἰκουμένη, hoc est totus orbis, hoc semen, id est uerbum accepit, quo uniuersa terra (ut olim Aræ filię Caleb, irriguum superius inferiusq;) irrigata est. Facta sunt itaq; & creuerunt lætæ segetes, regiones albæ, messisq; perfecta in Asia, Aphrica, Europa, ab oriente usq; ad penitus toto diuisos orbe Britannos. Hæc tempora non solum septennalem in Ægypto ubertatem, uerum etiam Saturnia regna longe superarunt. Ea quoq; fames diuinissimi uerbi dei, de qua pastor rusticus & propheta Amos in pastoralibus Thecue nonnihil prædixerat, omnino sublata est, Terra enim dedit fructū suum, ederunt pauperes et saturati sunt, laudauerūtq; dominum. Comederunt ueri Israëlitæ panem absque ulla penuria, panem de cœlo uerum, in quo uiuit homo, in cuius fortitudine cum Helia propheta ambulat, quisquis ederit, usq; ad montem dei Oreb.

Predicatio apostolorum

Quumq; hæc plenitudo temporis, dulce plenumq; cōuiuium, sexcentos perstitisset annos, Ecce tenebricosa ac quasi intēpesta nocte inimicus homo, nō modo pseudopropheta & emētitus Apostolus, sed pseudochristus, qui se ꝑ deo uēditabat, Mahumetus spurius a patre idololatra, & Agarenus a matre, haud secus q̄ callidus ille serpens in paradisi dominicum agrū irrepsit, zizaniamq; superseminauit, et quicquid recti, ueri, honesti &

Mahumetus pseudochristus.

honesti & salubris a saluatore nostro, illiusq; discipulis tanto labore & studio per priora sæcula plantatum & cultum erat, extirpauit, euulsit, & quasi radicitus euertere atq; euellere cœpit, Nec aliter quam horrendus ille & cunctis formidabilis aper, qui misere quondam uastabat, Arcadiam uicinasque regiones. Idem Mahumetus, abiecto pudore, longe lateque depopulatus est, ac semen quod in terram mirifice fœcundam ceciderat, penitus euulsit, extirpauitque, In pessimæ & astutissimæ uulpis modum, uineam Engaddi, Zorecque, utramque illam electam uineam domini dei Sabaoth perdidit, totumque agrum sanctum tam pulchris redimitum floribus, & Christi tam bono odore fragrantem, ut longe præcelluerit odores Iacob filij Isaac, Nardi, unguentorum, florentium uinearũ, myrrhæ, balsami, mandragorę, suauissimiq; Thymiamatis, infecit. Is Mahumetus, & si ex infima fæce, obscuroq; loco dubiũ Arabs an Persa natus fuerit, quasi ille inter Israëlitas primus blasphemus de patre Ægyptio, & Israëlita de matre natus, huius mundi regna respuit, ut Christus in monte, Sed suggerente tentatore diabolo, mox omnia ambiuit, & Satanam adorare cœpit. Quippe Sergij, Nestoriani apostatæ, & Ioannis Antiocheni hæretici auxilio & opera fretus, rudi & nihil tale intelligenti Arabũ populo, miris præstigijs Alchoranum præscripsit, quasi legem demissam cœlitus. Vidit uana, & in pseudoprophetæ morem diuinauit mendacia. Quo deniq; totum orbem, quem tunc in tres uias trium religionum, Christianismi scilicet Iudaismi et Gẽtilismi, diuisum inuenit, sibi uẽdicaret, ad se suamq; nocentissimam sectam pelliceret, ex omni parte, ea quibus hominum desyderia et illecebrę appetitus satiantur, inseruit. Instabilesq; in fide, hac uia, in Antichristi modum, seducendo a uero, aberrare multifariam fecit. Et quo popularior esset, et multos brucos adnumeraret, ex omni secta quæ placentia erant, atq; Veneris & omnium uoluptatũ relaxare habenas solent, prędicauit, omnia contra sententiam toties a Paulo repetitam, in carnis occasionem. Sicq; consuit puluillos (ut est in Ezechiele) sub omni cubito manus, & fecit ceruicalia sub capita uniuersæ ætatis ad capiẽdas animas. Quæ omnia huc pertinebant, ut eiecto Christo, ipse uerus Messias, & quasi alter Nabuchodonosor, pro deo haberetur: Cœli, maris, terræq; dominus esset. Et nationes, quas dulcedine uoluptatum & titillatione carnis permulcere, & ad se pertrahere non potuit, ui adigere animo suo cogitauit. Idcirco in suæ legis Alchorano spurcissimo, sic perpetuo seruandum statuit, ut in quatuor plagas terræ Mahumetani reges quatuor Amiros (quos nunc Thracico uel Persico uocabulo Bassas & Sclauonice Vuonas appellant) eligerent, ac intertenerent, qui semper armis & manu potenti terras alienas incurrerent, hasq; Mahumetanicæ ditioni seu tyrannidi subiugarent. Sic eo tam ambitioso ordine ac instituto repente factũ extitit, ut ijdem Mahumetistæ, quos maiores nostri aliquot sæculis Sarracænos, & nos præualescente nomine Turcas uocamus, bellis quasi per manus acceptis, Mecha nullopacto cõtenti, lõge lateq; per uniuersum

Depopulator uineæ domini Sabaoth.

Doctrina eius carnalis.

Iussit eligi quatuor Amiros, quos nunc Bassas & Vuonas uocant.

uniuersum orbẽ regnare cœperũt. Quandoquidẽ defuncto Mahumeto, anno suę ętatis tricesimoquarto, illocꝙ cũ suis aliquot pseudoprophetis assèclis apud Mecham sepulto, Turcarum interim arma in exteros fines nunquam quieuisse leguntur. Idꝙ non modo miranda, sed stupenda res fuerit. A Mahumeti morte si duntaxat numeremus centum proxime secutos annos, inueniemus quanta uicinis nationibus damna intulerint, quot imperia, regna, prouincias & terras occupauerint. Quæ cum obiter & per compendium, uel scire, uel alta mente reuoluere non parum prosit, rebusꝙ nostris ualde cõueniat, nonnulla commemorare libet, Non quod clementissime rex ista nescias, qui rerum earundem & similium gestorum doctissimus et expertissimus es, sed ut in memoriam reuocemus, paruus in Arabia igniculus in quantam flammam latumꝙ incendium breui excreuerit. Sic enim historię tradunt, sub Heraclio Imperatore, Anno post Christum natum sexingentesimo tricesimosecundo, Mahumetum, qui se deum immortalem fecerat, obijsse mortem, illique dum uiueret, ex aliqua parte Arabiam paruisse, Fuit eo tẽpore Syrohes Persarum rex, Hunc Ebubaber, Mahumeti cognatus ac successor uicit exuitque regno. Post quem Haumar, secundus Mahumetanorum rex, qui repente irruit in Syriam, sanctamꝙ Hierusalem cum dominico sepulchro occupat, Syriam domat, Mesopotamiã totã usurpat, eiectisꝙ Romanis Cæsaream Palestinæ capit. Eodem Haumaro a quodam Persa per insidias interfecto, Otman Sarracenis præficitur. Qui mox Gabatham reliquamꝙ Arabiam, petream scilicet & desertam sterilem, & eam quam fœlicem uocant, usꝙ in sinum Persicum, & ultra mare rubrũ subiecit. Posthac Muhaniam prætorem cum quatuor Amiris misit, qui Antiochiam, primam sancti Petri Apostolorum antesignani sedem cœpit. Ægyptum cum reliquis prouincijs usꝙ ad Euphratem, fluuium ex paradiso (ut in Genesi legitur) fluẽtem obedire fecit, & transito Euphrate Edissam uenit. Post hoc Sarraceni, seu potius Agareni, non a libera, sed ancilla Ismaëlitæ, Aphricam impętunt, & illius magnam partem tributariam faciẽtes, extemplo cum mille scaphis et pluribus, Cyprum, quæ est Insula Syrię et Ciliciæ opposita, inuadunt, Mox Isauriam, quam Ciliciæ partem nonnulli fuisse dicunt, ac Siciliam deinde, angusto freto ab Italia diuulsam, & in ea pulcherrimam, ijs temporibus, Syracusanam urbem hostiliter obtinẽt, Clarissimam in mari Carpathio Insulam Rhodum truculenta manu inuadunt, & illic nobilem Colossum, statuam quidem septuaginta cubitorum altitudinis, ex ære mirabili artificio conflatam, inter septem mirabilia mũdi numeratam, hostiliter destruũt. Ex cuius ære Emissenus quidam, genere Iudæus, nongentos camelos onerasse legitur.

Tricesimoquarto anno suæ ætatis sub Heraclio obijt.

Successores Mahumeti Ebubaber Haumar.

Otman hic subiecit sibi omnem Arabiam.

Antiochiam.

Cyprũ, Isauriam, Siciliam.

Rhodum. Colossus Rhodius ab eo destructus

Eodem etiam anno, qui a uirginis partu D C. L V. Mahumeti uero morte uicesimustertius erat, Turcæ Armœniam intrauerunt, & Mutianum Romanorum prætorem usque ad Caucasios montes persecuti sunt. Sequenti anno Muhanias ex Amiro factus rex. Ita Syrijs & Ægy-

Muhanias rex.

ptijs patrocinantib.contra Halim,cui desertũ Arabiæ adhæsit,Ilico Romaniam, quæ Constantini magni temporibus ita uocari cœpta est,ad Boshporum, Propontidem, & Hellespontum ingreditur, Ciliciam & Litiam occupat,et per septem annos Bizantium,quod a primo Christianorum principe qui uere Christi nomen agnouit, Constantino magno,qui natus Britannus erat,si (ut par est) Lactantio credimus,Constantinopolis nomen accepit,terra & mari tam strennue obsedit,ut obsidionis anno primo sex continuis mensibus non recesserit Mahumetana classis a mari,neq; inde castra mota fuerint a mœnib. Sed in longum nostra cresceret oratio,si recensere perrexero,quæ & quanta egerint reliqui post Muhaniam reges,Habilalam scilicet et Abdimelech. Nam sub Iustiniano Imperatore reliquas Persidis & Armœniæ partes occuparũt, Ipsamq; Carthaginem,quam tantis etiam temporibus Romana potentia subdere non potuit,potenti manu inuasere. Vlid quoq; rex Damascum & Mysiam,quam hodie Turcæ Sagariam dicunt,occupat,et Galatiam totã expoliat. Quod si magnas res et memoratu dignas hi homines hucusq; gesserunt,non minora Sulimon,Haumar,Gizid,& Eluelid,omnes Turcarum reges,& Turcicarum rerum gubernatores,præstitere. Nempe Sulimon Thraciã,in qua tunc Triballi,Dardani,& Mysij erãt, totam uastauit,Gizid in Sardiniam ruit,Haumare ita iubente. Anno salutis D. CC. XX. inter dissensiones, ac dissidia Iustiniani & Philippi, Abdurauia belli et exercitus Sarracenorum Dux ex Numidia,Mauritania,& reliquis Aphricæ locis,in Hispaniam transfretauit,illamq; totã et maxime Granatæ regnum sibi uendicauit, Solis Gallicia, & una parte Castiliæ saluis. Et quotquot illic Visigothos ac Sueuos inuenerat,eiecit. Sicq; Sarraceni magnam Hispaniæ partem eamq; fere octingentis annis occuparunt,quoad successu temporum aliquot Hispaniarum reges iunctis copijs illos partim repulerunt. Et nouissime Ferdinandus & Isabella, Augustissimæ tuæ conthoralis parentes,Serenissimi Regis nostri auus & auia,per quinquennalẽ obsidionem,illos a Granaten.regno & urbe, anno incarnationis domini millesimo quadringẽtesimo nonagesimo eiecerunt. Ex quibus omnibus manifestum habetur & est,intra primum centenariũ quam effusæ Turcarũ uires creuerint & auctæ sint, utpote qui maiorẽ Asiæ,Aphricæ, & Europæ partem uiolenta deprædatione expilauerint & occupauerint, nec interim ullo unquã tempore illorũ arma siluerunt,de quib.enarrandis si liber scribatur,immensæ magnitudinis erit,usq; adeo παλαιόπλιος ille regnãdi tyrannus intra octingentos annos suarũ uirium alas late extendit. Missis ergo ob temporis angustiam & tacite præteritis Christiani orbis,fidei,rerũ et populorum iacturis,ciuitatum ruinis,regnorũ deuastationib. cruentissimis tot hominum cædib. quas a septingentesimo,usq; in millesimum quingentesimũ Christianæ natiuitatis annũ Turci perpetrarunt. Sunt ex uiuentib. qui adhuc reminisci possunt, Amuraten Othomannorum Turcarum principem, a Christianis cæpisse Thessalonicam urbẽ, quã duab. Epistolis Tarsensis ille Pau

Constantinopolis VII. annis obsessa.

Reges Habilalam & Abdimelech.

Rex Vlid.

Alij reges Turcarum. Sulimon Haumar, Gizid.

Abdurauia in Hispaniam transfretauit.

Ferdinandus & Isabella Sarracenos eiecerunt.

Amurates princeps Turcarum.

sis ille Paulus docuit in fide, Ætholiamque, quæ nunc Despotatus, & non modicam Illyrici partem ui subiugasse.

Ac breui multas urbes Atticæ, Boëtiæ, Phocidis, Achaiæ, Macedoniæ, & Græciæ occupasse, nobilissimas denique Ægæi maris insulas, Euboiam, quæ Nigropons, & Chium (in qua Euchius nascitur, qui curas dissipat edaces) manu potēti ademisse, Lesbon quoque et Mytilenen Macherei filiæ, anno salutis M. CCCC. LXIIII. eripuisse, & quod intra sexaginta annos ausus fuerit in Apuliam traijcere, et Hidruntē uendicare.

Quo denique Seruiam, tunc inferiorem Mysiam, per occasionem adipisceretur, Georgij Seruiæ Despoti filiam desponsauit, Et apud Varnam montem Vladislaum Poloniæ regem, ac ipsos Hungaros in prælio superauit.

Quid quod quinquaginta plus minus sunt anni, quādo Mahumetes Amuratis filius, quem cuncti ob magna facinora, magnum Turcam uocabant, per Hellespontum in Europam classe traiecit ad Euxinum mare, a littore Bosphori castrum fecit, et Constantinopolim, alterū Christiani orbis oculum nobis ademit. Ac Palæologorum ultimam Constantinopolitani imperij regentem familiam cum ipso imperatore euicit, & reliquam Romaniam summo dedecore subdidit.

Hinc Peloponesum, non tantum gentium in ea quondam nobilitate & potētia, sed locorum etiam situ, promontorijs & finibus nobilē, prædam sibi fecit, & omnem Christi populum abduxit, eoque pro uilissimis māciprijs usus est. Et mox irruit in Achaiam, Acarnaniam Epirū, Bulgariam & Seruiam, quas omnes, & quicquid ab Adrianopoli, ac intra Sauum amnem, & Danubium flumen interiacet, cum magna parte Valachiæ, quæ olim Dacia, suis imperijs ac regnis adiecit. Bosnam postremo, quam ueteres Mysiam superiorem nuncuparunt, & quę horreū Cereris ob fertilitatem dici meruit, Hungariæ & Croaciæ conterminā, ingressus est, et tanquam horrenda tempestas, illic cuncta uastauit, illamque cum uniuerso regno, & Christiano rege, comprehendit, destruxitque.

Peloponesum prædam sibi fecit.

Regiones Græciæ suo imperio adiecit.

Bosnam horreum Cereris deuastauit.

Idem etiam Mahumetes mox nobilem & natura inuictissimam Mitylenen denuo expugnat, et Trapezundarū imperiū diripuit, et ut summatim complectar multa, iste unus tyrannus in Asia minore duodecim regna intra breuissimos annos obtinuit, Pontum. s. Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Liciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, ac fere omnem Peloponesum, quæ pene insula est, & Moria nunc dicitur, demptis reliquis prouincijs, Insulis & urbibus, quę illius nomen & pedes adorant.

Mitylenen expugnauit denuo Imperium Trapezuntis diripuit.

XII. regna in Asia minore obtinuit.

Ad hęc omnia idem Turcus adiecit Isthmon qui angusto tramite Helladi Peloponeson annectit, & Corinthum celeberrimam urbem continebat, Albaniā, quę olim Macedonia, & ab Albanis supra Cholchidē habitatam, Scopium et Dirachium, Et quædā in Epiro ad finem quoque uitę capta Phocide urbe a Phoco Thesei fratre cōdita, Soldanū Assyriorū, & Ægyptiorū regē, prœlio supauit. Et forte quadraginta sunt anni,

Isthmō Macedoniamque sibi subiugauit.

Soldanū prælio fudit.

 ubi Ca-

E Capha septuaginta milia Christianorum abduxit.

ubi Capha, illiusqꝫ imperiũ, quæ est in septentrionali plaga, & in Taurica Chersoneso, non longe a Meotide, in manus Turcarum deuenit. Et inde uno impetu septuaginta milia Christianorũ captiui abducti sunt. Interim Vgent Mahumet, Asimbei Suncassani filius, in regnis Parthorũ, Persarum et Mœdorꝝ, Mesopotamiæ, & Armœniæ regnare cœpit.

Irruit in Hungariam.

Temporibus itaqꝫ Matthiæ regis inferioris Pannoniæ, quam nunc Hungariam uocitant, Mahumet irruit in Rasannum Lycoshanum, Seuerinum, Clisium & Moncastrum, pugnacißimas urbes, in ripis Danubij, & ad mare sitas. Ex illis quoqꝫ in Hungariam, Sauo, Trauo, & Danubio fluminibus liberum transitum fecit.

In multas Austriæ prouincias impreßionem fecit.

His quoque & bonæ memoriæ Imperatoris Romanorum Friderici tertij, nostri regis proaui, temporibus Pazaita, Bayschtes per duces, quos (ut antea dictum est) Turci Bassas, et Slauonice Vuonas uocant, grauißimas incursiones in Pannoniam, Croaciam, Dalmatiam, Illyricum, Carniam, Carniolam, Carinthiam & Styriam, inclytas domus Austrię prouincias intulit, & sic Germaniam pugnacißimam, a limine primus Turcarum salutauit. Narantemqꝫ regis Matthiæ portum, regnumqꝫ Croaciæ, quod olim Liburnia fuit, maiori ex parte uastauit.

Prophetia Dauid de Turcis.

Sic itaqꝫ Turcarum tyrannus, illiusqꝫ res ex minimis principijs in immensum pene creuerunt, et ubi per Apostolos ac martyres olim signum crucis, nomen Christi, tẽpla summi & ueri dei erecta sunt, uenerant gentes (ut est in regio cytharœdo propheta) in hęreditatem domini, polluerunt templum sanctum & tabernaculum nominis eius, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, morticinia seruorũ dñi escas uolatib. cœli, carnes sanctorum bestijs terræ, effuderunt Christianorum sanguinem tanq̃ aquam, et non erat qui sepeliret, Patriarchas Antiochiæ, Alexandriæ, & Constantinopoleos, Archiepiscopos, Episcopos, ac sacerdotes, dei ministros, & mysteriorum dispensatores, & electos Christi milites, ense (quem illi Sebolam uocant) necauerunt. Vxores & uirgines castißimas inter obscœna Mahumeti prostibula prostituerunt, hisque abusi sunt.

Turcarum immanitas in deuictos.

Viros & mulieres, senes & iuuenes, absqꝫ sexus & ætatis discrimine, dum hæc fierent, abduxerunt, in miseramque Pharaonis seruitutem, ad coquendum lateres, ad fodiendum harenam, ad remigandum in triremibus, more Galeatarum, reiecerunt.

Ah quoties infantes ab uberibus & lacte matrum auulsi sunt, & interim in illas pudicißimas matronas Lucretias, spurcißima Venere sæuitum est? Quis nefandas transactorum temporum cædes, stupra, adulteria, sacrilegia, tot clariss. urbiũ euersiones, referre sine lachrymis potest?

Crudelitas in clerum.

Veritas & res gesta est, in Mitilene Constantinopoli & Trapezunda quoscunqꝫ diuino cultui deuotos & addictos inuenere Turcæ Archiepiscopos, episcopos aut religiosos, perinde ut boues in campis & foris mactari fecerunt. Et in prælio ætatis proximæ, nõ satis erat quod octo Episcopos Pannonum interfecerant, Sed post stragem inter mortuos

Christianos,

Christianos, Archiepiscopum Strigonensem, Cancellarium regni, ac dominum Paulum archiepiscopum Coloss. utrunqꝫ pro fide Christi mortuum, Solumon Turcarum princeps decapitari, & in frusta ac minutissimas partes (ut nonnulli retulerūt) secari ac discindi impudico ore iussit. *In Archiepiscopos Hungariæ.*

Turca in Rasia, hoc est inferiori Mysia, quæ Seruia nunc est, cunctis magnatib. oculos erui, quasi alter Iulianus apostata, præcepit. In Euboia uero innumerum populum palis suffixit, alios obtrūcauit, plerosqꝫ ignito ferro discerpsit, pueros & infantes nondum ablactatos saxis illisit, & pro tyrannica consuetudine multos per medium scidit. *In magnates Rasiæ, & populū Euboiæ.*

Trapezontium autem Imperatorem, cum Ponticæ oræ & Cappadociæ principibus, liberis, uxoribus, Bizantium uelut in triumphum duxit, ductosqꝫ lachrymanda morte interemit. *In Impe. Trapezontium.*

Prætereo urbes, ciuitates & castra, quæ Turca ferro & flamma perdidit, et quædam solo ęquauit. Quid qꝫ non sine Christianitatis magno, uixque uincendo periculo, celebriores urbes, quas orbis habet, suæ tyrannidis uocem audiunt, Inter has expressis numerare nominibus cogimur, Tripolim, Smyrnam, Sebasten, Cæsaream, Antiochiamqꝫ, quæ olim Reblata & Petri prima cathedra, Alexandriam, quæ Euangelistę Marci sedes fuit, Damascum, Ioppen, Ascalonem, Tyrum, Sydonem, Alchirum, quæ olim Memphis, Balthac, quę Babylon, Athenas, Thessalonicam, Laodiciam, Colossam, Philippidem, Thebas centum portarū, & Niniuen triū dietarū, ipsamqꝫ arcem Sion, unde exiuit lex, et Hierusalē, unde exiuit uerbū dn̄i, aliasqꝫ propemodū infinitas et potētiores totius mūdi urbes populosissimas & opulentissimas & augustissimas. *Vrbes magnæ sub Turcis.*

Adhuc tam amplis imperijs, regnis, prouincijs, & urbibus ἄπλισος ille orthodoxæ fidei hostis non est satiatus, sed totus ad hoc tendit, & animi sui audacem cogitatum adiecit, quando ad orientem solem nihil fere reliqui habet quod rapiat, sed illic terræ & maria illi obediunt, iam ad nos rapacissimos suos ungues conuertit, & reliquam occidentalis Ecclesiæ particulam, quæ in illius comparationem quasi tenui filo pendere uidetur demoliri conatur. *Occidētalem plagam uexare cœpit.*

Est quoqꝫ illius proculdubio præsumpta & eleuata in cœlum usque cogitatio, nolle cessare, quoad in fluminibus tuis (hic caue prudenter & defende uiriliter catholice rex, qui fidei defensor es) etiam Tamesia iuxta regiam tuam suos Turcicos Asturcones equos, & camelos adaquet excoqꝫ potum præbeat.

Et ut Lybico, Persico, Ionico, Ægęo, Hircano, Tyberiaco, Adriatico, Euxino, & alijs maribus præualuerit, ita sibi facilimum et citissime futurum non dubitat, etiā Poligoniæ tuę Britanniæ, Orcadibus insulis, Islandiæ, ultra circulū arcticum imperare, Vt ipse unus ac primus sit futurus, cui ad Maronis hemistichiū seruiat ultima Tyle, et sic non mō Oceano, sed & toti mundo præsidere ambit, forte cum Pellio iuuene, tandē quęsiturus a philosophis, Magisqꝫ prudentibus, an ullibi locorum sit alius mundus, ut & illum sibi subiugare festinet. Eapropter cum in Æthiopia *Potentia Turcarum.*

supra Ægyptũ, quæ India est, Naid Gian, quem nos Pretoian dicimus, non formidet, a Syria & Assyria, Melech, Lastraphi, Sulidanum deleuerit cum Tartaris ultra Tanaim & Meotides paludes affinitatem cõtraxerit (Nam illorum rex uiuentis & nostris temporibus in nos tam dire ferocientis Sulimonis sororem in uxorem asciuit) & cum his Schyticis populis, qui ultra Bolgã amnẽ & supra Caspiũ mare degunt, amicitiã teneat & pacem, Hiberiam, in qua olim Bacharites Melech, pro uoto habeat, Sophiq; Persam bis prælio uicerit, Etiam ab illius regia urbe et regali sede nobis uiuentibus profligauerit (Ita in proximis comitijs procerum Romani imperij apud Norinbergam, ubi etiam tuæ maiestatis regij Oratores aderant: Sophi Persæ nuncius ad Regem nostrum destinatus referebat) neq; sit, quod hũc Persarũ regẽ, uel alium quenq̃ in terra formidet, Ideo hoc omnes potentias uiresq; suorum potentissimorum regnorum conuertit, ut Hungariæ & Croaciæ regna sibi contermina, et deinde tantillũ quod superest Christianitatis euertat, uastet, sibiq; subijciat. Sic intra sex annos sub Adriano huius nominis Romano Pontifice sexto, Rhodon insulam & ciuitatẽ Rhodianam, a cruce signatis militib. expugnauit. Sic Belgradum Taurini oppidum, quod alij Albam uocãt, uere bellum Pannoniæ gradum cum munitissima arce, non modo Hungariæ, sed totius Christianitatis propugnaculum euicit.

Rhodon insulam sub Adriano Ro. Pontifice cepit.

Et profecto dolenda res est, ut Rhodos Lydiæ Insula, quæ olim perpetuo quinquennio a Soldano Ægypti armata classe uexata, et posthac ab Othmano Turcarum principe, cum centum milibus armatorum octoginta diebus obsessa, libera & inuicta fuit, & Belgradum urbs munitissima a Matthia rege faucibus Turcarum erepta, sic æuo nostro ab immanissimo illo tyranno, Christianorum dissidio, desidia dicere uolebam, occupentur. Et ex his, ut plerisq; alijs Christianorum locis Christi fideles innumeræ quidem multitudinis iugulati, & reliqui compedibus & cathenis uincti, abducti, & in Mahumetis sectam reiecti sunt.

Sulimon præterito anno Turcarum Imperator electus.

Anno uero præsenti, æstate præterita, Sulimon ille Turcarum Imperator factus, ut se immortalem, & adhuc adolescẽs, populũ sibi in uiridi applaudentem faceret & conciliaret, suorumq; regnorũ fines augeret, in propria persona sese a sedibus proprijs mouit, & tanquam Attila flagellum, fulmen & terriculamentũ orbis cũ potentissimo exercitu tam equitum q̃ peditũ ultra centũ & quinquaginta, & fere ducẽta milia hominũ cum camelis (ut quidam retulerunt) triginta milibus, nauibus tribus milibus, equis, arte lerijs, munitionibus & commeatu instructissimus Hungariam inuasit, Petriuardin, et alia quædam munitissima castra cæpit. Ex his aliqua in cinerem uertit. Infinitam Christiani sanguinis multitudinẽ cruenta et immiti clade, cęde, mactationeq; carnifex ille perdidit.

Quæcunq; etiam tam hominum q̃ iumentorum, aut bonorum ex lateribus fluuiorum, Saui, Traui, Tragi & Danubij inuenit, uastauit: et in prædam quasi leo rugiens diripuit. Idq; in longitudinem, si solam Hungariam eamq; a Belgrado metiamur, per quadringẽta et in latitudinem per ducen-

per ducenta ac plura Anglica miliaria, & quidem paruo temporis decursu, hoc est, sex mensibus perpetrauit.

Quod denicꝙ horribilius est, occurrentis Ludouici regis exercitum ualidissimum, octo Episcopos, ac regni primates & ꝓceres profligauit, & in tuæ maiestatis ac omnium Christianorum Regum & Principum perpetuam ignominiam, & uix abluendum dedecus, pientissimum Regem, eumcꝙ florentissimæ ætatis, iuxta Tragum flumen, in obscœna & profunda palude immatura morte interire fecit.

Fœlicis memoriæ regem Ludouicum Hungariæ fugavit & trucidauit.

Et mox triumphabundus Sennacherib ille blasphemus, sese in eiusdẽ Regis regale solium, quod in inclyta urbe Buda fuit, posuit: sese Hungariæ regem adorari præcepit, ipsamcꝙ Budam cum Pesta ciuitate, ex altera & opposita parte sita, Vulcano tradidit, in fauillamcꝙ & fumum perdi & abire fecit.

Penetrauit ad Budam, quam incendio perdidit.

Nolim hic coram prudentissimo Rege diutius immorari circa cędes, latrocinia, iugulationes, prædascꝙ opimas, quas etiam in æneis machinis in subsidium missis abduxit.

Adhuc ἀπληςώτος & sanguinarius hostis, intra fines nactos manere, atcꝙ Constantinopolitano, Trapezõtio, etiam Caphæ, Imperijs & plus q̃ sexaginta regum regnis contentari non didicit necꝙ uult, etiam si Macedoniã, quæ nũc Albania, habeat, ex qua gente ad excursiones sane ꝑcacissima, Philippi regis filius magnus ille Alexander, cũ triginta milib. dũtaxat militũ, ut Quintus Curtius testatur, fere totũ sibi subegit orbẽ.

Iam uero minime sæuissimus quiescit animus, sed diu noctucꝙ secum uoluit ac meditatur ut singula reficiat atcꝙ instauret, quæ ad ulteriorẽ & nouum belli gerendi apparatum attinẽt. Terra denicꝙ & aquis cõmeatum comparat & instruit, quæcuncꝙ pro æstate nunc proxima & imminẽti necessaria sint, ut mox Hungariam, Croaciam, Austriam, & procul dubio Germaniam, & reliquas Christianorum prouincias, etiam occidentis quicquid superest, suæ ditioni subijcere posśit.

Instruit sese ad futurum bellum Germaniæ prouincijs inferendum.

Animatur ad hęc & tam magna moliri Turca, quod uidet Hungariã nunc sibi apertã esse nec (ut olim) Euxino mari, aut Alpib. impeditur aut clauditur. Cecidit Croaciæ regnum, quod suo hiatu fere totũ absorbuit, deglutiuit & deleuit. Supest ut pessimus uicinus, reliquos uicinos, quos pati non potest, necꝙ uult etiam, te quocꝙ in breui rostratis triremibus & nauibus, aut terra adoriatur.

Croaciam fere deleuit.

Sciens & quasi præ oculis p̃sentaneos interitus Christianitatis uidens serenissimus ac clementissimus Ferdinandus, Hungariæ ac Bohemiæ rex, Archidux Austriæ, et princeps et dñs noster gratiosissimus, quid aliud faceret q̃ quod maxime & primo omnium loco Christianum principem, a tot Christianissimis Imperatorib. regib. et archiducib. parentib. auis, proauis, abauis, & atauis, natum, & speculatorẽ fidelẽ, cõtrauenientẽ gladiũ decet, ac plurimũ ornat, in primis Christi, non propria quęsita gloria, ꝑcantes manus cum toto illi credito populo leuet, et cinere aspersus, ciliciocꝙ, in Niniuitarũ regis morẽ formã indutus toto corde se

Prouidentia regis Ferdinandi.

uertat &

uertat et clamet ad dominum: Quis scit, si conuertatur & ignoscat deus, & relinquat post se benedictionem?

Ad hoc ueluti Iosue contra Amalechitas pugnaturus pro saluanda Christiana rep. & recuperanda ab inuictis possessorib. Iebusæis, Chananæis, Pheriseis, Ethæis, Amorræis, terra promissionis, quę lacte et mel le fluit, etiam illa sancta ciuitate Hierusalem, sic uiriliter et fortiter contra iturũ parat, et iam irruẽti sane sęuo hosti, perinde ut ordinis D. Georgij militẽ, quẽ Gedeonis et suscepti uelleris clypei, ensis, et hastę, sic tuis prę scriptis legib. exigentib. memorẽ esse oportet, undequaq; conscribit & colligit milites, machinas, cõmeatum, & quicquid ad exercitũ et utile necessarium esse credit, non aduersus Christianos principes, sed contra Christiani nominis persequutores pugnaturus, Hic diligentissime adornat, ita ut tuæ militię non impigrũ agat militem, suoq; fungatur officio.

Sed ne tam fortis & exercitatissimi in bello hostis uires & multitudinem contemnere uideatur, gaudeantq; super illum olim inimici pessimi, neue in toto orbe rideatur, quod apprime et operæprecium cauendum esse prædixit dominus, uolens ædificare turrim, prius sedens sumptus cõputare debeat, aut quis rex (inquit is, qui uia, uita, & ueritas est) proficiscens ut committat prælium aduersus alterum regem, nonne sedens prius cogitat, an possit cum decem milibus occurrere, qui cum uiginti milibus ueniet contra se? Eapropter apud se, suosq; fidos quos habet amicos, & a secretis consiliarios inuenit, nisi sua maiestas se ac reliquam deniq; Europæ & Christianitatis partem, non modo tributariam, sed penitus extinctam dedere uelit, hostem cum quo certe dimicare oportebit, facile non contemnendum aut negligendum, sed illi cum potentissimo exercitu cataphractorũ et leuiorũ equitũ ac peditum obuiandũ esse.

Non ignorat profecto, sed a totidem exploratoribus, fidisq;, tam suę Ma. quam Christianorum amicis & monitoribus compertum habet, illum apud Turcas militarem esse ordinem, ut illis perpetuo sint equites octoginta milia, quos Tiniarcinos uocant, qui & in duos diuisi sunt exercitus, Asiaticũ scilicet & Europeum, quorũ præsidentes (ut antea diximus) Bassas uocãt, Et q; Sconisiarũ equitũ, qui sine stipẽdio, & pro quinta parte prædæ militant, semper quadraginta milia sunt, Catipporum autem Spahiglanorum & Soliphratorum ex Schytis & Persis ad latus regis aliq̃t milia. Didicit etiam ac scit sua maiestas peditũ ordinẽ interteneri triplicẽ, Ianizarorũ quidẽ, qui ex omnib. Turcarum regnis proceriores ad hoc idonei per cõquisitores leguntur, et ab ineuntate ętate, quasi ephœbi in publicis gymnasijs & castris, ut olim Lacedęmonij nutriuntur, & ab albo pileo sursum uersus porrecto, breuiorique ueste amicti sunt, hi urbes & arces oppugnãt, & uiginti milia sunt. Asypporum autẽ peditũ, qui rubeo pileo ab Ianizaris discernunt, qui in p̃lio hostiũ equos subfodiunt, quadraginta milia, Et peditũ uoluntariorum qui sine stipendio militant, aut euocantur, demptis & non numeratis calonibus lixis, fabris, nummularijs, institoribus ac alijs id genus, qui uias sternunt, pontes flumi-

Milites qui perpetuo penes Turcam sunt. Tiniarcini.

Ianizari.

Asyppi.

pontes fluminibus & stagnis imponunt, aggeres & reliqua necessaria erigunt & struunt ordinaria institutione, dum proditur in campum, educuntur propemodum infiniti. Illis autem sic instructis & a cunis ad bellandum edoctis copijs, paruo & imbecilli cuneo militum occurrere, cum illisq; manum conserere, aut prælio congredi, neq; regi, neq; antesignanis consiliarijs uidetur admodum esse consultum.

Produnt historiæ ueterũ, quibus secure fidimus, Pazaiten Pacietem Turcarũ regem aduersus Parthorum regem Tamberlanem Tambrullonum, a quo prælio superatus, et cathenis aureis uinctus in curru ducebatur, plusquam quatuor centena milia armatorum eduxisse, nec dum illius potentia, quantum hodie creuit, aucta erat. *Quomodo Turcis occurrendum sit.*

Proinde uidet, & recte, rex noster, paruum nõ sufficere cuneum, sed opus fore potẽtissimo & ualidissimo tam equitum quam peditum optime instructo exercitu. Quem si conscribere & collectum educere uelit, illum commeatu, machinis æneis, munitionibus, & alijs rebus innumeris instruere oporteat. Id autem sine immenso thesauro pecuniæ (qui fortissimus cuiusq; belli neruus est) perfici non poterit.

Paratissima, totoq; animo propensa esset Maiestas illius, uel Midæ aurum, ac Solomonis, & omnium regum, atq; adeo totius mundi thesauros exponere, modo ut ipsa Christianitas ab hoc furioso, impio, & sine deo tyranno liberata & salua esset.

Sed (proh dolor) a Friderici proaui, & Maximiliani aui Imperatorum temporibus intra quæ Turcæ uehemẽtiores, grauiores & frequentiores incursiones ac depopulationes non solum in Hungariam et Croaciam, sed & Carinthiam, Styriam & Carniolam Austriæ prouincias, per crebros Saccomannos & latrones, quos Martylosas appellant, fecerunt. Contra quos & in subsidium regni Hungariæ, quam diu rex noster Austriæ domum gubernandam suscepit, septẽ continuis annis, exercitum magnum intertenere coactus est, sineq; intermissione contra Turcas pugnauit. Non enim tam impius & crudelis in suos etiam Hungarios & Croatos esse uoluit, ut sese præcipitet in damnatissimam Lutheri nouam et inauditam hæresim, qua pro suo more pertinaciter per insaniam affirmat, quomodo Christianis cõtra Turcas bellare non liceat, sed Turcis omnes aperire portas Christianum & Euangelicum principem conueniat.

His igitur tam diuturnis ac grauissimis incursionibus, depopulationibus, ac bellis, militibusq; auxiliaribus, sic suæ maiestatis uires exhaustæ, ac diminutæ sunt, ut sua maiestas sola, hanc tantam tanti tyranni molem, nisi aliunde suppetias & suffragia, & potissimum ex tuæ maiestatis thesauro habeat, iuueturq;, sufferre solus non potest, & multo minus resistere, ac repellere.

Quod si hac uice sua maiestas diuino assistente præsidio, tam irato ac frementi inimico non restiterit, aut saltem præualentiori Marte nõ præualuerit, iam non solum de Croaciæ regno cuius residua pars exigua est,

& Hungaria, quæ fere dimidia cecidit, sed de utraq; Germania, superiori et inferiori, quibus dudum feciales misit et bellum indixit tyrannus ille, actum erit. Is etiam ad Calesium, Dauarum, & ultra Britannos & occidentis fines excurret.

Resistendum esse Turcæ ob commune periculum.

Hæc res, tam prodigiosum inquam & abominabile malum, longe a maiestate tua & cunctis Christianis, capitibus, regibus, ac principibus, ne contingat, abesse debebit.

Est hoc negocium, siue Christum sanctissimum fidei nostrę caput, siue illius membra spectes, per omnia commune, uictoria communis, periculum ex altera parte cõmune. Paries enim hic proximus ardet. Velimus, nolimus, congrediẽdum erit. Vincere ergo (ut breuiter dicam) aut uinci, fugare, aut fugere, necesse est: neq; hic ulla Fabij cunctatio leuabit.

Pro Christianitate defendenda, sæpius pugnatum est ab Anglis.

Et quia regia tua maiestas hoc totidem sæculis a progenitoribus & antecessoribus, quasi inditum ac hæreditarium habet, ut Anglia posteaquam Christi nomen, baptisma, fidemq; suscepit, pro illa tuenda quam religiosissima fuerit, & fuso sanguine, quasi uitæ prodiga, sæpe acerrime pugnauerit. Alijsque pugnare uolentibus fidelissime astiterit, & manus præbuerit auxiliares.

Sic sane aliquot Britannorum reges, dimissis quæ domi erant omnibus, ab occiduo sole in orientem, triremibus nauigare Ptolomaidem, Syriam, Hierusalem & alia Palestinæ loca e faucibus Ismahelitarum eripere olim grauati non sunt, & tu non frustra diuino inspirante spiritu, hunc & talem titulum quem rex nullus habet, adeptus es, ut Christianæ fidei defensor scribaris, tenearis, & sis. Quasi te deus talem speciali prærogatiua præuiderit, nobisq; seruarit, ut his temporibus, quibus tanto impetu Turcæ irruunt, assistas & resistendi materiam pro regia liberalitate, sanguine iuncto commilitoni ac auunculo præbeas. Pro his nempe suppetijs regijs et tuo regio titulo dignis petendis ad te missi sumus. Sed huic tam honorifico titulo, te uiuente, et hac tempestate tunc satisfeceris, ubi regem nostrum commilitonem ac auunculum tuum in hoc tam pio & maxime necessario opere nõ deseras, sed pro sua fortuna iuues, et ipso opere, factoq; comprobes, quod nomine & titulo præfers, utpote qui defensor fidei diceris, etiam opere & contributione sis.

Nouus ac peculiaris titulus regis Angliæ.

Calamo uelociter currenti, aduersus damnatissimum Lutheri monstrum ac hæresim, hoc tibi, posterisq; tuis accessit, ut fidei defensor appelleris, idq; tibi ac tuo regno maximam utilitatem attulit, qui a tam seditiosa fabula ac cruenta tragœdia, quibus Germania, proh dolor, nimium grauata fuit, liberatus es. Idq; nõ absq; diuina gratia fieri potuit, sed nũc cum & hasta aduersus infideles ac impios Turcas pugnandũ sit, restat, ut huic titulo nõ desint opera. Nam & Iesus cœpit facere & docere.

Apud te cogita, discedentibus a te nobis, redeuntibusq; ad regem nostrum, rebus non pro uoto nostro obtẽtis, per Lutheranorum prouincias redire necesse est. Quam primum intelligerent, nos tanto itinere frustra uenisse, gloriaturi essent, non modo te non esse defensorem fidei, sed & manis

ſed et manibus et pedibus in hanc conceſſiſſe ſententiam, qui cum illis et ad illorum ſententiam teneres, ſolam fidem ſufficere abſq; operibus, utpote qui fidem titulotenus, ſcriptisque defenderes, uerum re ipſa nihil præſtare uelis, ſed hæc labes a tanto & tam catholico rege longiſſime abſit, potius hoc reſpiciat, quod rex noſter, qui illius amicus tam ſanguine quam affinitate iunctus, facere conſtituit.

Paratus eſt Rex noſter oēs uires, theſauros, fortunas, populos, prouincias, & quicquid uſpiam habet, etiam corpus proprium, uitam propriam exponere, neq; dubitat, dominus ſolē tam diu ſtare iubebit, atq; præcipiet, quoad ueluti Gedeon alter, conceſſo uellere ſeſe de inimicis uindicarit. Adiecit cogitatum ſuum in dominum, qui ſcutū eſt omnium ſperantium in ſe, qui pugnabit pro eo, neq; difficile illi fuerit ſaluare, uel in multis uel in paucis. Propterea non timet quid ſibi faciat homo. Scuto circumdabit eum, ut non timeat a timore nocturno, a ſagitta uolante in die, a negocio perambulante in tenebris, ab incurſu et dæmonio meridiano. Cadent a latere illius mille, & decem milia a dextris eius. *Magnanimitas Regis Ferdinandi.*

Sic enim intra ſe Rex noſter cogitat: Si deus Opt. Max. olim Carolo Martello Pipini ſenioris filio dedit, ut Lindprandi regis Longobardorum auxilio occideret centena milia Sarracænorum, & ſic fœlici hac uictoria non paucos Sarracænos ab Hiſpania & Gallia pepulit, Regibus autem Caſtiliæ & Arragoniæ conceſſit, ut Ermelinum Sarracænorū regē ab obſidione Toleti, & tota Aphrica fuſo exercitu eiecerint, Et nouiſſime Friderico Barbaroſſæ Imperatori ſic aſtitit, ut anno uerbi incarnati milleſimo centeſimo quinquageſimoquinto, per Hungariam Conſtātinopolim uenerit, poſt Boſphorum quoq; traiecerit, Non modo Philomenam urbem a Turcis, ſed ipſam Armeniam minorem, Tyrum et alia recuperauerit. Is proculdubio mittet angelum de cœlo, exterminatorem Ægyptiorum, qui regem noſtrum quaſi Moſen per mare Rubrum, per uaſta deſerta & ſolitudines, in terram ſanctam ducet, & triumphatorem cum glorioſo triumpho reducet. *Armeniam recuperauit Fridericus Barbaroſſa.*

Hæc ſunt, ſereniſſime et potentiſſime Rex, orthodoxæq; fidei defenſor fortiſſime, quæ propter labeſcentem Chriſti fidem, illiusq; imminentem proxime & præ foribus expectantem interitum, Rex noſter tibi, non ut amico, ſed ex duplici iure fratri & defenſori fidei noſtræ proponi iuſſit. Quæ etſi rudi, inculta, ineleganti, & prorſus barbara oratione, quæ nihil floris, ſucci, & gratiæ habet, dicta ſunt, rei tamen grauitas, & amor, quem ſemper in Regem noſtrum geſtare ſolitus es, totum quicquid uſquam defuerit, proculdubio ſupplebit. *Epilogus.*

DIXI.

r ij Cauſæ ratio-

CAVSAE RATIONABILES, PROPTER QVAS D. IOAN. FABER

Epiſcopus Viennenſis noluit, ac bona conſcientia non potuit Lutheri doctrinam approbare.

PSALM. CXVI.

Veritas domini manet in æternum.

INDEX CAPITVLORVM huius Libri.

De uerbis

GENEROSIS, CLARIS, STRENVIS, VENERABILIB. ATQVE PROVIDENTISS. dominis & amicis N. A. N. IOAN. FABRI doctor, gratiam & uere Euangelicam pacem in Christo Iesu domino nostro ac seruatore exoptat.



SVNT QVIDAM (QVOD PERSVASVM HAbeo) magnifici domini & amici, atq; in Christo fratres, qui meme incusant, quod dum apud sereniss. princ. gratiosiss. dominum nostrum & patriæ principem fuerim, Euangelij osor atq; aduersator, ipsum ne Lutheri hactenus negocio consentiat, prępediuerim, atq; in hæreditarijs terris suis eius dogmata prohibuerit, in causa sim. Quoniam uero mihi tanquam Christiano doctori licet nequaquam id tacendo dissimulare, uerum potius excusare, uillicationisq; meæ atq; fidei rationem omni reddere poscenti, cum diuo Ioanne dico, quod in eis ueritas non sit, uerba quoq; eorum ex deo non esse, sed ex principe mundi huius, atq; tenebrarum omnium. Quis adeo enim impius esse uelit, ut aduersarius sit sacro Euangelio, per quod tanta bonorum præcepta operum, tam læta solatoriaq; uenerunt nuncia, imo tam magna (ut pastoribus angelus dixit) Euangelizantur gaudia.

Lucæ 16.
I. Petr. 3.
I. Ioan. I.
Act. 5.
Ioan. 12. & 14. & 16.
Lucæ 2.

De uero Euangelio. CAPVT PRIMVM.



Ezech.1. Ioan.4. Ioan.6 et 20 Marc.1. Luce.4. Deut.8. Sapien.34. Ioan.10.

IN EVANGELIO, SPIRITVS EST, VITAE aqua salutaris, saliens in uitam æternam. Panis ipsum est uerus cœlestis, quo (iuxta Christi uerbum) homo uiuit & pascitur, quod qui elucidauerint, uitā habebunt æternam. Per hoc ostium si quis non introierit, ille fur est & latro: qui uero per ostium hoc introierit, saluabitur, intrabit, & exiet, & pascua inueniet. Hac in luce mundum hūc uniuersum illuminant equi nō ambulauerit, is in tenebris est. Lumen enim ipse est, ad illuminationem gentium, ueniens illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent. Quapropter & lucem se appellat mundi, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Nuptiali hac qui circundatus ueste non fuerit, ligatis manibus & pedibus, proijcietur in tenebras exteriores. Proinde Christianorum imputandum nulli, ut Euangelio adeo suppetiarum ferat nihil, ut etiam ipsum præpediat, ne lucere possit.

Ioan. primo. Luce 2. Ioan.3 Luce.1. Ioan.8. 1.Ioan.1. Ioan.9. Matth.22.

De falsis prophetis & Euangelistis. CAP. II.



Matth.7. Matth.24. Marc.13. 1.Pet.2. 1.Ioan.4. Actuum.13 Prouerb.10 Matt.7. Luce 11.

VERVNTAMEN fratres chariss. attendite a falsis prophetis. Christus enim dixit, quia multi pseudoprophetę surgent, et seducent multos, & quoniam in ipsis abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Exurgent, inquit, pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos electos dei. Cauendum ab his Pet. & Ioan. præmonent. Sectarum atq; concisionum non mediocris est uarietas, quæ quum uentum potius mendacij, quam Euangelium uerum præstant, cauendum ab eis est, nempe quod pro pane lapidem, atq; serpentem multo uenenosissimum pro piscibus ostentant. Videte ne quis uos seducat inanibus uerbis. S. ille Hiere. non uno in loco de ijs prophetis loquitur, qui sese prophetas ostentabant, uerum prophetia eorum mendacium inuenta est, & non ueritas. Atq; adeo in Euangelio Christus fideliter cauēdum monet a falsis illis prophetis. Venient, inquit, multi in nomine meo, dicentes: quia ego sum Christus, ut & hodie uenerunt, & multi dicent mihi: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia multa eiecimus, & signa multa fecimus? Tunc confitebor illis, quia nō noui uos. Discedite a me omnes operarij iniquitatis. Quid igitur mirum est, nostra nunc tempestate inueniri, qui sese Euangelistas longe integerrimos mentiantur, ore Christūm confitentes, quod Tito scribit Paulus, factis uero abnegent, qui ueniant in uestimentis ouium, intrinsecus autem sint lupi rapaces, a quibus quoque Ephesios monet Paulus cauēdum? Ipse enim tenebrarum princeps quoties se in angelum transfigurat lucis? Philippensibus quoq; ut idem scribit, permulti sunt, qui nō ex bona atq; recta intentione, uerum propter inuidiam & contentionem Christum prædicant. Quando igitur hæc cum Euangelio, uiriditatis & primitiuo eius euenere tempore, quo duo discipuli Emaus petentes, uere dicere potuerunt, Nonne cor nostrum ar

Ephes.4 Hierem.22. Matth.7.24 Psalm.6 Tit.1. Matth.7 Acto.20. 2.Cor.11. Philip.1.

strum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia & aperiret nobis scri- Lucæ ult.
pturas, Non adeo mirum, si arido iam ligno, charitateq; refrigescēte hęc
eadem quoq; contingant. Quod uidelicet perplures inueniantur, ore la Matth. 24
bijsq; deum honorantes, inflatis buccis sese euangelist. concrepantes: ue- Esaie.29. Matt. 15.
rum quod Esaias pariterq; Christus loquitur, cor eorum longe abest a Matth.7.
deo. Id uero sic non esse debere, Ioannes docet dicens: Fratres non dili- 1.Ioan.3.
gamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate, Probate uero spiritus si 1.Ioan.4 1.Pet.4.
ex deo sunt. Sat igitur non est, Euangelij uerba, reliquæ item scripturæ
effutire uoces, uerum sic proferre oportet, quasi sermones dei. Num & Matth.4.
satanas post quadraginta dierum abstinentiam, dominum tentans, lepi- Psalm.90.
de satis urbaneq;, sacram, coram ipso Euangelij domino & scriptura- Ioan.3.
rum uno (ut Nicodemus loquebatur) a deo magistro, uiam dei in ueri- Ioan.13. Matth.24.
tate docente ex Regio propheta produxit scripturam? Quem Christus Deuter.8.6.
si e regione ex scriptura, respōsis (quod ter ex uno Deuteronomij uolu-
mine) non confudisset, uicisset et repulisset, persuasissent opinor, sibi te-
nebrarum noctisque doctores, ut dum satanas archisynagogus eorum
summam sapientiam, ipsum glorię dominum superasset, se fortiss. domi- Psalm.23.
no gloriæ portas ui præclusuras infernales. Adde quod Timotheo
scribit Paulus. Attēdite quid prima modo de his Epistola doceat. Prę- 1.Timoth.4
monet enim cauendum ab ijs, qui fabulas atq; ea docent, quæ templum
dei neutiquam ædificant, quomodo errantes quidam doceant, quæ ne
ipsi quidem intelligant. Ipsum uero hortatur, ut doceat iuxta præce-
dentes in ipso prophetias. Indicat item quod circa fidem Alexander & 1.Tim.1. 1.Tim.3.
Himenęus naufragauerint, mulieribus docere in Ecclesia non permittit,
quomodo Episcopos & diaconos doctos esse oporteat, uēturos quos-
dam in spiritibus erroris, discessuros alios a fide, attētum iubet esse dum
uenerit, lectioni, exhortationi et doctrinæ, quomodo uerbum dei pro- 1.Tim.2.
ponere debeat, quomodo penes seniores & iuniores, anus & uiduas se-
se habere debeat, & sanam ueramque complectatur non falsam doctri-
nam, ut deuitet prophanas uocum nouitates, oppositionibus falsi no- 1.Tim.5.6.
minis scientiæ ne seducatur. Doctor si Euangelicus esse uelit, operibus 1.Tim.4. Exemplum
id non modo uerbis ostendat, Ne contendat uerbis, quoniam ad nihil esto &c.
ualeat ultra, quam ad subuersionem audientium, Vt uerbum dei & ue-
ritatis recte tractet, Atq; id genus plurimis instruit, ad intellectum a dei
inspiratione nobis traditæ scripturæ. Quæ in uniuersum ob id diuus 2.Tim.2.
ille gentium doctor prosequitur, sciens nō minimi esse adeo, ut maximi,
docere sanctum Euangelium, non sat buccis sonare, aut literis depinge-
re Euangelium, recte, inquit, tractātem uerbum ueritatis. Quando igi-
tur hactenus ad nonum usq; annum uarios heu nostra in Germania ex-
urgere uidi falsos prophetas & Euangelistas, qui preciosissimas marga-
ritas, lapides preciosos, aurum atq; topasion, ante seditiosos proiecerūt
porcos, atq; uerbum dei non secundum ueritatem & ex charitate tracta Philip.1.
uerunt, uerum potius ex inuidia non ex charitate, in malum non in bo- Roman.14.
num, ad seditiones & latrocinia non ad pacem, ad inobedientiam non Roman.15

1.Cor.14. 2.Cor.10. 2.Cor.12.13. Ephes.4. 1.Timoth.1. obedientiam,in destructionem non in ædificationem, ad leuitatem seu dissolutionem,nõ honestatem uitæ aut honorem dei (quemadmodum Paulus Timotheo, Tito atq; reliquis scribit) & in summa ad malum omne,peccatum,scelera & crimina.

De sensu atq; interpretatione falsa Euangelij & Epistolarum Pauli. CAP. III.



2.Cor.1. ONSCIENTIA proinde propria,quæ gloria mea est,testimonium mihi reddens,imo ad ueritatem ipsam, deum & uerbum eius amor impulit,non Euangelio Christi,falsis uero eius interpretibus,peruersoq; sensui aduersarius ut essem, ut & per dei gratiam donec spiritus hos rexerit artus, ero semper. Scrutari quidem debemus scripturas,ut earum consolatione spem habeamus, ascendatq; homo ad cor altum,ut exaltetur deus.Intellectus autem bonus, canit Dauid,omnibus facientibus eum. Vere enim dico, Euangelium non in lectione aut uerborum strepitu,sed recta, sana, Christiana interpretatione,sensu,& intellectu cõstare,quemadmodum scriptum est,Declaratio sermonum tuorum illuminat,& intellectum dat paruulis. Quem adeo sanum, uerum, orthodoxumq; dum non complectimur sensum,facile ex singulis pene Euangelij uoculis quisq; hæresim quampiam emungere poterit.In confesso est enim, Arrium, Manichæum, Nestorium, Valentinianum,imo et Hebionitas,Luciferianos,Pelagianos,reliquaq; innumera hæreseon capita,sua in Euãgelio fundasse,roborasseq; pro ipsorũ opinione ualide dogmata,non quod is in Euangelio defectus sit, sed quod euersi fuerint ipsi & inflati, peruersumq; sibi conflauerint sensum.

Ioan.5. Roma.15. Psalm.92 Psalm.101. Sententia Hieronymi. Psalm.118.

Lucæ10 Possem ego dum uelim,dicere, non deferendos in pedibus calceos, peram & baculum in uia,neminem quoq; salutandum in itinere, quod sic Lucæ decimo Christus præceperit, atq; si proprio nitar sensui, dicens, quod qui prandio cœnaue amicos, fratres, uicinos conuocaret, Euangelio aduersa faceret: quis impediet dicentem sic,quando clarus is textus sit Euangelij? Verum non ita charissimi fratres, non sic faciundum. Ecclesia, ait Diuus Paulus, columna est & fundamentum ueritatis: ideoque quemcunq; ipsa Euangelij dederit sensum, ipsum obuijs nos complecti decet ulnis,atq; in eo sensu interpretari. Animaduertite precor, & considerate Petri & Pauli temporibus quid gestum sit. Scribit in canonica sua Petrus, charissimũ fratrem suum Paulum,secundum datam sibi sapientiam scripsisse in Epistolis suis quædam difficilia intellectu,quæ, inquit,indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas,ad suam ipsorũ perditionem.Proinde inquit: Vos igitur fratres præscientes custodite uos,ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Verba sunt diui Petri,quibus aduersus tum uniuersum mundum,tum inferi portas testificabor,atq; conuincam,Euangelium et Paulinas Epistolas, lectis nullo pacto literis, sed sano Christianoque constare sensu. At uero, quando Euangelistæ nostri suas de scriptura interpretationes eo direxerunt, ut uniuersis doctoribus, confessoribus sanctis

Lucæ14. Psalm.1. 1.Timoth.3. 2.Petr. ult. Matth.16. Psalm.23.

bus sanctis, martyribus, qui cum pro Euangelio sanguinē profuderunt, Heb. 11.
tum fide regna uicerunt) aduersæ ex diametro inueniantur, atque præter-
ea ne ipsi quidem suis conueniant commentis, ut nunquam conuenient,
ni fortasse Platonis magno euoluto anno aut Græcanicæ aduenerint ca- Platon. annus
lendæ, Scripturamque adeo sacram cōmaculant ad suammet perditionē, 36000.
& nihilominus Ecclesia (quod caput suum Christus, sine macula & ru- Ephes. 5.
ga, atque uirginem immaculatam eam exhibiturus, pro ea respōsurus sit) Colo. 1.
aduersetur perpetuo, quæ nempe tot per annorum curricula in unum 2. Cor. 11.
deum, unum baptisma, unamque fidem pacifica & tranquilla crediderit: Ephes. 4. Matth. 8.
timendum mihi nō est dicere, quod et in ueritate possum, has adeo non Matth. 5.
spiritu sancto, sed eo, qui Gerasenorum mari demersit porcos, spiritu Luce. 8.
edoctos aut illuminatos.

De ueritatis spiritu priscorum doctorum & interpretum sacræ scripturæ. CAP. IIII.

ANIMADVERTITE, quia nobiscum habeamus ex Mediolano Ambrosium, ex Bethleem Hieronymum, Chrysostomum ex Antiochia, Augustinum ex Hipponia Aphricæ, Hilarium ex Pictauo Galliæ, Nazianzenum ex Constantinop. hosque in Euāgelia singulos Christianissime concorditer scripsisse. Sicubi uero adeo diuersa atque contraria senserunt, atque Euangelistæ hi nostri? Quanquam enim Augustinus dominum ante cæteros lauisse Petrum, e diuersoque sentiat Chrysostomus, atque Augustinus & Hieronymus de Petri & Pauli in Antiochia actibus diuersa sentiant, minutiora tamen sunt hæc, de quibus non admodum curandum. Hi uero Euangelistæ in religionis nostræ
atque fidei præcipuis dissentiūt capitibus, quod profecto nequaquam ex Chri- Matth. 12.
sti & dei, sed diaboli regno (quod in seipsum diuisum est, ideoque sta- Luce 11.
re nō potest) procedit. At qui absque peculiari spiritus sancti largitione factum esse poterit, ut qui tum marium tum terrarum maximo spacio, tribus uidelicet mūdi partibus, Asia, Aphrica, et Europa seiūcti, unanimes una sententia Euangelium interpretarentur, quæ denique corpus Christi est, uniuersalis Ecclesia, tot centenario annorum numero unanimis eam interpretationem cum uitæ totius honestate ad usque unius Lutheri tempora receperit? Qui credam Christum tanto tempore errabundam dimisisse Ecclesiam, quandoquidem ipse promiserit sese nobis missurum spiritum sanctum paracletum, spiritum ueritatis nobiscum permansu-
rum in æternum? Dum item discipuli in Galilæam in montem ijssent, ubi Ioan. 14
constituerat illis Iesus, simulatque dixerat: Euntes, docete omnes gentes Matth. ult.
seruare omnia quæcunque mandaui uobis, continenter adiunxit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.
Verba hæc sunt ipsissimæ ueritatis, quibus sanctum diui Matthæi Euan- Matth. 24.
gelium clauditur. Promissio ipsius est, qui mentiri nequit, Cœlum & ter- Psalm. 32.
ra transibunt, uerba autem, ait, mea non transibunt. Rectum est uerbum Numeri. 23.
domini, permanens in sæculum sæculi. Belle ad Balach Balaam prolo-
quitur dicēs: Sta Balach et ausculta, audi fili Sephor, Non est deus quasi
homo ut

Esaie 40 homo ut mentiatur,nec ut filius hominis ut mutetur.Dixit ergo & non
1.Timoth.6 faciet?Loquutus est & non implebit?Fidelis uero est (quod Paulus habet)qui repromisit,potēs est enim implere. Quum igitur is adeo repromisit & fidelis sit,proculdubio nō est oblitus populi sui,plenissime enim
Roman.4 cū Abraham scio,quia quęcunq; promisit deus,potens est facere. Quo-
Ioan.14. niam itaq; Christus, summa ueritas, qui peccatum non fecit,nec inuen-
1.Pet.2. 2.Cor.5. tus est dolus in lingua eius,cuius sermo ueritas est,promisit spiritum ue-
Ioan.7. ritatis mansurum nobiscum in æternum, ipse quoq; se nobiscum atque
Ioan.14. cum sponsa sponsus mansurum repromisit: Lutherani uero centum &
Matth.ult. Marc.11 eo plures,ex Euāgelio salubriter,honeste, laudabiliterq; obseruatos ab
Cantic.4. Ecclesia multo iam tempore deposuerunt, abieceruntq; articulos:atque
Sapien.8. ita ueritatem dei in mendacium uertere uisi sunt,quur eorum secter insaniam?Putatis quia possimus aliquid aduersus ueritatem? Num pro candidissima luce,horrendas complectemur tenebras?

De baptismo & forma baptizandi. CAP. V.



Matth.ult. IN EORVM quæ dicta sunt confirmationem,quod ab ablu-
1.Pet.3. endas peccatorum sordes a domino accepimus Baptisma sa-
Marc.primo. crū ob oculos ponite. Nisi quis renatus fuerit denuo ex aqua
Luce 3. Ioan.3. et spiritu sancto,non potest introire in regnum dei.Itaq; Christus in no
Matth.ult. mine patris & filij & spiritus sancti baptizare præcepit,atq; ita Aposto
Actuum 2. & 16. li baptizarunt,sicut post Petri prædicationem tria & quinq; milia ba-
Actuum 8 ptizati sunt.Et Philippus de curru Eunuchum baptizauit.Paulus item,
1.Cor.1. quanquam non baptizare,sed Euangelizare missus sit, Stephanę tamen domū atq; quosdam alios baptizauit,ipse quoq; baptizatus. Formam itaq; baptizandi cum abrenunciationibus illis atq; reliquis eo fieri consuetis patres nostri ab Apostolorum tempore religiose obseruatam, no
Lib.de capti. Baby. bis tradiderunt. At e regione, contra clarum Euangelium docuit & scripsit Lutherus,baptizare in nomine patris & filij & spiritus sancti,neutiquam esse necessarium,sed in nomine dei baptizari, iustum esse,adeo ut tot formulę sint baptizandi, quot inueniuntur nomina dei, non modo El,Elohim,Adonai, quotq; reliqua Hieronymus ex ueteri testamento hebraica reliquit,sed etiam quot quisq; effingere alia poterit,ut uidelicet sunt,altissimus,infinitus,æternus,& id genus. Atq; ita necessario consequitur,tot esse baptizandi formas,quot hominum mūdus habet. Igitur sic ex certis in dubia, de petra abducit fortissima, in commentitias suas nænias. Adde quod uos & reliqui eius discipuli, teutonico baptizandi ritu hactenus tantopere lusistis,quoad non modo exorcismū, abrenunciationes,aliaq; eiusmodi,uerum etiam baptisma ipsum & aquam depo
Matth.3. neretis:atq; cęterum ab Hierosolymis nemo ad Iordanem baptizandus
Luce 3. ueniat,confiteriq; peccata sua,sacraq; hæc adeo ridetis, quasi non mirificū quid fuerit, quod Iesu, quanq̄ agno immaculato, qui ablaturus erat
Matth.3. peccata mūdi,a Ioanne in Iordane baptizato, aperti sint cœli,uox patris
Ioan.primo. audita,deniq; spiritus sanctus in columbę specie uisus sit. Quando igitur permulta huic negocio pericula subesse cōspexerim, aduersus hęresim hāc

uti & con-

uti & contra alias, aduersarius pugnaui, non ego, sed gratia dei mecum: atque tali me nequaquam discipulum magistro credere uolui, neque in eius iurare uerba. Quemadmodum uero coniurati nuper duo de centum annorum rusticis rebaptizandis discordarint, nunc mitto, aucarum prædicatores aliquando & uetulas rebalneabunt aucas. 1.Cor.15.

De sacramento uenerabili corporis Christi. CAP. VI.



IAM ET PROBATIONEM aliam proferam. Nouit charitas uestra, quãta nos patresque nostri hactenus ueneratione summa & deuotione, uenerabile atque sacratissimum Christi corpus, a supremæ illius tempore cœnæ, a diebus maxime diui Pauli, qui Corinthijs quemadmodum a domino acceperat tradidit, tractauerimus, atque in spiritualem acceperimus escam. Caro, inquit, mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus. Non inficiari poteritis scio, sanctam Christianamque fuisse obseruantiam in paschali solennitate, quando quod per Iohelem prophetam dominus inclamat, cuncti conuertebamur ad dominum in toto corde, in ieiunio, fletu & planctu, scindentes non uestimenta, sed corda nostra atque in cinere & cilitio cum Niniuitis sedebamus clamantes ad dominũ, super flumina Babylonis flẽtes dum recordaremur Sion, facti ex lapideo corde, cor carneum, de ueteri nouus homo. Acceptum ne erat nostrum hoc sacrificium? Proculdubio, spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum non despiciet deus. Hoc uerum est Thimiama ex aromatibus contusis thure lucidissimo, Cynamomo, Cassia, Stacten, Onicha, atque odoriferis compositum speciebus cæteris, quo odor suauissimus coram domino fuimus, Christi ait bonus odor fuimus, immo fragrantiores Iacobo, de quo pater Isaac ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dñs. Tum itaque uenenosissimus in paradisum illapsus est serpens, atque pro cœlesti pane, inferni placentam intulit. Considerate enim, Lutherus quid cum suis scripserit, Christus enim & substantia panis ut simul essent oportuit, quod & gentilis abhorreret. Neque sacrificium fuit unquam, adeoque saliri, fermentarique potuit. Deinde hoc consecrare sacramentum, sacerdote opus non erat, quando & mulieres (quæ in Lutheri Euangelio quoque sacerdotes sunt) id conficere possint. Adde quod catino capaci micatim, in serotinam potiunculam imponi frangique potuit, id quod & quibusdam factum est locis. Non confesso accedere licuit. Sola adeo suffecit fides, quoad ex fide exciderunt penitus. Verba item sacerdotis absque ullis sacratis aut honestioribus uestimentis, alta claraque esse oportuit, sed et idem erat, quo uerborum uteretur contextu, hoc, aut illo. Purpura, casula, reliquæ & sacræ uestes, ipsis atque Iudæis olim illusioni fuerunt. Sumentem ieiunum esse non oportuit, hordeaceo, auenaceo, Heliæ quoque in subcineritio pane, consecratio sacramenti huius fieri potuit. Atque id genus centum inaudita actis sæculis hæreticissima portenta, de uenerando corporis dominici sacramento exuscitata sunt. Postremo, Lutheranorum & Carolstadianorum plurimi, ei sacramento reuerentiæ & honoris impendunt nihil, id quod

1.Cor.11. Ioan.6. Iohe.2. Hierem.3. Psalm.136. Ezech.11. & 36. Galat.6. Ephes.4. Colos.3. Psalm.50 Esaie 63. Exod.20. 2.Cor.11. Genes.27. Lutheri errores circa Eucharistiam. Matth.27. Ioan.19.

id quod dudum Picardi fecerunt, calcant pedibus, dicentes esse nihil, sed ut ab artocopo pistus est panem, reliqui nihil. Quid plura? Qui nouas cudere missas, qui ingentes, quod sub utraque specie communicandus sit populus, composuere libros, modo profitētur optime se nouisse prius, quod nihil sit, uerum secum continuisse. Postquam item sex ęditis libris uertiginis spiritus Carolstadius populum commaculasset, q̄ plurimum ob id interea non immodice increpitus confususque a Luthero, reuocat eos libros ipse seque Luthero componit, qui gladio illum prius addixerat. Cantat uero palinodiam, ne ab uxore sua extra Saxoniam in exilio demigrare diutius cogatur, Res igitur per mulieres, maxime per Lutheri nouam sponsam cum mitra aurata, et toga serica, composita est. Excusat inde se hic Adam per Euam, per sociam suā seductum sese queritur, O tuto tuto tuto. Hęc libris eorum comperi, oculis his meis, qui iuxta Plautum certiores sunt testes, uidi, auribus item meis audiui. Quomodo igitur blasphemias has in deum & dominum meum saluatorem, qui spes mea est a iuuentute mea, debui aut potui sustinere? Animaduertite precor fratres charissimi et uidete, quod hi Euāgelistæ esse uelint, quod equidem ferre possem, modo hoc pallio non in uelamentum uterentur malitiæ. Me tanquam aduersarium Euangelij inculpāt, At uero res ipsa ita non esse, spero, demonstrabit. Euangelium meum, quo, ut Paulus loquitur, ego laboro, docet me dijudicare corpus domini, Inter dominicā
1. Cor. 11 cœnam, atque aliam, interesse quam plurimum, Aliam item esse mensam
1. Cor. 10. domini et dęmoniorum, Hunc rursus non Helię subcineritium esse, aut
3. Reg. 19. Ioan. 6. ad Euangelicam parabolam hordeaceū, sed summe cœlestem panem, quo uidelicet corpus domini manducamus, sanguinemque bibimus, si
Matth. 26. cut et uere manducauerunt et biberūt Apostoli (sicut Matthæus, Mar
Marc. 14. cus, Lucas, & Corinthijs Paulus scribunt) in suprema illa cœna domi
Lucæ 22. nica. Hoc ecce clarum est Euangelium, splendens ut sol, in quo tenebræ
1. Cor. 11. non sunt ullæ, Atque hoc modo patres nostri, aui, proaui, atque ataui intellexerunt & interpretati sunt, quoad Lutherus & reliqui Euangelistæ straminei, e uasta Caci spelunca, & Trophonij specu prodiere. Aduersus hos, inquam, et nullo pacto contra Christi Euangelium, sicut bonus miles Iesu Christi (quod militia sit uita nostra) pugnaui & militaui
2. Tim. 2. uiriliter. Atque a facie aspidis huius, tum patrię nostræ Christianissimum
Iob 7. principem, tum uos, uobis euangelizans, proxima quoque quinta feria
Matth. 3. Marc. 12. cœnæ dominicę, sermone Suaczię, coram multis hominum milibus ha
Lucæ 3. bito, fideliter atque ut pater præmonui, scripturis ad hoc supereffluenter adductis. Quur igitur aduersarij mei, ob euangelicam ueritatem, atque
Ioan. 10. opus bonum (quod spero non facient) me lapidare contendunt? Cum
Matth. 25. quotidie apud eos fuerim in templo, & non me tenuerunt, ut quid no
Lucæ 22. ctu laternis & facibus, lignis & fustibus me quęritant? Si male loquutus sum aut docui, testimoniū perhibeant ex Euangelio, atque ex eo conuin
Matth. 26. cant. Si uero Euangelice docui, quid me cædunt? Sed hęc est hora eorum, & potestas tenebrarum.

De plaga

De plaga eorum & pœna, qui diebus uetitis carnibus uefcuntur. CAP. VII.

PRAEMONVI VOS igitur, dum gladium uenire præuiderim, quo Ezechieli facerem ſatis, dicenti: Si ſpeculator uiderit gla- Ezech. 33.
dium uenientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe nō
cuſtodierit, ueneritq; gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in ini-
quitate captus eſt, animam autem eius de manu ſpeculatoris requiram.
Quis hic gladius? Attendite precor electi dei, atq; in Chriſto dilecti. Iſra
eliticus populus, dum in cœleſti manna nauſearet, clamaretq; pro ollis Nume. 11.
carnium in Ægypto, pro cucumere, peponibus, porris, cæpe & allijs, &
anima eorum eſſet arida, quod oculi eorum nihil reſpicerent niſi Man,
plagis maximis occidit eos ira dei, quando adhuc eſcæ eorum erant in
ore ipſorum. Vocatuſq; eſt locus ille, Sepulchra concupiſcentiæ, ibi em̄ Pſal. 77.
ſepelierunt populum qui deſyderauerat carnes. Egreſſi autem de ſepul- Nume. 11.
chris concupiſcentiæ uenerunt in Aſtaroth. Quid putatis? Euangeliſtæ Pſal. 103.
noſtri, panem cœleſtem, ſolamen & ſalutare noſtrum, atq; dum in mon
tem dei pinguem Oreb deueniamus, fortitudinem noſtram, ſpreuerunt 3. Reg. 19.
& floccipenderunt, anima eorum nauſeauit ſuper cibo illo, murmuraue
runt. Præterea, quando amariſſimæ paſſionis & mortis domini comme Pſal. 67.
moratione, ieiunio, alijs item operibus pijs ſe parare (ut Petrus docet, Ioan. 6. 1. Cor. 11.
Chriſto in carne paſſo, et uos eadem cogitatione armamini) debuerant, 1. Pet. 4.
atq; eo die, qui a parādo paraſceues dicitur, affligere animas ſuas, ipſi re- Matth. 27.
uerſi in Ægyptum, ſe in carnium ollas effuderunt eo ipſo die, quo in ara Luc. 23.
crucis Chriſtus pro omnibus mortem longe turpiſſimam paſſus, mortu Ioan. 19. Exod. 3.
us, acetum felle mixtum excepit, atq; ita patri ſpiritum tradidit, dum, in- Ioan. 3.
quam, uerus legiſlator in montem aſcendit (uocat em̄ Euangelium Cal-
uariæ montem) ipſi uitulorum carnibus capitibuſq; deuorandis ſederūt,
ſurrexeruntque choreis ludentes, quemadmodum Iudæorum cœtus
circum uitulum conflatilem chorum duxerunt, Per ſanctam a priſcis die
bus cuſtoditam quadrageſimæ obſeruantiam, ipſi ut proteruiæ indices Exod. 33.
propriæ ſuccidiam & porcellas deuorarunt, in reliquorum ſcandalum, Roma. 14.
ſuam uero met perditionem. Aſellum enim hæ decent lactucæ. Blaſ- 1. Cor. 8.
phemijs igitur, ſcandalis, atq; ſacramenti huius uenerabilis dehoneſtatio
nibus illis perplurimis (quas ut effutiam, me quidem non decet) uiſis, fa-
teor cum primis ex præcordijs ingemuiſſe meis, cōmiſeratus eorum ue-
cordiam, atq; proteruiam, maximam uero inde in malis illis concepi,
quam & perpetuo ſeruabo, diſplicentiam. Quāuis uero aduerſus quoq;
me immurmurarint, dentibus ſuis, ut in Stephanum Iudæi, dum ueri- Acto. 7.
tatem illis annunciaret, ſtriduerint, nihil tamen deterreor. Scriptura, o-
mnis item honeſtas in parte mea eſt, neq; ego abſq; ſcripturis facio quip
piam. Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in ęter-
num, ait diuus Paulus. Quot centenaria milia putatis ab his deterrime
ſcandalizatos Euangeliſtis? Diſplicet proculdubio domino, ordinem 1. Cor. 8.
deſtruere & inuertere tabernaculum. Omnia, docet S. Paulus, in uobis

 1. Cor. 14.

honeste & secundum ordinem fiant. Quoniam igitur digni sunt, quibus suspendatur mola asinaria in collo, & dimergantur in profundum
Matth. 16. maris, qui scandalo sunt reliquis, atq; adeo ne quidem oculos, pes aut
Mar. 9. manus scandalizantia tolerari debeant, Quur ego utut possem aduersus eos non uociferarer? Profecto si coram Christianissimo principe no-
Luc. 19. stro siluissem, lapides clamassent, querelasq; excitassent. An ignoratis
Roma. 1. quoniam non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus di-
Esa. 5. gni sunt morte? Neq; enim manus domini ab hoc uestro principe, atq;
Dan. 5. cæteris discedet, sed eam uidebunt scribentem: Mane, Thetel, Phares. Interpretatio: Mane, Numerauit deus regnum tuum, & compleuit illud. Thetel, Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Phares, Diuisum est regnum tuum, & datum est Persis & Medis. Vos, inquam, uirga domini continenter manet, dum impijssimã impunem ab-
Psal. 88. ire dimiseritis proteruiam. Vobis enim dicitur, Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum.

De ira dei manente eos, qui sacramentum Eucharistiæ indigne accipiunt. CAP. VIII.

1. Cor. 11. ADVERSVS IMPIISSIMOS istos, qui non dijudicant corpus domini, neq; seipsos accessuri probant, scribit ad Corinth. Paulus, dicens: Qui manducat & bibit indigne, reus erit corporis
Hebr. 6. & sanguinis domini. Hi enim, de quibus idem Hebræis scribit: rursus crucifigentes Christum & ostentui habentes. Præterea scribit Paulus:
1. Cor. 1. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Iudicium in Euangelio horrendum, atq; seuerissimum quid nominat, de quo Matth. xxiij. Mar. xij. Luc. xi. Ioan. v. Rom. v. ad Galat. v. capitibus. Videtis uero & auditis, quid minitetur Paulus ijs, qui absq; deuotione ulla ludentes, ad hoc tam uenerandum accedunt sacramentum. Quid ultra dicit? Propterea inter eos multi infirmi, & dormiunt multi. Proinde non mirum, iram dei in nostram heu Germaniam adeo profusam, in prædis, incendijs, latrocinijs, homicidijs, hisq; plus centum milibus, nec huc dum cessantibus, alijsq; grassantem, ut olim in Israeliticos cœlestis contemptores alimoniæ. Habetis hic ueritatis doctorem, nempe Paulum, qui Euangelium suum non ab homine, neq; ex homine, sed a
Galat. 1. deo didicit, clare dicentem: Ego accepi a domino, quod & tradidi uo-
1. Cor. 11. bis, quod quoniam dominicam cœnam ab alijs escis non dijudicauerãt, atq; accepturi hunc panem, non prius sese probauerant, in mortem perditionemq; incidere. Certissimum enim apud me semper fuit, eritq; perpetuo, quod dum sanctissimum hoc sacramentum non debita ueneratione tractatur, uindicem continenter sequi iram dei. Paulus Paulus Paulus, inquam, hæc me edocuit, quod & proh dolor factũ nunc est. Quur igitur ego tanquam canis mutus siluissem, atq; ex aduerso non stetissem?
Ezech. 18. Dico uobis atq; e scriptura prophetiso, q̃m nisi conuertamur ad dñm,
Luc. 13. & auertamur a uijs nostris pessimis, omnes simul peribimus. Si enim
Malach. 1. ipse est pater noster, ubi honor suus? Si ipse dominus, ubi timor eius?

Igitur

Igitur ipsum honoremus, amemus, atq; dum in uia malitię sumus, timeamus, quo a nobis grauis cesset quassatio, & angelus exemptum in faginam gladium remittat. Certo certius noui fratres & uere dicere ausim, quoniam si Turcus in quadringentis milibus in Germaniam sese profudisset, non utiq; tot pupillos & uiduas reddere potuisset. Hæc uero eo ueniunt, quòd tantam deo, creatori & redemptori nostro irreuerentiam ostendimus, ut (quemadmodum olim Iebusæi) ipsum pedibus calcemus, Paulus id, non ego, docet: ipsi fidem habetote. Euangelium itaq; Christi, nisi aperte adnunciari admiseritis, ut in hac re erectus Christus maneat, uere dico uobis, omnes simul peribitis. Verbum namq; domini se falsificari non patitur, neq; cuiquã cedet unquam, manere ipsum oportet, & stare, ut petram solidissimam. Quod & si comitia quotidie celebretis centum, tot condatis ordinationes, quot leges initio Romanorum regno fuerunt, atq; hoc meum, qualis qualis sim, consilium spreueretis, Carolstadianis uero, quod deus auertat, adhęseritis impietatibus, Deus utiq; honorem suum interire non patietur (ipsi enim honor & gloria, & qui honorat filium, honorat & patrem) profecto uos, atq; uestros, tum infirmitatibus, tum morte, plagis item uarijs puniturus est. Quæ loquor hactenus Charissimi, per unum Christum, non quemuis alium loquutus sum, cuius perpetuo gloriam & honorem neutiquam meam, quęrito. Ipsi gloriam tribuo, neq; sum enim ex ingratis unus leprosis. Nolo uero quisq; gloriam meam minuat, neq; enim id patiar, ut aduersarius increpiter Euangelij, quandoquidem fiducialiter cum Paulo dicere possum, Non erubesco Euangelium, Ostendo deum dum pręcepta petrinis tabulis daturus erat, per Mosen præcepisse populo, ut lauarent uestimenta sua paratiq; essent in diem tertium, ne ascenderent in montẽ, neq; tangerent fines eius, neq; etiam ijs diebus uxoribus se coniungerent, Sacerdotibus quoq; ut sanctificarentur. Facta sunt hæc unice modo, ob præcepta lapideis insculpta tabulis. Sanctificabãtur quoq; ueterum sacrificiorum sacerdotes atq; mũdos esse oportuit. Oza item, quoniam indignus arcam, in qua panis ille coelicus seruabatur, tetigit, mortuus est, percussus a domino. Non sine causa profecto Paulus de urna aurea manna in se habente, in area inclusa scribit. Adde, quod Abimelech sacerdos esurienti Dauidi in necessitate, propositionũ panes dare renuit, nisi mundi essent pueri, maxime a mulieribus. Quomodo igitur nos indigni atq; immundi, panem hinc, nobis ad spiritualem in perpetuum relictum escam manducare pręsumemus? Proinde dilectissimi fratres, alteram quoq; partem audite, priusquam alienum iudicetis seruum. Qui enim iudicat me, dominus est, uos autem nolite ante tempus iudicare. Inclamate prius Adam, ubi es? Cain, ubi est Abel frater tuus? Aurem unam accusatori præbete, alteram accusato. Antequam interrogetis, ne (iuxta Solomonis cõsilium) uituperetis quenquam. Non est hoc negocio lusus aut iocandi ratio. Non fit, ut Christiani & Euangelistę simus, et nihilominus Christum abnegemus; id enim rursus Chri

Luc. 13. Luc. 21. Ioan. 12. 1. Pet. 4. Rom. 5. Ioan. 8. 9. Luca 7. Roma. 1. Exod. 19. Nume. 18. Deut. 12. 2. Reg. 6. 1. Para. 13. Hebr. 9. Matth. 12. 1. Reg. 21. Roma. 14. 1. Cor. 4. Gene. 3. 4. Eccle. 11. Pro. 15.

stum crucifigere est. Imitamini igitur Diui Petri uestigia, ut uos quando Christus misericordiæ suæ oculis respexerit, conuertamini, atque exeatis continuo, flentes amare.

De priuata peccatorum confessione CAP. IX.



In resolutionibus. Matth. II. CONFESSIONEM libris suis Lutherus ęditis multipharIam docuit, atque ex Euangelio commonstrauit necessariam esse. Deinde uero, harundo & est in deserto, uento agitata, ut complaceret socijs, docuit admodum quidem in Ecclesia utilem esse confessionem, atque se nullo pacto nolle ut non esset, uerum eam in Euangelio nõ inueniri. Quo factum est, ut pluribus locis ipsa aut interciderit penitus, aut leuitate tanta risuque fiat, ut Iudaica confessio Lutheranę præstet multoque satius esset non talem adinuenisse. Quum igitur tam egregie bona e Christiana nobis confessione, ut conscientiæ purificatio, impij conuersio, uitę remissioris emendatio, et plura horum alia, nata sunt, ut diffiteri quisque non possit, quod hæc dum in Ecclesia habita est, bonorum causa fuerit plurium, nec quoque uno Euangelij loco fundata sit, Quur male fecerim ego, qui per dei gratiã is fuerim, qui seruarit defensaritque ipsam? Ioan. 20. Si etenim uobis de coelo angelus adesset, qui ad Euangelij Ioan. xx. uerba respondeat, ut cum dicente domino discipulis, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorũ retinueritis retenta sunt, atque procedant Euangelistę isti uniuersi, dicant, Quomodo fieri possit, ut Apostoli et eorum successores hodie, aliorũ retineant pec- Hebr. 4. cata, quorum notitiam non habuerint? Quot sunt enim, nulli quam uni Psal. 43. deo (cui aperta sunt omnia, qui & corda & renes scrutatur hominum) Ioan. 8. cognita? Non enim peccatores omneis, atque muliercula illa in adulterio comprehensa, ad iudiciũ pertrahuntur, neque uniuersi hoc sæculo, quem- 1. Cor. 5. admodum insignis ille Corinthiorum fornicator manifestantur: at ni- Matth. 16. hilominus sacerdos, atque hac potestate succedens, remittere aut soluere Matth. 18. Obiectio. potest peccata. Mitto nunc ex Matthęo, atque alias sententias, huic rei ac- Dilutio. commodas. Sed e regione dicunt, hoc de una debere intelligi fide. Mirum profecto auditu. Christus discipulis loquitur, dans potestatem in aliorum hominum peccata, deque fide adeo nulla fit mentio. Proinde hæc ipsorum effictio uentus est & umbra, & uanitas uanitatum, Sensus uero seu intellectus mei, in hac re testimonia, ab oriente in occidentem, Luc. 9. ab aquilone usque meridiem habeo, uniuersa, inquam, orthodoxa Chri- Iud. 1. sti fidelium multitudo meum probat sensum. Aduersarij uero mei, imo Christi, solas habent exititios quosdam fraterculos testes, iugum 2. Timot. 3. qui domini abiecerunt, manu in stiuam missa respicientium retro, qui 1. Timot. 1. nubes sunt sine aqua quæ a uentis circumferuntur, qui sunt Iamnes & Mambres, qui longe prius circa fidem, ut Alexander & Hymenæus, naufragium fecerunt, sibiipsis iuxta Pauli uerbum damnationem acqui- Deut. 17. rentes. Quõ uincere me poterũt, quando omnis honestatis, senes & iuuenes, uiros atque foeminas mecum testes habeam, & ut ore duorum aut

trium

trium testium stet omne uerbum? Ipsi quoque dicunt & diffiteri nequeunt, auricularem, ut uocant, confessionem utilem esse & salutarem. Bona igitur si est, quur tollere eam nixuriunt? Quur dicunt bonũ malum, lucem tenebras, diemque in noctem efficere adnituntur? quum optime sciant Esaiæ prophetæ se manere maledicta & imprecationes. Adde quod Esa. 5.
si naturali utamur lumine, uidere licebit, permultos, maxima quæque horruisse ob confessionẽ crimina, quæ hodie ea ablata (metuo) libere, absque timore ullo perpetrant. Satius utique tantis non præstitisse ansam malis. Luc. 8.
Deus profecto est, non uolens, ut Dauid canit, iniquitatem. Qui habet Psal. 5.
audiendi aures audiat. Rem ego latius extendere nolim. Cuiusque uero Roma. 9.
conscientia, pro mille sit testibus.

De matrimoniali statu, aduersus Lutherana adulteria.

CAP. X.

HACTENVS coniugiũ et matrimonialẽ nexũ, ordinate, iuste atque Christião more obseruanimus, adulteriũ adeo nõ admisimus, ut adulteros pœnis mulctauerimus, neque ut coniugũ unus extra matrimonium iungeretur alteri permissum est. Hi etenim regnũ dei non possidebunt, & adulteros iudicabit deus. At Lutherus Mahume- 1. Cor. 6.
tica lege sua, quomodo ulterius cum uiro tum uxori libertatem, contra Hebr. 13.
clarum Euangelium donauerit, uidimus in libris suis: ego latius non extendero. Noui ciuitatẽ quandam inhabitare sacerdotes, moniales, quorum decem uxores habent, unus autem horum, duas habet. Id Christianæ an consentiat religioni, cuiusque Christifidelis esto iudicium. Vnum Roma. 7.
scio, quia quanto tempore, scribit Paulus, uiuit uir, alligata est mulier le- 1. Cor. 7.
gi, & uocabitur adultera, si fuerit cum alio. Insuper, non ipse Paulus, sed dominus præcipit, mulierem a uiro non discedere. Ne rursus scandalo sim, mitto. Quæ etenim ex his plerisque locis oborta sint bona, in aprico est, Opus artificem probat. Horum utique unus finis est interitus. Hæc autem ob id fecit Lutherus, ut quam plures illi adessent locustæ & bruchus, Exercitum legere cupijt pergrandem, Sed en ingens ad sarcinas Go- Hiere. 5.
morræ populus. Docet diuus Paulus non hominibus, sed deo placere. Naum. 3.
Lutherus uero ex illis unus est doctorib. qui placentas pinsunt, ad quos Esa. 30.
apud Esaiam inclamat uulgus, Dicite nobis placentia. Suauis utique ple- 1. Thess. 2.
risque doctrina est, talibus commutationibus & cambijs ludere. Sumus, inquiunt, hic in Iudaica lege, date inuicem præter Euangelium libellum repudij. At ego dum eam incusaui turpitudinẽ, quod ex illis non sum, de quibus Petrus scribit, audaces sibi placentes, audire compellor me aduersatorem esse Euangelij, atque inde non minimam habeo indignati- 2. Pet. 2.
onem. Herodiadis nata, saltibus atque ducendis choreis habilis, saltando Matth. 14.
placuit Herodi. Idemque ipse posteaquam in Iacobum fratrẽ Ioannis gla- Acto. 12.
dio animaduerterat, uidendo quod placeret Iudęis, apposuit & Petrum Apostolorum uerticem apprehendere. Sic perpetuo euenit, dum non deo, sed hominibus placere contendimus. At ego cum Paulo dico: Si Galat. 1.
hominibus placerẽ, Christi seruus non essem. Atque cum Dauide clamo: Psal. 52.

Prouer. 4. Dissipa domine ossa eorum, qui hominibus placent, Solomon item prę
Prouer. 1. monuit dudum, prauorum ne itinera mihi placent, Fili mi, inquit, si te la
ctent peccatores, ne acquiescas siue ambules in semitis eorum &c.

De Ieiunio atque pœnitentia aduersus Lutheranas ebrietates

CAP. XI.

Matth. 11. RATRES DILECTISSIMI, Hoccine iugum suaue est Euan-
geliȷ & onus leue, noctesque diesque capacibus insumere epotan-
Sap. 11. dis crateribus, mulierculas alterius quem uelint uiri complexi-
bus frui, atque inuicem conuocare, uenite coronemus nos rosis antequã
marcescant, non sit pratum quod nõ pertranseat luxuria nostra, Come-
Iud. 19. damus & bibamus. Hoc enim dulci suauius melle Sampsonis quod de
Prouer. 9. forti egressum est. Hæ profecto sunt aquæ, furtiuæ illę dulciores aduer-
Hiere. 9. sus amaram quam Hieremias exhibet absinthiȷ potiunculam, uidelicet,
Matth. 3. ieiunia, orationes, uigilias, atque alia, quibus, ut Ioannes, camelorum pilis
Luc. 3. indui, obuolui, armari & adungi nos decet. Vinum inquiunt non bi-
I. Timo. 2. bere, In Ecclesia puras orando leuare manus, Ieiunare, quemadmodum
Luc. 1. Phanuelis filia Anna quotidie, laudare & benedicere in templo deum,
Luc. ult. ut apostoli post ascensionẽ in cœlum domini fecerunt, Vendere omnia
Matth. 19. quæ possidemus, & dispergere in pauperes, Cum Niniuitis sedere in ci-
Ionæ 3. Luc. 11. nere & cilitio, doctrinæ quidem sunt in Euangelio conscriptæ, ueruntа-
Matth. 26. men infirma est & morosior: At cum epulone diuite, purpura & bysso
Luc. 15. quotidie indui, ligurire atque helluari per dies splendide, Lazaro uulneri
Exod. 32. bus consito despecto, circum item uitulum aui eum ducere choreas, id le
ue, suaue, iucundumque est. Huc (cõsulo per Ironiam) inaures atque preci-
osa quæque comportent, dum hic Aaron missarum cœperit peragere so-
Galat. 5. lennia, Nam hic caro in iubilo est, quæ perpetuo concupiscit aduersus
Esa. 5. spiritum, ut gigantes hodie non inueniantur, pronaque sit suapte natura
Eccle. 10. ad malum ab adolescentia sua. Quicunque igitur prędicatores aut Euan-
3. Reg. 17. geliſtæ fuerint, qui noctem uertant in diem, docẽtes principes mane sur-
Luc. 12. Galat. 6. gere ad bibendum uinum dicentes, Comedamus & bibamus, cras enim
Num. 11. moriemur, & cum diuite, anima mea manduca & bibe & gaude, ne-
Matth. 9. Matth. 6. que interea stultitiam & repentinum interitum commemorant diuitis,
Luc. 5. Hiȷ profecto Euangeliȷ spiritum adeo non acceperunt, sed carnis Euan-
Acto. 19. 27. gelistæ sunt post ollas carnium in Ægypto perpetuo uociferantes. In
2. Cor. 11. exemplum nobis saluator noster Christus quadraginta dierum & no-
Matth. 17. Mar. 19. ctium ieiunio se afflixit, non ut tanto tempore a cibo in totum abstinea-
Vide Hiero. mus, sed ut etiam ieiunemus. Docuit uero quo pacto nobis ieiunãdum
de uiris illus. esset, adeoque dixit, ueniet tempus quando auferetur ab eis sponsus, tunc
et Irenæum discipulum di ieiunabunt, quod, ut Apostolorũ uita testatur, ipsi quoque fecerunt. Pau-
scipuli Ioan. lus ipse prępe ieiunauit. Adde quod dęmoniorũ genus est, quod eiici neqt, nisi
Euan. contra in oratione & ieiunio. Præterea in aprico est, uniuersalẽ Ecclesiã, quem-
hæ. lib. 5. admodũ prisci tradũt patres, ipsos quoque hæreticos, summa ueneratiõe,
deuotione, charitate, timore & honore dei obseruasse ieiuniũ. Paschalis
queadmodũ principio instituta sit solennitas, notũ est. Proxime quod LV-

THERANI

THERANI euangelij tẽpore, in diuini cultus honoris, atq; salutis nostræ contemptum, obortum sit, in propatulo est. Quur igit̃ ex aduerso istorũ nõ loquerer? Cũ Paulo dum Cæsarẽ appellaret, dico, Si quid dignũ mortẽ feci, non recuso mori. Nonne si quis animal quoduis, asinum, ouẽ, aut taurũ foueã incidisse uiderit, secundũ legẽ extrahet illud? Cæcũ si uia aberrantem, impingentemue uidero, num secundum legem rectè restituendus est uiæ? Maledictus qui aberrare fecerit cæcum a uia, & dicet omnis populus, Fiat fiat. Videns ego igitur tantos errores, quur gladio Euangelico, hoc est uerbi & doctrinæ dei non usus fuero? Nonne Paulus manuum impositione ad hoc me ordinauit, ut adnunciem populo iniquitates suas atq; scelera? An Christus in sacerdotali munere nõ ideo spiritum sanctum contulit, ut euangelium suum annunciarem in gentibus? Num inter has pressuras haud iniuria cum Susanna succlamassem: Melius est mihi incidere in manus hominũ, quam derelinquere legem dei mei? Aut uero in unos Lutheranos semẽ uerbi dei cecidit, aut solos ipsos spiritus domini, non orbem terrarum repleuit? Nonne præmonere debui, atq; cum Petro obsecrare, abstinere a carnalibus desiderijs quæ irrequietes militant aduersus animam? Animaduertitote, num hoc in negocio parte nostra manifestissime sit Euangelium, in quo & emoriar, quemadmodum cum Christo Paulus. Siue uiuimus siue morimur, in gloria domini morimur. Constitutum est omnibus semel mori. Omnesq; momẽtis singulis emorimur, & quasi aqua in terram dilabimur. Proinde non timebo quid faciat mihi homo, quanq̃ placentarũ artocopi deum suum uentrẽ perpetuo delegerint, regnumq; dei escam & potũ esse uelint, ligurire atq; helluari semper percupiant. Scio q hos et hũc destruet deus. Porci sunt hi ex Epicurico grege, qui tanq̃ Sardanapalus increcitãt, Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas. At ego Sabaritis conuenero nunq̃.

Actor 25. Exod. 23. Luce 14. Deut. 27. Ephes. 6. Hebr. 4. 1. Timo. 4. 2. Thess. 1. Esaiæ 58. Matth. ult. Daniel. 13. 1. Cor. 14. 1. Pet. 2. 1. Cor. 9. Philip. 1. Hebr. 9. 2. Reg. 13. Psalm. 55. Philip. 3. Roman. 14. 1. Cor. 6. Bene curata pel. Epic. de grege porci.

Quod orandum sit, contra Lutheranam de necessitate euentuum hæresim. CAP. XII.

QVID VERO de innouatis atq; peregrinis loquar doctrinis, quibus nequaquam orandum esse docent? Lutheranum enim nuper quendam Sueuica liga gladio ferijt, qui dominicam orationem, nempe Pater noster, & superuacaneam dixit, atq; ne quidem tanti ualere, quod Christus ante passionem eam docuerit. Post eam, inquit ille, omnis tum culpa tum pœna absumpta & deleta est, atq; adeo oratio illa, Pater noster, non necessaria est, ut & dici apte non possit. Lutherus quoq; cuncta ex necessitate euenire docuit, neq; secus quicquam q̃ ut fit accidere posse, quo certe omnem in uniuersum tulit orãdi necessitatem. His contradixi, atq; in contrarium prædicaui, quod non abnego, sed cum Ioan. Bap. confiteor & non nego. Verum id nullo pacto præter Euangelicam feci scripturam. Quinimo Viennæ in Austria, multis coram populorum milibus quosdam sacris utriusq; testamenti consitos scripturis in aduersum feci sermones. Quur Christianam ego plebem ab orandi sacra religione, in hanc Luth. perniciosam permitterem

In lib. Assert. Ioan. 1.

 prolabi

Luc.1. prolabi hæresim? Quando offendam Christum, qui in salutem uenit
Marc.1. gentium, toties pro eorum orasse peccatis? In monte uidelicet Oliueti su
Matth.14. per genua in faciem procidisse, prolixioremq; profudisse orationem, to
Mar. 14. tam item alias nocte in orationibus insumpsisse, post cœnam hymnum
Luc.6.22. dixisse & laudes patri, dormiẽtes item discipulos a somno ad orandum auocasse, ut non intrarent in tentationem, Proinde & apud Matthæum & Lucam quid & quomodo orandum edocuerit. Apostoli item orauerunt. Scribit enim Lucas, quod unanimes perseuerauerint in oratione. Hinc Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam ora-
Matth.5. tionis nonam, ut adorarent in templo. Adde quod in electione Mat-
Luc. 11.
Acto.1. 4.9. thiæ orauerint, & persæpe alias. Quæ cuncta dum manifeste clariusq; sacro comprehendantur Euangelio, qua ratione eos audirem, qui docent non esse orandum? id quod ipsi multa diligentia prosequuntur. Qui fieri poterit, ut Lutheri cum Euangelio doctrina consonet, dum nihil impetrari posse sentiat: uidelicet, quod uniuersa ut accidunt, sic fieri necessarium sit? Quid eñ suis nos deus prægrauat mandatis, dum seruatu impossibilia sunt? Quid inuicem consulimus, dum nullum iuuabit consili-
Esa.1. um? Si hæc (inquit deus) feceritis, & in uijs meis ambulaueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: Sin uero, gladius deuorabit uos. Ad
Roma.13. quid ista, dum consultationes non iuuant? Quur iuxta Pauli uerba, iudicem gladium deferre uult ad uindictam malorum, uidelicet furum, latronum, homicidarum, & eiusmodi, quando cuncta necessario eueniunt (& ut Lutherus cum suis docet) quæ uerti non potuerunt ut secus fierent? Num pernix hic error est, quem dum acceperimus, ruat necessum est, nedum in totum lex Mosaica in orationibus, consilijs, & reliquis, uerumetiam totum Euangelium? An ad hæc mihi tacendum erat?
Matth.5. Aut lumen a deo acceptum abscondere debui, & sub modio ponere, &
Luc.8. & 11.
1.Cor.15. non utut potui tueri ueritatem, Christum uidelicet, qui homo mei gra-
Mar. 8. tia factus, in cruce mortem probrosissimam pro me pertulit? Euangeli-
Ioan. 9. cum id si foret, dicere quippiam, quo concesso, in totum Euangelium
Acto.9. ruat, emoriatur, & pereat, necessum sit Barthimæo illi longe utique cæcior sum ego, aut alio, qui a natiuitate cæcus erat. Verũ enimuero, cum Paulo longe prius squammę ab oculis, deo fauente, cecidere, uisumq; recepi & uidi. Proinde multis modis per sacratissima Christi precor uulnera & obsecro, ne tanquam impium me, indoctum, infantilem, aut toto ca-
Deut. 1. rentem spiritu reputetis, quasi discernere non possim inter bonum et malum. Nos igitur, uti patres & præcessores nostri, oremus pro inuicem,
1.Thess.5. quod Paulus edocuit, quemadmodũ & idem Romanis, Corinthijs, Ga-
Coloss.1.
Roma.12. latis, Ephesijs, alijsq; scribit, se sine intermissione facere. Rursus quoq; ob
2. Coloss.1. secrat, ut e diuerso pro se faciant. Quod si inutile est, quid ob rem ina-
Col.4.
1.Timo.2. nem tot in epistolis suis uteretur uerbis? Aut quur Ecclesia Hierosolymis
Iaco. 5. sine intermissione ad deum pro Petro orasset? Postremo si pro inuicem
1.Pet.3. orandum non est, qui factum est, ut Christus dicere docuit & orare, Pa-
Phil.1.
Roma. 1. nem nostrum quotidianum da nobis hodie, Dimitte nobis debita no-
2.Thess.1. stra, Ne

ſtra, Ne nos inducas in tentationem? Aut quomodo orationes & elee-
moſynæ Cornelij in conſpectu domini aſcenderunt?

De eleemoſynis, exteris quoq; erogandis pau-
peribus. CAP. XIII.

ELEEMOSYNAE cauſa uero (quam adeo Chriſtus imperti- Matth.6.
endam commendat, ut theſauros accumulemus in cœlo, quo Lucæ 11.12. 18.16.
pauperes ipſi nos recipiant in æterna tabernacula, Pauperesq; Marc.14.
ſemper manſuros nobiſcum, ut donec uelimus, poſſimus illis beneface-
re, Et quod uni ex minimis eius impenderemus, tanq̃ ipſi ſibi factum ſe Matth.25.
remuneraturum, eatenus etiam, ut ne aquæ frigidę calix inremuneratus
abiret) plures ꝓfecto gloriati ſunt, forſan quoq; iuxta Chriſti uerbum, Matth.10.
receperunt mercedem ſuam. Ab ipſis uero pauperibus prægrandes ſæ- Marc.9. Matth.6.
penumero accepi querelas, Apud uos quoq; Oeniponti innumeram
pauperum multitudinem, dum Sereñ. princ. eleemoſynæ mihi creditæ
eſſent, quotidie habui. Quod quibuſdam locis, alienigenarum nulli elee
moſynę impartiri debeant, non deduxero. Contrarium uero opinor eſ-
ſe manifeſte conſonum Euangelio, Paulinis hiſtorijs, atq; reliquis ſcri-
pturis. Opinor item eam ordinationem non admodum Apoſtolis, qui
totum fere mundi teretem obiere circulum, profuiſſe, neque eis qui Hie-
roſolymis fuerunt ſanctis pauperibus, pro quibus tam obnixe Paulus
apud Romanos, Corint. Achaios, & cæteros egit rogando, pro quibus Roman.15.
item Petrus & Ioannes ſedule adeo deprecati ſunt. 1.Cor.9.

De fide & operibus bonis. CAP. XIIII. 1.Cor.15. Galat.6.

SED IN SVMMA, Quid enim quædam ſine reliquis adnu-
mero? Vniuerſis notum eſt, Lutheranos ſuo docuiſſe Euange-
lio, & undequaq; euulgaſſe, unam ſufficere ad ſalutem fidem,
nihil opus eſſe adeo externis bonis operibus, quod peccata etiam ſint.
Quamuis ad eam dictionẽ ſolidandam, ſolam ſcilicet, quam ſuffurati, in
Paulum intruſerunt, nullam adferant teſtem ſcripturam, atq; doctrina
hæc Euangelio ex diametro pugnet: nihilominus tamen, ut ocioſorum
prægrandẽ numerum in forum ſiſteret, nemoq; Moſes rectis in cœlum Matth.20.
oraret manibus, nemo item Thobias ſepeliret mortuos, ſed omni in lo- Exod.17. Tobiæ 3.
co laſſæ manus & remiſſę genuaq; incuruata paſſim manerent, ui hanc Hebr.12.
hæreſim multa uulgi animis inculcarunt, qui ſerpẽtinos hos tantiſper au Gene.3.
diuit ſibilos, dum uetiti fructum ligni guſtaret, tandem quoq; proprio
heu periret ſanguine. Quid igitur uidetur? Aduerſos ne hos ex Euange- Matth.3.
lio pugnare ſuccinctus ſim? Bapt. Ioan. Chriſtus ipſe, Petrus, quoq; Pau Actu.3.22.
lus, docuere nos pœnitentiam agere. Rurſus Ioan. monet, ut dignos fa- Matth.2.11.
ciamus fructus pœnitentiæ. Hinc Bethſaida, Capharnaum, Corozahim
et ciuitatũ reliquę, q͂ non egerunt pœnitentiã, atq; ut Niniuitæ in cinere Lucæ.10.
et cilitio nõ ſederũt, increpati ſunt uehemẽter a dño. Vnde Rom. quoq; Roman.2.
Paulus ait: Neſcis quia patiẽtia dei ad pœnitentiã te adducit? Diſcipulos Matth.5.
ſuos Chriſtus docet, Sic luceat lux ũra corã hominib. ut uideãt opa ũra
bona, & glorificent patrẽ ueſtrum, qui in cœlis eſt. Per anguſtã portam
atq; ſub

Lucæ.13. atq; sub cruce contendere debemus introire in regnum cœlorum, alio-
Matth.7.18. qui, ait, non estis me digni neq; discipuli mei eritis. Igitur queadmodum
Matth.7.16. ipsum oportuit pati et resurgere a mortuis, sic quoq; nos per multas tri-
Luce 9.29
Actuum 19. bulationes oportet introire in regnum dei. Proinde hoc, quo nobis la-
Matth.9 borādum est, tempus messem indicat querulatus in ea operarios admo-
Marc.9 dum paucos. Increpitat quoq; ociosos illos in foro stantes, in uineam su
Matth.20.
2.Thes.3. am mittit, laborare pro denario diurno. Proximum huic est, quod Pau
lus ociosum talem, qui nō laboret, indignum qui pane uescatur iudicat.
Matth.25. Adde quod Christus paratas peruigilesq; laudat uirgines, stertentibus
Lucæ 12 uero cum nō paratis lampadibus, ait: Nescio uos. Seruum alias uigilan-
tem, atq; suo tempore tritici dantem mensuram, dum sic facientem inue-
Matth.7 nit dominus, laudat beatumq; cōmemorat. Non sat erit igitur, de solo
Lucæ 11. dei uerbo, nudaq; gloriari fide, non sequentib. operibus bonis, Qui eñ
Matth.13. fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorū, & beati, qui
Luce 8.
Marc.9. audiunt uerbum dei, & custodiunt illud. Semen illud, terram incidens
Luce 17 bonam, uerbū dei est, quod auditum, seruatur atq; operibus non segni-
ter expletur. Fides tanq̄ granulū est synapis, sed quod paruulum mane-
Matt.3.7 re nequaq̄, sed in arborem excrescere magnam debet. Omnis eñ arbor
Luce 2.6.
Matth.7. nō ferens fructum, excidetur, et in ignem mittetur, secundum Euangelij
Marc.11. dictum, & ardet. Hinc uirentem Christus maledicit ficum, quæ per an-
Luce 13. nos aliquot quidem uiruerat, at non ferens fructum, domini excepit ma
ledictionem, ut exaresceret cōtinuo. Quibus edocemur absq; operibus
Matth.13. fidem dignam esse maledicto domini, atq; e regione semen tricesimum,
1.Cor.9.
2.Tim.2. sexagesimum aut cētesimum fructum faciens, laudem & benedictionem
Marc.8. referre. Agricola quoq; spe percipiēdi fructus laborans, laudatur, imo
Matth.7. ex fructibus hominem atq; arborem dinoscimus. Et non omnis qui di-
cturus est, Domine domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit
Lucæ 12. uoluntatem patris. Seruus sciens uoluntatem domini sui et non faciens,
plagis uapulabit multis. Ea Euangelij conditio est, quod qui audit
ipsum, & facit, comparabitur uiro sapienti, ædificanti domum suam
Luce 6. supra petram, cui nec flumina aut uenti ædificio nocere poterunt. Qui
Matth.7. uero tantummodo audiunt, & non faciunt, insipiētibus similes sunt, qui
Actuum 1. super harenam construunt, quando flumina, uenti, nocere et uniuersum
Ioan. 9.
Iacobi 1. quod ædificatum erat euertere facile poterunt. Accedit his, quod apud
Lucam Christus laudem habet, quod facere cœperit & docere, qui nem
pe non aliquando ociosus fuerit, sed in ijs quę patris, sedulo sese exercita
uerit. Qui auditor est & non factor legis, comparabitur uiro sapienti,
consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo. Non utiq; auditores le-
Roman.2. gis, sed factores (scribit Paulus) coram domino iustificabuntur. Ea inq̄
Euangelij conditio est, quod primitiui illi rem non tantum fide, sed &
Iacob.1. operibus attigere, Proinde enim Symon & Andreas statim ut cientis
Matth.3. uocem Christi audierunt, reliquerunt cum nauim tum retia sua. Zebe-
dei filij duo, Iacobus & Ioannes, non modo cū naui retia, preterea & pa
trē liquerunt. Matthæus theolonarij abiecit munus. Sicque Philippus
& Iacobus

& Iacobus ſequenter, Vult item Chriſtus Euangelij ſui gratia, ſperni Matth. 19.
domos, fratres, ſorores, patrem & matrem, filios atq; agros, quod a ſe et Marc. 9.
ſocijs factũ euidẽter dicit Petrus: Ecce nos reliquimus omnia et ſequuti
ſumus te. Obtulit etiam Zachæus dimidium bonorũ ſuorum dari pau- Matth. 19.
perib. Dum Euangeliũ prędicari omni creaturę atq; in uniuerſum mun Luce 19.
dũ diſpergi debuit, uẽdiderũt quas habebãt poſſeſſiones et poſuerũt an- Matth. ult.
te Apoſtolorum pedes. Tam promptule oportet ſequantur in Euange Actuum 2.
lio opera, ut etiam Chriſtus quem uocauerat diſcipulum, non permittat Matth. 8.
primum ire, ſepelire patrem ſuũ. Qui itaq; perfectus eſſe uolet in Euan- Luce 9.
gelio, eũ oportet non pedepreſſim ſed uelocius, uendat quę habet, non Matth. 19.
modo credat, detq; pauperibus. Dare pauperibus, nõ eſt profecto cor- Luce 12.
de modo credere, ſed frangere (quod Eſaias ait) eſuriẽti panem, egenos Eſaie 58.
uagoſq; introducere domum. Sic in deſertis Dominus maximam refe-
cturus populorum frequentiam, acceptum panẽ fregit, atq; ita diſcipuli
appoſuere turbis. Vocaturus itẽ Dominus benedictas patris ſui ad dex- Marc. 6. 8.
trã ſuam ouiculas, benedictionũ ſuarũ cauſſas adſignabit, dicens: Eſuriui Matth. 25.
& dediſtis mihi mãducare, Sitiui et dediſtis mihi bibere, Hoſpes eram &
collegiſtis me. Nudus & cooperuiſtis me, Infirmus & uiſitaſtis me, In car
cere eram et ueniſtis ad me, Amẽ dico uobis quãdiu feciſtis uni de his fra
trib. meis minimis, mihi feciſtis. His utiq; uerbis manifeſtiſſime opera cõ-
mendantur, nec de una nudaue fide cõtentus erit Chriſtus erga paupes, Iacob. 2.
ſed opus expetit. Nam ut canonica ſua Iacobus dicit, Frater aut ſoror, ſi
nudi ſint, annonaq; egeant quotidiana aut cęteris premanẽ neceſſitatib.
et dixerit quis: Ite, calefaciamini, ſaturemini, et nihil dederitis eorum quę
neceſſaria ſunt eis, quid illis proderit? Probat id namq; natura, eſurien-
tem ſitientemue, aliena & ſola, adeo non ſaturari aut potari fide. Perin- Eſaie. 29.
de eſt enim, ſicut (ut Eſaias ſcribit) ſomniat eſuriens quaſi comedat, cum
autem fuerit expergefactus, uacua eſt anima eius. Et ſicut ſomniat ſitiẽs,
& bibit, cum autem fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius
uacua eſt. Extendamus oportet palmas in ſinus pauperum eiſq; aperire Prouerb. 31.
manus quemadmodum ad febricitantem Petri ſocrum Chriſtus, ad le- Matth. 8.
proſum illum & ad reliquos quoſdam manum extendit. At ut ſumma- Luce 5.
tim perſtringam omnia, ſola nudaq; fides, pauperum utiq; non ſeruabit
aut refrigerabit hoſpitalia. Samaritanum autem obliſo illi a latronibus Luce 10.
inter Hieruſalem et Hiericho, alligantem uulnera, inſtillantem cum oleo
uinum, imponentem animalculo ſuo, ſtabulo colligentem, curam eius
querula agentem ſolicitudine, & recedentẽ ſtabulario ſumptib. abunde
erogatis credentẽ, atq; ſe ſi quid ſuperogaret, dũ rediret, redditurũ polli
citantẽ, Dominus mirifice Iudex laudat, proximũq; illi adſerit. Maria itẽ Luce 7.
Magdalena ſi non adeo lotis pedibus eius, terſiſq; capillorum officio, Ioan. 12.
odorifero illo & precioſo perfudiſſet unguento Chriſtũ, nõ tantopere
profecto corã Simone laudata fuiſſet, neq; diſcipulis dictũ, quid moleſti Luc. 19. 9. 8.
eſtis huic mulieri? bonũ eñ opus opata eſt in me. Poſtremo claret Chri-
ſtũ hos q laborauerant laudaſſe, eos uero qui pecuniã repoſitã ſudariolo
non expo-

non exposuerunt ad mensam, aut lumen posuere sub modio, impune non remisisse, atque proinde persępe discipulos ad opera adhortatum, ut his uerbis, Facite, agite et similibus multa frequētia uteretur. Nec pauperculam uiduam, ęra minutula duo in templi ærarium dantem, illaudatam abire permisit, atq; eum qui patris sui uolūtatem faceret, fratrem, matrem, sororemq; compellat. Interrogatus alias quid faciundum ut uita intraretur æterna, respondit, Mandata nosti? Non adulteraberis, Non furtum facies, Honora patrem & matrem. Adolescentique dixit, Serua mandata. Sed aduersarij mei, imo uero Christi Euangelio quotidie uerbum dei adulterantes respondent dicentes: Scriptum, atq; domini nostri Iesu Christi benedicto ore prolatum, Si feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Ex his, inquiunt, consequitur, opera inutilia, uana esse, et nihil. Vide, quid cæcitas in Israël horribilesq; Ægyptiorū efficiāt tenebræ, Non dixit dn̄s. Nihil feceritis, Sed si feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis. Præcepta sunt, Diliges dn̄m deū tuū ex toto corde tuo, & proximū tuū sicut teipsum. Hoc fac & uiues. Non em̄ præcepta dei ad solummodo uirentem ficū, hoc est, solam nudamq; fidē, sed opera tendunt, exinde Mosi populus dixit: Quęcunq; præceperit nobis dn̄s, faciemus, atq; inde in uestimentis philateria deferebant, quo memores essent mandatorum dei, & opere implerent. Dicite, inquit, quia serui inutiles sumus, hoc est, ut recognoscamus, quia non sint condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Oculus enim non uidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę præparauit Deus ijs qui diligūt illum. Quantumuis igitur inutiles serui sumus, neq; sufficiētes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo sit, ex quo sunt atq; procedunt omnia, serui tamen eius sumus, atq; ipse dominus. Quod si alij nos dederimus domino, nempe carni, mundo, aut diabolo, ambobus ut seruiamus, fieri nequit. Nemo enim potest duobus dominis seruire, aut em̄ unū diliget, et alterum cōtemnet etc. Serui igitur si sumus Christi, ociandum nobis non est, sed laborare & operari nos decet, sicut & ipse (non est enim seruus maior domino suo) atq; in æstate colligere, quemadmodum formicæ, quæ parant in æstate cibum sibi, & congregant in messe, quod hyeme edant. Non eo modo ad oculum suffecerit seruisse, ut quis ad oculum seruus sit, quod Petrus atq; Paulus habent, sed prudentem, fidelē, sedulumq; domini seruum esse oportet, qui peruigilet, qui in tempore det triticum, qui fidelē reddere possit rationem, qui a dn̄o quinq; aut decem credita dum acceperit talenta, reuertēte domino tantundem superlucratus sit (quod nimirum fieri nequit, si in sinum manus repositas habeat) Tunc etenim cum primis eum dominus laudabit, cæteraq; longe credet maiora. Proin igitur ab aduersarijs inductū uerbum Euangelij plus neotericis istis Euangelistis, quam communis Ecclesiæ sensui aduersum est. Sed rursus instant, Scriptum est enim, inquiunt, in Euangelio; Sine me nihil potestis facere. Vide igitur quia bonum facere nequimus,

Matth. 3. Matth. 7. 23. Lucæ 6. 16. & 21. Matth. 13. Marc. 10. Matth. 19. Obiectio. 2. Cor. 2. 2. Cor. 4. Lucæ 17. Dilutio. Rom. 11. Exod. 10. Matth. 22. Lucæ 10. Exod. 34. Numer. 15. Roman. 8. Esaiæ 64. 1. Cor. 2. 2. Cor. 3. Rom. undec. Galat. 4. 2. Pet. 2. Roman. 6. Matth. 6. Matth. dec. Ioan. 13. Prouerb. 6. & 30. 1. Petr. 2. Ephes. 6. Colos. 3. Lucæ duod. Matth. 18. Lucæ 16. Matth. 26. Obiect. alia. Ioan. 15.

quimus,penitus nullum.His nugis atq; fucis,in ociosorum nescio quam Dilutio.
uulgo fictam nos abducere adnitũtur regionẽ. Vere equidem dicerent,
si absq; gratia Christi, nihil meritorie bonum nos posse adsererẽt.Olim
in Manich.Pelag.Lucif.eiusmodi error inuentus & damnatus est,nemi
nẽ absq; dei gratia opus quodcunq; bonum facere posse. Scimus equi- Ioan. 1.
dem quia sine ipso factũ est nihil, sed omia per ipsum facta esse, Ex ipso, Coloss. 1. Match.28.
in ipso,& per ipsum consistere omnia. Deus enim omnia in omnib. sin- Ioan.1.
gula dum sunt in ipso manent, potestatem habet in cœlo & terra. In Actuum 17.
ipso uiuimus,mouemur,& sumus.Gratia eius (qua plenissimus est ipse) Ephes.2.
oẽs nos saluari oportet,atq; adeo in ipso manere. Vitis uera ipse est, pa- Ioan.15. Iudic. 1.
ter agricola,nos misselli palmites.Qui dum gratiarũ influxũ cõtinet perin Genes.1.
atq; Axę nobis contingit, nimirũ quæ siccaneã nacta est terram,nec supe Exod. 15.
rius,neq; inferius riguam.Fons ipse unus est,uniuersam irrigans terram. Numer.34. Exod.15.
Apud ipsum sunt aquæ Helym, Per ipsum amaræ in Marath aquæ 1.Cor. 10.
perdulces factæ sunt.Hanc profecto petrã, quę Christus est Mose uirga Exod.17.
percutiente,egrediuntur aquę largissime salientes in uitam æternã.Fons Cant.4. Deut.8.
est signatus ille,fons uitæ,reliqui uero uniuersi putei, sine aqua.Nihilo- Psalm.77.
minus tñ in dei gratia quid possumus,atq; proinde toties psalterio deus Ioan.4.
adiutor noster,canitur.Qui igitur si(quod scriptura omis clamat)adiu- Psalm. 35.
tor noster est,operamur ergo & nos cũ illo,ut adeo nõ abs re, Paul.dei 2.Pet.2. Psalm. 9.17.
adiutores & cooperatores nos uocarit.Sic Apostoli Euangeliũ per or- 51.56.70.
bem uniuersum disseminãtes,adiutores fuere dei,quod Marci Euange- 80.
liũ indicat.Hinc Epaphroditũ Paulus coadiutorẽ & cõmilitonem dicit 1.Cor.3. Marc. 16.
q; laborauerit cũ eo. Sed alio de hijs libro,aduersus arbitrij libertatis de Psalm.2.
sertores dixero,quæ si tollatur,reliquũ erit,Deum nõ posse esse iustum,
ut corruat necessario in uniuersum dei iustitia aduersum utiq; totam scri
pturã.Iustus ẽm dñs,et iustitias dilexit.Iam deduxisse sat sit, nos operari Psalm.7.10
quippiã posse sed per ipsum, et cũ ipso , quapropter et dixit:Sine me ni- 114.118.144
hil potestis facere. Quid opus multis? Christus clamat,Qui bona fece- Sophon.3. Zacch. 9.
rũt,ibũt in uitã ęternã,qui uero mala, in resurrectionẽ iudicij.Clara atq; 2.Tim.4.
lympida uerba sunt hęc,quę inficiari aut reuellere nõ poterimus.Huius Apocal. 19.
gratia etiam Paulus scribit.Cuiq; dabitur secundum opera sua, His qui- Ioan.17. Ioan. 5.
dem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorẽ & incor Roman.2.
ruptionem,inquirentibus uitam æternam,His autem qui sunt ex cõten-
tione,ira & indignatio,tribulatio & angustia,in omnem animam homi Ioan.15.
nis operantis malum. Ob id quoq; discipulos suos elegit,& posuit eos,
ut irent,nõ ut ociosi essent,& fructum adferrent, atq; fructus corũ per-
maneret,atq; ita quando mundũ uniuersum obiuerunt,non modo cor-
de tenẽtes,uerum fiducialiter annunciantes et pręedicantes Euangelium,
operãtes bonum ad omnes, cõstituit illos dominus,ut sessuri sint super
sedes duodecim iudicaturi duodecim tribus Israel.Inde dixit eis, In pati- Matth.19. Lucæ 21.
entia uestra possidebitis animas uestras. Postremo amen amen dico uo- Matth. 19.
bis q; uos qui reliquistis omnia,et sequuti estis me,centuplum accipietis,
& uitam æternã possidebitis. Totum istud chariss.fratres Euangelium

t est,Non

Roman. 15 est,Non audeo enim aliquid loqui eorum,quę per me nō effecerit Chri
Rom. primo. stus.Neq; uero erubesco Euangelium,Testis mihi est ipse deus,quod unicę
Roman. 15 ueritatis gratia loquutus sum. Et quomodo quum id intelligā, uideam
Heb. 10 & audiam,non eloqui potuero? Horrendum est incidere in manus Dei
Esaie 56 uiuentis,quod eventurum mihi haud dubito,si tanq̄ canis mutus retice-
Esaie 2 rem,non ualens latrare.Scio,q̄ pulchri sunt pedes Euangelisantium pa-
Roma. 10 cem,prædicantium sacrum Euangelium.Videtur ne uobis,quod causas ha-
buerim & hucdum habeam,protegendi Euangelij,atq; aduersum hos,
in eo articulo,quo tota pene pendet Christiana religio,dum conuertan-
tur,quoad uixero pugnā agere? Gloriantur quidam eatenus in Paulino
Roman. 2 spiritu,tanq̄ Helię pallium cū Helizęo ipsi modo cōprehenderint,hacq;
4. Reg. 2 tempestate nostra uerus primū Paulinus prodeat intellectus.Lubens fe
ram,ob dei gratiam.Quoad uixi odiui neminē.Supplex uero oro,ut er
Roman. 2 rores hos ex ipso uero Pauli intellectu defendere enitantur. Requiescūt
in lege,& gloriantur in deo.Instructi sunt per legem dei,nouerūt uolun
tatē atq; cōsilia.Confidūt se esse duces cęcorū,lumen eorum qui in tene-
bris sunt,eruditores insipientiū, magistros infantiū,atq; dicunt,iustū ex
Abac. 2 fide uiuere.Idē & ipse dico.Quod prophetia Habacuc,& phrasis habet
Roman. 2 Paulina. Veruntā & uerū, id est, quia gloriā,honorē & pacem exoptet
Roman. 10 omni operāti bonum.Non enim, inquit, auditores legis iusti sunt apud
deum,sed factores legis iustificabuntur.Hortatur hinc, ut in nouitate ui
Roman. 12 tæ ambulemus, Vt exhibeamus membra nostra seruire deo,Non ambu-
lemus secundum carnē,sed secundum spiritum,qui enim secundum car-
nem ambulant,quæ carnis sunt sapiunt,Qui uero secundum spiritū,sen-
tiunt quæ sunt spiritus,quia in dei dilectione et operibus bonis exercita-
re nos oporteat.Obsecrat item,per deum & dei misericordiam,ut exhi-
beamus corpora nostra,hostiam uiuentem,sanctam,Deo placentē,odi-
entes,inquit,malum, adhęrētes bono.Charitatem fraternitatis inuicem
diligentes,in tribulatione patientes,orationi instantes, necessitatibus san
ctorum communicantes,hospitalitatem sectantes.Benedicite persequen
tibus uos,benedicite, & nolite maledicere, Nulli malum pro malo red-
Rom. 13. 14. dentes.Si fieri potest quantum ex uobis est, cum omnibus pacem haben
15. 16. &c. tes.Si esurierit inimicus tuus,ciba illum: Si sitit, potum da illi. Noli,in-
Matth. 11 quit,uinci a malo, sed unice in bono malū. Inde legem dilectionis pro-
1. Cor. 3 ximi q̄ lepidissime sarcit,de qua ex una ad Romanos Epistola scribenda
plura,sed breuitati studens,mitto nunc.Corinthijs quoq; scribens,non-
ne ait, Vnusquisq; propriam mercedem accipiet, secundum suum labo-
rem? Id est, quod dixit dominus, Venite ad me omnes, qui laboratis,&
ego reficiam uos.Coadiutores præterea & cooperatores nos uocat dei,
imo et architectos,quod unus sup fundamentū hoc construat,aurū argentū
& lapides preciosos,reliqui uero lignum,fœnū,stipulā, Vniuscuiusq; ue
1. Cor. 7. 9 ro q̄le sit opus,ignis pbabit.Sine causa utiq; non dixit,circūcisionē nihil
esse,pręputiū nihil esse,sed obseruantiā mandatorum dei aliqd esse.Elegan
ter quoq; ipsos docet Cor.quō currere uehemētius debeant, coeleste ut

comprehen

cōprehēdant brauiū, ęternam quo nanciſcantur coronā, De qua ad Timoth. dicit: Nemo coronabit̄ niſi qui legitime certauerit, unde & dixit: 2.Tim.2.
Bonū certamē certaui, curſum cōſummaui, fidē ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quā reddet mihi dn̄s in illa die iuſtus iudex, 2.Tim.4.
Non ſolum aūt mihi, ſed & his qui diligūt aduentū eius. Hac de cauſa & corpus ſuum caſtigat, et in ſeruitutē indies redigit. Poſteaq̄ uero de operibus admodum docuiſſet plura, cæterum de charitate ſermonem texit, dicēs: Si linguis hominū loquar & angelorum, charitatem aūt nō habuero, factus ſum uelut æs ſonans, aut cymbalum tynniens. Et ſi habuero omnem prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, Et ſi habuero omnē fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Videte obſecro et audite myſteria regni dei, abſcondita quæ ſunt a ſapientibus, reuelata uero paruulis. Gentiū doctor eſt qui dicit, ſi habuero oēm fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Omnē dicens fidem, nullam profecto excipit, Neq; enim regula dialecticorum ſola eſt hæc, ſed & Paulinis fundata literis, Quibus itaq; in propatulo eſt, fidem abſq; operibus eſſe poſſe. Vnde & tres diuerſæ ſunt uirtutes, atq; dei dona neq; una altera eſt uidelicet, Fides, Spes, Charitas, maior autem horum eſt charitas. Precioſa admodum eſt charitas, quæ multitudinem operit peccatorum, & Beati quorum ſic tecta ſunt peccata, Imo deus ipſe charitas eſt, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. De quo alio loco latius loquemur, in charitate uera nō efficta, quę uere ędificat, in qua etiā omnia noſtra fieri debent, qua inq̄ fides noſtra radicari debet. Rurſus ad doctiſſ. et nobiliſſ. redeo Paulū, Libere ad Corinth. dicit: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal omnipotentis domini noſtri Ieſu Chriſti, ut referat unuſquiſq; pro ut geſſit in corpore, ſiue bonum ſiue malum, atq; ideo ad mortificationem tam ſedulo hortatur corporis, Quapropter & carceres ſuos, uulnera, uincula, naufragia, itinera, maria, aquas, latrones, falſos fratres, eſuriem, ſitim atq; adnumerat reliqua. Et qui ſeminat parce, parcius & metet. Qui autem ſeminauerit in benedictione, in benedictionibus et abunde metet. Inde rogat, ut declinent a malo, & faciant bonum, adhæreant bono, æmulētur id, proſequantur & ſeruent. Et Iacobus, Scienti inquit bonum & non facienti, peccatum eſt illi. Vnuſquiſque onus ſuum portabit, docet ad Galat. & quod ſeminauerit homo, id quoq; metet. Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui aūt ſeminauerit in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam ęternam. Bonū itaq;, ait, facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Proinde fratres, dum tempus habemus, operemur bonum ad oēs, Hanc regulam proſequi debemus. Nam quicunq; hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos et miſericordia, & ſuper Iſraēl dei, Adde quod de arcanis & diuinis rebus Epheſijs dum ſcriberet, appoſite fidem ueram eſſe dicit, quæ in charitate fundata et radicata ſit, obſecrans, ut ambulemus in omni humilitate et manſuetudine & patientia, ſupportantes inuicem in

1.Cor.13. Matth.11. Luce10. Fictitium ergo eſt quod Lutherani ſomniant, de fide miracula faciente. Roma.11. 1.Cor.13. Prouerb.dec. 1.Pet.4. Pſalm.2. 1.Ioan.4. 2.Cor.6. 1.Cor.8. Epheſ.3. 2.Cor.5. 2.Cor.4. 2.Cor.9. Rom.13.12. Galat.4. 1.Theſſ.5. Iacob.4. Galat.6. 1.Cor.9. Galat.6. Iacob.1. Galat.6. Philip.3. Galat.6. Epheſ.3. Epheſ.4.

charitate. Vt renouemur in nouitate ſenſus noſtri in nouũ hominẽ, qui
Ephеſ.5 ſecũdum deum creatus eſt, in iuſtitia & ueritate. Tandem concludens, di
cit: Scientes, quia quodcunq; bonum fecerit homo, recipiet a domino,
Epheſ.6 ſiue ſeruus ſit, ſiue liber. Inſtruit item & parat in ſpiritualẽ militiam, con-
tra tenebrarum harum poteſtates, ut accincti ſtẽt lumbos in ueritate, in-
duti loricam iuſtitiæ, in omnibus ſumentes ſcutũ fidei. Gladio cingi uer-
Coloſ. primo, & ſecundo. bi dei, galeamq; ſalutis imponere docet, &c. Orabat inde pro Coloſſen
ſibus, ſine intermiſſione, ut fructificarent, in omni opere bono, mortifi-
carẽt membra ſua ſuper terram. Ante omnia hortabatur ut ſeruarẽt cha
ritatem, quæ uinculum ſit perfectionis. Vt orarent pro inuicem, atq; re-
liquis operam darent bonis operibus. Quemadmodum uero tam fideli
1. Theſſ.5 ter eos, qui Theſſalonicæ erant, monuerit, ut omnia probent, quod bo-
num eſt teneãt, atq; reliquos de operibus bonis adnumerare ſcripturas,
perlongum fuerit, quando uniuerſę de his accumulatius loquantur Pau
linæ Epiſtolæ, cum primis duæ illæ ad Timoth. Quem ſedulo ut bona
faciat opera, monet, et non modo ut credat, fidemq; annũciet, ſed exem-
plũ potius ſit fideliũ in uerbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, &c.
Hæc, inquit, faciens, beatos facies & te & eos qui te audiuit. Sectare, ait,
iuſtitiam, fidem, charitatẽ, patientiam, &c. Poſtremo ut laboret ſicut bo
nus miles Ieſu Chriſti, hortatur, atq; ſolicite curet, ſeipſum probabilem
exhibere deo, operariũ inconfuſibilẽ, nõ mercenarium. Hę profecto, re-
2. Timo.2 liquæq; Paulinæ ſcripturæ Moſi ſuſtentant manus atq; omnem prorſus
euertunt prauum intellectum, qui in detrimentum ſeu in uerſionẽ ſerpit
bonorum operum, uti hactenus per falſos prophetas, iſtos ſubdolos, &
Lucæ 13 operarios iniquitatis, centena multa milia ſtationarium planetarum effe
cti ſunt. Igitur precor fratres, ne reſpexeritis atq; uxor Loth, ne & uos
in ſalis conuertamini ſtatuam, ne poſt ollas carniũ, allia, cepe, & cucume
Geneſ.19 Num. undec. res in Egypto uociferemini. Ne araueritis in boue & aſino, aut induami
Deut. 22. ni laneis & lineis, An uerbũ ignoratis Chriſti, quia nemo mittens manũ
Lucæ 9. ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno dei? Declinate itaq; a ma
Pſalm.36 lo, ad faciendũ bonũ, id quod poſt Pſalmiſtã docet Petrus. Iam hyems
1. Pet.3 Cantic.2 tranſijt, imber abijt & receſſit, flores apparuerũt in terra noſtra, flos cam
Matth.24 pi & lilium conualliũ. Æſtas eſt, num ſpicas uidetis, quia iam albeſcunt
Marc.13 ad meſſem? Proin metendũ nobis eſt, Dies ecce adeſt, nox preceſſit atq;
Lucæ 21 Roman.13 abijt. Abijciamus ergo opa tenebrarũ et induamur arma lucis: ſic, ut in
Lucæ 11 die honeſte ambulemus. Puto igitur, forti armato caſtrũ ſuum euicimus
Cant.3 diripuimusq; arma, ſed & fortiſſimã turrim Dauid, hoc eſt, ſacrũ Euan-
Matth.2 gelium, noſtra habemus in ſorte, armatos q̃plures, ubi mille ſunt clypei,
Num.16 quos ignitis nequiſſimi telis obijcere poterimus, atq; dũ exaltauerimus
Chriſtum dominum in cruce, ignitorum nihil oberũt ſerpentũ anniſus,
3. Eſd.3 Hic etenĩ ueritatis maieſtas eſt & poteſtas, quã aduerſus ne portæ quidẽ
Ariſtotel. in Ethicis. inferi præualebunt. Forte eſt uinum, fortiores ſunt mulieres, ſuper o-
Pſalm. 113 mnia autem fortis eſt ueritas atque uincit, quæ ſtans rectaque perpetuo
Prouerb.12 manet, atque tetragonus tabula ubicunde iactatus. Quanquam nunc
uero calli-

uero callidiſſimo ſerpenti, uoragini animarum & occiſori ſeductoriq; gentium, caput obtriuerimus, ut adeo Nemroth robuſtus uenator (de quo in Hieremia) turrim hāc e manibus auferre poſſit nequaq̄, atq; eius in locum Babylonicam inſtruere aliam. Veruntamen pro cōcluſione finali, Petrum, cui Chriſti ouiculæ creditæ ſunt, audiamus, atq; quod illi neq; caro neq; ſanguis, ſed pater qui in cœlis eſt reuelauit, animaduertamus. Qui oculos habetis ad uidendum, uidete: qui ad audiēdum aures, audite. Poſteaq̄ Apoſtolorum uertex de fide, his qui in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, et Bithynia erāt, ſcripſerat, atq; edocuerat, quēadmodum caſtificare debeant animas ſuas, in obediētia charitatis, fraternitatis amore, deponere oēm dolum atq; detractiones, accedere ad Chriſtū lapidem uiuum, ſequēter ſermonē hoc pacto auſpicatur: Chariſſimi, Obſecro uos tanq̄ aduenas & peregrinos, abſtinete uos a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de uobis tanq̄ de malefactoribus, ex bonis operibus uos cōſiderantes glorificent deum in die uiſitationis. Sic eſt enim uoluntas dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Præterea docet ut in fide oēs ſint unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddētes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes: quia in hoc uocati eſtis, ut benedictionem hęreditate poſſideatis. Qui enim, inquit, uult uitam diligere, et dies uidere bonos, coërceat linguam ſuam a malo, et lingua eius ne loquatur dolum. Declinet aūt a malo & faciat bonum, inquirat pacē et ſequatur eam, quia oculi Domini ſuper iuſtos, et aures eius in preces eorū: uultus aūt dn̄i ſuper faciētes mala. Proinde et ulterius ſcribit: Eſtote, inquit, prudentes, et uigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in uobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Sed in concluſionem, auream animaduertitote cathenulam, non quā Homerus, aut Plato, ſed is præſtat, cui dominus dixit: Beatus es Simon Bar Iona. Quid igitur inſignis ille piſcator hominū de fide atq; cæteris Chriſtianorum donis & uirtutibus docet? Vos, inquit, fratres, omnem curam ſubinferentes, miniſtrate in fide ueſtra uirtutem, in uirtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hęc enim ſi uobiſcum adſint, & ſuperauerint, non uacuos, nec ſine fructu uos conſtituent, in domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc (inquit ille piſcator Petrus) cæcus eſt & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterum ſuorum delictorum. Quapropter fratres, magis ſatagite, ut per bona opera, certam ueſtram uocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Horum ſimilia adducere poſſem facile plura, non e nouo tantum, uerum inſtrumento etiam ex ueteri, quod & alijs libris uita comite

Marginal references: Gene. 3. 10. Hierem. 16 Cantic. 4. Ioan. ult. Matth. 16. 1. Petr. 1. 2. 1. Pet. 2. 1. Pet. 3. 1. Pet. 4. Prouerb. 10. Roman. 12. Hebr. 13. Philip. 2. Matth. 16. 2. Pet. 1.

2.Pet.2 facturus sum.Cum Petro igitur dicere potero, pseudoprophetas eos fuisse,qui uos a uera abduxere doctrina,qui negligētes,remissos, ociosos, dormitantesq; effecere,Hi sunt enim (quod Petrus ait) magistri mendaces,introducentes sectas perditionis,et qui emit eos sanguine multo preciosissimo deum negant, superinducentes sibi celerem perditionem, Et multi sequentes eorum luxurias, per quos uia ueritatis blasphemabitur. Videtis his quam clare Diuus ille Petrus ab istis solicitus praemonuerit prophetis.Ipsi enim sunt,qui clamant atq; inflatis concrepant buccis,quod eos miserit dominus, quibus certo ille dicturus est: Recedite a me omnes operarij iniquitatis. Non noui uos,etiamsi mille millesies e regione inclamitauerint:Domine in nomine tuo prophetauimus. Matth.7

1.Reg.2 Oseæ 5 Lucæ dec. Sufficiant hæc aduersus natos Hely,filios Belial, Sacerdotes Bethauen,contra prædones & latrones, inter Hiericho & Hierusalem insidiantes,qui peregrinantes dispoliant,atque bonorum operum in uniuersum memoriam tollunt. Qui speciem habent (ut ad Timotheum Paulus scribit) pietatis, uirtutem autem eius abnegant. Confitentur ore se nosse deum, factis autem sedulo negant. Quanquam uero ceu Israëlitæ glorientur, credita sibi eloquia dei, neque esse nationem sub coelo tam grandem, quæ habeat deum appropinquantem sibi, quemadmodum habent ipsi,utq; ipsorū est opinio,Non fecit taliter omni nationi, ut iudicia sua adeo manifestaret ei.At ego certius dixerim,Si Æthiops potest mutare pellem suam, aut pardus uarietates suas, & ipsi poterunt benefacere,cum nō modo didicerint malum, uerum eo iam adsoleuerint, quatriduanique cum Lazaro foeteant in monumento.Abrahæ si filij essent,opera profecto Abrahæ facerent.At nunc de fructibus eorum cognoscetis eos.Num de spinis uuas legunt,aut de tribulis ficus,cum Domino Christo,dilectissimi fratres, dicere potero. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Querelarum comminiscamini super Thiatyram,quod Iezabel,quæ se propheten dicit, inuertere atque seducere permittat seruos eius:datum est ei dum poeniteat tempus, quam operata non fuerit,proinde in luctum mittenda, filijq; eius interficiendi sunt morte.Graue est, iudicare alienum seruum,præsertim dum secundum carnē (id quod hoc nostro persæpe fit æuo)iudicantur, quando nesciamus tamen,domino suo an stet,uel ne.Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quāquam mihi pro minimo est,ut a quibusdam iudicer, aut ab humano die.Deus adeo uerus iudex est,quem nullum latet secretum, qui nouit occulta cordium, atq; singulorum cogitata hominum, scrutans corda & renes. Proinde suspiciosi aduersarij mei, non me lapident,nisi audito me prius accusato secundum ueritatem, atq; uicto. Recte iudicate filij hominum.

2.Tim.3 Tit.2. Roman.3 Ioan. 8 Deut. 4 Psalm.147 Hier. 13 Ioan.undec. Ioan.8 Matth.7 Lucæ 5 Ioan. 7 Apoc.2 Roman. 2 Ioan.8 Matth.7 Lucæ 6. 1.Cor. 2. 4. Psalm.7. 49 Prouerb.12 Esaiæ 33. Hebr.12.4 Psalm. 93 Lucæ 6.11. & 14. 2.Paral.6 Psalm.7. 57 Ioan.7

De Chri-

De Christiana libertate, & fraterna charitate. CAP. XV.

IAM ET ALIAS adferamus causas, Lutheranicum quur mihi Euangelium (si modo Euangelium, & non potius cacangelion dici debeat) placuisse non potuerit. Charissimi fratres atque amici, Doctrina mea & sermo meus, non est meus, sed patris qui in coelo est, atque uerecundarer loqui aliquid eorum, quae per me non efficit Christus, de uero Euangelio, in quo salus nostra consistit, quo uociferatur Christus. Poenitemini, et credite Euangelio, Legite precor, quemadmodum paruulus nobis nascendus erat, qui futurus erat princeps pacis, ut proinde eius gratissimo ortu habitaturus esset cum agno lupus, Pardus cum hędo accubiturus, uitulus & Leo commoraturi, Et minaturus eos puer paruulus ut simul pascerentur uitulus & aper. Legimus item apud prophetas, quia in diebus illis conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Caeterum, quod cum Esaia Micheas dicit, non leuabit gens contra gentem gladium, id quod et factum est. Aureo nempe sacratae natiuitatis Christi tempore, ob undiquaque diffusam pacem, exijt edictum a Caesare Augusto ut describeretur uniuersus orbis, Primus quoque in ea natiuitatis hora angelorum e coelo auditus cantus, unam pacem in coelo & terra modulatus est. Ipse quoque pax uera fuit, qui & discipulis suis pacem tribuit, beatos dixit pacificos, atque adeo filios dei uocitandos, prioribus quoque Euāgelij sui pręconibus multo cum serio commendauit pacem, ut quacunque intraturi essent domo, pacem illi imprecarentur id quod ipse dū a mortuis resurrexisset, ianuis obturatis ad eos introisset, obseruauit. Proinde Paulus, pari modo Petrus, epistolis suis, pacem frequentius exoptant, eamque multis locis docēt, adeoque tam sedulo ad pacem adhortantur. Regius quoque psaltes plurima effert laude, pedes Euangelisantium pacem, annunciantium bona. Nec uno loco idem Paulus docuit deū non esse dissensionis, sed pacis deum, quapropter & fratres & sorores instruit, ut cum omnibus pacem habeant. Eam profecto uenerandam suspiciendamque pacem & concordiam (quae uinculo utique charitatis constitit) hactenus patres nostri atque nos, ab annis pluricentenis, plus mille obseruauimus, atque proinde Germani, terraque nostra Germaniae, ob uerum fraternitatis amorē (quem nunquam inuicem, permaxime in fidei rebus, dereliquimus) nomen commeruit, ut de patribus nostris dicere possim, quod de fidelibus in Hierusalem dictum, quod uiuebant omnes unanimes, & erat illis anima una & cor unum in domino. Ob id quod Lucas scribit: gratia magna erat in omnibus illis, & quod Salustius dicit: Idem uelle idemque nolle, perseuerantem amicitiam fecit. Alter alterius, iuxta Christi exemplum, pedes lauit, alter alterius onera portabant, aliorum infirmitates, debilitates omnemque imperfectionem cum omni patientia (quod Paulus docet) & compatientia sufferebant. Si infirmi quidam in fide fuissent, hos reliqui consolatione multa suscipiebāt. Quod si fortasse dissensiones obortae fuissent & errores, paschalibus tamen solennijs reconciliabantur,

Ioan. 19 | Roma. 15 | Marci 1 | Esa. 9 | Esaie 11 | Esaie 2 | Mich. 9 | Luce 2 | Ephe. 2 | Ioan. 19 | Matth. 5 | Matth. 10 | Luc. 10. 19 | Ioan. 20. | Roma. 1. | 1. Pet. 1 | Galat. 5. | 2. Pet. 1 | 1. Timo. 9 | Roma. 19 | 2. Timot. 3 | 2. Theff. 9 | 1. Cor. 19 | 2. Cor. 13 | Hebr. 12 | 1. Cor. 19 | 1. Timot. 5 | Roma. 12 | Hebr. 12 | Acto. 9 | Salu. in Catil. | Ioan. 19 | Galat. 6 | Roma. 15. 19 | 1. Cor. 6

atq; ut id fieret multis modis cæteri laborabant, iniurias deposuere,do-
Matth. 11. nabant inuicē peccata,atq; ita quoq; deus eis remisit. Qui ad altare mu-
Matth. 5. nus suum deferre uolebat,atq; ibi recordatus, quia frater eius aduersus
eum quid haberet,conuersus fratri reconciliatus est,tumq; ueniens offe-
rebat munus suum.Inuicem peccata atq; crimina tegebant, neq; Cham
Gene. 9. quenquam,qui uerenda patris non cooperuisset, patres nostri sustinue-
Ennius. Virgil. runt.Vniuersi Sem & Iaphet benedicti & electi fuere filij. O aureum
3.Reg. 10. sæculum,de quo Sibylla canit, & Saturnia regna, dum Austri Regina
uerum ipsum audiuit Salomonem, Lutheri uero simulatq; irrepsit do-
gma impium,mox ferrea tempora, toto cœlo tempestates horrendæ.
Proxime tum uindicē iratāq; dei persensimus manū,febre,frigore,æstu,
qui & cœlum nobis æneum,terrāq; fecit ferream,quod in Deuterono-
mio habetur. Hic superbiæ uenti oborti sunt, istic minarum audiuimus
Esa.48. fulgura,pluribus inde locis grandines,Iouis sagittæ decidere. Dixerunt
Psal. 13. tamen ipsi,Pax,Pax,& non erat pax, quoniam uiam pacis (de eis dicit
Dauid) non cognouerunt.

De argutijs atq; pharisaismo Lutheri. CAP. XVI.

1.q.1 c. principatus. VI FIET VT bonus sequatur finis, quando exordia fuerint pessima?Ecce enim ante annos ferme sex scripsit Lutherus,cau sam ex inuidia cœptam, atq; ea inuidia terminādam. Hæc, Hęc
Luc.16. inquam,Luthere,o serue nequam, uerba tua sunt, quibus ore ipse tuo
iudicaberis. Quæ simulatq; abs me uisa sunt,mecum tacitus (non quasi
Roma. 6. ex me,sed ex Paulo) dixi: Finis illorum mors est. Finis,inquam, eorum
secundum opera eorum. Visitans quoq; me ipsum,imo speciem meam,
comperi,quoniam non omni spiritui credendum sit, sed hos penitiori
2.Cor. 11. contuitu probandos esse. Atq; quod facile, pseudo surgere prophetas,
Iob. 5. 1.Ioan. 4. pseudo Apostolos sese in ueros transfigurare Apostolos Christi,quan-
2.Cor. 11. doquidem & sathanas transfiguret se in angelum lucis, id quod uere
Philip. 1. nunc factum est. At ego meliora deligere uolui, quemadmodum & o-
2.Thess. 5. mnia probare,& quod bonum est,tenere possum, neque id quouis me
Obiectio. pœnituerit momento. Vos uero in oculis uestris sapientes, e diuerso
inclamatis: Vt quid igit Lutherus unus in Israël Rabbi, tot breuiuscule
Dilutio. aggregauit discipulos & auditores? Duæ sunt causæ, Quoniam ab uni-
uersis subindicatus est Augustiniani ordinis Monachus, qui religionis
cultor,regulæ suæ diligentior atq; uenerabilis,cantando,legendo, ora-
tionibus,ieiunijsq; obseruator esset. Itaq; quando honestatis uenulæ u-
niuersis adhuc insitæ erant, non in totum eius aspernabātur doctrinam.
Quæ enim uere Euangelica docuit,e sanctis dilectisq; patribus, præser-
tim ex perdocto ERASMO Roterodamo suffuratus est, quāquam par-
uulos eorum,tanquam Herodes trucidauerit. Atque ita plures,non ob
doctrinam,sed uitæ institutum,ipsum imitati sunt,& audierunt.Sed ui-
de modo,quemadmodum homo hic perinde atq; Protheus in simiam
se uerterit. Vide hanc simiam sacrarum ædium (quas multis patres no-
stri erexere sumptibus)conscendere tecta,tegulisq; in parte maxima de-
iectis,

iectis effractam, nudam dissipatamq; nobis relinqui Ecclesiam. Animaduertitote hunc Ioannem e deserto prosiluisse, sacras eiecisse exuuias, mollibusq; in Regum aulis inuestitum, neq; uero modo suos fratres, uerum multos expulit Helias, blasphemosq; & uotifragos constituit. Nemo in Libia, Nitria, in desertis ad montem Libani heremitarum, nullus Anthonius, Malchus, Serapion, & similium, nullus item apud Heluetios frater Nicolaus tutus a Luthero fuit. Qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, errantes in montibus, speluncis & cauernis terræ, de quibus Paulus Hebræis scribit, hos contemptui habuit, atq; eos ut satanas dominum in deserto inuenit. Ipse precor introrsus redite, & pensate, ne hij sermones mei ueri sint, atq; ita factum sit. O insensati Galatæ, quis uos fascinauit? Stulti & tardi corde ad credendũ, mittite cum Thoma manum in uulnera domini, & quando uideritis, credite. Sinite ut faciat uobis dominus ex sputo et luto pastillum, collyrium aut aliud super oculos ponite & uidete. Mittat digitum dei, hoc est ueritatem, in auriculas uestras, & audite: Num hic adesse uidetis digitum dei, quo Mosaicæ deliniatæ sunt tabulæ? Soluatur precor uinculum linguæ uestræ, & loquimini ueritatem, tum enim quod dixerim, uerum uidebitis, quod & scribo, sedente enim Maria Magdalena ad pedes domini audiẽteq; multa cum auiditate uerba oris eius, uidete quid tum fecerit Lutherus. Fecit ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis, consuitq; puluiculos sub omni cubito manus, ne asperitate quauis iacens quis ringeretur. Vniuersi parietes (quod Ezechiel habet) absq; temperatura liniti sunt, caput suum peculiari quodam unxit oleo, quod ex Egypto ipse aduexit, molliti sunt enim sermones eius super oleum, & in doctrina eius uniuersi quemadmodum fatuæ uirgines dormierunt, & in utramuis aurẽ & nasum sterterunt. Tunc apud Esaiam cum populo ad prophetam illum clamauimus, Dicito nobis placentia, id quod et solicitus fecit. Viditq; ut Ioseph fratribus somnium grauissimum, deduxitq; nos in terram Chanaan. Profecto cuiq; monacho, sacerdoti, uiro atq; mulierculæ, carnale quicquam proposuit, cuius in desertum coturnicem misit. Huic quidem non esse ieiunandum, alteri, non orandum, tertio, iuramenta non seruanda, quarto, monasticum uotum neminem ligare, quinto, confessionem non esse necessariam, sexto, quod expoliare debeat quemadmodum Antiochus templa, septimo, quod cum uxore, et concubinam habere possit, atq; e regione mulier ex Terentio eunuchum quempiam, octauo, quod & ipse sacerdos sit, possitq; celebrare missam, nono, fundatas esse abrogandas missas. Cæteris inde purgatorium sepósuit. Deinde sancti Petri clauem, quæ clauæ Herculis speciem habet, monasteria quæ sex ingentis plus magis annis obserata fuere, aperuit, dissipauit, destruxit, quemadmodum in Lichtenbergi practica depictum est. Tum item subditos, quamuis cum temperalem tum spiritualem floccipendere docuit potestatem. Excommunicationem prorsus exibilauit. Placentarum tantam pinsuit lernam, totque e plumulis leues consuit puluicu-

Hieron. in uitas patrum. Hebr. 11. Galat. 3. Lucæ ult. Ioan. ult. Ioan. 9. Apoc. 3. Mar. 7. Exod. 8. Deut. 9. Matth. 7. Luc. 10. Ezech. 13. Psal. 140. Psal. 44. Iuuenal. Esaiæ 30. Num. 11. 1. Macha. 1.

1.Cor.1. puluiculos,dum quod cuiq; placitum esset, promptulus exhiberet. At-
Gene.3.4. que ita unus in alium,alteri copulatus est,& ad modum Corinthiorum
25.26.27. inflati,sese extulerunt inuicē. Rachel tum odisse cœpit sororculā Lyam,
Chain exosum habuit fratrē Abel, Ob lenticulam & patris benedictio-
nem inter Iacob & Esau,dissensiones, interq; pastores Gerare bella ob-
orta sunt,Nam secundum suammet prophetiam sic fieri oportuit, quo-
niam ex odio negocium cœptum sit,odioq; finiendum.

De Lutheri negocio,ex inuidia cœpto CAP. XVII.

NVM DILECTISSIMI in Christo fratres, ab hoc tam impio & inchristiano abhorrere debui sermone? Quis exordium atque pater est discordiarum? Nonne satanas? Hic quicquid auspica-
tus est unquam,perniciosum fuit,neq; bonum sortiri potuit terminum.
Gene.3. Erat,inquit,serpens callidior cunctis animantibus,qui odibat Adam et
Euam propter paradisum, inuidiaq; eius & odio, mors intrauit in uni-
Sap.2. Matth.27. uersum mundum. Pilatus iudicare metuebat dominum, quod sciuerit,
Prouer.23. quia per inuidiam tradidissent eum,Quur igitur ego aduersus Salomo-
1.Pet.2. nis consilium cum inuido homine ederem, quando & Petrus hortetur,
Matth.13. deponere omnem inuidiam,& odium? Quoniam igitur noui Euange-
lij huius caput & initium,ex deo nequaquam,sed a satana, odiorum &
dissensionum patre sit,qui & inter Euangelij triticum superseminat, te-
1.Timo.11. 2.Timot.5. ste Christo, zizania,quur ego hoc laqueo ruiturus sum? Imitari ne de-
1.Pet.5. beo eum,qui atrocissimus Leo,circuit,quæritans die atq; noctu quem
Acto.23. perdat,occidat,deuoret? Quid commeruissem? Num digne a deo per-
Ephes.4. cussus fuissem,dealbatusq; paries increpitatus? Huic ergo doctori (iux-
Ezech.9. ta Pauli præceptum) locum dare nolui, sed frontem Thau signo obsig-
Exod.12. nivi,atq; liminaria sanguine liniui. Christus iuxta Euangeliū nostrum,
Hiere.31. ex nimia charitate,homo factus est,unde & per Hieremiam nobis lo-
quitur: In charitate perpetua dilexi te. Pater cœlestis, pater qui miseri-
2.Cor.1. 1.Ioan.4. cordiarum est,& deus totius consolationis, filium suum in consolatio-
nem,redemptionem atq; solutionē nobis ex multa misit charitate,quam
Ephes.6. longissime abest ut ex odio. In charitate perpetua,dei unigenitus,sangui-
Coloss.1. nem suum multo preciosiss. pro nobis fudit,quo redempti, reconciliati
Hebr.9. Apoca.1. pacemq; nacti sumus. In sanguine suo,inquam, non uitulorum aut hir-
corū,purificauit nos,conspersit,atq; omnibus emundauit peccatis. Hæc
omnia ex charitate facta sunt, quam ad humanum perpetuo genus fert.
Roma.5. Proinde Paulus scribit, pro iniustis, iustus mortuus est, ut plantaret &
Ioan.10. ordinaret in nobis charitatem,pastor ipse bonus est, qui charitate agen-
Matth.26. Mar.13. te,inter lupos pro ouibus animam posuit. Verus enim ipse pastor est
Luc.15. ouium,non mercenarius,qui uenientem dum uideat lupum fugiat. No-
Matt.9. naginta nouem charitate pellente in deserto dimissis ouibus,unam quę-
Mar.6. siuit errantem,inuentamq; multa cum mititate humeros impositam do-
Luc.15.19. mum gratulatus detulit,uenit enim ad popellum errabundum, sicut o-
Ioan.3. Matth.7. ues sine pastore. Venit quærere ouem quę perierat domus Israel, Man-
datum nouum dedit discipulis suis,ut diligant inuicem,sicut,inquit,ego
dilexi

dilexi uos. In charitatem legem uniuerſoſq; concluſit & ordinauit pro- Ioan. 7.
phetas. Quàm obnixe uero patrem pro diſcipulorum interpellat dile- Gen. 3
ctione? Sic deus dilexit mundum, imo nos qui ad imaginem & ſimilitu Ioan. 1
dinem eius facti ſumus, ut filium ſuum unigenitum daret pro nobis ad 1. Ioan. 4 Philip. 2
mortem crucis, Qui cum in forma dei eſſet, propter nimiam charitatem Ioan. 19
exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, factus obediens uſq; ad Matth. 15
mortem crucis, qua & expanſis in mundum uniuerſum ex charitate ma Exod. 23.
nibus, atq; cunctos ſicut pellicanus ex corde ſuo, quod lancea miles ape Matth. 27.
ruit, nos refecturus. Quanquam uero acetum cum felle mixtum ei obtu
lerint, maxima tamen charitate ad patrē uociferatur: Pater, inquit, igno-
ſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Itaq; principium, medium, atq; ter-
minus Euangelij charitas eſt, atq; adeo ſcriptura dicit: Finis præcepti 1. Timo. 1
eſt charitas. Sed quoniam Euangelica charitas, atq; Lutherana inuidia
pugnantia ſibi ſunt, quemadmodum nox & dies, malum & bonum, de 2. Cor. 6
us & diabolus, qui, chariſſimi, fieri potuit, ipſa ut ego conſonantia red-
derem? Dicite obſecro, Quæ conuentio Chriſti ad Belial? Quæ com-
municatio lucis ad tenebras? Aut quæ participatio iuſtitiæ cum iniqui-
tate? Quomodo picem, ſulphur, ſtramina & ignem ſimul fouere potui?
Num legiſtis, quia qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea? Quomodo Eccle. 13.
dæmonia, angelos & ſanctos, unum in forum conferre potui, imo duo-
bus dominis ſeruire? Chriſtus ignis eſt, quod templo in altari perpetuo Matth. 6 Luc. 16. 12.
ardere debet, igne cœli empyrei, ubi, iuxta Pauli ſentētiam, charitas nun Leuit. 6
quam excidet, nunquam extinguetur. At Lutherus igne Gomorroico, 1. Cor. 13.
ſulphure et pice, ciuitates, caſtella, pagos, regiones atq; homines abſum
pſit, eo, inquam, igne qui egreſſus, deuorauit extremam partem caſtro- Nume. 11.
rum Iſraëlitici popelli, quem quoq; Helias orando e cœlo deiecit. Sci- 4. Reg. 1. Luc. 9
ens itaq; ego Chriſtum eiuſmodi ne quidem diſcipulis ſuis admiſiſſe, in-
uiſdum abnui cacangelion, atque apud Euangelium perſtiti uerum, De
quo uere dicitur, deus charitas eſt, atq; cum Paulo in cœlum uociferor,
Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, an fames 1. Ioan. 4.
an nuditas, an periculum, an perſequutio, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Roma. 8.
Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occi-
ſionis. Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos.
Certus ſum enim, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neq; prin-
cipatus, neq; uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo,
neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſe-
parare a charitate DEI, quæ eſt in CHRISTO IESV domino Pſal. 44.
noſtro. Inuidia hæc nequaquam ſpirituales, ſed carnales neceſſario ge- Roma. 8.
nuit homines, utcunque de ſpiritu glorientur, ceu Moſi atque ſeniorum
adiutorum ſuorum ſpiritus in totū eos repleuerit. Paulus quādo ab his Nume. 22. 1. Cor. 3
qui ſunt Cloes, audiuit de Corin. quia contentiones eſſent inter eos, li-
bere dixit, qm̄ carnales eſſent, & ſpūs dei nō habitaret in eis. Quod natū
eſt de carne, caro eſt, Quod uero ex deo natū eſt, q̄ dei ſunt cū audit cum

Ioan. 8. loquitur libenter,non quidem in aspidis seuigneis linguis, sed quæ ex,
Psal. 139. & ad charitatem super Apostolis apparuerunt & requieuerunt.
Acto.2.

De seditioso Euangelio Lutheri CAP. XVIII.

VIDEAMVS nunc,quam pacifice,religiose atq; charitatiue Euangelion suum hactenus prædicauerint, quomodo Apostolorum pedes in monte dei steterint. Soluerunt tanquam Moses & Iosue calceamenta sua, quoniam dum loqueretur eis dominus in rubo multa charitate ardenti erat. Locus in quo stabant sanctus erat,ut soluerent calceamenta sua iussit,atq; ita, quemadmodum Esaias discalciati totoq; orbe Euangelium disseminauerunt. Quam pulchri, speciosi, gratiosiq; pedes fuere horum Euangelistarum pedes,ut cum Esaia Paulus clamat? At nostrorum Euangelistarum pedes sunt currentium, tanquam Dromedarij Madian et Effa, eorum,inquam,pedes ueloces (q̃d Salomon inquit)ad malum currũt,Dauid xiij.Psalmo loquitur, Viam pacis non cognouerunt,Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Terra,terra,terra,audi quidnam sit hoc. Veri Euangelistæ ex discordijs pacem fecerunt: falsi uero,sepulchra dealbata, pacem tota Germania maximam in perpetuas inuertere discordias, Dixerunt Pax Pax, & non erat pax. Quod ergo Amasæ Ioab fecit, ipsi quoq; fecerunt nobis. Salutauerunt tanquam fratres,dextra mentũ apprehenderunt, tanquam amicissimi deosculaturi nos, sed clanculo mox in latera percusserunt,ut intestina in terram diffluerent. Ex aqua(ut in Cana Christus)uinum efficere debuerant,at increpitat eos propheta,quod uinum eorum mixtum est aqua,imo ex diluuio illo, quod ob sedecim planetarũ aquatilium coniunctionem anno uicesimo secundo metuebamus futurum, ipsi proh dolor in sanguifluuium uerterũt, ut Nero nullus aut Domitianus tam ingentes efficere potuerit strages. Tum proculdubio pleno pulmone,& ut poëtæ inquiunt,ex plaustro in Aquilonem hic planetarius,quemadmodum NERO tredecim partibus incensa ROMA, ridet, Tunc Euangelistæ isti uelocius cucurrerunt, quo innocentum sanguis, qui dominum hactenus in simplicitate cordis, atque columbæ simplices & filij dei, quæsierunt, funderetur,ut tot iam pupillorum atq; orphanorum milia,nostra Germania habeat. In laqueo (inquit Dauid Psal.ix.) quem absconderunt,comprehensus est pes eorum. Num charissimi interrogare cum Paulo possem,& dicere: Quem fructũ habuistis tũc in illis,in quib. nunc merito erubescitis? Noxios puto non alios. Nã admodũ quoq; nobiscũ deo propitio multi sunt eorũ. Paucos itẽ, aut neminẽ de honestioribus atq; superiorib. hactenus detrahere mihi ob id persensi,q̃ Lutheranus non sim. At nunc sessum ire optat Paulus(lapsus sum, Lutherus uolebã dicere)acceptaq; aqua lauare manus suas,et dicere,innocentẽ se,a sanguine isto innoxio. Scribit aduersum rusticos Laci Constantiæ,& eorum articulos. Vide enim,uide,q̃ in principio eiusmodi caussam astris imponere adnitatur. Id Euangelicum est,eam astris tribuere seditionem? Heus amate Mars,in Mercurij tui locum,dum male adeo

[Margin notes: Esa.52. Rom. 10. Exod.3. Acto.7. Iosu. 5. Esa.20. Esa.52. Roma.10. Esa.59. Prouer.6. Hiere. 22. Matth.23. Hiere. 6. 2.Reg.20. 3.Reg. 2. Ioan. 2. Esa.1. Sap.1. Matth.10. Philip. 2. 1.Pet. 1. Roma. 6. Matth.27. Esa.59. Sed non est abbreuiata manus domini.]

adeo res acta est, succedas oportet. Animaduerte q̄ alijs lubens imputare uellet, quemadmodum sponsæ suæ Adam. Facit, quod apud Salomonem mulier mala, quæ tergens os suum, dicit: Non sum operata malū, Non se adfuisse dicit, anathematizat, maledicit, iurat, quemadmodum Petrus, se non nouisse hominem, Ad quod una ancilla hostiaria, muliercula misella eum inducit, dum circū focum sedet, ad ollam suā ab Aquilone, in quo mors est, quod prophetæ iiij. Reg. iiij. inclamabant. Hęc est generatio, quæ sibi munda esse uidetur, & tamen non est lota a sordibus suis. Animaduerte enim, quia dum choream hanc sanguinolentam, qua centena plus milia occisa sunt, instruxerat, Saltat ipse atq; chorū ducit in suis nuptijs, atq; Herodiadis filiæ Ioannis baptistæ caput offeratur oportet. Sed dilectissimi in Christo fratres, qui habet aures audiendi, audiat sanguisugam hanc, modo clamantem, affer, affer, demonstrabo, sitientem sanguinem ostendam canem, latentem anguem in herba in propatulum propellam, quanq̄ aurem unam in terram miserit, & tanquam draco respiciat, euomere uenenum, atq; Scorpionicam atq; alias semper protendat caudam. Surgite mortui, exurgite, tempus adest, tuba insonuit. Archangeli uox audita est, Surgite ad iudicium, sententiam iam dabimus.

Gen.3 Prouer.30 Marci 14 Hiere.1. Prouer.30 Marci 6 Apoca.13 Prouer.30 Vergilius. Psal. 57. Matth.24. 1.Cor.15.

De contumelijs, blasphemijsq; Lutheranorum in sacratiss. DEI genitricem Mariam CAP. XIX.

SANCTISSIMA ET IMMACVLATA tu mater dn̄i, ad quam unam non modo a deo missus est archangelus Gabriel in Nazareth ciuitatem Dauid, & pręclarum deferens aue, te plenam dixit gratia, tecum esse dominum, benedictam te inter omnes mulieres, fructum quoq; uentris tui (iuxta quoq; cognatæ tuæ Elizabeth uerbū, dum in montana ad eam conscendisses) nunciauit. Insuper secundum filij tui testimonium, beata ubera, quibus dominum & redemptorem nostrum lactasti. Beatus est uenter tuus immaculatus, quo dominū dominantium & regum regem portasti. Præterea quod & tempore uno atque horula eadem spiritus sanctus superuenit in te, & uirtus altissimi obumbrauit tibi. O beatissimam te, quæ credidisti, quoniam perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi, quod ex una te, sanctum modo et reliqui nihil progenitum est, filius dei, uerus Emanuel. Procede o mulier, quæ sole amicta es. Dic, dic, ex gladio illo doloris, quem iuxta iusti atque timorati Simeonis prophetiam sustinuisti. Quid dicunt aut docent de te Teutonici nostri Euangelistæ? Num post maxima hæc Christi filij tui atq; reliquorum præconia, te mulierculam esse dicunt, atque sunt lotrices cæteræ? Quod tamen Tertullianus ante mille quadringētos annos refutauit, uniuersaq; Ecclesia atq; hæresim euicit et damnauit pessimam. Dic nobis, sacratissima uirgo, quomodo te atque Heluidius & Iouinianus incusant, plures habuisse filios? Dic mihi, tua ne potius, an filij tui sit hæc iniuria, ut ei & couterinos tribuant fratres? Maritum, atq; plures habuisti filios? Quur igitur in cruce Christus Ioanni discipulo suo, et nō

Luc.1. Luc.11. Apoca.19 Luc.1. Matth.2 Apoca.2. Luc.2. Tertul. de uelandis uirgin. Vide Hiero. in Esa. super il. uerbo, Ecce uirgo cōcipi. quid sit alma.

u marito

Ioan. 19 marito tuo te credidit, aut filijs carnalibus? Quid his te commaculare ni
Ezech. 44 xuriunt, porta clausa, uersus Orientem sita, per quam perpetuo uir non intraturus erat, nisi dominus solus qui per te ingressus est? Qui sunt filij tui? Barbatum quur floccipendunt Hieronymum, qui lepide adeo & clarius disseruit, qui nam illi sunt fratres, in Euangelio, et propinqui? id-
Hebr. 7 que ex primo Mosi uolumine, atq; scripturis sacris alijs. Obliuisceris ne, quod te absq; patre & matre, ut Melchisedech constituere uoluerint, ut deinceps Annam tibi genitricem fuisse e suggesto nobis inclamare non liceat, quia Euãgelica id phrasis ignoret? Num recordaris, quod te post hac mediatricem nolint esse nostram, coram dilectissimo filio tuo, cui pa
Ioan. 5. Matth. ult. ter dedit omne iudicium, imo omnẽ quæ in cœlis & in terra est potesta- tem? Exanimis es, an uiua, quando quidẽ morte tuam Euangelium ne- scit? Vt eñ Lutherani uolunt, cuncta in Euangelio continẽtur, adeo ut ne quidem Athanasij symbolum, de trinitatis unitate, atq; cætera crede- re uelint, contra Apostoli Pauli ad Coloss. sententiam. In cœlis ne es, di- cito, precor. Superbissimus enim hic GOLIATH, sensu suo inflatus, do- cet, quod qui cum Christo pariter in ascensione sua cœlum non conscen derint, interea non introisse. Certum autem est, quoniam iuxta crucem
Ioan. 19. IOANNI discipulo, quem diligebat IESVS, commendata sis, atq; ille te acceperit in suam, ut est Actuum primo capite. Turbę quoq; centum ui ginti hominũ ineras, qui unanimes Hierosolymis promissum spiritum sanctum expectabant. Vbi igitur interea manes? Lutheranis an poëtis Sysiphi saxum ingentem in montem sursum deorsumq; deferre iuuas, aut Tantali haustas bibis aquas, aut Ixionis serpentinã inuertis rotulam? Vel cæterũ quid o speciosissima uirgo Maria fecisti? Appare precor no bis, queadmodum Samuelis spiritus Sauli, atq; edissere, angeli num in si
Luce. 16. num te Abrahæ detulerint, an secus, Pollicitationẽ suam ne seruarit do- minus tibi, dum dixit, Ioannis duodecimo capite, Volo pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Aut fortasse hæc Lutherana ei pręsta- bit doctrina, qua dicunt, Neminẽ ascẽdere in cœlũ, nisi qui descendit de
Ioan. 3. cœlo, eumq; esse filiũ hominis. Dic ulterius, nõne interea monte Æthna cum Cathaclypis, aut in sancti Bricci purgatorio moras trahis? Respõde præterea, quur Salue regina, Regina cœli, ipsum quoque Aue Maria abstulere tibi? Nec non ad te posthac ingredietur archangelus, atque
Luc. 1. dicet: Aue gratia plena? Aut te, atque Lutherus interpretatur, Aue gratiosa, salutabimus, tanquam cum uxore & filia Herodis Thra-
Mar. 6. so indulgens pro Baptistæ saltasses capite. Edic mulier uirtutis & gloria Hierusalem immaculata & in totum pulchra & formosa, tum res acta bene est, quando non modo in peccao te conceptam dicunt originali, uerumetiam sicut reliquas peccauisse? Tu ne es mulier illa
Ioan. 8. in adulterio comprehensa, aut ea de qua septem Dæmonia eiecit Chri-
Luc. 8. stus? Sacras ne ædes ante annos plus mille tuo nomini dicatas uisita- re audebo, sacratissimamque tuæ assumptionis (quòd eam Euan- gelij litera

gelij litera nesciat) solennitatem lætus deuotusq; uenerabor? Hanc ob caussam pro nobis non intercedes ad dominum, quod Lutherani te mediatricem nostri negant? Exurge, iudica causam tuã. Filius an tuus præcepti sui (dic mihi) obliuiscetur, quo dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam? Aut ego quoq; cum S. Elizabeth pariter admirari non potero, dicente: Vnde hoc mihi, quod ueniat mater domini mei ad me? Temere fors Ioannes egit, qui infans in utero, nõdum natus ob tui præsentiam in matris Elizabeth utero exultauit in gaudio? Aut tu ex spiritu sancto perperam loquuta es, Ex hoc beatã me dicent oẽs generationes? Exod.20. Deute.5 Matth.15. Marc.7 Ephe.9 Luc.1

De hæresi atq; maledicentia Lutheranorum in omnes Angelos & sanctos dei. CAP. XX.



VOS VERE ANGELI DEI, quoniam unus Christus mediator, adiutor, dux atq; protector noster est, quid custodia egemus uestra? Paruulorum posthac angeli non estis, quod Christus docuit, Angeli eorum semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Nec administratorij ultra estis spiritus. Mandatum a deo uobis datum, ut in omnibus uijs nostris custodiatis nos, finem habet. Nec Lazarum quemuis pauperculum deinceps in sinum deferetis Abrahæ, Nec quisquam uestrum dux præcedet Israëliticum exercitum. Raphaëlis modo non eget Tobias. Nemo e uobis cum Daniele & socijs suis intrabit posthac in fornacem succensam, neq; prouintiæ Michaëlem habent. Ioseph in somnis apparebit nullus. Deus, non angelus carcerẽ soluit atq; aperuit Petro. At Petre tu, quid cum hijs facies Euangelistis? Tun, aut ipsi a patre didicisti, quia ipse est Christus, filius dei uiui? Claues ne tuas ligandi atq; soluendi mulierculis quoq; trades, quibus ne quidem ut doceant permittit Paulus, adeo ut in Ecclesijs taceant pręcipiat, domiq; uiros suos interrogẽt? Quando uero uita functus es, nũ (quod Lutherani blaterant) iunior cum Iacobo sub Herode, atque mentiatur etiam Christus oportet, te consenecturũ prædicens? Cui agnos tuos credes, si uniuersi in Ecclesia pastores sunt qui erunt ouiculæ? Quo mortis genere passus es, quanquam Christus significarit qua morte clarificaturus esses deum? Vbi locorum defunctus es, siquidem Romam uidisti nunquam, neq; proinde illic sedem habuisti? quemadmodum recentiores Euãgelistę illi, ex Dianæ nup academia delapsi, iam multo tempore, aduersus te Simonem bar Iona docuerunt atque scripserunt. Sanctissime uero Paule, doctor gẽtium, uas electionis, Euangelistę hij Paulinos sese uocant, non quidem ab heremita illo, sed a te, tertium qui raptus es in cœlum, Verum, ne quidem heremitæ, aut tui ad Gamalielis pedes discipuli esse uolunt. Romam adueniens, per duos ibi annos demoratus, Euangelium regni dei adnunciasti, docens quæ sunt de domino Iesu Christo cum omni fidutia, sine prohibitione. Quo uero tum, post duos illos annos abisti, quoniam Euangelium aut Apostolorum acta ulterius de te loquuntur nihil? Angelus ne atq; Abacuc te in speluncam leonum Danielis asportauit, aut huc dũ tertio cœlo illapsus detineris? Qui Psal.70 Mat.7.18 Hebr.1 Luce16 Exod.4.14 Tob.3.5 Dan.3 Matth.1 Acto.5 Mar.16 1.Timo.2 1.Cor.14 Acto.12 Ioan.ult. Ioan.20 Ioan.ult. 1.Tim.2 Acto.9. 2.Cor.12 Acto.22 Actu. ult. Ioan.14 2.Cor.12 1.Cor.9 2.Tim.4 Apoca.2

tecum factum est? Vxorem habuisti, Coronam iustitiæ repositã reddit tibi dominus, aut adusq; cunctorum retinet resurrectionem, te interdiu
Acto.12 in specu latente Trophonij? Reliqui quoq; Apostoli uno te Iacobo fra-
1.Reg.28. tre Ioannis dempto, quorsum peruenistis? Num est aliqua hic Phito-
nissa, quę Samuelis nobis exuscitare posset spiritũ? Qua deuenistis? Cur
uitæ uestræ rationem, post mortem non descripsistis? Quur Euangelij
Ioan.20 non conscripti phrasi, quo Thomas ille Didymus digitos in loca clauo-
rum, & manuum in latus mittere possit? Dicite precor, quoniam, quid
Luc.16. feceritis pauxillo exempto tempore, nescitur, quorsum delati estis? Cur
ex mortuis quemuis (quod diues in sinum proclamat Abrahæ) mittere
differtis, ut credamus, atq; dicere possimus, quia in Hybernia insula ui-
uentium manetis? O Stephane, qui in Christo eam habuisti fiduciam, ut
Acto.6 diuina uirtute aduersus Cyrenenses, Libertinos, Alexandrinos, & cæte-
ros, imo uniuersos qui in Synagoga erant, disputares, ut sapientiæ atque
spiritui tuo nemo potuerit resistere, plenus em̃ eras spiritu sancto? quo-
modo tete Christus tanquam infidus fefellit, qui puerulo pomũ osten-
tat, moxq; retrahit? Quo enim tibi protomartyri ad dexteram patris a-
perto cœlo uideri se Christus dedit, quo dum obdormisti in domino
noluit intromittere? Sic etenim Lutherani atq; eorum docet archisyna-
gogus. Sunt enim ipsi hij, qui regnum cœlorũ ante homines claudunt,
adeo ut neminem sinant introire, & ne quidem ipsi (quod metuendum)
Matth.13 intraturi sint. Confessores o beati, plures quidem excussistis libros, sed
totum inaniter, ea ratione, quia lumen gratiæ non habuistis, neq; de the
sauro uestro noua atq; uetera protulistis. Spiritus sanctus quàm longe
Math.2. a uobis abfuit. Nostri uero Euangelistæ, thesaurum absconditum in
Luc.12. Euangelij agro, imo margaritas preciosiss. reperere, pro quibus cuncta
uendidere, In thesauris eorum aurum & thus & myrrha. Neq; enim the
Luthe. Orle- saurizauerunt sibi thesauros in terra (alioqui Lutherus aureũ nummũ
mundiæ, cum Orlemundiæ promptulus Carolstadio dare potuisset) sed thesaurizaue
Carolstadio. runt sibi in cœlo, ubi tinea nõ demolitur, neq; fures furantur. Tu Hiero
Matth.19 nyme, amarulentior fuisti, Hebræum non satis intellexisti, stilusq; tuus
in latinitate impolitior est. Diaconum illum, uelatæ uirginis Susannæ,
ad Christi in Bethleem cunabula constupratorem, reprehẽdisti temere.
De libero arbitrio aduersus Luciferianos ędẽdo libro, laborib. insum-
ptis rectius pepercisses. Quid quoq; certi unquam in commentarijs tuis
super prophetas (ut Lutherus ostẽdit) docuisti? Tibi uero o Aureli Au
gustine improperare habemus permulta. Grossum, & non adeo subti-
lem spiritum & stilum scribendi habes, ut Lutherus. Sed dum Augustę
cum appellationibus atq; protestationibus suis esset, libri tui multi sunt
& prægrandes, sed ad Lutherũ collati nihil. Vndecim librorũ sunt to-
mi, at Lutheri codex septẽ iuste obsignatus est signaculis, q̃ modo agnus
dei dignus est soluere. Cecili tu Cypriane martyr & pontifex Chartagi-
neñ. ante annos mille trecentos, plura equidẽ polito caractere eaq; e sa-
Libro episto- cro Euangelio, scripsisti, uerum de Sacramento Eucharistiæ, quod sacri-
larũ epist.6. ficium

ficium ſit, de clauibus Petri, alijſq; quàm plurimis fidei & ſcripturæ articulis aberraſti, quandoquidem ſpiritus ſanctus, ante Valeriani, quibus martyrio coronatus es, tempora, longe prius a terris ad cœlos conſcenderat. Reliqui quid facietis Eccleſiæ doctores? Origenes tu Adamanti cum tuis prodis allegorijs? Nulla eſt allegoria. Nam (quod Lutherus docet) de Sara & Agar, Syon & Syna in Epiſtolis Pauli, allegoria non eſt, ſed unus modo ſenſus ſcripturę, nempe literalis. Chriſtus item petra illa ſpiritalis non eſt, de qua biberunt patres. Tui Ambroſi ſuper Lucam, non recordari licebit amplius? Librum de omnium gentium uocatione ſomniatus es, abſq; omni utilitate, tu Ioannes Chryſoſtome, os aureum, Anthiochiæ & Conſtantinopolis, in Matthæum Ioannẽ & Paulum ſcripſiſti? Quur ſex de dignitate ſacerdotali, & aduerſus uituperatores uitæ monaſticæ (ut ſunt Lutherani) libros ędere uoluiſti? Neſcis ubi apud Heluetios frater Nicolaus uiuat, e ſpecu utiq; ſuo ad quãpiam actus eſt prodire diſputationẽ. At tu Malche, Hylarion cęteriq; in heremo patres, quomodo diuum adeo dementaſtis Hieronymum, ut tanta de ueſtra ſcripſerit uita, quæ tamẽ modo Phariſaiſmus, atque Idololatria cum Moloch (ut Lutherus ſcribit) fuit? Bernarde, tu quoq; in Ciſtertio ſecurus non fuiſſes, ut nec ante annos mille in ſpelunca ſua Benedictus. Quur Gregori Benedicti uitam, temporibus Phocæ Imperatoris penes ſexingenteſimum annum deſcripſiſti? Quur in Eccleſiam cantum introducere uoluiſti? Audiſtin Lutheri nouam Miſſam, quod poẽtæ noua effingere debeant cantica, pro tuis podagricis decantanda neumatibus? Athanaſi in Alexandria Epiſcope, non ſic ab Arrianorum rabie in ſpelunca fugiſſes latitaturus, nos peiores illis ſumus multo. Atque tu Theophlie, Theophylacte, Hylari, Cyrille, Tertulliane, Hyrenæe Polycarpi diſcipule atq; reliqui omnes, quid eſt q̃d docuiſtis? Hic eſt Daniel, cui ſpiritus uerus uni datus eſt, qui Balthaſaris ſomnium interpretatus eſt, atq; reliqua Chaldæorum ſapiẽtia, in totum infantilis facta. In ſumma, amati Eccleſiæ doctores, quicquid docuiſtis unq̃, humana ſunt commenta. Quæ Euangeliſtæ loquuntur neoterici, ex tripode eſt, imo e ſummo (quemadmodum Gnothi ſeauton) delapſum cœlo. His auream Socratis oſtendere oportet menſam, Salomon ipſi ſunt, cum tot parabolis. Omnes uos qui ante eos ueniſtis, fures eſtis & latrones, periti am ipſi habent ſermonis, coram ſeipſis ſapientes ſunt, gloriantur in oculis ſuis, & merito, quoniam in ſapientia ipſorum, & ſapientiæ ipſorum non eſt finis. Cum Ezechiele uolumen in totum deuorauerunt, proinde cedite, honoratior multo quam uos, ad nuptias inuitatus eſt. Quur quoq; dilecti uos o martyres, paucos ueſtrũ Biblia habet? Nihil eſt q̃d de te Laurenti dictũ eſt, quõ theſauros Eccleſiæ in pauperes diſperſeris, atq; ſub Decio igne toſtus ſis. Nihil de reliquis eſt martyribus ab Ambroſio, Chryſoſtomo, Hieronymo, & cæteris memoriæ traditis, quia non ſunt in Biblia. Natalicia ueſtra celebranda non ſunt, Ita enim docent, qui maioris ſunt q̃ uos nominis. Martyres modo uos eſtis, ipſi uero Euan-

Gene. 4
1. Cor. 10.
Quatuor lib. de dignitate ſacer.
Aduerſus uituperat. uitæ monaſticæ.
Eccle. 12.
Prouer. 3.
Eſa. 3.
Hiere. 9.
Pſal. 146.
Ezech. 3.
Luc. 14.
Ambroſius in Epiſt. quadã.

ro Euangelistæ non simplices Apostoli aut prophetæ.

De impijssimo Lutheri aduersus uirginitatē dogmate. CAP. XXI.

Eccle. 14. ANDIDAE VOS VIRGINES cum rosis uestris ex Iericho, cur tot annorum centenario numero uirgines auditis atq; honoramini? Quanquam enim regnum mundi & omnem ornatum sæculi ob domini Iesu Christi amorem contempseritis, uirgines tamen neq; estis, neq; permanere potuistis. Nemo enim se castrare poterit, pro

Matth. 9. pter regnum cœlorū (uno Luthero dempto) usq; ad annos quadragin taquatuor. Atq; quemadmodum sine naturæ actu (grosse atq; Lutherice loquendo) homines esse nequeunt, ita multo minus uirgo eis rebus

Gene. 34. carere poterit. Sic Lutheri docuit Euangelium, ita fit oportet. Ad Sichi

Psal. 25 mitas Dyna eat oportet, neq; enim uirgo perseuerare poterit. Virgines

Matth. 25. in Psalmis Regi adductæ, Prudentes item in Euangelio ornatis optatis

1. Cor. 7 que lampadibus, Paulus quib. persuasit uirgines, ut ita permaneant. Hę item quæ agnum prosequūtur quocunq; ierit, tertiumdecimum simul

Apo. 13. atq; egressæ fuerint annum, uirgines manere non possunt, una Lutheri dempta sponsa, das edel blut. Proinde igitur per mille iam annos, quicunq; apud Theutones filiam suam duodenos annos egressam, atq; uirginem locauit, sponsum illum, secundum Lutheri dogma decepit. Rursus id qui posthac præsumet, deceptor erit. Nemo enī continere potest, uno excepto Luthero, qui id potest, qui & uxorem non duxit, Eunuchus ipse est pro toto mūdo, si dijs placet. Itaq; Barbara, Catharina, Do

3. Reg. 17 rothea, Agata, atq; reliquæ uirgines, quas mater Ecclesia hactenus uo

Luce 1. bis tribuit scholasticisq; imputatū est, aureolas, sertaq; deponite. Viduę

Danie. 3 item de Sarepta, Anna Phanuelis filia, Susanna cum presbyteris tuis, Elizabet sanctiss. Thuringię Lantgrauia, exuite uos uiduitatis uestibus, nemo enim tam diu continere potest, ut Phanuelis filia Anna. Lutherus id dixit, sat est. Ita enim nos cum Lutheri doctrina agere oportet, atq; discipulos Pithagoræ cum magistro suo. Quoties enim quicquam do

Psal. 31. 148. cuisset, dixerunt discipuli: Ipse dixit. Ipse dixit, & facta sunt.

De Lutheranorum in imagines impetu CAP. XXII.

Eccle. 7 IC DILECTISSIMI fratres audiuimus, quēadmodum Euangelistę recentiores, mortuos deuorarint, atq; eis prohibuerint gratiam, quo modo sanctorų suffoderint monimēta, reliquas subuerterint, despuerint et ridiculo habuerint Ecclesias, tumultauerint, in campis statiunculas, ne quis peregrinans passionis dn̄i cōmoneret, lapi

Gene. 28. dem Iacobi, saxū Iosue, uota in uniuersum omnia, cunctos lapides testi

Iosu. 24. monij cōminuerint. Quibusdā locis D. Marię uirginis imaginē ad igno

Gene. 31. minię palos statuerūt, crucifixi dn̄i statuis laqueos collo iniecerūt, atque q̄d ad Felicianorū attinet hæresim, intermisere in totū nihil, qui tn̄ ante annos septingētos tēporis Caroli in Oriente in Nicęa Bythinię, Franck

3. Reg. 6. fordię item in Germania, ut errantes atq; hęretici condemnati sunt. Nul

Matth. 22. lam Christi aut D. uirginis Mariæ imaginē, nullam super tabernaculum ex lignis oliuarū Cherubin, aut quāuis depictam non exturbauere imaginem.

ginem. At uero sigillorum suorum, & monetarum Cæsaris imagines, insignia sua, & quęq; Herculis, Martis, Priapi, nephandę et Veneris, Lutheri, Hutteni, & id genus idolorum, fuere statuę, antiquatas figuras & statiunculas, & cæteras picturas, manere permiserunt. Angeli item & sancti ubi in fornaces intrare nō potuerūt, permanserunt, alioqui eni no cumento fuissent & nouæ struendæ fornaces. Penates item manserunt, Sed in ea re magnificum quid fecerunt, ut in templa & imagines tumultuarentur. Christi tunica, claui, lancea, syndon, Veronicę facies, Helenæ Crux, aut æneus serpens, ab eis tuta non fuerunt. Horum omnium certam habetis notitiam. Quid igitur putatis, Aut cum his pariter Ecclesiarum atq; imaginum desertoribus imo cum insanienti tumultu, noctu absorptam Proserpinam discurrere debui, atque cum laruis & lemuribus pugnare?

Ioan. 19. 20
Matth. 15

De calumnijs et bellis Lutheranorum in mortuos. CAP. XXIII.

PRAETEREO iam Lutherum docuisse, permultis centenis annis, nullum nos probum habuisse Papam. Gentiles, ut Chylo Lacedęmonius, atq; cęteri uetuerūt, ne quis mortuis detraheret unq̄. At mortuorum hic deuorator, impunis hæc agere potuit uniuersa. Num putatis, quia sanguinem iustorum non uindicaturus sit Christus? Vnus iusti Abel de terra sanguis ad coelum uociferatur, et tot centena milia nō quoq; clamabūt aduersus iniurias has et contumelias? Nonne ad prophetam dixit deus, non spreuerunt te, sed me? Et Christus, qui uos spernit & contemnit, me contemnit et spernit? Albam cum Herode uestem domino induerunt atq; ita illuserunt remittentes Pilato. Prophetarum ossa sanctorum atq; partū, quorum corpora obuia domino uenient & immutabūtur, ipsi combusserunt (quemadmodum Idolis fecit Iosias, quod a Hier. viij. cap. prædictū erat) ac si uiri labes Galaath, sepelientes ossa Saul & filiorū suorum, male fecerint, Dauid quoque pro eo temere eis benedixerit. Non uero displicuit deo, q̄ filij Israël, Iacob patrē suum in terra Chanaan sepelierint, atq; deinde ossa Ioseph secum tulerint et sepelierint in Sychem, in agro, quē emerat prius Iacob, atq; Abiathar sacerdotē in Gabaoth, Samuelē in Ramacha. Nemo quoque eorū Saram in spelunca duplici sepelire cogitat. Mille si Christus in cruce pendeat annis suspensus, nemo eorum cum Ioseph ab Arimathia ad Pilatū intrans, rogabit donari corpus Iesu, multominus deponet de cruce, nouo sepeliet sepulchro aut obuoluet syndonē. Illic mulierculārū inuenitur nulla, quæ tribus pariter Marijs mane surgat, paret aromata, inungere Iesum. Asini modo sepulturā laudant. Proinde ruri quidā se sepeliri inter feras & beluas (quod nos non latet) fecerunt, quæ Gog atq; Magog sepultura est. At fratres chariss. aduersator horū nō esse debeo? An in uniuersum oēm humanitatis exuemus compatientiam, et ut Diogenes Cyn. efferabimur, arrepto manib. baculo, canū nos emortui exponere morsib. Iacob in Ægypto sepeliri noluit, ut prætereā interea Dauidē & reliquos quorū usq; ad Petri tp̄a perdurarūt monumenta. Petrus

Apoc. 19
Gene. 4
1. Reg. 8
Luce 10. 23
1. Timo. 4
Luce 23
1. Thess. 4
4. Reg. 23
1. Reg. ultim.
Genes. 50
Genes. 22
Actuum 7
Ioan. 19
Ioan. 20
Matth. 27
Hierem. 22
Ezech. 39
Genes. 47

Actuum.2 Lucæ16 Iustinus. enim Israëlitis loquens, ait: Dauid defunctus est & sepultus, & sepulchrum eius est apud uos usq; in hodiernum diē. At nos patiemur, ut hi qui fortasse cum diuite sepelientur, Mausæolum aperiant, thesauros exquirere? Quid uidetur? an id non bestialiter, imo tyrannice & gentiliter uixisse sit? Id plorare est super mortuos? Locis uero quibusdā quid actū sit, nolim modo, quanquam possim, sed alio tempore, deo fauente, ex sacris literis deducere. Iam concludo. Mortuis ne prohibeamus gratiam.
Eccles.7

De infamationibus, irrisionibus, contumelijsq; Lutheranorum. CAP. XXIIII.

Psal.5.13.9 Roman.3 Psalm.72.11 Matth.3. 12.& 23. Psalm.13 Matth.27 Ioan.19 Lucæ.21 VIDEAMVS nunc, quemadmodum se Euangelistæ isti erga uiuos tenuerint. Nunquid in portis sedebant psallentes, & irridentes perplures? Sepulchrum patens erat guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Quorū os maledictione plenum est, & lingua eorum gladius acutus. Posuerunt in coelum os suum & lingua eorum transiuit in terra. Vana loquuti sunt unusquisq; ad proximum suum, uenenum aspidum sub labijs eorum. Cedant irrisoribus istis, qui flagellis cæsum spinisq; coronatum dominum coram Pilato irriserunt, imo & qui in cruce pendenti exprobrarūt, tantopere enim oēm inuerterunt sermonem, peruerterunt totam honestatem & sciderunt obedientiam omnem, mouentes capita sua. Tot ne uidistis picturas, chartas, dialogos & cætera, quomodo Vlyssi, & socijs suis Cyrce, porcorū, canū, aprum, simiarum, & id genus bestiarum, effinxerit incātaueritq; capita? Nonne si ante triginta quis aut quadraginta annos cuiuis etiam priuato pauperculo eiusmodi foedasset aspergine, poenam luisset condignam aut aquis dimersus foret? At sacrum Euangelium, aurea hæc toga, has omnes nequitias cōtegeret oportuit, atq; ego in hęc ridere debui? Nec Ianus quidem a facie iurgiliorum horū tutus fuit. Hi Momi sunt, quibus ne Venus quidem speciosa satis est. Sic etenim perplures, ingenio pollentes, uita inculpatos, risere. Sed qui habitat in coelis irridebit eos, & dominus subsannabit illos. Libello quodam, Luthero iam dudum hanc Esaię adscripsi prophetiam: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum fatigatus desieris contemnere, tum contemneris. Sapientissime proinde Salomon consulit dicens: Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium cessabuntq; causæ & contumeliæ. Notate uerba. Num de Dauid. ij. Reg. libro legistis, quēadmodum ad Anon, filium Nahas seruos suos miserit: Anon uero tulerit seruos Dauid, atq; raserit dimidiam partem barbæ ipsorum, pręciderit item uestes eorum medias usq; ad nates, sicq; delusos remiserit unde uenerāt? Nonne Anonitæ isti indiscriminatim fere omnibus sic illusere, non modo ijs qui aduersi eis, uerum & ijs qui iamiam eis pariter non consuluerunt? Sic dictum est, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Vestrum quis amabit sic illudi, subsannari, despui, maledictis lacessiri? Exiguo precor fratres indulgete tempori, disquirere in historijs poetarum tempora, dum cum Tragici tum Satyrici quam maxime floruerūt, inuenietis profecto
Homerus. Psalm.2.36. & 53. Esaiæ 33 Prouerb.22. 2.Reg.10

ipsorum licuisse nulli tam fœdos dialogos, libros aut similia, nominatim aut præter nomina ędere, atq; multos exponere contemptui, quęadmodum hoc Lutherano fit Euangelio. Quis ab ursis istis & lupis, securus delituit? Nemo a facie horum se abscondere potuit, ne quidem Carthusianus, aut in cellula uirgo uelata, sacerdos in templo aut in desertis heremita, quin uniuersi contempti, despectui habiti, irrisi, contumelijs adfecti atq; maledictis conspersi sint? Quosdam coxerunt, alios fustibus cecidere, torruerunt prunis tertium, reliquum fugarūt. Nemo Luthero sufficiēs aut sat doctus fuit, Patres nostri fatui fuerūt & asini, imo pueri, Sapientia eorum atq; uitæ integritas sub scamnis detrusa sunt. Academia nulla doctos habuit uiros, una Vuittenberga dempta. Illic Ecclesiæ columnæ, quemadmodū Iacobus, Cæphas & Ioannes. Reliquæ enim (ma- *Galat. 2* nifeste scripserūt) uniuersitates, prostibula, Sodoma et Gomorra fuerūt, e quibus uniuersitates & doctores, synagogę quoq; ipsorum natę sunt. Papam Antichristum conuitiati sunt. Integerrimus quoque Adrianus Papa Germanus, fœlicis record. post mortem quoque opprobrijs oppletus est. Episcopi cuncti, nosque sacerdotes, idola essemus oportuit, nemine excepto. Nemo proinde sacerdos (quod Paulus Apostolus scri- *1. Timo. 5* bit) duplici honore dignus fuit. Vniuersi item a sæculari potestate, non coram Timotheo duobus aut tribus testibus (quod Paulus docet, atq; *Ibidem.* ut iam olim ab annis mille ducentis, sub Christianissimis Imperatoribus nempe Constantino, Theodosio, utroq; Valentiniano, cęterisq; obseruatum est) iudicari uoluerunt. Iustum ne id est, aduersus clarum Euangelium, multaq; libertatem assuetudine obtentam, totum deponere exturbareq; sacerdotium? Quamuis enim Iudas unus inter Apostolicum senatum, Ananias unus, Symon, aut alter in Ecclesiam irrepant, ob id ne *Ioan. 19* Apostoli cuncti fugandi sunt & lapidandi? An quia rotula una in fene- *Actuum 2* stra rotata destructa est, rotulas reliquas omnes, atq; totam fenestram *Actuum 8* cōminuamus? Non sic impij non sic. Quid ultra dixero? Ciuitate una, si *Psalm. 1* duo, tres, centum quoq; inueniantur adulteri, ob id matrimonium delebimus? Non sic impij non sic. Boni illi in monasterijs patres, qui cum in sæculo diuites essent, mundum & quæq; habuere ob Christum & eius doctrinam liquerunt, atq; contemplatiuę abstinentissimęq; dedere uitę. Iesu bone, quanta audire maledicta compulsi sunt? Quam draconici Euangelistę isti ignem spumarunt? Quomodo lapidarūt Hieremiam, uari- *Matth. 23* osq; serra fiderunt? Zachariæ filius ne quidem inter templum & altare tutus fuit. Reliqui inclamauerūt nihil aliud q̄ occide, interfice, interime. Christus Petro iubet, in faginam restringat gladium, at ipsi cupiūt eximi *Matth. 26* sicq; ea parte in Musica proh dolor uisum in fine est, cuius toni cantus iste fuerit, ut ad postremum requiem ęternam euaserit. Veritas ne id est? Principum pene nullus, repēte quinon templa inuerterit, ministros dn̄i occiderit, tutus ab eis fuit. Doctiss. iuxta ac integerrimus Angliæ Rex inuictissimus, pauculis Lutherum dum attigisset, plus centies ab eo mentiris audit, Insuper & fatuum, stultum, stolidum, Papistam Regem

Henrichum

Henrichum,truncum,cæterisq; deterrimis disnominibus eum adpellat,
Et ut ad supremum uitiliget, atq; suum impatientissimum prodat animum,Regio nixurit depellere solio,atq; non uerum esse Angliæ regem,
Matth.5 obstrigilat.Euangelio uero uetitum est,fratres nostros stultos aut fatu-
Luce.6 os uocandos,aut illis dicendum Racha.Hoccine est alterã præbere ma-
Matth.5 xillam,post ablatam tunicam & pallium dimittere, aliosq; mille passus ire?Iam tum non capio.Prætereo nũc Syluestrum,Catharinum,doctorem Eckium,doctissimum Emserum, eruditissimum atq; probum Cochlæum,quem cocleare alij, Lutherus misellam effingit Cochlæam.O misellam Cochlæam,Arma uirumq; cano,& cætera. Episcopum Roffensem,Iodocum Clichtoueum, reliquosq;, qui profecto uniuersi,non adeo maledicendi proscindendiq; callent artem,atq; Lutherus.

De contumeliosis Lutheri uerbis atq; mendacijs in Cæsaream Maiest. CAP. XXV.



AT NVNC o Austriæ partes,qui in nobilissimo integerrimoq; ferre potestis Austriæ filio,ut Cæsareæ Maiest. gratiosiss. domino nostro,suam ad imperium electionem improperet?Scribit (quanq̃ uerum non sit)Cæsarem,conductum sibi saluum Vuormatiæ non seruasse,sed infregisse,docuisse adeo cunctos Germaniæ principes, ut nullam teneant fidem.Num dictu sunt hæc ridicula? Quanta hinc nata est inobedientia, atq; Cæsa.Maiest.contemptus?neq; huc dum zizanias has euulsimus.Nuper præterea in Cæsareum edictum,glossam ędidit adeo ridiculam atq; contemptibilem,ut primum uerbum fuerit,Cæsarem ea piloso uidisse foramine,Reliqua usq; adeo turpia & inhonesta sunt,ut ne quidem dicere aut scribere audeã.Ante ferme mensem unum adhuc eo quem contra Laci Constantiæ rusticos libro scripsit, Cæsari proteruit.Cæterum in Cæsar.Maiest.contemptum atq; despectum scripsit & fecit uaria.Euangelium ne id est?Austriæ ego minister esse debeo, atq; his lenonicis oblectari scriptis?Propitius sit mihi dominus, ne id faciam.Emoriar potius.Nouit uero deus,pios de tentatione eripere.Nec
2.Pet.2. ullo pacto subdubito, quin si Australes cuncti, atque ego nouissent, quam hæreticus iste integer, Austriæ princ. nostrum obstrigilet,conte-
Actuum 19 mnat,ludat,detrahat,mox uniuersos lib. suos (quemadmodum Ephesiani magnæ Dianæ)igne absumpturos, atq; in fide Iesu Christi in inte-
Luce 20 gritate & honestate omni permansuros.Reddite quæ sunt Cæsaris Cæ-
Marc.17 sari,& quæ sunt dei deo. Vnde & Christus Cęsaris non contempsit nu-
Psalm.87 mismata,uerum per Petrum ex ore piscis coeptũ didragma exoluit. Ad-
Luce 2 de quod & sub Cæsaris obedientia nasci uoluit.Paulus quoq; Cęsarem
Ioan.6 appellat,docetq; soluendum illi uectigal,honorem et timorem exhiben-
Actuum 25 dum.Huic apostatę uni admissum est,illotis pedibus Christi-
Roman.13 anissimum Cęsarem nostrum floccipẽdere, atq; cum mendacijs ad inobedientiam pertrahere populum.

De iniurijs atq; nocumentis Lutheranorum in domum Austriæ. CAP. XXVI.

AMICI dilectiss. principium uerborum tuorum (ait Dauid) ueritas, ueruntamen diminutæ sunt ueritates a filijs hominum. Quemadmodum Sereniss. Princ. Gratiosiss. dominus noster puer increpitus sit (tāquam puer ille maledictus esset, de quo Esaias scribit) iam supersedeo. Nouit uero Christianitas tota, fidelem, prudentem atq; doctum esse principem nostrum. Væ terræ cuius rex puer est, & cuius Principes infantuli, At Sereniss. Princ. noster puer eiusmodi non est, sed ut Daniel, crescens indies in scientia atq; prudētia, Vere cor eius in manu domini, qui non abijt in consilium impiorū & in uita peccatorū non stat, nec in pestilentorum cōscendit cathedram. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditatur die ac nocte. Est tanq̄ lignū quod plantatum est secus decursus aquarū cuius foliū nō defluet. Huius dum cōtemptus displicet, accusari debeo aduersator Euangelij atq; prę peditor? Fidelis moriar domus Austriæ minister, & quomodo Paulus stigmata, ita ego album & Austrinū colores e corde nō mittam. Verum enimuero, dum Christianiss. hos duos principes qui a tritauis suis & maioribus tot Christianiss. Reges atq; Reginas, Imperatores atq; Imperatrices habuere, Luthe. contēptui habet, cumq; mēdacijs aspergit, doctrinā eius atq; hæreses probauero nunq̄. Christus autor mihi est, & si in mare queadmodum Ionas mittar, Ieuicule tñ, tū me tum nauim meā saluabo. Multæ tribulationes iustorū & de omnibus his liberabit eos dominus. Quid dicam ultra? Imo dicere cogor. Silere non potero, Prophetizauit Esaias, balbos quoq; plane loquuturos. Luth. hic, Austrię domui anno uno plus nocumentorum atq; contemptus intulit, q̄ principes atq; Reges uniuersi, cæteriq; orbis totius status, imo impediuit multo magis q̄ ab annis centum inimici omnes. Meo si atq; cæterorum qui meæ sunt fidei consilio obsequutum fuisset, o Australes, atq; cæteri domini, non eam uidere oportuisset seditionem, uosque per imperium subditi non tantum profudissetis sanguinem. Quam multis centenis milibus aureorum ditiores essetis, quibus aduersus fortasse Turcos, adusq; Constantinopolim pugnatū iri potuisset? Sed necdum finis. Metuendum Guelfos et Gebellinos tandem regnaturos, dum uerum Christi Euāgelium, Dei honorem, amorem & timorem acceptemus rursum, erigamus, atq; æmulemur. Hæc in uniuersum prout contigere sæpiuscule prædixi, præuenire adnisus sum, sicut & hucdum præter pacem opto nihil. Et tamen aduersarium me Euangelij audio? Patientia quoq; uirtus est.

Psalm. 116. 11
Esaie 65
Eccle. 10
Daniel. 1
Matth. 2
Prouerb. 21
Psalm. 1
Galat. 6
Heb 9.
Hiere. 1
Psalm. 33
Iob 6
Esaie 32.

De prægrandi, ex Lutheri dogmate consequuta sanguinis effusione. CAP. XXVII.

HII, CHARISS. FRATRES, NEQVAQVAM SVNT Euangelistæ sed Belialistæ, eiusmodi enim Belial instruit. Belial, Hebræum uocabulum est, dictum sine iugo, Ideoque qui sub iugo esse nolit, haud iniuria Belialista uocabitur. Rei igitur

exitum uidetis, quod doctores isti sub nullo esse uolunt iugo, sed liberi, carnis atque auicularum in coelo libertate. Ecclesiasticorum, aduersus manifestum Euangelium, iurisdictionem excussere, maximeque de seculari potestate tamdiu scripserunt, dum tam miserrima res accidit, ut in sanguine ad genua usque mersi deambularemus, atque nauigabiles fluuij nostri, nempe Rhenus, Danubius, & reliqui Christiano simpliciũ subditorum oppleti sanguine diffluerent. Ah deus, Ah deus, quot Rachel habemus, quæ manibus in capita complosis in coelum uociferantur, lugent, flent & lamẽtantur. Vindicta sanguinis seruorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo dñe, Nec est, quod Naum habet, finis cadauerũ. Conuertit (inquit Dauid) aquas eorũ in sanguinẽ. Effuderunt sanguinẽ eorũ sicut aquam, & non erat qui sepeliret. Quot precor indisciplinatos orphanos hic nobis Monachus effecit? Iam pluribus annis nullũ ædidit librum, quin perpetuo seditiones, occisiones, imo tonitrua, fulgura, coruscationes & id genus in eis fuerint. Sed dum tamdiu fulminarit, non secus euenire potuit, q̃ ut pluuia (ut in Ægypto olim) sequeretur sanguinea. Iacent nunc non modo primogenitorum, sed & reliquorum corpora, ut esca sint uolucribus coeli, & carnes eorũ bestijs terrę. Docuit proinde, atque aduersus cunctos uelitatus est Ecclesiasticos, pugnandum non esse contra Turcas, quod id aduersum sit Euãgelio atque diuinæ uoluntati, sicque suo dogmate, cunctos Hungaros, Croatos, Stirios, Corinthios, Sclauos reliquosque Christianitatis finitimos damnauit. At uero uulgus ut locustæ exurgerent, manusque in principum & prælatorũ sanguine lauarent, id iustum fuerit. Proximis mensibus, dum aduersus insonuit & scripsit Imperatorem, dicit: Deposuit potentes de sede, Atque concludit, O deus, alios da nobis dominos. Nemo Iulius, Sueuos nos exercitu occupauit. Extera nulla natio Feciales nobis adscripsit unquam. Turcus Asianos atque Africanos inuasit, in Germaniam nostram modo exercitum, iam ab annis centum pro pluribus ductare ausus non est. Vnus iste impius atque peruersissimus Monachus tanta nobis mala infert, in eam protrudit angustiam, ut metuam cędium nullum esse finem, Turcumque his nostris seditionibus, pacatorem aut segregatorem uẽturum. Dum Hieremiæ temporibus, Hierosolymis cuncti in malitia succrescerent, periuria cõmitterent, fidefragi essent (ut heu multis hodie fit locis) Prophetæ prophetarent mendacia & sacerdotes applauderent manibus, populusque deligeret talia, dicit dominus: Ecce ego adducam super uos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulchrum patens, Vniuersi fortes, Et comedet segetes tuas et panem tuum, deuorabit filios tuos et filias, comedet gregem tuum & armenta tua, et comedet uineam tuam, et ficum tuum. Conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciã, gladio. Faxit deus, ne nobis quoque, sicut eis qui in Orientẽ sunt, contingat. Qui etenim dum in fide discordarunt, Mahumeticamque irrepere permiserunt sectam, in diebus Noẽ

Hierem. 31 *Matth. 2* *Naum. 3* *Psalm. 77* *Exod. 7* *Psalm. 78* *In Assertionibus.* *Commẽtaria Cæsaris.* *Turci post hæc scripta superuenerũt bis in Austriam & Stiriam, nempe anno 1529 & 1532.* *Hierem. 5* *Et signate mysterium.* *Matth. 29.* *Luce 17* *Genes. 9*

bus Noē comedentes & bibentes atque sine ullo dei timore & amore uiuentes, uenit proinde diluuium uniuersosq; absumpsit. Custodiat nos ab hijs deus malis, atq; foederis sui signum nubibus ne detrahat.

De excusatione Lutheri iniqua, de rusticorum seditione.

CAP. XXVIII.

SED VIDETVR uobis, eam nō esse Euangelij sui culpam, quando bona ijs locis pace perfruantur, quibus doctrina sua recepta est. Heus dilecte Amon, Chayn clare, hæc alteri dixeris. Hijs enim locis quibus doctrina eius summo in honore, atq; primis in Synagoga residet cathedris, iam per dies perq; annos modica admodum pax est, usq; adeo, ut nec hospes ab hospite tutus, Nec socer a genero, fratrū quoq; gratia rara est. Ciuitas quę olim apud uerū pacificumq; Euangelium (quod ab uberibus inbibimus maternis atq; ab Apostolorum tempore ad nos usq; uenit) decem modo excubitoribus contenta erat, centum & hijs plures haberet oportuit, nec tn̄ diuites, primores, atq; potentes, aut corporis, uitę, aut bonorum suorum securi fuere. Nec hucdum finis est, neq; nouimus quoad perdurabit. Hæc manus domini est, quæ tetigit nos, hæc mutatio dexteræ excelsi. A deo salutari suo quā longius recesserunt, inde quoq; dominus recessit ab eis. Sed uere nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Locis illis, quibus nolentibus uolētibusq; Lutheri dogmata instillarunt, primitus seditionem excitarunt, liberti esse uoluerunt, et non modo potestati uectigalium aut reliquorum exoluere nihil, uerum cum ipsis tum cæteris sua quæq; auferre. Sed forte dicere nō ausim. Dicā, loqui enim me oportet atq; declamare ueritatem, nec cessare. Dominus mihi adiutor est, nō timebo quid faciat mihi homo. Hic auferre miserum modo potest corpus, anima domini est. Charitas Christi urget me. Multis in locis uulgo sermocinatum est, quemadmodum a lupis ouibus, aucis a uulpibus. Fidelis honestusq; populus, dum præ auditi dogmatis dulcedine obdormisset, atq; libertati sermocinatę inhærere, seq; in ea manu tenere uoluisset, uenerunt prædicantes illi atq; sic occiderunt & effugarunt, nō equidem omnes, sed admodum plures. Cæsareo si edicto, & sententiæ Vormatieñ et Noribergeñ, comitiorum paritum fuisset, tāto profecto seditionum odio, atq; sanguinis effusione supportati fuissemus. Proinde ut deinceps bona pace perfruamur, consulo ut hęc pensitentur diligentius, alioqui in Germania dum homines fuerint, bella atq; cædes cessabunt nunquam, imo, nisi poenitentiam egeritis & cōuertamini ad dominum, omnes simul peribitis. Dicit hęc inuincibilis ueritas, quę mentiri nequit. Perdilecta igitur Sunamitis Germania reuertere, reuertere. Reuertere ad me dicit dominus, & ego suscipiam te. Conuertamini o Theutones a uijs istis sanguinum, conuertamini & uiuetis. Reuertimini ad me, dicit dominus exercituum per Malachiam, et ego reuertar ad uos.

Esaie 1
Ouidius.
Matth. 13
Psalm. 76
Ioan. 21
Psalm. 9
Deut. 32
Psalm. 126
Genes. 10
Luce 10
Esaie 40
Psalm. 55
Luce 12
2. Cor. 5
Luce 13
Iob 14
Titi 1.
Cantic. 6
Hierem. 3
4. Reg. 17
Ezech. 18
Malach. 3

De impia Lutheri interpretatione de uerbo Christi, Non ueni mittere pacem, sed gladium. CAP. XXIX.

Matth. 10
Luce 10
SED AVDITE nunc, Lutherus quid dicat. Oportet, inquit, ita sit, ut inuicem propter Euangeliũ occidamus. Dixit em̃, Non ueni pacem mittere in terram, sed gladiũ. Veni enim separare hominẽ aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrẽ suã, & nurũ aduersus socrũ suam, & inimici hominis domestici eius. His itaq; consequitur, ut gladius, seu frigida illa machęra quæ in Carolstadiũ, aliqñ stricta erat, semp necessario occidit. Chare Luth. putas ne sic fieri oportere, ut nullus Cęsar, Rex, Princeps, Dñs aut Magistratus sit, qui non continuo
Matth. 2 queadmodum Leuitæ in Hierusalẽ, & in pueros Herodes, mactet? Perpetuo ne Ioseph cũ Maria et puerulo in Egypto exulabũt, et reuerti nequibũt Nazareth? Sed unde tot postremo accipiemus homines? Si etem̃
Matth. 3 Deucalion quisq̃ esset, q̃ saxorũ iactu repẽte suscitare posset filios Abrahę, tu q̃ diu uicturus esses? Quis te atq; Euãgeliũ tuũ, Vormatiã atq; rursus domũ tot cum armis deducturus est? Si eo loco Euangeliũ eũ quem tu das sensum habere debeat, sub Phalaride potius aut Dionysio tyranno uiuerẽ. Sed tyrãnisare te oportet, tuoq; Marte et Saturno dũ uixeris pugnabis. At si auditores te deficiẽt, ꝓfligatusq; fueris, sicut Dionysius
Psalm. 2 ille Pædotriben ages, ut modo imperare possis & magisterio perfungi, perpetuoq; in uirga ferrea uiuas, quemadmodũ in spiritu lenitatis Paul.
1. Cor. 2 Intermittere nõ poteris. Quur uerba hęc de gladio spũs nõ potius inter-
Ephes. 2 pretaris, qui uerbum dei est, quod Paulus noster Ephesijs atq; Hebręis
Esaie 11 scribit? Num in Esaia spiritualẽ habes occisionem? Quando de Christo Esaias dicit: Et percutiet terram uirga oris sui, et spiritu labiorũ suorũ interficiet impiũ. Sed tu generatio es, q̃ pro dẽtibus gladios habet, de qua
Prouerb. 30 Salomon: Fortiter absq; intercapedine ubera premis ad exprimendum
2. Cor. 3 butyrum, atq; uehementer emungis ut elicias sanguinem. Legistin? Litera occidit, spiritus aũt unice uiuificat? Quomodo Petrum Dominus atq; reliquos discipulos ne gladio ꝑcutiant uetauit? Malcho auriculã restitu-
Ioan. 18 ens ait: Omnis qui ꝑcusserit gladio, gladio peribit. Quomõ mitteret di-
Matth. 10 scipulos nõ modo sine gladio, sed et sine baculo? Doceretq; exhibere ꝑ-
Matth. 6 cutienti maxillam, nõ maledicere maledicẽtibus, diceretq; nobis, si quis
Luce 10. 9 & 12. te percusserit in unam maxillam, præbe illi alteram, & nihilominus ex
Tren. 3 animo uellet, ne unq̃ inter Christianos pax aut concordia, sed ignes, la-
Matth. 14 trocinia, homicidia, & similia, inter patrem & filium, matrem & filias, so-
Ioan. 19
1. Pet. 2 crũ & nurũ essent? Proin̄ in uaginã gladiũ remiseris. Da locum. Fundã
Matth. 5. 27 sua te Dauid petit. Vasculo huic aliud quæras operculum oportet.
1. Regum 8 Pallium hoc breue est, utrumq; (quod Propheta habet) operire nõ po-
Nume. 19 test. Sic dicere oportet dilecte frater, Christus quando uenit in mun-
Esaie. 28
Galat. 1 dum uniuersum, Mosaica atq; gentium legibus pressum reperit, qua-
1. Timo. 2 propter & duo selecti sunt, ut Petrus in circumcisione, Paulus uero
Esaie 2 inter gentes Euangelizaret. Dum itaq; mittere uoluit legem ex Syon, et uerbum de Hierusalẽ, non repẽte cõuertibiles pręsciuit homines, quod

& factum est, Quidam enim dixerunt, quia bonus & iustus est: alij aut Ioan.7
nõ, sed seducit turbas. Concilio itẽ quo Gamaliel interfuit, facta est inter
eos dissensio. Athenis item discordarũt. Sicut & in Corin. Paulo quoq; Actu.5.17
accidit, qui & ob id ex Damasco sporta per murũ demissus est. Sine bel- 2.Cor.11
lo inq̃ et dissensiõe anteq̃ Christiani essent, fieri nõ potuit, proinde per- Actuum 9
sępe incredulus pater perstitit, filio credente, quõ et Paulus de fidei uiro 1.Cor.7
et infideli uxore Corin. scribit. Non semper ẽm Dionysius cũ uxore Da Actuum 17
mari credit, sed inter hęc dissensiones animorũ et fidei esse potuerũt. Sed Matth.16
ob id Christus non præcipit, ut gladio suo Petrus intermedius feriat pu Actu.4
gnetq;, uerũ id ad summũ uetuit. Fideles itẽ in Hierusalem non discordi 1.&2.
arum gratia, sed unitatis laudantur, atq; inde sæpiuscule unanimiter scri-
pserunt. Quod si fortassis dissentiũculę aut in fide dubietates obortæ es-
sent, ad supiores itũ est et Conciliũ, queadmodum Paul. quoq; et Barna Actu.15
bas ad seniores in Hierusalẽ mitti uoluerũt, & quõ de circũcisione & cæ Actuum 10
teris seruare deberẽt, mandata et Epistolas acceperunt. Quanq̃ uero dis-
sensio nõ minima (ut Lucas loquit̃) fuerit inter Paulum & Barnabã, hęc
tñ non sanguinolẽto, sed uerbi dei gladio dissoluta est pacataq;. Is n. gla- Ephes.6
dius, sermo dei uiuus est et efficax, anceps, oĩum penetrãs mẽbrorum, Hebr.4
ptingens usq; ad animã. Scripsimus, inquiũt, uobis, quoniã ita placitum
est spiritui sancto et nobis. Christus itaq; inter eos, qui modo nomen su
um, quod Antiochiæ primo uocatum est, receperunt, perpetuam uult Actuum 15
habere pacem, & neutiquam gladium.

De gladio Luth. atq; infidelitate in socios suos & uulgũ. CAP. XXX.

TV VERO Luth. perfodere modo uis & percutere. Hercules es cũ claua sua, elatus Goliath, ante faciem cuius armigerumq; suorum, nemo ne Dauid securus erit, tam cum liciatorio tuo & 1.Reg.17 3.Reg.19 lorica ferox uenis. Veniet uero angelus domini, atq; Sennacheriticum Esaie 35 tumultum, Deo propitio, nocte una prosternet, atq; non corporaliter, sed spiritualiter centum octuagintaquinq; milia occidet, queadmodum tui quoq; prophetæ, de quibus tantopere tum gloriabaris, de te scribũt, q; breui finem rebus interpositurus sis. Ecce coniuratus tibi quẽ cohorti spũm appellas. Pilades tuus dum tu Orestes eras, uir tuus grisea tunica, Ouidius. cui libro tuo de sacramẽto corporis Christi de nudula tam sæpiuscule di cis sponsa, quã profecto propinationem haud capio. Carolstadius tuus, qui ob tui gratiã Lipsiam in disputationem cõmigrans, in pollice sangui nẽ dum imminuisset, memoriã perdidit. Is inq̃, gladium tuum moxq; fu turam iram ne effugere potuit, quanq̃ adusq; Argentinam & Thuregi- um migrarit, Sed libro tuo Saxonum, ut princeps, ultra frigidam eum dissilire faciat macherã, oportunum putas. Hęc uerba tua, Illubens utiq; Matth.5.17 itinere quopiam ambularẽ, repente enim me iudici traditurus esses, atq; hic tortori, nec emissurus prius q̃ redderẽ nouissimũ quadrantem. Facis quod ille apud poëtas, suos deuorans hospites, ut ne quidẽ filij eius tuti essent. Sed q̃d prope Tartariã natũ est, tales expetit escas. Ioseph precor e ueteri extrahe cisterna, adeo ut innocens in Ægypto uendatur, ne feras. Genes.37

Dan.6 Danielem de lacu libera leonum. Tres ne pueros tu fornaci igne absu-
& 14.3 mas,Pacem serua.Non atq; Alex.Bucephalus perpetuo sanguinem siti
Psalm.64 as.Nostin quia uiri sanguinum,non dimidiabunt dies suos? Manus ue-
Esaiæ 1 ro uestræ sanguine plenæ sunt.Libro sub tit.Clementis disce,q̃ pulchre
Clē.in perio= sed neutiq̃ ad tuam sententiam,Petrus aduersus Simonem magum,Euā
de Pet.utut gelicam hanc excusauerit sentētiam.Ad uos nunc, o Corinthij, patet os
pro Apocri= meum.Luth.quō hunc excitauerit tumultum audistis,sed nec dum exa-
pho habeatur turari uult.Iam nunc ante proximum mensem, dominis atq; rusticis ad Constantiæ lacū scribit,atq; iurat,omnes eos in totum esse diaboli.Hęc eius uerba sunt:Corpus perdidisse non adeo magnum,quandoquidem
Lucæ 12 Christus doceat,non extimendos eos,qui occidunt corpus,animam ue
Matth.16 ro quæ plus est quam esca damnare quam maximum et nimium est.Honore nos nostro apud cæteras priuauit nationes, ut passim de nobis dicatur, uniuersas apud Germanos renasci hæreses,nosq; cunctos exuperare hæreticos. Et equidem heu uerum est,diffiteri nequiuero,Ad concilium dum aliquando uētum fuerit,uniuersis coram Christianitatis nationibus,de tam sæpiss.damnatis hæresibus confundemur.Demonstrari enim potest ab his doctoribus uniuersas resuscitatas esse hæreses.Principatibus ciuitatibusq; egregia nos priuauit politia, sanctos profligauit, subuertit religiōes,tēpla rupit,inuertit sacraria,suffodit altaria,baptisteria cōminuit,turrim Dauid demolitus est, & quicq̃d,summatim,patres nostri ante plus mille ducentos annos multa cum pietate extruxerunt,
Lucæ 19.21 ipse destruxit,nullumq; lapidē, quod iuxta Christi prophetiam per Ti-
Matth.21 tum & Vespasianum Hierosolymis factum,super lapidem misit. Bapti-
Marc.12 steria altaria & sacerdotia inuertit,& nō mō seruos,sed filiū & patrem et auum occidit, Mulierculæ nostræ in portis Hierusalē querulę plorāt ut
Lucæ 23 generemus eis.Filię Germanorū diuites,dicere coguntur:Beatæ steriles, & uentres quę non genuerūt, & ubera quæ non lactauerunt,Montib.
Matth.2 dixerunt,cadite super nos,& collib.operite nos, Eum in Rama ululatū fecit.Iam nūc uenit,atq; senes cū iuniorib.uirgines & pecora cāpi, Herū cū famulo,Diabolo,in libro illo suo ad Rusticos laci Constātię, tribuit. Quousq; eas feremus delusiones? Episcoporū si quis aut sacerdotū qua-
Esaiæ 1 uis abusione,sed huic neutiq̃ cōferenda,deliquisset,aut crimē aliq̃d admisisset,uerecundatus tñ est.At horū manus hominū sanguine plenę sunt, perfricuerūt frontem, atq; caluastri facti sunt,ex Matth. dñi Apostolus
Matth.9 euadere nō potuit,de Magdalena pœnitens in Marsilia,e latrone in cru-
Lucæ 7 ce,hospes & incola paradisi, et ex Zachæo,festinatius sicomorū descen-
Matth.27 dēte,dñi hospes effici nō potuit.Dum itaq; discretionis aut cōpatientiæ
Lucæ 19 inter eos nihil,sed ꝑpetuo Stephanū lapidari oportet,quō implebimus legē atq; omnem iustitiā? Proin amici dilecti,ne si dijs placet cessaueritis. Quā diu & q̃ties obsecro inclamastis: Occide,occide,interfice? Hoccine uero ex charitate Euangeliū annūciare est? Euāgeliū meū,q̃d orthodoxa
Actuum.7 me docuit ecclesia,in Paulo me instruit,quomō charitas dei diffusa sit in

cordibus

cordibus nostris,charitatem ædificare,q in charitate inuicem supporta- Math. 3
re debeamus , ante omnia charitatem tenere , ut in charitate exemplū si- 1.Cor. 13
mus bonorum operum,omnia nostra in charitate fieri debere,aliisq ad Roman. 5 1.Cor. 8
charitatem monet. Hæc uero atq similis doctrina , charitas nequaq̄ est, Ephes.4
neq ex charitate.Corinth . enim Epistola docet Paulus quēadmodum Colos.3
charitas patiens sit & benigna.Charitas,inquit,non æmulatur,non agit 1.Timoth.4 1.Cor.13
perperam,non inflatur , nō est ambitiosa,non quęrit quæ sua sunt,nō i-
ritatur,non cogitat malum,non gaudet super iniquitate,congaudet au-
tem ueritati,omnia suffert,omnia credit , omnia sperat , omnia sustinet.
Ex fonte hoc effluere debere Euangelium,Hæ sunt uere in Helim aquę Exod. 15
ad quas nos spiritus sanctus uocat,dicēs: Oēs sitiētes uenite ad aquas. Esaie 45 . 3 & 55.
Sed eam turbidam penitus reddidere Euangelistę recentiores,utut clari Ezec. 10.24
ipsi esse contendunt. Faciūt,ut in Æso.lupus qui etsi ad caput fontis bi-
bat,misellam tamen longe inferius stātem ouiculam increpitat,q turba-
rit fontem ,atq ita agnus innocens mortis luit pœnas.In eū modum hi,
manus,seditiosorum libellorum,succensorumq igniū abluere nixuriūt,
atq una horula duos uenari lepores,duobus sedere subselliis,atq duo-
bus uolunt inseruire dominis.Euangelium ipsorum ubiubi legas,undi-
quaq oppletum inuenies impatientia,odiis,proteruia,inflationibus,&
horum similibus . Ob oculos modo ponite initium , quendam ex Hut- Vlricus Hutenus.
ten, huius coniurationis (Nam quod propheta dicit : Omnia quæ lo-
quitur populus iste,coniuratio est) Qui donec aduersus Christianitatis Esaie. 8
capita,reliquosq libros ædidit, Lutheriq non segnis astutioribus uer-
bis negatiuum egit,ad faciem primam omnium librorum suorū inorna- Esaie 15.16
tus loricatusq atq Goliath,gladioq superbū protecturiens Moab effi
giatus est, quod peculiariter non addubito illi complacuit. At mihi Eu-
angelium neutiquam uisum est.

De auspicio seu initio Lutheri, in superbia & elatione.

CAP. XXXI.



MNIA uestra,inquit Paulus,in charitate fiant. Moses dum a 1.Corin. 16
dei colloquio ex monte Syna reuersus , tabulis legem domini Exod. 33
detulisset , splendida adeo atq plena uisa est facies eius a maiestate domi
ni,ut uelamē posuerit super faciem suam , ut instruamur,diuina nequaq̄
ut humana disci posse, Vniuersos uero,dn̄i qui uolūtatem adnunciarūt, 2.Corin. 3
non in superbia aut elatione, sed humilitate auspicasse . Proinde se Mo- Exod.3
ses excusat,q impeditioris sit linguæ.Esaias uirum sese pollutorum labi-
orum profitetur,adeoq uolitat ad eū unus de Seraphin,calculoq labia Esaie 6
eius emundat.Hieremias in principio a,a,a , inquit, dn̄e deus , ecce puer
ego sum & nescio loqui.Paulus quoq Damascū ingressus,audiuit quid Hierem.1
eum oportuit facere,quanq̄ ad Gamalielis pedes longe prius legem edo Actuum 9
ctus esset, Qui & dein post annos multos ascendit ad Petrū & reliquos
contulitq cū eis Euangeliū q̄d prędicabat in gentib. Timoth.item et si a Actuum 22
puero sacras instructus esset literas,quę a Paulo tn̄ dicebant,diligēter au Galat. 2
diuit, At uno hoc Euang.magistri sunt et doctores,qui nunq̄ fuere disci 2.Timo. 2.

Lucæ 3 puli. Quando tamẽ Christi discipuli, annos aliquot doctrinas dñi in pa
rabolis & prẹter, audiuere, opera item (Nam dum inciperet, xxx. erat an
norum) uiderunt, dum quoq; unanimiter perseuerãtes in oratione Hie
Actu. 1. 2 rosolymis, promissum in Penthecoste expectarent spiritum sanctum, ap
paruerunt illis dispartitæ linguæ tanq̃ ignis, repleti sunt omnes spiritu
August. aduersus Crescon. gra. sancto. Sed nõ sic in Euang. isto. Perplures Cresconij, Persij, Iuuenales,
Martiales, Nasones, et Plautini, ex Plauti facũdia docti et nõ solũ docti,
sed etiã theodidacti, proxime (cũ uenia mundarũ dixerim auriũ) e ludo
3. Reg. 15 Priapi et Dianę prodeũtes, in angelicos thronos, sedes suas eleuarunt in
2. Paral. 25 Aquilone, repente cũ Eua sapientes facti & dij, proinde ita actum est.
Ezech. 14 Gene∫. 3 Quoties enim diuina sic auspicamur negocia, eum sortiuntur finem.

De illicitis uulgi de diuinis rebus in tabernis concertatio-
nibus. CAP. XXXII.

Gre. Nazian. Hieronymi precep. hanc scribit histo-riam. Hyla. epi. Galliæ, et Germ. ac in hist. tripar.



RRIANORAM tempestate non secus actum est, qui de Trin. sanctiss. errorem hæresimq; excitarunt, atq; eum modum in uulgum disseminarunt, ut de tam arcanis imo altissimis & reconditioribus rebus diuinitatis, in hypocaustorijs tonstrinis, macellis, foro, œnopolijs, pistrinis, molendinis, atq; omnib. locis disputarẽt. Per q̃d etiã tẽporib. Constãtis, Constantij, & Constantini, & aliq̃t post annorum C. bellũ mutuo indixerũt, multorumq; milium copię aduersum se exercitum duxere, ob mõ duas has dictiones ousia & omousion.
Pari modo, scitis, q̃ præterito anno, et hodie quoq; hi qui admodũ mo
Lucæ 10 dice, ad pedes dñi cum Magdal. sederunt audire uerbum domini, omni-
1. Corin. 2 Roman. 8 bus fere locis & finibus & quamplurimum penes uinum sederint, de
altiss. de quibus inter perfectos modo Paul. loquitur. Vt de prędestina-
tione, Sanctiss. Trinitate, uenerabili corpore & sanguine dñi, alijsq; ab-
strusiorib. neutiq̃ charitatiue, sed cõtentiosissime disputauerint, uolẽtes
Lucia. in Menip. ascendere in cœlũ, et penitissima determinare (qui & Luciano ridiculo
Roman. 9. 11 sunt) ea inquam, de quibus & Paulus quanq̃ in tertium raptus cœlum,
Esaiæ 4 loqui addubitaret. Loquuti sunt quasi ad integrum domini sensum co-
1. Cor. 2 gnouissent, eiusq; cõsiliarij fuissent. Nequaq̃ cũ Propheta clamauerunt,
Esaiæ 45 q̃ cognouerint, quia uere deus absconditus sit, Hi pincernæ sunt, non
Genes. 40 Pharaonis, sed supremi dei Iouis, imo sapientissimi Salomonis, quos &
2. Paral. 9 Austri demiretur regina. Ecce, uniuersi qui uiderunt dominum humiles
Dan. 1. 6 admodum fuere. Daniel multis sese ieiunijs afflixit, ut uidit domi-
Esaiæ 6 num canum & antiquum dierum. Sic Esaias sanctus in anno quo mor
tuus Ozias ille leprosus uidit dominum sedentem super solium excel-
sum & eleuatũ, & nihilominus Cherubim duab. alis faciem eius, & dua-
Ezech. 8 bus pedes eius uelauerunt. Sic Ezechiel, ut uidit dominum, in spiritu fu-
Numer. 11 & 33. 3 it. Moses quanquã in populo Israël mitissimus amicus dei, qui cum deo
facie ad faciem, sicut amico amicus loquebatur, ad loquelam tamen
domini soluere iussus est calceamẽta sua, dumq; ipsum uidere desideras-
set, clare audiuit: Non uidebit me homo & uiuet. Quemadmodum &
Exod. 33. Ioannis primo scribitur, Deum nemo uidit unquam, Proinde et in fores

spelunceæ ipsum posuit, quo posteriora modo eius uideret. Hęc ideo nō
dixerim, quod doceri aut sciri nolim Euangelium, aut ꝙ de eo fandum
non sit. Non, inquam, is mihi animus est, Nolo eñ esse Alexander ęra- 1. Tim.3
rius, aut Iamnes & Mambres, sciens, quia omnis sermo dei ignitus cly- Prouer.30
peus est, omnesq; nos esse docibiles dei, Sed eos qui nōdum a lacte sub- Ioan.2. 1.Cor.2.3.
tracti sunt, solido uelle uti cibo, non conueniens admodum censeo, ut Hebr.5
uidelicet de altiss. dei loquantur maiestate, facileq; caussas reddere pos- Prouer.25
sum. Sicut enim qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scru Psal.77 Matth.19
tator maiestatis est, opprimetur a gloria. Christus etiam aliis in parabo- Mar.9.
lis loquebatur: discipulis uero quibus datum erat nosse mysteriū regni, 2.Cor.32
seorsum omnia disserebat. Adde q̄d Pau. in tertiū raptus coelum arcana Ezech.44. Et uide ibi
audiuit uerba, quæ non liceat homini loqui. Multa horum scripturis Hierony.
sunt quæ admonent, nō habilem quemuis ad interius introire gazophy Matth.7.
laciū, aut in sancta sanctorū. Nec abs re profecto Christus uetuit, sanctū Luc.6.
dari canibus, aut margaritas proiici ante porcos, ne cōuersi dirumpant Ioan.12
nos. Quod fieri posse, opinor, dum, qui non aliquādo fuere discipuli, es-
se supra magistrum uolunt, dum cuncti prophetant, & nemo tacet atq;
audit, dum de diuinis, arcanis atque penitissimis, quæuis adeo inapposi-
tis cum temporibus tum locis, quibusq; negocii parum habet, De iis Esa.5
concertare, atque diffinire contendunt. Qui coram seipsis, & in suis o- Esa.146. Esa.26.
culis sapientes sunt. De quibus propheta, perdam, inquit, sapientiam sa- 1.Cor.1.
pientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Errant certe qui to- Abacuc.3.
tum se intelligere scireq; arbitrantur, quot etiam arborū sunt folia, maris
quot guttulę, qui stellarū in coelo cōprehenderūt numerū, altitudineq;
coelorū, et maris, ꝓfunditatē demensi sunt, Quos nō modo Lucianus, ue 2.Cor.13
rumetiā dn̄s ridet. Videmus.n. hic per speculū modo, et in ęnigmate: tūc Ioan.27.1.
uero primū facie ad faciē. Hęc est uita ęterna, ut cognoscant te solū uerū
deū, et quē misisti Iesum Christū. In mundo hoc, quo tenebras solū offe- 1.Cor.13.
dit Christus, cognoscimus solū ex parte, prophetamus q̄q; ex parte: illic
uero totū atq; perfectū habemus. Maximus igit̄ abusus est, quo (quēad-
modū Arrianorū tēpestate) seditiones dissensionesq; oboriunt̄, ita de fi-
de passim ab doctis et indoctis, nullo loci habito delectu et ratiōe, dispu
tare et diffinire, de quib. Hora. Scribimus indocti, doctiq; poemata pas Horatius.
sim. Manifestū est ꝙ qui uilia opuscula fabricant̄ atq; uariā supellectilē,
absq; doctore esse nō possunt, q̄d cupiūt. Sola scripturarū ars est quā sibi Gene.3.
passim oēs uendicant, ut in ea hii sint ꝑceptores, q discipuli nunq̄ fuere. Iacob.4 1.Pet.5.
Mirū, ꝓfecto diabolus uerbū habet: Eritis sicut dii, sciētes bonū et malū. Luce 1
Duo pariter apostoli fidēter dicūt admodū, Deus superbis resistit, humi Mar.18
lib. aūt dat gratiā. Ideoq; et deposuit potentes de sede, et exaltauit humi- Luce 13.18.
les. Igit̄ sicut paruuli humiliare nos debemus sub potēti manu dei, a Chri Matth.11. Roman.12.
sto discere humilitatem & mititatē cordis, humilibus consentire, non al- Psal.21.
ta sapere, ꝙ uermiculi sumus, & ad diuina, ut nycticoracū oculi ad Solis Roma.11.12.
radios, Quare & Paulus docet, ut dum fide stemus, non altioribus nos 1.Cor.2.
ingrauemus, altiora ne scrutemur, nec plus sapiamus quam oportet,

Sap.1. unde & ipse non in sublimitate sermonis aut sapientię ad Corinthios ue
2.Cor.1 nit. Et finaliter, In simplicitate cordis quaerere iubemur dominũ, Tum
Acto.2. nempe inuenitur ab hijs qui non tentant illum. Romani enim quando
Danie.1. in astutia sapientiae quęsierunt eum, tradidit ipsos in reprobum sensum,
Roma.1. adeoque stultam fecit deus sapientiam huius mundi. Igitur charissimi,
1.Cor.3 hoc quoniam Euangelium, neutiquam ex charitate & humilitate, sed o-
Ioan.12. dio in religiosos, superbia aduersus scholasticos doctores prodijt, excę-
Esaie 6. cauit eos deus, imo uertiginis spiritum, de quo xix.cap. Esaias loquitur,
2.Cor.4. in intellectus eorum misit, ut & loquantur ea quae non conueniunt, &
Roma.1. faciant quae nullo pacto decent.

De Spiritu uertiginis, & aduerso sibi dogmate Lutheri

CAP. XXXIII.

Qvemadmodvm igitur uertiginis spiritus Lutherum sedu-
xerit, latius iam extendamus. Totũ ferme quod Lutherus do-
Exod.37 cuit, aduersum met ipsi fuit, & est. Hodie quod docet, cras se-
Matt.5. cus est, Mutatus est ut Luna. Modo quod serio affirmatũ est, idẽ diffi-
2.Cor.1 tetur in crastino, sicq; ediuerso. Neutiquam uenit ad nos, uti ad Corint.
Matth.11. Pau. in est, & in non, proinde arundini in desertis apposite conferri po-
Luc.7.6. test, quae huc illucq; a uentis circumfertur. Spiritus & doctrina eius ex
Matth.5. deo si exijssent, profecto immotus esset, constans, inque petrã fundatus,
Iacob.5 aduersus uentorum aquarumq; impetus. Sermo suus utiq; esset, est est,
2.Cor.1 non non, & ut Pau. in ueritate gloriatur sermonem suum fuisse, est est,
non non nequaquam, modo est, in crastino non Lutheri doctrina (quę
Matth.12 ociosa habet, exceptis, de quibus & rationẽ redditurus est iuxta Christi
sententiam) ea est, quod (deo fauente, idq; quod bella nobiscum sunt)
trecentos ferè famosos articulos, quibus uel maxime Christiana constat
religio, deligere possim, atq; affirmatiuam partẽ ante meridiem adstru-
ere, continenterq; hora pomeridiana ex suis ipsius libris aduersum, ma-
nifestius locis indicatis ostẽdere. Idq; ex eadẽ, hoc est unius Lutheri ex-
iet doctrina, non quod suo nomine scripserint alij, sed quod suos ipse fa
3.Reg.18 tebitur foetus librosq;. Quid nunc igitur uobis uidetur diffidentes mi-
Deut.5.17.2 hi? Propheta ne hic in causa est, quod in utrumuis pedem et latus popu
Prouer.4 lus claudicent, ut neq; ad dexteram neq; sinistram certo se conferãt, ne-
Esa.80. que Regiam et communem inambulent uiam, sed errent in itineribus,
Eccle.34 aberrent in montibus & collibus, ut Propheta loquitur? Hij pastores
Psal. 118. profecto sunt, in deserta ad lupos ferasq; caeteras minantes gregem, ipsi-
Matth.16. que errant sicut oues non habentes pastorem. Verũ enimuero, ne quod
Contrarietates Lutheri. fabula habet dixeritis, Aristotelem de Mosi libris iudicasse, me plura re-
ferre, probare pauca, contrarietatem dogmatũ Lutheri paucis aperiam.
I. Lutherus libello suo quodam septem adserit esse sacramenta, altero
uero tria modo. Quod si placeret, duo solum esse diceret, semiduo, aut
unum tantum.
II. Purgatorium Lutherus esse affirmat, e sacris quoq; id cõmonstrat
literis. Deinde nouisse quidem se dicit purgatorium esse, uerum id scri-
pturam

pturam nescire. Ad postremum in totum ipsum negat.

Intercessionem gloriosæ uirginis Mariæ, Angelorum atque sancto- III.
rum docet Luth. roboratq; id ex Psalterio, & scripturis alijs sacræ Bi-
bliæ, Agonisantem quoq; erudit, ut Apostolum suum interpellet, Læ-
tanias oret, etc. Vno, inquam, libello Pighardos immanes intolerabilesq;
que increpitat hæreticos, a deo & mundo puniendos, quod sanctorum in-
tercessionem abnegent. Nunc rogo ubi nam apud Lutheranos Ecclesię
Lætania sit, Mariamue, aut Apostolos nostros inuocare liceat?

Confessionem Lutherus in Euangelio fundatam sentit, eandem de-
inceps ex Euangelio haberi negat, sed quidem bonam esse et utilem, Ad IIII.
postremum nemo confitetur.

Intermorituro administrandum recte tenet Lutherus sacrū oleum,
Epistola id Iacobi (quẽadmodum permulta admodum) probat. De- V.
inde discipuli sui calceamenta sacro impinguant oleo, quod profecto &
eo quod discipuli infirmos apud Marcum inunxerunt fecisset, si uixissent. *Iacob. 5*
Postremo uero quoniam de fide absq; operibus mortua Iacobus salu- *Marc. 6*
briter adeo scribit, eam sanctiss. Epistolam Iacobi stramineam uitiligat.

Lutherus, Bohemos, quia ab Ecclesia deciderint, hæreticos carpit,
& si Euangelium partes contueantur eorum, Eosdem post Christianis- VI.
simos dicit, nosq; omnes hæreticos.

Ligandi soluendiq; claues Lutherus Episcopis & sacerdotibus tri-
buit solis. Quas deinde de sola fide intelligendas, dicit, omnesq; esse, & VII.
mulierculas sacerdotes, quanquam nec dum uirum adulterij occulti cri-
men uxori confessum esse iuxta Lutheri regulam, audiuerim.

Lutherus communitatem inter se deligere posse dicit quempiam se-
niorē, qui Parochus esse debeat. Id uero Carolstadij hæresiarchæ sub- VIII.
diti dum fecissent, carpit ipsum, nec id Rusticis ad Constantiæ lacum ad-
mittit. Cuncta ex librorum suorum tenore.

Missam sacrificium esse recte docuit Lutherus, pro uiuis mortuisq;
offerendum, Deinde ipsam prodesse nulli sentit, etiā qui celebrant eam, IX.
cæteraq; aduersus missam permulta scribit.

Docuit Lutherus teuthonice celebrandas missas, Post aduersus Ca-
rolstadium pugnans, atq; Lutheranos multos, oppositum adstruit. X.

Vuittenbergæ Lutherus ad priscæ & suæ Ecclesiæ morem missam
celebrat, At in Carolstadij inuidiam, quoniam sic recte actū ipsi uisum XI.
est, ex Paulo probat, latine celebrandam missam, quoniam in cantu
atq; cæteris res non apposite adeo se dabit.

Solennitates et festa Ecclesię laudauit Luth. easdē inde in uniuersum XII.
tulit, pauculis, et dn̄ico die dēptis. Interea tñ dicit dominicū diē Euange
lio nesciri, postq; meridiem laborari recte posse, & seruilibus intendi.

Apocalypsim Lutherus negat, attamen Dominicam diem (modo XIII.
ut dictum) admittit. Artificibus ferias admittit nullas.

Lutherus rusticorum manus ad bella & occisiones instruit, quod XIIII.
dum non pigriter fecerunt, male accipit, dicitq; omnes esse diaboli.

Vniuer-

XV. Vniuersos pene rusticorum lacus Constantiæ articulos æditos, docuit, prædicauit, & calamo depinxit. Iam aduersus eos scribit, esse articulos diaboli, a uiro probo neutiquam effictos esse, & ad postremum diabolo eos tradit, quemadmodum clare suus monstrat libellus.

XVI. Indulgentias extulit Lutherus, lubẽs in eis, dum sextodecimo anno apud Saxones haberentur sermocinasset, presertim quod Canonicas auferant pœnas. Oppositum post multis cum ineptijs dicit.

XVII. Arbitrium liberum Lutherus posuit, fictitium deinde dicit, solum uerba: in re nihil, aduersus profecto tam manifestam instrumenti utriusque scripturam.

XVIII. Cæremonias Lutherus temnit, deponi tamẽ non uult, Nec rusticorum quorundam seditiosorum illi desideria placent, proximis qui diebus omnes cæremonias, & quicquid in uniuersum in Ecclesia extrarie fit, tolli petierunt, unumq; deum permitti adorare & colere in spiritu. Hui, certe ipsorum spiritu.

XIX. Ferijs Lutherus missam in Parochia audire docet, id deiñ reuocat.

XX. Lutherus Monachus est, Monachus manet, cucullam tanquam monachus induitur: at nihilominus destruit, succendit & infringit Monasteria omnia, pellit Moniales cunctas & monachos, apostatas facit, propriamq; met suam damnationem parat.

XXI. Vniuersitates Lutheri deponendas edocet, Perdius uero atque noctu, quo Vuittẽberga ubi residet ipse maneat contẽdit: at Louanieñ. Coloñ. Parisieñ. atq; Academiæ reliquæ inuertendæ sunt queadmodum fortunę sphęra Parisijs, Magia Cracouiæ, & Dianæ templum in Ephe so. Facit autem id, ut immortalitatis conquirat nomen.

XXII. Luth. Viclephi et Ioannis Hus dogmata recte olfecit hæreses esse, cadein libera adstruit atq; Euangelica clamat, atq; in Euangelio fundata, quiq; Cõstantiensi interfuere Concilio, indocti uniuersi fuere sophistæ.

XXIII. Luth. non criminandum, abstrigilandum, & conuitiandum, docet. Qui uero ipsum uel culmo attigit, hunc non modo ad maxillam manu, uerum Herculis claua percussit, terręq; collisit, licet Princeps, Rex, Imperator aut Papa esset.

XXIIII. Quid plura adnumerare contendo? Immensus restat adhuc numerus, ut Ecclesia, de qua Luth. dicit impossibile esse quod erret, deinde diuersum adstruit, De Matrimonio, & impedimentis eius, De pœnitentia, Missa, & sacramento altaris, Sacerdotio, & concilijs, Interpretatione & sensu scripturæ, de æterna patria, de fide, operibus bonis, & id genus innumeris alijs, de quibus pro Socratico speculo peculiarẽ ei ædam librum, qui & partim factus, In quo quomodo Luth. aduersus Lutherum, hoc est, ipse contra seipsum disputet, ostendam.

Procedite nunc Euangelistæ. Quum dogma suum adeo sibi aduersum in multis fuerit atq; hodie sit, butyrum ne & mel comedisse ego, ut deligere sciam bonum, et reprobare malum? Qui apud Pogium Florentinum lectulo suo adhæsit diu adeo concertantesq; duas audiuit sororculas,

Esa. 7.

rorculas, Vigilantiam, & Accidiam, suam habet excusationē. At ego ne tantillum temporis indulgere debui, ut probarem spiritum hunc num ex deo esset? Videte enim ipsorum pax fuit, Verbum domini manet in æternum. Hæc autem mea, Veritas domini manet in æternum. Lutheri igitur uerbum domini mobile semper fuit & est, quomodo ergo uerbū aut ueritas domini esse poterit? Proinde probare spiritus docet me disci pulus Christi. Consultum est mihi, ad Chaldęos ut profugerem, uerum id nolui. Esaias atq; Hieremias ne id facerem præmonuerunt. Gens amara est admodum. Quoniam in aream hanc (pro captu meo) quidpiam quidam tritici, tantundem uero zizaniorum effusum est, cum Petro uidere finem num debui? sed non ut abnegarem dominum. Agro hoc Euangelici seminatum esse tritici multum, equidem uerum est: at non in totum mortuum, nec oriebatur, neq; fructum attulit, Loliorum, zizaniorum, tribulorum, fruticum reliquorumq; adulterinorum seminum abundantia illic multa, imo, Infoelix lolium & steriles dominantur auenæ. Bonorum seminum, dicunt ipsi, multum, in malum decidit agrū. At ego inuertero dixerimq;, Malorum seminum multum in agrum Ecclesiæ noctu iactum quàm optimum, Proinde & spicas & tauros in Ægypto speculari poterit ipse, ego uero quod dominus pręcipit zizania cres scere siui ad tempus usq; suum, quod modo est. Piscator si ille, quemadmodum archipiscator Petrus centum quinquagintatres pisces magnos, hoc est tres in Psalterio quinquagenas, profecto is item tres iubileos cepisset, atq; infractū integrumq; permansisset rethe, ijssem profecto ipse in eam capturam. At uero tot lacu isto putres capti sunt pisces, ut aquæ illi me credere noluerim. In probatica hac piscina negocij parum habet angelus domini, claudi non admodum multi apud eam sanati sunt.

Esa. 48 Hiere. 37. Abacuc 1. Matth. 4. Luc. 3. Matth. 26 Ioan. 12. Matth. 13. Gene. 41. Ioan. 21. Leuit. 15. Matth. 13. Ioan. 5.

De mobili uento, uarijsq; modis Lutheranicæ doctrinæ

CAP. XXXIIII.

CERTVM EST, quoniam hoc lacu, ad omnem quacunq; ueniret flatum uela tensa sunt, metuendumq; ne parum dormierit dominus, aut miracula fecerit, aut ad ullum certum applicuerit portum. Vetat uero Paulus, ne circumferamur omni uento doctrinæ. Nōne dicit, Fratres, doctrinis uarijs et peregrinis, nolite abduci? Dicite uero dilectiss. fratres, qs uarios magis uidit uentos unq̄, aduersosq; sibi, qui et numerū ab Arist. Meteororū lib. adsignatū excedūt? Animaduertitote q̄ unus in aliū, contra Pauli sententiā, inflauerit. Nā hic artis huius modus est. Hic esse uolebat Pauli, alter Apollo, tertius inde Cephę. Sermonis huius signū ob oculos ponite unicū hoc: Nunqd p uniuersam occidentalē Rom. Ecclesiā, Hispan. Gallias, Angliā, Scotiā, Datiā, Hungariā, Croatiā, Italiā, Neapolim, Germaniā, pq; terras ceteras ordinatio fuit unica, tot annorū cētenario numero, in Missis, cātu, lectionib. et orationib. Regnū, principatus, comitatus, dominatus, ciuitas, forę, uilla, pdiolū aut domus nō fuit, qn ut uno loco missā uidistis, sic q̄q; in ceteris celebrata et obseruata sit; Idq; tā mlto annorę cētenario nūero pdurauit. Carol. quoq;

Luc. 8. Ioan. 4. Hebr. 13. 1. Cor. 4 2. Cor. 12 1. Cor. 8. 1.

quocꝫ magnus ille in Germania, qui adeo maximum bonorum cumulum congessit, ab Adriano Papa compatre suo impetrauit, quod Rom. Ecclesiæ in diuinis officijs ordinationes in regnum suum ipse deferret. Putatis ne, id præter dei donū gratiamcꝫ factū spiritus sancti? At in gregem lupus hic simul atcꝫ incidit, pastor percussus est, dispersæcꝫ oues gregis, imo statim, ut inconsutilem domini tunicā findi admisimus, adfuere actutum singuli, peculiarem canonem, priuatamcꝫ ædidere missam, idcꝫ quam plurimum formosi Iunonis proles, sexternionum perpetrauere concionatores, quibusdam (non omnibus deo grates, reliquit enim sibi deus vij. milia uirorum) locis. Germanis nobis, atcꝫ Roboam

3.Reg.19 3.Reg.13 Dan.13 temporibus factum est, qui seniorum suorum deserto consilio, iuuenum complectebatur placitum. Sic etenim seniores nostri ex Daniele, e quibus iniquitas egressa est, patres nostros contemptui habuere, imo pluribus perclaris ciuitatibus, quas nominatim dicere nec uolo, ne quidē decet, iuuenes suos prosequuti sunt. Lapidibus quadris, quemadmodum Salomonis templū, fundatas extructasꝫ, lapidecꝫ angulari summo clausas Ecclesias, antiquitate raras, demoliti sunt, atcꝫ adolescentiores inexploratosꝫ architectos, non ad Salomonis exemplum ad Hyram regem

2.Reg.5. Esa.28. Ephe.2. Tyri, pro artificibus mittentes expertiorib. quod & Victruuius suadet, delegerunt, sicꝫ quemuis peculiarem Canonem, Missam propriam admiserunt erigere, ut decem iam æditas mecum teneam missas, quarum est nulla atcꝫ reliqua. Quo necessum est, uulgus in turbinem, imo uertiginem deueniat, & in utrumuis claudicet pedem, ueniatcꝫ pedepressim in quęstionem, ut Luthero et Carolstadio, unus ne sit deus. Viri sunt hi

Psal.13.62 ut Nabal, qui secundum stultitias suas, apposito nomine dicuntur, ut i. Reg. xxv. legitur. Quid reliqui faciant? Plerisꝫ iam locis ob missam inter se compugnant. Liturgus, Moses & legislator quilibet esse contendit. Vnus quocꝫ ex ipsis Lirula sua performosum ædidit canonem, populumcꝫ suum per duos iam fere annos, sub utracꝫ specie lachrymantibus obmuniuit oculis. Nunc in totum e circulo, imo de fide excidit, & dicit, quia sit nihil.

De leuitate sensus & lenocinijs scribendi Lutheranorum, de deo & fide. CAP. XXXV.

Hiere.9 HEV, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut fleam perdius atcꝫ noctu? Extenderūt linguam suam, sicut arcum mēdacij, & non ueritatis. Quot pie deus inclamitarunt, Papam, sacerdotes, & monachos, fidelem decepisse populum, corpus ei atcꝫ sanguinem Christi præripuisse, quo certe inuoluntarium, atcꝫ erga spirituales inobedientem reddidere uulgum? Sanctus

Lib.1. epist.3 Episcopus ille & martyr Cyprianus Carthagineñ. aliunde hæreses dicit non oboriri, aut nasci schismata, quā inde cꝫ Episcopis & sacerdotibus dei non obtemperatur, dignuscꝫ non impenditur honor. Id enim si fiat, consequantur necesse est schismata atcꝫ hæreses. Sic proh dolor & nobiscum actum est. Episcopis em̄ simulatcꝫ pastoralis ablata potestas est,

hicq; (de quibus Christus dicit: Qui uos audit, me audit, et secundum do ctrinam uest. non semp secundũ uitã agendũ est) conteptui habiti sunt, mox sacerdotes, uti sub Ieroboam fuere cũcti, unumq; cumulatim ad aliud, iuxta Cypria. prophetiam, irrupit inconueniens. Mox. n. pmissum eis episcoporũ pter pœnã deponere missam nõ mõ aduersus Euang. & Impe. Noribergæ celebratã dietã. Nunc iam quid faciunt? Nouisse scribunt se optime, aliud q̃ panem & uinũ esse nihil, sed tum edicere non ausos, neq; quidẽ uoluisse, q; oportunum tunc non fuerit. Iam uero, uulgus dum leuior flexibiliorq; est, dicunt, esse nihil. Euangelium ne id est? Nequaq̃ profecto, imo hypocrisis est. Eos utiq; sacra fides non capit iocos. Si quotidie talia nobis spectãda sunt, certo certius in eis uidebimus, quia ab Euang. in totũ decident, atq; dicent, nullũ esse deũ. Eiusmodi. n. superioribus diebus, princ. Sereñ. quẽpiam ignibus absumere coactus est, taliumq; passim e ciuitatibus pelluntur multi, metuendũq; non paucos esse qui in corde suo, quemadmodum Nabal, dicant, Non est deus. Libello quodam Luth. in Carolstadiũ ædito, his uerbis fatur: Plagis q̃ horrẽdis suis me deus adficiat, Carolstadius si credit, deũ aut in cœlis aut in terra esse. Rursus ita: Repẽte, si deus manifestius Carolstadiũ non punierit, se quoq; non crediturũ deũ esse aut in cœlo, aut in terra. O insensati Galatę (uenerandã nõ puto regionem uestrã, sed eos qui falces suas in lanceas uertunt) operite uerba hæc. Vultis, ut siliquis his meme commiscam, hordeaceoq; uescar pane, quũ e cœlis suauissimũ habeã, imo propositionis panes de quibus prçter necessitatem edere non licet, nisi solis sacerdotibus? Porci me utiq; deuorassent, lebusæiq; olim pedibus obtriuissent. Num de Ecclesia ad synagogam foras arcam Noẽ, id est Ecclesiam, extra quã saluatur nemo, excidere debui, & perire aquis? Nullo pacto. De lignis. n. leuigatis composita est, oblita bitumine, longitudinẽ, latitudinem, & altitud. decentem habet. Consulere ne pergitis, huic me ut iungã societati? Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruert. In ciuitate quis remanere poterit, aut effugere ad Chaldęos, facere q̃d uult: ego in hanc non uenero farraginem. Ipsi nec dum sibi consentiunt, ecquid igitur apud uertiginum hos spiritus & sanguisugas agerem ego? Apud uerum Euangelium perdurabo, columba ubi magister columbaq; discipulus aduersæ sibi non sunt, non illic ubi coruus in superliminari, apud Sophoniam, cadaueribus immorans, residet. In arca, inquam, hoc est, Ecclesia, permanebo, non coruum qui cadaueribus aduolat, sed columbam e montibus Armeniæ dum pacificum oliuæ uirentẽ ore suo ramusculum deferat, præstolabor. Cumq; Pau. dixero: Si quis non amat dominũ nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha. Quid chariss. domini, amici & fratres, eo agerem ludo, quo discipuli sibi non consentiũt, imo aduersus pædotriben sunt? Ludi quoq; moderator ipse secum pugnat, discerpitq; seipsum, quemadmodum in Euangelio obsessus ille in monumentis habitans, cathenas, uestes, compedes, cæteraq; dirumpens, cuius nomen Legio.

Luc. 10. Matth. 23. 3. Reg. 13. 1. Reg. 25. 4. Reg. 4. Leuit. 9. 24. 1. Reg. 21. 2. Para. 13 Mar. 12. Luc. 6. Hebr. 6. 1. Pet. 3. Psal. 17. Hiere. 8. Matth. 3. 10. Ioan. 1. Sophon. 2. Gene. 8. 1. Cor. 16. Mar. 5.

De confictis Lutheri mendacijs in IOAN. FABRI de matrimonio CAP. XXXVI.

SED ECCE (dicam uobis oportet) librum aduersus ipsum ædidi quempiam, quo ne uerbo quidem amarulentiore illum aggressus sum, ut docti quoq; me increparint, q fratrē in Christo appellassem, qui hereticus, deq; Eccl. abscissum membrum ab utraq; potestate declaratus sit, imo ipse a se iudicatus. Vide uero, q dum ueritate patrocinante, respondere ne quidem mihi posset, neq; ausus esset, glossemata in septimum Paul. ad Cor. epistolam ædit, quorum me in principio increpitat, prægrandem dicens euulgasse me codicem aduersus matrimonium. Vniuersus ecce nouit mūdus id non esse (tertio.n. iam liber ille meus prælum pertransijt) nec in perpetuū esse ita comperietur. At in eum id fecerit finē, quo me nomēq; meum atq; doctrinam, uulgo exosam reddat. Animū meū irrepsit nunq̄, ut Tatianus, hoc est, nuptiarum obtrectator esse uelim, quinimo libri mei indicant q̄ egregie, atq; immodice matrimoniū extulerim, quod in paradiso primū deus instituit, Christus in Cana honorauit, uniuersisq; adeo scripturis bonū atq; sanctū dicit, imo aduersus ipsum militaui, astruens q sacramentū sit, id q̄d negat ipse, sed honestū coniugiū sentit non esse sacramentum, adeoq; captiuitate sua Babyloñ. ipsum inuertit atq; paruipendit. Animaduertite igitur, perduriter ne in malam me percusserit, imo subdolus, queadmodū Amasan, Ioab, in lib. Regnorum perfoderit. Sermo uero suus ueriuerbius inuenietur nunq̄, quod seu minimum seu maximum aduersus scribere tentauerim matrimonium. Iniuste itaq; bifariam incusor.

Gene. 2.
Ioan. 2.
Ioan. 19.
2. Reg. 2.

Contrarius quod fuerim Euangelio, scripserimq; aduersus cōiugiū. At in sex tribulationibus, liberauit me dn̄s, in septima quoq; (ipso fauēte) non tanget me malum. Refugium meum deus meus liberabit me de laqueo uenantium, et a uerbo aspero, Non timebo a timore nocturno, imo nec a sagitta uolante per diem. Oportunum tum nō erat, responsa ut redderem, Omnia tempus suum habent, nec stulto semper respōdendum est. Iracundior erat, at cum eiusmodi uelitādum non est, q ignem instruant ad bella. Quid commerui? Ad tertium iam usq; annum sustinui, silere uolui atq; considerare, quos nā sycomorus hæc delatura esset fructus. At dum proh dolor uidi, quia arbor hęc in Asphalto, apud mare mortuum præter uerminosa gigneret mala nihil, securim ad radicem etiam maledictæ arboris huius diuina ego opitulante gratia uibrauero.

Iob. 5.
Psal. 9.
Eccle. 3.
Prouer. 26
21. 22.
Eccle. 8.
Matth. 11.
Matth. 2.

Iam loquendi tempus est, tacendi erat primū. In cœlū usq; uociferabor sup eum, quē profudit innoxiū sanguinē, & quantū in ipso est, nec dum quiescere uult. Quis scit, si forte cōuertatur deus, & ignoscat, et relinquat post se benedictionē? Fortassis gratia eius in me uacua non erit. Quanq̄ uero certius mihi restet nihil, q̄ q crabrones, uespas atq; uespertiliones cumulatim & belli ductu in paupculū me pygmæū excitabunt, fulminaq; Iouis in me iaciēt p orbē et deserta, imo de una ciuitate in aliā

Gene. 3.
Iobel. 2.
1. Cor. 15.

fugabunt, nihilominus confidam ut is cuius in ea re causa geritur, non me relicturus sit, dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Vmbram non timebo mortis. Si deus pro me, quis contra me? Spes mea dominus a iuuentute mea, adiutor & protector est speranti- um in se, qui non derelinquet confidentes in se. Nemo unquam spera- uit in eo, & confusus est, Ponam me in umbra alarum suarum. Vosque docti reliqui, qui extra castra hactenus, quemadmodum apud Israëli- tas blasphemus, & Stephanus extra Hierusalem producti estis, famosis illusi dialogis, uelati faciebus, consputi, qui audistis dicentes nobis, pro- phetisa qs est qui te percussit, Surgite a mortuis, prodite e cauernis, para- te uiam domino, rectas facite semitas eius, fulgura hæc, tonitrua, & fulmi na non deterreant. An nescitis quid Timotheo Pau. scribat, quia in hoc laboramus & maledicimur, quia speramus in deo uiuente? Fidelis utique sermo & omni acceptione dignus. Viduas ne nostras et orphanos Abe lis sanguinē, quō de terra aduersum clamitet Chaym & clamorē ne So- domorū auditis? Venientē ne uidetis gladiū? Proinde concrepate tubis, exercitum aduersus Chananæos, Pheresæos, Iebusæos & reliquos du- cite, Intrepidi este. Quinque Dauidis e torrente corripite lapides, hij sunt quinque Pauli uerba, cōgredimini Goliā superbissimū spurium, inter Phi listæos (Ex matre em̄ Israëlita est, ex patre aūt Ægyptius, sororque eius Sa maria) lapides in frōtem eius corneam, quam in Babylone assumpsit at- que perfricuit, iacite. Secus acies Mosen ad orandum statuite, arcus ten- dite Gedeonis, agite uniuersi, ne formidetis, plures enim nobiscum sunt q̄ cum illis. Sacratiss. nempe Maria uirgo, angelorum exercitus, omnes sancti, præcessores nostri, septē quoque milia prioris religiosæ honestioris- que uitæ, quos nobiscum deus conseruauit, nobis adiutores aderūt, imo dn̄s dominantium pugnabit nobiscū, ne absterreamini aut formidetis, quod in prægrandem creuerint exercitum, recordamini ipsorum neutiq̄ a deo esse negocium, sed ex odio, et patre inuidiarum. Non est differentia in con spectu dei cœli, liberare in multis & in paucis, prospicite enim quantum Iosue populum habuerit. Gedeonemque remisisse domum maximā par- tem, quomodo Philistæum euicit Dauid, quid Mathathias et Iudas Ma chabæus fecerint. Quid? putatisne angelum suum contra Sennacheriti- cos Euangelistas hos, diuque noctuque increpitantes, conuitiantes cri- minantesque deus missurus sit? Actutum igitur prodite, calamo in psal- mis uelociter scribentis, procedite procul moras tum Esdra, legitote le- gem, & ne addubitetis. Euāgelium aduersum nos neutiq̄, sed nobiscum est: unus modo malus homo interseuit zizaniam. Viduas ne et pupillos conspicitis? An putatis, quia deus eorum non miserebit? Ne contēplamini, quēadmodum contristati sint, quō circū Petrū uiduæ flentes stent? Cau- sa eorum cur nō ingreditur ad uos? Siccine perpetuo lachrymabunt, et u- lulabunt? Quis demū dabit capiti aquā? An ignoratis qm̄ non in finem obliuiscitur deus clamores pauperis? Quid nunc propter miseriā inopū, et gemitum pauperum facietis? ne exurgetis? Fugit uos, uiduæ in Sarepta

Mat. 23. 10
Luc. 12.
Psal. 17. 58
55 & 90.
Roma. 8.
Psal. 61. 70
2. Reg. 22.
Iud. 13.
Eccle. 2.
Psal. 56
Leuit. 24.
Acto. 7.
Matth. 27. 2
Luc. 1.
1. Timo. 4.
1. Thess. 4.
Gene. 3.
Gene. 18
1. Reg. 17
1. Cor. 14.
Leuit. 24.
Ezech. 21.
Hiere. 3.
Exod. 17.
Iudi. 11.
1. Cor. 15.
4. Reg. 5.
1. Mach. 3
Luc. 7.
2. Reg. 17
1. Mac. p totū
Esa. 37.
Psal. 44.
3. Es. 9.
Matth. 12.
Ezech. 3. 5
Esa. 9.
Ezech. 22.
Acto. 9.
Esa. 1.
Hiere. 5.
Psal. 9. 11.

1.Reg.17. quemadmodum inunxerit oleũ,ne penuriam pateretur filiũq; reficeret?
Luc.7. Vnicũq; uiduę in Euangelio natũ uitæ restituerit? Lazarum nonne de-
Ioan.11. functum cum Magdalena pariter defleuit? Viduas & orphanos quan-
do unquam dereliquit deus? Hij, inquam, uniuersi stabunt nobiscum,
2.Cor.4. quorum hoc anno sub eius titulo trucidati sunt genitores, Et fortasse se
breuiusculo tempore imo per momentũ pati maleq; audire ꝑ æternis,
Psal.89 ubi mille anni sunt dies hesterna q̃ præterijt, ne reputetis. Si racha uobis
Matth.5. dixerint, stultos & archimoriones obstrigilent, excandescant in uos, lapi
Luc.19. des mittant, asino ex Bethania conferant, dicantue ingentes uos esse ex
Ioan.19. Arcadia asinos: comminiscamini, quia maledici regnum dei non possi-
1.Cor.5. debunt, cꝫ & Christum redemptorem Samaritanum & obsessum blas-
Ioan.8. phemauerint, & nihilominus interrogauerint: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dęmonium habes? Alias item comedo-nem eum & uini potorem conuitiabantur. Hęc est Canina facũdia. Lu-cernam ne uestram sub modio ponetis perpetuo? In medium taberna-culum lumen statuite, ardeat atq; fulgeat in Salomonis templo. Tot ne annis stipendia a principibus & maioribus frustranee data putatis, ut dum ciuitatem obsederint inimici, pugnãdum uobis non sit? Infatuatum
Luc.11. nonne contemplamini Lutheranorum sal, atq; ut prius non saliet? Oc-
2.Para.4 cisi eorum, deo fauente, saliẽt eos. Beatos addubitatis eos, qui persequu-
Matth.5.9. tionem patiuntur propter iustitiam? Ipsorum profecto est regnum cœ-
Luc.14. lorum. Dominũ scilicet persequuti sunt, uos quoq; persequentur, & di-
Matth.5. cent omne malum aduersum uos propter me. Gaudete & exultate, ecce
Ioan.15. enim merces uestra prægrandis in cœlis est. Non est seruus maior domi no suo. Si dominum persequuti sunt, proculdubio & uobis similiter
Psal.13.52. facient. Sed hij timendi nobis non sunt, ne forte dicatur: Timuerunt ubi non erat timor. Virum ne hunc conspicitis cœpisse ædificare turrim
Pro.36. & sumptibus deficere? Turrim profecto Babylonicam, Labyrinthum, atq; transitum, quo ne exire aut intrare poterit, tantopere eum uertigi-nis diuexãte spiritu. Timiduli atq; lepores non sitis, fugiẽtes priusquam fugemini. Religionis atq; dei amator trepidare non debet, & cœlum si
Gene.3. totusq; mundus corruant. In caput serpentem calcare, & terere serpen-tem, qui uirus recepit atq; coluber, & nouissima illius, mors.

De Lutheranorum inuicem pugna & dissensione

CAP. XXXVII.



VTHERANIS fratribus in Christo, contingit ut Remo & Romulo, qui Latinorũ agro post Troię destructionẽ perpulchrã atq; potentẽ fraterne extruxerũt ciuitatẽ. Quæ ut cõsummata est, de noĩe conuenire nõ potuerũt: uno cꝫ Rema, altero cꝫ Roma uoca-retur contendẽte. Quãdo itaq; ea in re cõuenire poterant nequaq̃, alter uocabuli causa interemit alterũ. Pari modo septẽ uos annorũ priorum,
Gene.41. q̃s perobesos Pharao tauros uidit & spicas graues, obliti estis, omnes Lutherani esse uoluerunt atq; dici. At uero discipulus dum uidit, quod ipse sibi dissimilis esset, & contrarius, aut quod ut ipse doctus similiter

esset,

esset,tum discipulus magistrũ præcellere contendit. Tunc,inquam,non iam Lutherani(cum tamen Lutheranismus nulla re intercidit)dici uoluerint,sed Euangelistas sese baptisauere,primam enim gratiam, quemadmodum Matthæus, Marcus,Lucas,Ioannes,ex dono & gratia dei sanctam per uitam suam, & Apocalypsin nacti sunt. At tum ipse Ecclesiastes(ita enim se scripsit)remansit, ipsi uero Euangelistæ euasere,postremo nũc aduersus adeo scripti seditiosos rusticos,quasi diceret, Imperiosus tam in uos dominor Teuthones, ut quicquid mandauero ego,perimplere uos oportet, idq; & secius nihil. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt,omnia bene ipse fecit.Erunt praua in directa,et aspera in uias planas. At omnes uos qui hanc pertransitis uiam,et quam maxime,quos elegit deus esse pastores et doctores in grege domini,qui rationem pro commisso reddituri estis popello? Matth.10 Psal.31. Matth.27. Luc.13. Tren.1. Ephes.4. Genes.13. 1.Cor.1.

De sacri Euangelij in permultis falsificatione per Lutherum

CAP. XXXVIII.

ATTENDITE, & considerate,quæ sit uocatio uestra, quomodo in aliud traducamini Euangelium, uidete diuisionem uestram,quomodo nouum Testamentum interpretarit Lutherus. Quid enim fecit? Falsitatem, quæ omnibus uetatur iuribus, ab omni plectitur atq; damnat potestate, Lutherus in illud intulit. In aprico est enim,idq; commonstrabimus, multa admodum Euãgelio ipsum inseruisse,quæ nunquam in ipso steterint, neque intra ipsum pertinent: multa quoq; excepisse,quæ conscripserint Euãgelistę, ut sileamus interea, Heresiarcham istum uerbum dei multis centenis locis adulterasse atque sensu suo peruertisse. Adsignata sunt hæc,præsto sum id coram uniuersa in Hierusalem multitudine,cæterumq; ubilibet comprobare. Sodalis igitur essem discipuli illius,qui domino Christo testamentum,quo mortuus est,imo literas & sigilla falsificauit? Nequaquam, Nolit id deus,quam lõgissime absit,imo cum Salomone dico: Domine,uerba mendacij longe fac a me. At uenerandi seniores,cani & pleni dierum,falsitatem quampiam si in literis aut sigillis committeret quis, num Vulcano offerentur? Et discipulus ego illius essem, domino qui cœli & terræ,literas atq; signacula,manu,inquam, sua atq; sanguine scriptas, infalsare ausus est? Non sic impij non sic. Perpetrauit Lutherus,quod dico,idq; tum Græcis tum Latinis exemplaribus, ex suis scriptis, exhibeo me commonstrare. Iota unum aut unus apex non præteribit a lege. Ipsique tota inclamitant adeo die,ut raucæ factæ sint fauces eorum. Ad uerbum domini addi nihil debet, neque imminui. Vnus uero Lutherus liber, quem ea non ligat lex, Cæsaris autem ego complectar legem. In lege diuina uox, Medice cura te ipsum. Hypocrita,ejice primum trabem de oculo tuo,& tunc curabis eijcere festucam de oculo fratris tui. Qui alios doces,teipsum non doces.Prædicas non furandum,furaris,qui dicis nõ mœchandum,mœcharis. Id aliud quid est, quam tuo te damnas ore? Opinaris chare Luther omneis nos cæcos, tibi uni Aquilæ cecidisse Galat.1. C.de famo.de cri.rerum. 2 Cor.4. Actor.15. Prouer. 30. Matth.5. Luc.16. Prouer. 30. Deut.12. L.princeps F.de legibus. Luc. 4. Roma. 2. Matth.7.

oculos? Claudicamus uniuersi, paralytici, hydropici, podagrici sumus, tu infirmantium unus es medicus? Verum intelligere non uis, quod atque Sodomitæ percussus es, manuque tentas ad parietem in meridie, quasi cæ-
Gene. 19. cus, de quo in Deutero. proximeque nec calidus es nec frigidus, sed tepi-
Deut. 28. dus. Proinde qui super Cathedram sedetis Mosi sacerdotes, qui angeli
Apoc. 3. estis domini exercituum, custodesque legis, procedite, Regnum hoc in se
Matth. 23. non uidetis scissum, quo de nominibus atque doctrina inuicem dissides-
Mal. 2. ant, Nemroth deinceps ædificare non ualebit, alter alterum non intelli
Matth. 12. git. Lapides postulante uno, alter exhibet aquam, pro cæmēto reliquus
Luc. 11. defert ligna. De Apocalypsi uos uox erigat, qua Epheso angelus scribit
Gene. 10. dicens: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in
1. Para. 1. medio candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem & pati-
Apoc. 2. entiam tuam, & quia non potes sustinere malos, et tentasti eos qui se di-
cunt Apostolos esse & non sunt, & inuenisti eos mendaces. Patientiam habes & sustinuisti propter nomen meum & non defecisti. Sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris & age poenitentiam, & prima opera fac.

De futura aduersus Lutheranos dei plaga
CAP. XXXIX.

HAEC doctis uobis atque uniuersæ honestati in consolamen adducere uolui, ne trepidetis aut negocio desperetis, quanquam prophetæ Apostoli atque Euangelistæ nominentur, quando uideatis modo quia consilium inierunt, quod stabilire non possunt, spiri-
tum ipsorum, neutiquam spiritum sed carnem esse. Disperdet illos deus tan-
Sap. 5. quam lanuginem quæ a uento tollitur, disperdet illos dominus deus no
Esa. 41. ster. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Putatis quia coelum suum occluserit
Hier. 23. dominus, ut nec rorem neque pluuiam mittat, sed perpetuo ferreum atque
Psal. 76. æreum perstabit? Non, sed exterminatorem profecto mittet angelum su
Deut. 8. um nobis, si modo toto corde quæsiuerimus illum, atque fores nostras et
1. Cor. 10. liminaria sanguine, imo Thau signo (quod atque extrariam cæremoniam
Hie. 23. Lutherani quod in Euangelio non exaratum sit contemnunt) frontes
Exod. 12. nostras obsignauerimus. Lætamini, tristitia uestra conuertetur in gaudi
Apoc. 7. um, & fidenter sperate, mensuratim fiet. Scriptum ne esse nostis, Multi-
Ioan. 15. plicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt? Quot inter sapi
Luc. 6. entes putatis (quos sæculi huius filios appellat CHRISTVS) a principio,
Psal. 15. obuijs ulnis multa cum lætitia Lutheranam exceperint materiam? Qui
Luc. 16. nūc ut uident, quoniam neutiquam hac ædificatur materia, sed destruuntur
1. Cor. 15. 13. muri, turres & reliqua, ciuitates in uillas, habitationes in deserta uer-
tuntur, lumen adhuc uultus sui super se signatum habentes, conuerten-
Psal. 4. tur. Vox enim dilecti clamat, Reuertere, reuertere. Et memorata A-
Can. 4. pocalypsi hortatur eos Ioannes in Pathmo, ut meminerint, qua pa-
Apoc. 3. ce, concordia, obedientia atque honestate uixerint, adeoque opu-

lentas

lentas terras & ciuitates, & populos rexerint. Deus adhuc super nos, Matth.2
uiuens in sæculum sæculi, in æternum & plus ultra. Num deum pu- Matth.12
tatis modo esse mortuorum, & non uiuentium? Ipse dominus est qui 1.Reg.2
mortificat et reuiuificat, deducit ad inferos & reducit. Sapiẽtiores nostri Esaiæ 36
baculo harundineo innixi sunt, qui ut confractus est, intrauitq; manus eorum & perforauit eas, reuertentur, appropinquabunt deo, induent stolam iustitiæ, dabunt gloriam deo, & profitebuntur quemadmodum ad seniores suos dixit Daniel, species decepit uos. Cæterum enim, Theu- Danie.13
tones nos id quasi hæreditauimus prouerbij, Non putabamus. Proin- Esaiæ 40
de, consolamini, consolamini popule meus dicit dominus omnipotens, Esaiæ.45
conuertimini ad dominum deum uestrum, & conuertetur ad uos. Non Hiere.3.23
est enim deus a remotis sed a propinquo; non derelinquens sperantes in Psalm.3.15 Hierem.145
se, uiduam et aduenam, Orphanos quoq; occiderunt, hos met ipse uindicabit. Multæ uero sunt tribulationes iustorum, sed ex omnibus his liberabit nos dominus, imo de sex tribulationibus, liberabit nos, & in septima non tanget nos malum. Herodis ne opinamini perpetuo perdu- Iob 5
rabit chorea, ut Baptistę Ioannis in disco caput atq; ferculum adferatur? Matth.14
Assuerus Rex, semel atq; mox principibus suis & ministris conuiuium Marc.6
instruet, paterfamilias thauros altiliaq; occidet, atq; pauperes quoq; ad Hest.1
conuiuium introire permittet, Illic non Lutheri turbidum perpetuo ui- Matth.12
num, sed blandum defecatumq; bibemus: neutiq̃ uero illud de quo Esa- Luce 13
ias querulatur dicens: Expectauimus (dixere principes & magnates no- Luce 5
stri) Engoldi hæc uinea dum uinum optimum, suauesq; uuas (quales Esaiæ 25 Esaiæ 1
Israëlitici palo deferebant suspensas) faceret, & ecce fecit labruscas, Iesum Cantic.1
tenere nos opinabamur, sed ecce Barrabam seditiosum illum habemus, Esaiæ 5
qui in dei ciuitate seditionem commouit. Vigilate proinde, state fortes Matth.27 Marc.15
in fide, immoti, rectiq;, Confortamini, Omnia uestra in charitate fiant. 1.Cor.6
Charitas dei urget me, Cuncta propter Euangelium facio, ut particeps Colos.3.
eius effici merear. Maledicimur & benedicimus, persequutionem pati- 2.Cor.5
mur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, Sic itur ad astra. 1.Corin.4

De Doctoris Ioan. Fabri excusationibus, Lutherana quur non acceptarit dogmata.

CAP. XL.

Dilectissimi in Christo fratres, Maledicta hęc, cõtumelias, criminationes, contemptus, detractiones & infamatorias cantilenas, multo iam tempore quæ inter nos, tanq̃ Gentiles essemus, perdurarunt, nequaquam sustinebit deus. In me, aut conscientia mea, quid deo acceptum, aut Euangelium sit, inuenire nequiui, quando undiq; aduersus hæc pugnet uerum Euangelium, maximeque doctrina Pauli. Scribit Paulus, Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat. Corrumpũt bonos mores colloquia praua. Timeo (habet idem ad Co- Ephes.4
rinthios) ne dũ uenero, contẽtiones, ęmulationes, animositates, dissensi- 1.Cor.15
ones, detractiones, susurrationes, inflationes, & seditiões sunt inter uos.

Turpitudo aut ſtultiloquium aut ſcurrilitas, Epheſ. ſcribit, nec nomine-
Epheſ. 5 tur in uobis. Nemo uos ſeducat doctrinis & inanibus uerbis, propter
Philip. 2 hæc enim uenit ira dei in filios diffidentiæ, Hinc Philippenſes orat, ut
unanimes idipſum ſentiant, eandem charitatem habentes. Nihil per con
tētionem neq; per inanem gloriam fecerint, ſed in humilitate ſuperiores
Epheſ. 4 ſibi inuicem arbitrantes. Proinde quoq; Epheſios cum docuiſſet, ut di-
gne ambularent, in omni humilitate & manſuetudine, cum patiētia ſup-
portantes inuicem in charitate, & ut ſoliciti ſeruarent unitatem in uincu
lo pacis, deponerent omne mendacium, loquerentur ueritatem unuſ-
quiſq; cū proximo ſuo, qm̄ ſumus inuicē membra, Concludit demum,
quod omnis amaritudo, & ira, & indignatio, clamor, & blaſphemia tol
Philip. 4 latur a uobis cum omni malitia. Voluit inde modeſtia ut noſtra nota
Coloſ. 2 eſſet omnibus hominibus. Vnde quoq; Thimotheo præcepit, ne uer-
2. Cor. 11 bis contendat. Quorundam enim ſermo ut cancer ſerpit. Seruum autem
2. Tim. 2 domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem,
1. Pet. 3 patientem, cum modeſtia corripiētem eos qui reſiſtunt ueritati. Parifor-
miter & docuit Petrus, In fide, inquit, unanimes, compatientes, fraterni-
tatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malū pro
Galat. 5 malo, nec maledictū ꝓ maledicto, ſed e cōtrario benedicentes. Galatas
item ſuos fideliter præmonuit Paulus, ne detraherent inuicem atq; lęde-
rent. Dicit enim: Videte ut dum mordetis inuicem, ne ab inuicem con-
Iacob. 4 ſumamini. Adde quod Iacob. habet, Nolite detrahere alterutrū fratres
Exod. 21 mei. Perquam multos iam, atq; cētuplices ex Paulo & Euangelio quo-
Matt. 5 que locos mitto. Quis uero eiuſmodi criminationes, inuectiuas, maledi-
Iacob. 4 cta, contentiones, & lites, oculum pro oculo, dētem pro dente, manum
1. Cor. 3 pro manu, aduerſus dei uoluntatem, audiuit unquam? Interrogare ne
dilecti fratres ut Iacobus poſſum, unde inter uos zelus & contentio, niſi
ex concupiſcentijs ueſtris? Num ubi zelus adeo & contentio illic carna-
les ſunt? Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immun-
ditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, con-
tentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidię, homicidia,
ebrietates, commeſſationes & his ſimilia. At e regione gentium inquit
doctor ad Galatas quinto rurſus: Fructus ſpiritus eſt Charitas, gaudi-
um, pax, patientia, lōganimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides,
modeſtia, continentia, caſtitas. Quoniam igitur detractiones, contenti-
ones, æmulationes, lites, reliquiq; eiuſmodi hoc hortulo fructus oborti
2. Tim. 2 ſunt, qui ſecus cogitare potui, quam nō illic eſſe ſpiritum dei, neutiquam
1. Timo. 5. 1 bonam, ſed arborem malam, non bonum ſed pernicioſum ſemen? Spe-
ciem quidem pietatis habent, promittentes ſcientiam, ſemper addiſcen-
tes, ſed nunquam ad ueritatis ſemitam peruenietes. Mecum ipſe reputa-
1. Timo. 2 ui, Euangelium non in ſermone eſſe, ſed in uirtute dei, proinde eos tanq̄
2. Cor. 11 homines audire nolui, ſed potius uerbum dei, quod ad Timotheum
2. Cor. 5 Paulus ſcribit. Vidi quemadmodum miſeros Corinthios in ſeruitutem
redegerunt, deuorarūt, in faciem cęcidere, quomodo pro ueritate men-
dacium

dacium dixerūt. Aduersus ergo ueritatem quid potero? Vidi quod destruere tantum contenderunt, neutiq̃ construere. Iudicate nunc igitur satius quid, deum ne audisse aut ipsos. Legem ne dei derelinquere debui, atq; obedire hominibus? Præsciui equidē, atq; hodie scio, quæ mihi oboriturę hinc essent inimicitiæ atq; displicentiæ. Sed oportet deo magis obedire q̃ homini, inq; eum modum, ut Petrus et cęteri apost. agere, qui gaudētes ibant, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliā pati. Actuum 5
Amici dilecti, Oseas Propheta scribit, Seminabunt uentū, & turbinem metent. Irretiti imo occlusi adeo altius sumus his, ut ex hoc labyrintho Dedali uix extricari quis possit. Arastis, inquit Oseas, impietatem, & iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij, Quę enim seminauerit homo, hęc & metet. Ratio, quod semen unumquodq; in fructu creauerit deus. Aduersus eos inclamitat Micheas dicens: Audite principes Iacob, & duces domus Israël. Nunquid non uestrū est ferre iudicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum? Proinde clamabunt ad dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tēpore illo, sicut nequiter egerunt in adinuētionibus suis. Hæc dicit dominus deus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prędicant pacem, & si quis nō dederit in ore ipsorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox uobis pro uisione erit, & tenebræ uobis pro diuinatione, & occūbet sol super Prophetas & obtenebrabit̃ sup eos dies, & cōfundentur q̃ uidēt uisiones, et cōfundent̃ diuini, & operiēt oēs uultus suos, quia nō est respōsum dei. Nostra iā tēpestate prophetia hæc in totū uerificata est, Vere cm̄ prophetæ sunt ipsi, mordētes dentib. suis, bella excitantes, & nihilominus pacē prædicantes, cor autem ipsorum quam longissime abest ab ea. Ietro Mosi socer alios assumere persuasit, qui in Israëlitico regendo populo adiumento essent. Quot nunc sunt eorum, qui uereri, hocq; sanguinolento exitu facies suas operire coguntur, edentes opertis uultibus atq; Thamar in biuio, dum Iudam præstolaretur? Vę ciuitas sanguinum, uniuersa mendacij dilaceratione plena. Væ qui ædificatis ciuitatem in sanguinibus, & præparatis urbem in iniquitate. Modicum profecto fermentum totam massam corrumpit. Modicillus ignis, totam absumit syluam, Sermo exiguus auditorem subuertit. Proinde fratres (qui Romæ estis) rogo uos, obseruetis eos qui contentiones & offendicula præter doctrinā quam uos didicistis faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo uentri, et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.

(Marginalia: Osee 8; Osee 10; Genes. 1; Mich. 3; Matth. 15; Exod. 18; Genes. 38; Naum 3; Abac. 2.; 1. Cor. 5; Roman. 16)

Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Heb. 13


AEC uestris Gratiositati, Strenuitati, Integritati et prudētię, adscribere uolui, nō ut confundā uos (id enim longe sit a me) sed (quod Paulus dicit) ut Charissimos mihi in Christo moneam 1. Cor. 4

cauere,

cauere ab hijs qui conturbant uos, qui & procul omne dubium por-
tabunt iudicium, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.
Galat. 1.5 Vere, uere enim dico uobis, quod in omnibus his neutiq̃ quę mea sunt,
1.Cor. 10 sed animarum uestrarum quærito salutem. Possem equidem, ut Paulus,
2.Cor.15 2.Cor.7 quærere quēnam circumuenerim uestrum, aut cui onerosus fuerim. Filij
Matth.7 uestri, imo pauperes, iudices in his erunt. Non audemus (quod Paulus
Lucæ 11 dixit) nos comparare quibusdam qui seipsos cōmendāt. Non enim qui
2.Cor. 10 seipsum commendat, ille probatus est, sed quem deus commendat. Ve-
1.Cor. 9 runtamen & id uerum, quia dum liber essem, factus sum seruus, infirmis
infirmus, & omīa omnibus factus sum ut Christo eos lucrifacerem, ipsis
benefacere possem. Verum enimuero de transitorijs si dixero, nemo dis-
fidētium mihi toto comitatu Tyrolis imo uniuersis Austriæ regionibus
commonstrare poterit aut dicere, ꝙ eis annis, quibus tam sedulo apud
eorum principem gratiosiss. Princ. nost. et dn̄m, eiusq; terris & populis
inseruiui, feudum aut proprium spirituale aut sæculare conquisiuerim
quoduis, alijs quanq̃ in eiusmodi adiumento fuerim, sed interea meis de-
spoliatus sum bonis, quod uniuersis cognitum, clarum & manifestū est.
Quanq̃ ob id pœniteat me nihil, neque contristor ob eum Christianiss.
principē aduersitates omneis, mortē etiā ipsam obire. Sed reuera graui-
us mihi est nihil, q̃ serenitatem suam atq; deinde me incusari, ꝙ Euange-
lium præpediuerimus. Potius enim parte mea Iudæus, q̃ aduersator Eu
Ioan.7 angelij increpitari mallem. Sed ut ita feram, oportet. Christus quoq; in-
Roman. 14 cusatus est quia seduceret turbas. Rationem quisq; reddet Deo, & quæ
Galat. 2 Roman. 14 seminauerit homo, hęc & metet, coramq; Christi tribunali uniuscuiusq;
2.Cor.5 quale sit opus, igne probabitur, dabitq; cuiq; deus secūdum opera sua.
1.Cor. 3 At uero & id uerum est, ꝙ omnibus in locis, quibus cū uobiscū tum Au
Roman. 2 striæ cæteris partibus concionatus dum sum, pręter Euangelium sacras-
ue adeo scripturas proloquutus sum nihil: ut & Lutherani demirati sint
propatuloq; professi, nihil me quam dicere Euangelium, aduersari uero
Luthero sequacibusq; suis. Euangelium igitur si adnunciaui, ueritas fuit
Matth. 12 utiq;. Quur ergo cōtrarius sum Euangelio, quando dicat Christus, qui
non est mecū, contra me est, & qui non colligit mecū atq; cum Euange-
lio meo, dispergit: imo qui non est cōtra uos, pro uobis est. Non autem
Lucæ. 11 Iudæos e Hierosolymis æmulatus sum, Herodi qui mancam suffuraban
Mich. 5 tur de Michęa prophetiam, pręcipuam uero eius obmiserunt portionē.
Omnia (ad Pauli doctrinam) ad uitæ correctionem, imo ædificationem
prædicaui, uerbum dei non ad seditionem, sed pacem et charitatem imo
ad omne bonum interpretatus sum: non adulteraui illud quemadmo-
1.Cor.14 dum Antichristi illi, qui a nobis exierunt sed non erant ex nobis: sed iu-
2.Cor. 2 uenes atq; seniores corripui, docui, obsecraui, quemadmodum Timo-
1.Ioan.2 theo præcipit Paulus, gloriatus sum in cruce dn̄i nostri Iesu Christi, nō
1.Timo. 5 Galat.6 secūdum carnem, sed in dn̄o et uerbo eius, quod in sudariolum nequaq̃
Lucæ.19 reposui. Scio enim quia qui confitetur eū coram hominibus, eum quo-
Matth.10 que confitebitur ipse coram patre suo qui in cœlis est. Quur ipsum igi-
tur abne-

tur abnegassem? Sacras a iuuentute, quẽadmodum Timotheus, edoctus 2.Timo.3
sum literas et priusquã Theagnes nasceretur, in omnigenis linguis imo antequã in Aquilone se Lutherus extulisset, scripsi atq; concionatus sum Euangelium secũdum doctores uniuersos qui Euangelium Paulinasq; Epistolas interpretati sunt, quos etiam quantum in me fuit, prælo commendaui, fortassis quoq; legi.

Proinde Charissimi fratres ad sufficientiam usq; eum in Euangelio suo gloriari permittite, ponereq; carnẽ brachiũ suũ (id q̃d ꝑmultis facit locis) At uero ego cũ Socrate dixero, Vnũ hoc me ꝑdidicisse ꝙ sciam nihil. Nomen habeat atq; famã, atq; Euangelium in lucẽ produxerit ip se. Eras. certe Rothe. is est, cui Euãgelŋ illustrationẽ acceptam ferimus grates q; dicimus. Qui etenim uti Maria plus cæteris laborauit, quemadmodum & Lutherus cella sua adhuc residens ei humilem admodũ scripsit Epistolam. Factum uero est in diebus illis, qñ cum propheta dicere potuit: Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei. Non ambulaui in magnis, neq; in mirabilib. super me. Aut uero statim ut rursus illi scripsit, de donis dei ne eleuaret, simulatq; de arbitrŋ libertate oratiõe uirginitatis, reliquisq; Christianis rebus, thalamo petŋt, imo mox doctissimus Erasmus, ut seditioso hoc euãgelio displicentiã habere cœpit, aduersum ipsum scripsit, Iam tum discipulus erat super magistrũ, Erasmus puer erat atq; Hieremias, baculo nitebatur inambulãs imo duplex puer, quod Parœmia dicitur, Bis pueri senes. Docẽdus primũ erat (quemadmodum Hebræi) Elementa, Dum iam deberet esse magister, Hebr.5
rursus indigebat ut doceretur, scripturas nescŋt, quod dixit ignorabat.

Hæc ob id adnumerauero, ne (quod Paulus dicit) a satana circumue Luce 18
niamur, nõ enim ignoramus insidias eius. An putatis, quia deus non faciet uindictam eorum, quibus tanta irrogata iniuria, clamantium ad se quotidie? Ego quidem pro parte mea, audiui superbiam Moab, proinde illi, nequaquam sacro Euangelio, contrarius fui.

Aut edixerint diffidentes mihi, ne Cæsar. Maiest. edicta quædam et plura mandata, priusquam ad Sereniss. Princ. ego deuenissem curiam, euulgarit, atq; Sereniss. Principis, quæ aduersus Lutheri dogmata ędidit, mandata, uenerandis prouincŋs & uobis quoq; (ut dignum erat) complacuerũt, cunctisq; Austriæ partium regimentis hactenus quæ honeste, Christiane, multaq; rationis dexteritate rexerunt. Nonne fluxum hoc & impium ferre noluerunt Euangelium, atque super hoc executionem fecerunt? Proinde inaudita proditio in integerrimos Regentes, & locum tenentes Enshcymię, imo in præcipuas terras a Lutheranis effícta est, sed eam inuertit dominus, qui nouit qui sint eius, quos & nouit eripere ab omni malo, quod & hic factum. Viderunt enim quia ad postremum, quam incendia, inobedientiæ, homicidia, perditiones corporis, honorum, bonorum atq; animarum sequuturum erit nihil, Proinde nõ literas eorꝫ ipsi, sed monitorias atq; mandata acceptarũt, et ego in ꝑditionib. illis, quę in omniũ superiorꝫ totiusq; potestatis,

quam ma

quam maxime uero nobilissimæ Austriæ domus perniciem immediate decurrebant, complacentiam habere debui? Quod & fortasse si in hijs (quod res ipsa negabit) temere fecissem, dicant insidiātes mihi, quis tum principem illum, uniuersasq; regiones & regimenta seduxerit, curiam priusquam intrassem ego? Videtis ne nunc, capitis, imo palpatis, charissimi domini mei, amici, & fratres, quam in ijs multis irrequietus sit, quomodo inuertat cribrum, triticumq; in stipulas uertere cōtendat? Quam diffisores mei aduersus me nodum in scyrpo quæritant? Sed occasiones

Prouerb. 18 quærit qui ab amico uult recedere.

Hæc breuiuscule modo subindicare uolui, alia sperans, præstantioraq; uos abs me accepturos, quoniā Christianę religionis aduersus desertorem hunc, in Cacum istum latus pugnandi patet campus, faciendi

Eccle. duod. contra eum libros plures non est finis, mundus eos capere non posset.

Hæc inq̄ pro breui atq; simplici ꝓbatione, quemadmodū medicus atq; p̄monens, enumerare cōstitui, quo uidere liceat, q̄ Monachus unus hic ecclesię e cardinib. euulserit ualuas, utq; a fermēto cauere possetis pharisęorū. Precor uero ut fortasse si materiā feruētior alicubi cōtigissem, ue-

Psalm. 68 niā detis. Ex charitate factum est, & zelus dn̄i comedit me. Quando &

Exod. 32 Moses ex occasione domini infregerit tabulas obq; templi zelum Chri-

Ioan. 2 stus, flagello compacto, uendentes ementesq; e templo pulerit, nummulariorum mensas subuerterit, utque quis uas perferret per templum non admiserit. At dum uiderim ego, quod destruxerint templa, subuerterint altaria, q; modica peneq; nulla fides aut uotum remaneret in terris, num a Cretensibus istis, imo hæreticis, quorum subuersus est spiritus a serpentibus his in paludibus, in castro ab igne consiliarius atq; fidelis

Actuum 3 præmonere debui, quo excuteretis eas, pedibusq; contereretis? Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc uobis do. Fidelior hæc mea admonitio est, ut ab his caueatis dogmatibus, quæ mel ore ge-

Iacob. primo runt, aconitumq; corde seruant, atq; ita duplices sunt corde a quibus at-

2. Tim. 3 tendēdum merito est q; instabiles sint, pleni inuidia, superbi, elati, tentigi

1. Petr. 2 nosas reddentes aures, Christianamq; libertatem pertrahunt et docent

Prouer. pri. ad libertatem carnis, quorum ueloces pedes currunt ad effundendū san

Ephes. 4 guinē, omnemq; interturbare pacē. Ad hæc, ut Paulus docet, unice quæ

2. Cor. 10 pacis sunt sectemur, ęmulemur, et quę instructionis sunt, prosequamur,

1. Cor. 14 quæ ædificationis, inuicem custodiamus. Tum etenim deus, qui dissensionis deus non est aut dissidiorum, sed pacis, nobiscum erit,

Ex quo, per quem, et in quo sunt omnia. Ipsi gloria,
honor & laus per infinita sæculorum sæcula, in æternum & plus
ultra.

PSALM. CXVI.

Veritas Domini manet in æternum.

SERMONES DOCTORIS IOANNIS FABRI EPISCOPI VIennensis, habiti Pragæ apud Bohemos de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

SERMO PRIMVS IN DIE COENAE DOMINICAE mane habitus.



REDERE OPORTET ACCEDENTEM AD deū, ad Heb. xi. Tanta, tamq; magna apud Christianos res est fides, ut sine fide deo placere impossibile existat, id quod diuina scriptura nullibi non testificatur, nullibi non inculcat. Quid enim in uniuersa scriptura magis quam fides laudatur? Quid contra uituperatur a scriptura uehemētius, & exprobratur asperius q̃ incredulitas? In fide sua ut præclare apud prophetam scriptum est, uiuet iustus. Quapropter ab initio etiam mundi usq; ad Christum, ingens sanctorum hominum multitudo ob fidem in scripturis sanctis commendatur, quemadmodum de Abel, Enoch, Noē, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mose, Gedeone, Iepte, Dauide, Samuele, & aliis legimus, quibus omnibus fides eorum, qua ad deum accesserant, laudi & saluti fuit. Deinde autem & in nouo testamento longe plurimis utriusque sexus fides ad iustitiam reputata est. Quot enim Christus & quamobrem nisi ob fidem laudatos, & pro beatis pronunciatos dimisit? Quæ quum ita sese habeant, recte quidem & uerissime beatus Paulus concludit, sine fide impossibile esse, ut quis deo placeat, Et quod ad Romanos scribit, id omne peccatum esse, quod ex fide non existat. Quid enim deum immortalem acerbius reprehendit, & magis abominatus est Christus quam incredulitatē? Euellere namq; ex cordibus nocētissimum incredulitatis uitium Christus ante & post resurrectionem unice studuit. Eam igitur ob rem Petrum e naui sibi obuiam egressum dubitantemq; increpat, exigua fiducia prædite, cur hæsitasti? Quibus uero uerbis apud Matthæum nationem incredulam & distortam obiurgat? Quam uehementer eos, qui ab Hierosolymis in castellum Emaus ibant, de tarditate cordis ad credendum arguit? Quin & omnes undecim discipulos increpauit & eorum incredulitatem, cordisque duriciem exprobrauit, quod iis, qui ipsum uidissent resurrexisse, non credidissent. Tanti enim Christus fidem fecit, ut Ioannis iii. affirmet, eum qui credit non condemnari, eum uero qui non credit, iam condemnatum esse. Est itaque fide uera nihil nobis salubri

[Margin: Abac. 2 / Hebr. 11 / Ibidem. / Roman. 14 / Matth. 14 / Matth. 17 / Lucæ ultimo.]

bis ſalubrius, nihilque magis neceſſarium cum in omnibus Catholicæ noſtræ fidei articulis retinendis, tum præcipue in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento tractando, in quo ſuum corpus, ſuumque ſanguinem precioſiſſimum CHRISTVS nobis donat. Hic non infirmis noſtræ rationis argumentis, non fallaci & ſtultæ prudētiæ noſtrę opinionibus cedendum, ſed firmiſſimis CHRISTI uerbis, ijſdemque certiſſimis inhærendum, & cor non carnalibus ſubmergendum dubijs, ſed animoſa fide quaſi communiendum erit. Quod niſi fiat, periculum eſt fratres, ne cum Berengario pernicioſe & impie dubitemus, quemadmodum & noſtro ſæculo multi (proh dolor) Capharnaitæ, Iebuſæi,

Catalogus hæreticorum Vuiclephenſes, Oecolampadiani, Zuingliani, et alij, quorum hic recenſere piget nomina, plurimi, qui magno cum detrimento ſuarum animarum & offendiculo aliorum dubitant cum in alijs multis articulis, tum præcipue circa hoc diuinum & precioſiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum manifeſtæ pertinaciter ueritati reluctantur, nihil credentes niſi quod carnalibus oculis coram cernunt, & iſtis carnalibus manibus contrectant, tunc demum credituri CHRISTI corpus adeſſe, ſi ut Thomas ille Dydimus, in manibus eius ueſtigia uiderint clauorum, cæteraque omnia membra pertractarint. Miſeri ſane homines,

Matth. 26 & magno cum periculo animarum ſuarum errantes, quod aperto
Lucæ 22 CHRISTI uerbo (quo nihil certius habemus) fidem non adhibent.
Marci 14 CHRISTVS expreſſis uerbis dixit, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Noſtri hæretici, dum impune ſibi ſua hactenus abijſſe uident mendacia, perfricta fronte etiam in hæc ultimæ cœnæ uerba faciunt impetum, & pro ſua libidine impudenter hiſce ludunt, non maiore reuerentia ea quam milites CHRISTI ueſtimenta partientes. Ita enim illa exponunt ludibrio, ut tunicam quæ a gentibus indiuiſa permanſit, reſiduam non faciant, quin omnia lacerant, miſſaq; ſorte diſtribuunt turpiſſime, parum memores, hoc non hominis, qui falli poſſit,

Ioan. 1 ſed DEI omnipotentis, qui non irridetur, uerbum eſſe, taleque uerbum, quod in principio erat, & erat apud DEVM, & quod DEVS erat, & ipſamet ueritas. Cœlum & terra tranſibunt, uerbum autem hoc non tranſibit. Quæ cum ita ſeſe habeant, pro confirmandis animis fratres dilectiſſimi, non tam utilem quam neceſſariam rem me facturum cenſeo, ſi apertis euidentiſſimiſque aliquot ſcripturæ locis diuini uerbi uim & uirtutem uobis ob oculos poſuero. Conſideranti itaque & diligenter intuenti mihi, quanta uerbo DEI creata & facta ſint, in primis ſe

Pſalm. 148 offert fide digniſſimum regij prophetæ Dauidis teſtimonium ſic dicentis, Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe pręcepit & creata ſunt. Et iterum: Verbo domini cœli facti ſunt, & in ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Geneſ. 1 Sic in principio mundi dixit dominus, Fiat lux, & facta eſt lux. Dixit, Fiat firmamentum, & factum eſt: Dixit, Congregentur aquæ, & congregatæ ſunt. Fiant duo luminaria magna in firmamento cœli, & facta ſunt

facta sunt. Huius diuini uerbi uirtute & potentia in hodiernum usque diem, terra fundata permanet, nec mouebitur in sæcula sæculorum. Quare propheta ille Dauid Psal. cxlviij. cõfitetur ignem, grandinem, niuem, spiritum procellarum facere uerbum eius. Sic piscis ille magnus Ionam in aridam è mari euomere cogitur. Sic Sol, suum sibi diuino uerbo officium impositum exequens, diem refert, nobiscum sine ullo recentiore mandato permanet. Quemadmodum tempore Iosue & Ezechiæ. Etsi uero res magna & admirabilis est, cœlum æterno & irrequieto ambitu, & inenarrabili celeritate quatuor & uiginti horarum spacio circumagi, Solemque in anno per refluxum, & in mense lunam suum cursum per duodecim signa perficere: tamen (utcunque magna & admiranda uideantur) illa omnia fiunt, & ideo fiunt, quia domino Deo sic placuit, quia diuino uerbo id muneris eis impositum est, quod uerbum tam potens est, ut infinitam ægrotorum multitudinem sanauerit, uelut & Psalmus cvi. euidentissime probat his uerbis: Mittet uerbum suum & sanabit eos. Sic uerbo suo spiritus immundos eiecit, uerbo unico, sæpe multos firmissimæ ualetudini restituit. Quæ quum ita sese habeant, uidetis iam fratres in Christo dilectissimi, quæ uerbi diuini uis, quæ uirtus, quæ admirabilis potestas sit. Neque enim fieri potest, ut ex tot sacræ scripturæ testimonijs, rerumque ipsarum naturis, non intelligatis adeo certum, firmum, & perpetuo incorruptum Dei uerbum esse, ut ubi illius uerbi testimonium habemus, ibi non modo non dubitandum, sed posthabitis omnibus nostræ rationis argumentis, credendum esse, uerboque diuino per fidem adhærendum.

Ione 2

Iosue 10

Iam uero cum de honorabili altaris Sacramento, apertum Christi uerbum habeamus, quo hodierno die, in ultima uidelicet sua cœna discipulis testificatus est, hoc corpus & sanguinem suum esse, quid quæso reliquum est? nisi ut quilibet uere Christianus, clausis suæ rationis oculis, & quodcunque carnalis phantasia, uel hæreticorum peruersa doctrina obiecerit, id omne gladio spiritus, uerbo dei, depellat. Equidem hoc gladio spiritus, uerbo scilicet diuino, quouis gladiatore ictum certius reget. Nam Dei uerbum longe firmior est gladius, quam Goliæ Philistæi istius. Verbo enim domini dicentis, ego sum, in monte Oliueti, qui eum capturi erant, perculsi abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Sed quid multis? Vniuersa scriptura his miraculis est referta, in quibus Dei, uerbique sui uirtus & amplissima potentia ob oculos ponitur. Quid enim hic recenseam fortissimum Petri uerbum ad Ananiam & Sapphyram? Lazarus denique, qui fuerat mortuus, trium uerborum domini uirtute, Lazare ueni foras, prodijt. Huius diuini uerbi uim toties nobis inculcantes prophetæ, toties se non ex seipsis loqui testantur, sed domini esse uerba ingeminant. Ita enim aiunt, Hoc dixit dominus, Hoc os domini loquutum est, Verbum domini factum est ad Hieremiam, Ecce dedi uerba mea in ore tuo,

Gladius spiritualis.

Actuum 5

Ioan. 11

Hoc uerbum domini rectum est Psalmo xxxij. & lucerna pedum est Psalm.cxviij. & principium est & ueritas, firmata supra petram adeo firmiter, ut portæ infernales non præualere possint aduersus illud. Pythagoræ discipuli in suis disputationibus hoc pro more habuerunt, ut dicerent, Ipse (puta Pythagoras) dixit, in sui uidelicet præceptoris uerbis figentes pedem, non amplius quærebant. Quanto itaque magis nobis est faciendum, in rebus & articulis nostræ fidei, ut dicamus, Sic deo omnipotenti placuit, hoc dixit, hoc uoluit, & omnia quæcunque uoluit fecit. Quid enim infirmis nostræ rationis uiribus sumus effecturi? Verbum dei lux est. Si nostræ rationis tenebras sequuti fuerimus, impingemus: si de uerbo diuino dubitantes, ut Zacharias, nobis persuaserimus hoc uel illud fore impossibile, obmutescemus ilico, faciemusque ut næ intelligendo, nil intelligamus. Meritoque cum Nicodemo, utcunque maximi Rabbi in Israël uideri uelimus, inertiæ & inscitiæ accusemur. Quamprimum enim cæcæ rationis opiniones in diuinis scrutandis sequuti, ratiocinari cœperimus, ut possibile uideatur dominum qui cœlum terramque impleat, uirginis utero claudi, & a uirgine nasci, mox in profundum maris delapsi, emergere sine magno periculo non poterimus. Quapropter in his alijsque consimilibus dei operibus fidelis animus nō aget consultius, quam tentationi reluctando, humiliter & omni cum reuerentia cum beato Paulo exclamet, O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis dei, & cætera. Quinetiam semet agnoscat homo Christianus, cogitetque, Quid ego uermis magnitudinem mysteriorum, quid abscondita dei iudicia inuestigo? Dum enim lucem & splendorem diuinæ maiestatis scrutari conor, non magis apte accedo, quam noctua ad intuendos clari solis radios. Desino itaque occulta Dei iudicia rimari, altiora me non quæro, non exaltatur cor meum, non gradior in magnis, non ambulo in mirabilibus super me, quin potius grato animo ea accepto, quæ ipse offert, quæque ipse me scire uoluit. Placuit deo altissimo, ut ipse assumpta carne nasceretur Emanuel, homo nobiscum esset & conuersaretur, cruceque in humeros suscepta pro nobis passus moreretur. Proinde Christiani non Augustum, Iulium, & his similes Imperatores prædicamus, sed Christum, & hunc crucifixum, prima Corinth. primo. Vt igitur in admirandis Dei operibus alijs, ita & circa hoc inenarrabile corporis & sanguinis Christi sacramentum merito confitebimur nostram imbecillitatem, & immensam Dei maiestatem. Dicemusque, Sic domino deo placuit, sic ipse uoluit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Et quum uoluntatem per uerbum suum nobis reuelauit, placeat itaque nobis quod ei placuit. Ipse enim similia mirabilia multa fecit. Porro increduli, qui non quid possit aut dixerit dominus, sed quid ipsi intelligant expendunt, ij circa altaris hoc uenerabile sacramentum multum uarieque torquentur, dum scrutari nequicquam conantur miseri homines, quomodo Christus simul & una in cœlo a dextris

Ioan. 5
Luca 1
Roman. 12

dextris patris sedere, & in sacramento altaris esse possit. Illis ego post Apostoli uerba ad Romanos primo, paucis respōdebo, primumq; aio, æterna & inuisibilia etiam per creaturas mundi agnosci posse, Iubeoq; istos omnes apud se expendere, qui sit possibile, ut una anima integra sit in toto corpore & omnibus corporis partibus. Ita ut quamprimum membrorum aliquod uapulat, compatiantur etiam cętera omnia, & tamen una duntaxat insit illis anima. Quemadmodum & Apostolus scribit, Siue patiatur unum membrum, simul patiuntur omnia membra: siue glorificatur unum membrum, simul gaudent omnia membra. Eadem porro anima cernit, cogitat, mouet, & illa omnia simul & una. Iam quomodo hoc possibile sit, & quomodo fiat, nemo mea quidem sententia explicabit, nisi quemadmodum omnes prudentes, & nos de his rebus disserimus, oportebit nos confiteri, quod parum admodum istis de rebus certo scimus, præter hoc quod experimento discimus, hæc ita se habere. Quare autem & quomodo, pauci (ni fallor) in hanc usque horam cognouerunt, nedum rationem indicarunt. Bini hominibus singulis sunt oculi. Iam ego simul & una mille, imo multa milia laterũ, stellarum, capitum & cætera, meis oculis concipio, id quod altero sæpe oculo potest probari, Integrum speculum unam tibi figuram exhibet, quod perfractum & ruptum in centum partes, centum repræsentabit figuras. Sol unus in aquis a mille cernitur hominibus, turris una in multorum millium hominum est oculis, & licet sit, permaneatq; semper unus sol, unaue turris, tamen in eodem momento & illa, & permulta milia miliarium coelum quis intuetur. Vt autem aperte uideatis infirmiorem nostram rationem esse, quam quæ diuinorum operum causas inuestigare possit, intuemini agricolas, contemplamini frumenti grana, & expendite (si potestis) quomodo fiat ut ex tantillo grano tantę radices, tam procerus calamus, tam densa spica, & tot alia grana succrescant. Admirabile panum et piscium augmentum a Christo in Euangelio factum legimus, & fuit sane magnum in omnium oculis miraculum, ex tanta paucitate panum et piscium tot homines saturari. Atqui ut granum frumēti in terram deiectum, & ut Christus pulchre docet, etiam mortuum, tantũ fructũ adferat, ut ex uno grano sæpe centũ fiant, ueluti in India & alibi, id nō inferius dei opus illis alijs uideri debet. Ad eundē modum uocē iam meam, quæ una est, o deo deuote adiutor, audis, q; autem eādem multæ aures audiant, quas illa implet, tibiq; & multis hominibus hęc eadē uox Christum prędicatum in cor transmittat per gratiam, et quod Christus, ueluti Apostolus testatur, sit in fidelium, quorum tot milia sunt, cordib. satis mirabile est, & contra sacramētorum euersores magna & firma Euangelij probatio. Panē porro, quo pasceris quotidie, suscipe in manus, et omnibus tuæ rationis uiribus supputa, quō ex pane caro, sanguis, ossa, nerui, et id genus alia mirabilia fiant, quæ essentiam aut formā panis non habent. Cogita apud animũ tuum quæ sit ratio, cur ex minutissimo grano pyræ, mali, aut glande aliqua non tam numerosus fructus, q̃ insignis

1. Cor. 12

A simili.

magnitudinis arbores succrescant. Huc pertinet granum sinapis, de quo in Euangelio Christus, ex quo tanta arbor succrescit, ut ueniant uolucres cœli & nidulentur in ramis eius. Hæc si apud animum tuum propius fueris contemplatus, nonne demiraberis, nonne nihil, uel admodum parum inuenies, quod sis pro ratione allaturus? Tuæ enim rationis obscurum lumen sequutus, cogeris uelis nolis tandem id quoque confiteri, Quo magis de operum illorum causis cogites, eo minus inuenias, & tandem cum Ecclesiaste clamabis, te hoc inuenisse unum, ut eorum quæ facta sunt rationem inuenire non possis. Sola enim hæc, & uerissima est ratio, quod deo Optimo Maximo (ut habemus Genes. i) sic placuit, sic ille ordinauit, nosque longo usu confirmati, uidemus hæc ita euenire. Nisi enim longa experientia assuefacti essemus, non minore illa nos admiratione sui caperet, quam primum illud miraculum cœpit
Ioan. 2. quod in Cana Galilææ dominus ædidit initium signorum. Mirabile sane est ex uno grano succrescentium arborũ tot sępe milia fieri, uirga Aaronis floruit, & admirabiliter fructũ tulit, id scilicet quod hyeme transacta omnibus arboribus natura contingit. Quum itaq; hæc natura tribuat, cur nõ magister & gubernator naturæ plus sibi potestatis reseruare posset? Cur deniq; de ea quam suis uerbis declarasset uolũtate nos dubitaremus? quum eum id posse nemo negare audeat, uelle autem suum uerbum circa hoc altaris sacramentum clarissime indicet. Quapropter credere oportet, in fide uel Sacramento accedentẽ ad deum.

SERMO SECVNDVS IN DIE COENAE DOMINICAE POST prandium habitus.

CREDERE OPORTET ACCEDENTEM AD DEum, ad Hebræos xi. Res est deploranda, & non parum admirabilis fratres charissimi, quod passim de Satanæ astutijs in scripturis sanctis legimus. Quoties eñ deũ & dei homines cœpisse insigne aliquid legimus, id si quo mõ potuit, satanã intercepisse aut interturbasse
Apoca. 12 scripturæ testimonio docemur. Sic cũ Michaële Angelo pro dei gloria pugnanti præliatus est, quemadmodũ Ioãnes in Pathmo insula eleganter descripsit. Quare & Christus Lucæ x. affirmat, se uidisse satanã sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Porro in paradiso pax erat & trãquillitas. Erat enim, ut

enim, ut elegantissime Moses scribit, gan edæn hoc est, hortus omnis amœnitatis uoluptatisq; refertissimus. In hoc itaq; paradiso duo erãt secundum unam imaginem & similitudinem creati, eratq; altera ex alterius osse, caro ex alterius carne, adeoq; ut duo essent in carne una. Sed hoc nihil impedimento fuit satanæ, quo minus suis fallacijs discordiam inimicitiamq; seminaret inter deum & homines, maritum & uxorem, matrem terram, & Adam qui ex ea sumptus erat. Et fuit sane tam capitalis ista offensio, ut deum iratum non Adam, non ullus angelorum, fere per quinquies mille annos, sed unius dei filius solum placare potuerit. Cuius quidem diabolicæ fraudis fomenta adhuc miseris nobis mortalibus multa infixa sunt. Sentimus enim indesinenter spiritui carnem nostram reluctari. Eius mali caput & origo satanas ille uersipellis ab initio fuit. Tempore quo Iob homo simplex, rectus ac timens deum degebat in terra Hus, filijq; dei coram domino stabant, uenit & satanas, & confitebatur se circumiuisse terram, & se eam perambulasse, iamq; secunda uice se huic sanctæ congregationi immiscuerat. Et licet suam Iob nondum amisisset innocentiam, tamẽ innocentem & rectum Iob percussit ulcere pessimo a planta pedis usq; ad uerticem eius. Ad hæc, non contentus fuit se bonum illum & simplicem Iob omnibus suis ouibus, camelis, omnibus item opibus spoliasse, & orbasse liberis, quin & uxorem eius (nouũ malum) aduersus eum instigauit, quo omnia calamitate, contentione referta essent. Apud Zachariam iij. legimus Iesum magnum sacerdotem coram angelo dei stetisse, satanamq; a dextris eius astitisse ut aduersaretur ei. Quinetiam in nouo testamento suæ artis minime oblitus ueterator ille & antiquus Draco, omnẽ (quod dici solet) lapidem mouit, Non enim solum sanctos piorum conatus remorari, sed & Christo domino esse impedimento uoluit. Vnde in deserto, super pinnaculo templi, & in monte excelso, alijs atq; alijs tentandi generibus dominum adoriri non dubitauit. Et si quo modo potuisset, fructiferam & expectatam eius passionem libenter impediuisset, Matthæi xxvi. Quare Pilati uxorem per totam noctem affligebat. In cœna domini ne parum strenue interturbasse omnia uideretur, Iudæ Iscariotis cor totum obsedit. Et quemadmodum fideliter discipulis Christus indicat, Satanas eos expetiuerat, ut cribraret sicut triticum. Quamobrem prædicato & suscepto iam Euangelio satanas mille artifex suam quoque immiscuit zizaniam, propriamque, de qua Timothei v. synagogam instituit. Paulum impediuit, i. Thessalonicen. ij. id quod ad Corinthios scribens ipse conqueritur, datum scilicet sibi stimulum carnis, & nuncium satanæ. Circumit enim indesinenter satanas sicut leo rugiens, quærens quod subuertat, laniet, diripiat, & deuoret. Satanæ enim instinctu Ananias spiritui sancto mentitur, mirabiliter grauissimæ quæq; hæreses introducuntur, & quicquid est pietatis extinguitur, ueluti Christus Marci quarto testatur, multis iam auditum uerbum satanam eripere, sermonemq; in eo-

Iob. I.

Matth. 4.

Luc. 22.

2. Cor. 12.

Actu. 5.

 rum cor-

rum cordibus seminatum auferre. Sic antiquus ille Draco satanas circa honorabile altaris sacramentū omnibus fallēdi artibus est usus. Quā primum enim Christum, Ioan. vi. cœlestis illius panis mentionem facere satanas audiuit, mox se ex angelo tenebrarum in angelum lucis transfigurauit, & ut murmurarent & contradicerent Iudæis suggessit. Proinde quum audirent Christum dicētem: panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita, cœperunt ilico, satana inspirante, contendere dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suā dare ad edendum? Quinetiam pergente de hoc pane cœlesti dicere Christo, multi ex discipulis eius durum esse hunc sermonem affirmabant. Insuper multi ex discipulis eius desciuerunt ab eo, nec amplius cum illo ambulabāt. Hisce dolis & machinationibus multis sæculis satanas usus, antiquū illum obtinet, nempe fallendi, morem. Et mea quidem sententia, inuerecundius multo quam antea. Hodie enim dum nihil quod non successerit, hæresium se seminasse animaduertit, uiamq; sibi, multis præcurrentibus erroribus, stratam uidet, parum curans concordem Ecclesiæ per tot sæcula de hoc inæstimabili sacramento sententiam, uerbaq; Christi clarissima floccifaciens, rerum gestarum prosperitate elatus, impetum non iam in Ecclesiam, sed in Christi mensam facit, Hanc post tot horribiles hæreses passim per suos ministros disseminatas, funditus extirpare conatur, Christoq; nouam dicendi formam præscribere, & eum mendacij arguere aperte incipit. Vbi enim se nobis Christus donauit, & hactenus semper domini mensam, & panem qui de cœlo descēdit, habuimus, satanas iam opera quorundam Alexandrorū, Hymenæorum, Philetorum, sacerdotum uidelicet, & monachorum apostatarum ministerio suam substituere mensam molitur. Illos enim quos iam pridem contemptu rectæ & peculiariter susceptæ religionis, uiolato iureiurando, suos fecit, mille nugandi generibus adornatos mittit & impellit, ut & nos ad suam mēsam inuitent, nosq; sibi lucrifaciant, pro pane lapidem, & pro Christo Belial ostendendo. Quod, ni fallor, strenue faciunt passim. Confluunt enim sine discrimine in quoscunq; angulos, ut olim Corinthij, dictitantes se dominicam cœnam sumere. Interim uero ipsius Belial, Baal, Baalim, Moloch, Beelzebub et aliorum dæmoniorum mensas erigunt. Eodem tunc se conferunt Anabaptistæ a Sodoma & Gomorra, belli isti discipuli Nicolai Antiocheni. Hic Christiane (si dijs placet) mensa, non dico domini, sed dæmoniorum adornata, comessatur, potatur Epicureorum more. Saltatur deniq; circum uitulum conflatilem, & luditur impie. Et hæc facientes tamen subinde sibi blandiuntur se Euangelicos esse, & uere cœnam dominicam sumere prædicant. O rem immundā & nationem subdolam misereq; subuersam.

Sed quæret hic aliquis, quænam istorum hominum sint fundamenta quibus innixi a Christi claris uerbis deficiant, suisq; cogitationibus se committentes, in tenebris Ægypti tantopere impingant, & ut cæci nusquam non offendant? Est quidem admiratione & stupore res ista non indigna,

indigna, fratres charissimi. Atqui multiplices uariasq; illorum sectas intuentes, deprehendetis facilime quid quemq; moueat, & q̄ leui uēto impellantur. Siquidem spiritu uertiginis impulsi, nouas quotidie hæreses comminiscunt̄, iamq; non dissimulanter tunicā Christi inconsutilē scindūt, & Christi uerba pro sua libidine interpretantur, dn̄i ossa, quę a militibus intacta remanserunt, ipsi sine discrimine tangunt, frangunt & dispergunt. Ex his enim quidam asserunt, Christum non amplius q̄ uno loco, nimirum in cœlo esse posse, atq; id in strictissimo & abdito quodam angulo. Deinde sunt q̄ adesse uerum Christi corpus & uerum eius sanguinem confitentur, sed manere nihilominus panis & uini substantiam testantur, nec eam Christo aduenienti uirtute uerborum, diuinaq; uoluntate ita uolēte, cedere. Post hos alij sunt, qui non eunt inficias Christum dixisse, hoc est corpus meum, atqui aiunt eum retro suum corpus indicasse discipulis. Multaq; nugantur de dictione τοῦτό, quorum antesignanus & dux est Carolstadius, qui iam uerbis illi hæresi renunciauit, fortassis ut ei tuto liceret postliminio in Saxoniā redire, possetq; sua negociatione nullo iam prohibente uti, ne forte quod ei Lutherus erat interminatus, capite pœnas lueret, utcunque interim quam plurimi suorum discipulorum erroribus immersi detineantur. His accedit miræ agilitatis Tigurinus tybicen, & cogit sophistica quadam uelocitate uerbum, est, repræsentare significat, pulchre sibi applaudens interim, quasi tam egregie mentiri non satis magnum sit piaculum, nisi etiam iactaret se e spiritu sancto loqui, & sua opera effectum, ut in nescio quam multis locis fides sit recepta, quæ ibidem alias non fuisset prædicata. Est præterea nescio quis domesticus splendor, quibusuis etiā tenebris obscurior, reliquię Ioan. Hus, quib. obtenebret̄ domus dn̄i, Is splendor figuratiuo q̄dam cātu stipatus mirū in modū sua quidē opinione coruscans, docet uerbū est significare figurat. Et ex istorū quidem numero sunt, qui uerborū inuertunt omnino ordinē. Alij partē mirabiliter torquēt, ut prior posterior, posterior prior efficiat̄, dummō quatuor illorū uerborū nullū maneat intactū, nullū non nouo quodam tormentorum genere afficiant, flagellent, cōsputa, cæsa, aceto felleq; mixta, confossa deniq; crucifigant. Contra hoc em̄ honorabile altaris sacramentū, septem in terra promissionis factiones subortæ sunt, habetq; hic dominus plures aduersarios q̄ corā Caypha et Pilato. Quinimo nec in cruce adeo sua uerba inuersa & illusa fuerunt nequiter a Iudæis, atq; ab immundis istis Iebusæorum porcis dn̄i testamentum in preciosissima illa margarita deridetur & illuditur uarie. Est tn̄ omniū prędictarū hæresiū unus & idē finis: cupiunt em̄ si q̄ modo diuina permittat maiestas, dn̄i corpus penitus sepelire, ut non resurgat amplius, perinde atq; Iudæi communientes sepulchrum custodiebant, ita & illi suos hodie habent milites, latrones uidelicet & raptores publicos, qui non tam sepultum custodiant, q̄ ut apud omnes eius memoria damnetur dent operā. Ita isti lapidē magnum ad ostium monumenti uoluunt, accurate monumentum ne resurgat

Est pro figurat.

iterum

iterum obsignantes. Sed utut isti conentur, utut cogitent mala super iustum, tamen dominus resurget, & tertia die templum dei reędificabit, ut maxime nunc isti templum domini contaminatis & prophanis adorantur manibus, conuellant, diripiant. Sed placet hic uobis charissimi fratres apertius demonstrare, ut isti sanctum dei templum demoliantur, utcp lapidem angularem e fundamento eruere conentur. Primus itacp omnium qui (proh dolor) horribili isti uerborum Christi persecutioni dedit initium, pertinaciter affirmat, manere & esse etiam in sacramento altaris ueram panis & uini substantiam. Quem sui erroris pluribus uerbis conuincere quid est opus? Merito enim in his nuptijs pani pistorio diceret, amice surge, uenit te lōge honoratior, Christus qdem, da ei locū. Nā quis est, q nō docendū esse intelligat, ut creatori & dn̄o suo creatura cedat? quemadmodum antea semper uerbo suo cessit. Sic.n. in creatione mundi, aquæ, & aliorū omnia creata uerbo suo obtēperarunt. Sin aūt sic pro sua cuicp libidine ludere liceret, possem et ego adstruere, cū Christus in Cana Galilęę ex aqua uinū fecisset, mansisse ibi aquę substantiam, & nihilominus tn̄ istos uinū bibisse optimū, q̄d nemo sanæ mentis autumat. Sic & uirgā Aaronis, quæ uersa est in colubrū, mansisse tn̄ uirgā dicere- Exod.4. mus. Dum enim coluber esset, in textu uirga appellatur. Sed quid multas quærimus ambages? Contra hunc enim magnum Goliath Philistæum dominus nobis gladium, hoc est, uerbum suum porrigit. Dicit enim dominus, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Nec dicit, hic panis est corpus meum, hoc uinū est sanguis meus. Si enim ita uoluisset, dixisset uticp, & potuisset facere, omnia enim sicut uoluit ita fecit. Quum igitur hęc non dixerit, qui ego addere quidpiam possum, quum strictissime per Mosen, per Solomonem, & Ioannem in Apoca. mihi sit prohibitum, ne ad uerbum addam, nec detraham ab eo? Quid igitur facerem ego uermis & non homo? Quomodo ego mentem domini intelligam, qui consiliarius eius non sim? Ipse expressis uerbis dixit, Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur, hunc ego sermonē accepto, & pistoribus suum ut uoluerint panem diuendendum permitto, hic autem domini uerbum, non rationis meæ intellectum sequor, Ipse dixit, oportet itaque ut uerum sit, Ipse enim est ueritas, & uerbum eius, ut propheta ait, non reuertitur uacuum. Illud autem uerbum indicat adesse corpus domini, adesse sanguinē domini, quid igitur superest, quod me suspensum & dubium tenere possit? Corpus domini hic esse mihi sufficit, quomodo autem & qua forma hic sit aut esse possit, id ego inuestigare desino. Deus miserum me & cæcum hominē dirigit, ipse enim pręcessor et protector meus est, ipse me sua manu, e terra Ægypti, quemadmodum populum Israël, ducit, hunc ueluti columnam Israëliticam pręlucentem ego sequor, ipse quidem est lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis, in uia eius maneo, necp ad dextram necp ad sinistram declinās, sed in uia plana & trita perdurans, in ea quam omnes patres nostri in fide ambularunt, strenue perseuero, & eius terminos ne latum quidem unguem trans-

Deut.4.12.

Esa.55.

transgredior. Illi enim omnes & singuli etiam spiritum DEI habuerunt, omnes θεοδίδακτοι, non apostatae, a religione uotisque monasticis, fideque catholica deficientes, sed uota quae uouerunt, reddiderunt & persoluerunt domino, unde ipsi quidem ueraces. At isti nebulones, qui sanctum altaris Sacramentum prophanant & conculcant pedibus, quomodo ueraces dicentur? Quomodo non periuri recto eorum epitheto appellabuntur? Tria enim quae suae aetatis trigesimo aut quadragesimo anno uouerunt, uota non seruant. Quare eorum corda ut Iudae Iscariothae, adeo obsedit satanas, ut nullam Magdalenam, quae deo reuerentiam exhibeat, ferre queant, Sed frustum panis pro sua consuetudine sumant, & euestigio ingreditur in eos satanas. Iste satanas, iste diabolus, iste aduersarius & uertiginis spiritus, hic est praeceptor & magister, ex quo ipsi, & non ex sancto DEI spiritu suos libros parant, scribunt, & tam horribilia & inaudita praedicant contra CHRISTVM, ut eorũ uulgus tam atrociter contra CHRISTVM in Sacramento tumultuetur, & quemadmodum in coelo a dextris DEI sedeat, fabuletur tam temere, ut ne recitare quidem optimi quique audeant. Sunt autem isti omnes ij, contra quos rex Dauid Psalmo secundo scribit: Quare tumultuatae sunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terrae, & Principes consilium inierunt simul aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Habitans in coelis irridebit eos, Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Istos, inquam, sic tractabit Dominus, qui ob aureas monstratias, capsas, patenas, & aureos calices diripiendos, Christi corpus & sanguinem temere profundunt. Qui, ut porci, sanctum pedibus conculcant, ut Iudaei gladijs transfigunt, ut Turcae immanissimi proculcant. Sed uere Dominus DEVS misericors est longanimis, & multae miserationis, tardus ad iram. Lento siquidem gradu, quod tam sacrae quàm prophanae testificantur historiae, ad uindictam diuina procedit ira. Expectat num forsan poenitentiam agant, Manet tamen interim idem DEVS & Dominus, Cuius ira cum exarserit uel minimum, tarditatem grauitate compensat manus eius, imo digitus eius grauis. Ipse est lapis, & super quem ceciderit, comminuet illum. Ipse est Rex, qui ingressum sine nuptiali ueste, ligatis manibus & pedibus iubet mitti in tenebras exteriores, ubi nihil est aliud, quàm fletus, & stridor dentium. Sed de his alibi, Hic nos monitos esse sufficiat, ne seducamur per satanam, qui se etiam pro suo more circa honorabile altaris Sacramentum immiscet, & errores seminat. Neque enim obscurum uobis est fratres, quoties deus semen bonũ in corda hominũ seminat, toties istum inimicũ furtim accedere, & seminare zizania incredulitatis in triticũ, Ne uidelicet homo uerbo dei credat, saluetq; conuersus. Quae cum ita sint, non iam nostris somnijs, nõ obscuro rationis no-

strae lu-

strae lumini inhaerendum, sed aperto dei uerbo credendum erit. Credere enim oportet accedentem, imo peruenire cupientem ad deum.

SERMO TERTIVS IN DIE PARASCEVES HABITVS.

ECCE AGNVS ILLE DEI, Ecce qui tollit peccatū mundi, Ioan. i. Charissimi in Christo, propheta Ezechiel, plenus spiritu sancto, uidit aliquot rotas mirabiles, in quibus testificatur fuisse spiritum uitae, & per hanc quidem uisionem, scriptura sancta a deo inspirata, ut Apostolus asserit, sine dubio significatur, scriptura enim sancta nullibi non spiritum uitae secum adfert. Nam nihil tam paruū in scripturis, quod non diuinum aliquid secum adportet. Quapropter sanhederim Iudaeorum saepe non sententias et uerba, sed etiam literas quoties in ueteri testamento collocatae sint expenderūt, Vnde & Christus de iota & apice non frustra est locutus. Porro nihil in literis sanctis mysterio carere, tum alijs multis & uarijs modis probari potest, tum etiam praesenti illa uoce, Ecce, facile ostenditur. Proinde firmam hanc & communem uobis minimeque ignorandam regulam propono, quod ubicunque Hebraice, henneh & apud Septuaginta ἰδού, Latineque ecce legeritis, illic fere magnum et admirabile quiddā sequitur. Sic in Gen. cap. vij. cum dominus terram perditurus esset, inquit, Ecce ego adducam aquas diluuij super terram. Exod. xvi. dominus Mosi dicit, Ecce ego pluam uobis panes de coelo, ueluti etiam de miraculis illis maximis coram Pharaone fere semper ista uoce, Ecce, utitur, Sic de gloria domini, apparēte in nube, de tonitruis, & fulgurationibus in monte Sinai, Ita etiam de Maria, Mosi, et Aaronis sorore, quā lepra percusserat dn̄s, hanc uocē ecce legimus. Nec aliā ob rē Esaiā et Hieremiā insigniores illos prophetas credatis tam crebro in suis pphetijs hac uoce, Ecce, esse usos. Quid. n. sibi aliud uult illud, Ecce, q̄ Esaias ubi de uirgine quae cōcepit & peperit, expresse utit? Porro ut in ueteri test. ita et in nouo lōge maximę uirtutis est, & ἐμφάσεως dictio ecce. Vnde angelus pastoribus immensum illud gaudium annunciaturus, hac uoce eos attentos reddens ait, Ecce annuncio uobis gaudium magnum quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Sic Euangelium de Magis, Ecce Magi ab oriente accesserunt Hierosolymam. Sic & alijs sacrae scripturae locis octingentis aut pluribus dictionem, ecce, legimus nullibi non magnum, arduum, & admirabile quiddam significantem. Quum itaque tātam uim & ἐνεργίαν in uoce una, ecce, inueniamus, quantae quaeso uirtutis non unum, ecce, sed multa non ita longo interuallo sese comitantia erunt? Quemadmodum Ioannis primo legimus, quod Ioannes Baptista noluerit esse Christus, Helias, aut prophetarum aliquis, sed uox clamantis in deserto, Interea non in se oculos figi uolens, sed alium longe se potentiorem & digniorem demonstrat, Nempe Christum Iesum

Sanhederim, id est senatus.

Luc. 2.

Matth. 2.

Ioan. 1.

Iesum, quem quum postero die uenientē ad se uideret, dixit, Ecce agnus ille dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Postero autem die cum iterum Iesum intueretur ambulātem, iterum ait: Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi. Porro cur agni potissimū nomine Ioannes Christum appellarit, multæ sunt rationes, inter quas tamen præcipua est, quod præstantissimæ fere ueteris testamēti prophetiæ, & figuræ de Christo & eius passione ab agno transsumptę sunt. Christum eñ agnus ille paschalis figurauit, de quo Exodi duodecimo legimus, preceptum esse populo Israelitico, ut tempore paschali imolarent agnum masculum anniculum, qui esset sine macula. Sic & in lege de duobus agnis statuitur, quorum alter mane, alter ad uesperam sacrificabatur. Quas legis figuras apertioribus prophetijs, sancti prophetę interpretati sunt. Vnde Esaias decimosexto, Christum illum uerum agnum esse testificans, iugiter ad deum clamat: Emitte agnum domine dominator terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion. Nec temere idem Esaias ibidem capite undecimo prædixit agnum cum lupo habitaturum. Quinetiam pardus (inquit Propheta) cum hœdo accubabit, uitulus & leo & ouis simul morabuntur, uitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorū, & leo quasi bos comedet paleas. Quibus accedit lōge euidentissima Esaię prophetia ca. liij. ubi uerbis expressis Christum uerum esse agnum declarat, Inquit enim, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & agnus coram tondente se obmutescet, neq; aperiet suum. Quod etiam totidem fere uerbis apud Hieremiā capite xi. legimus, dum scribit: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam. Illi mansueto animali dominus comparari uoluit, & per Ioannem monstrari digito. Vt enim in agno nihil iracundiæ, astutiæ, aut perfidiæ reperitur: sic in Christo omnis mansuetudo est & iustitia, ipse enim uere est ille iustus, innocēs manibus, & puro corde, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore illius. Ille agnus ad omnia utilis, et om̄i ex parte salubris. Veluti enim in quolibet agno pellis, lana, lac et caro usui nostro apta sunt: ita Christi doctrina, et tota eius uita nobis est speculū, in quo omnia nostra contēplemur, et exemplum, ut insequamur uestigia eius. Quare ubicunq; Christum & quacunque forma eum inueneris, memento in eo ipso, dominum tuum tibi dedisse exemplum, ut & tu sic facias, Ipse enim ut se sequamur uoluit: quemadmodum in eo quod discipulis pedes lauit, pulchre docet, Hic est agnus ille dei benignus & placidus, qui non ut bos cornu petit, non ut lupus lacerat, non ursi more urget aut trudit, non ut equus calcitrosus calce percutit, sed ut Petrus clarissime describit, Quum ipse maledictis incesseretur, non regessit maledicta, cum malis afficeretur, non minabatur. Quinetiam se tradidit iniuste iudicanti. Ille agnus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū, quo peccatis mortui, iustitiæ uiueremus. Hæc qualia sint, & ut se habeant, per passionem domini pluribus ostendemus. Passionem enim ex quatuor Euangelistis in μονοτεσσάρῳ secūdum expressum textum prædicabimus, annunciaturi innocentis illius agni

Nume. 28 [margin]
1. Pet. 2 [margin]

dei patientiam. Vos itaq; etiã atq; etiam oro, et per amarissimam Christi dñi nostri passionem obtestor, ut cũ diligenter quomodo se in salutifera passione sua Christus gesserit, utq; peccatum mundi tulerit ille agnus dei perspexeritis, etiam uos in omnibus uestris tentationibus eius uestigia cum omni animi lenitate & mansuetudine sequamini. Sequitur textus ex quatuor Euangelistis.

SERMO QVARTVS, IN VIGILIA PASCHAE HABITVS.



Credere oportet accedentem ad deum, Ad Heb. xi. Ad conseruandam et retinendam aduersus Sacramentorum capitales hostes, ueritatem in honorabili altaris Sacramẽto, aliquot naturę miracula in primo sermone produximus, ex quibus quisq; apud animũ suum ineffabilem Dei potentiam facilius concipere posset, fecimusq; id non temerario quodam ausu, sed Diui Apostoli authoritate inducti,
Roman. 1 qui ad Romanos scribens, testificatur inuisibilia Dei, ipsamq; æternam eius potentiam, & diuinitatem peruideri ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur. Atque hinc est quod toties nos in Euangelio Christus creaturas contemplari iubet, nempe coelum, solem, lilia agri, semen tritici, messemque, & his similia. Quoniam uero scriptura diuinitus inspirata, ut ad Timotheum scribit Paulus, utilis est ad doctrinam, Ac Christus in Euangelio toties scripturam scrutandam innuat, ipseque subinde scripturæ utatur testimonio. Sic enim Saducęos erroris arguit, quod scripturas non intelligerent. Sic ipse Ioannis quinto inquit, Scrutamini scripturas, quia uos uidemini uobis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt quæ testificantur de me. Neq; aliter duos illos discipulos,
Lucæ ult. qui ibant in castellum Emaus est adorsus, quam scripturis. Incipiens enim (ueluti Euangelica habet historia) a Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Sic & coram omnibus suis discipulis scripturæ testimonio usus, postq̃ resurrexerat, confirmat eis necesse fuisse ut omnia implerentur quæ scripta essent in lege Mosi, prophetis & psalmis de se. Ad eũdem modum Abraham diuiti illi in tartaro pro fratribus oranti respõdit, Mosen habẽt et prophetas, audiant illos. Sed quid multis? Nullibi non Christus scriptura utitur, ut in templo & deserto aduersus satanã, quæ pluribus hic tractare temporis angustia non patitur. Porro Christũ in inducẽdis scripturis mox sui secuti sunt discipuli, nimirum optimum in omnibus imitantes
Acto 2 magistrum. Quare ut Acta Apostolorum testãtur, Petrus in primo sermone scripturis sua dicta firmiter munit. Paulus ad Romanos, iiij. ix. xi. xv. & xvi. capitib. crebris scripturis sua corroborat, ueluti & in omnib. fere suis Epistolis facere consueuit. In actis Apostolorum expresse habemus de Paulo, quod quũ iter fecisset per Amphipolim & Appolloniam, uenissetq; Thessalonicam, ubi erat Synagoga Iudæorũ, introiuit ad

eos,& per sabbata tria disserebat eis e scripturis, adaperiens et allegans quod Christum oportuisset pati & resurgere a mortuis. Et post discessum suum inde cõmigrauit Berrheam & Athenas, ubi recipiebant sermonem cum omni promptitudine,quotidie scrutãtes scripturas, an hęc ita se haberent. Quum itaq; in omnibus scripturæ sint scrutandæ, idq; a Christo edocti discipuli fecerint,decet nos quoq; discipulorum Christi esse imitatores,sicut & ipsi fuerunt Christi. Quapropter circa hoc admirabile & incomparabile altaris Sacramentum e scripturis sanctis aliquot petemus miracula,eaq; cum hoc Sacramento conferemus, ut ex illis immensa dei potẽtia & diuinitas,miseris nobis mortalibus clarius innotescat. Porro de miraculis, quæ per uerbum Dei in creatione rerum se offerunt, plura dicere minus est necessarium, nisi quatenus cuiusque oculis subiectum est,quid in aquis super terram,uel in aëre quotidie gignatur. Nam in illorum etiam minimis, ut in floribus campi, magnæ quædam alterationes uarietatesque conspiciuntur. Accedentes uero ad librum secundum Mosi,hic se nobis immensus prope miraculorum cumulus offert. Miraculis enim & potentissimis Dei operibus ille liber refertus est. Hic uirga Mosi mox in colubrum uertebatur, Moses eleuans uirgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, & uersa est in sanguinem. Extẽdit uirgam super aquas Ægypti,& ascenderunt ranæ. Extendit uirgam,percussitque puluerem,& facti sunt ciniphes in hominibus & iumentis. Similiter & muscæ grauissimæ immissæ sunt in domum Pharaonis & seruorum eius. Moses tollit plenas manus cineris de camino & spargit in cœlum, fiuntq; ulcera in hominibus & iumentis. Moses extendit uirgam in cœlum, & dominus dedit tonitrua & grandinem & discurrentia fulgura super terram, & grando & ignis mixta ferebantur, & cuncta quæ in agris erant, ab homine usque ad iumenta,grando percussit. Moses extendit uirgam super terram Ægypti,& induxit dominus uentum urentem, qui absumpsit quæ a grandine supererant,tam in arboribus quam herbis terræ. Extendit manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in uniuersa terra Ægypti. Virgam Moses eleuat,& super mare extendit,& e uestigio mare diuiditur, fitque sicut murus a dextra & sinistra, adeo ut filij Israël sicco pede transierint. Ita in aquas,quas præ amaritudine in deserto populus bibere non poterat,lignum a domino monstratum immittit, quo immisso, dulces sunt redditæ. Virga Moses petram percutit,& aqua omni populo sufficiens inde emanat. Sunt præterea quamplurima miracula alia, quibus suam dominus coram populo Israël maiestatem & potentiam declarauit, Nimirum ut terra se aperuerit, deuorauerit q; Dathan, Abyron,utq; aliquot ignis absumpserit. Quæ qui temere,aut nõ magna dei potentia facta putat,non terrã, sed toto cœlo errat. Et hæc quidem de temporibus Mosi,a quo quũ Iosue filius Nun minister Mosi,populum sibi commissum accepisset, ac ueniret ad Iordanem cum archa & populo,pedesq; corũ parte aquę tingerent, steterũt ilico aquę,descẽdentes in

Exod. 4 Exod. 7 Exod. 9 Exod. 14 Exod. 17 Leuitic. 10 Iosue 3

loco uno,& inferiores defluxerunt. Quo factum est,ut non minus Iordanem, quam antea mare rubrum sicco pede transierint. Haud multo post Iosue ciuitatem Hiericho, quam nulla ui dirui posse ciues confidebant,solo clamore demolitur. Quid uero hic de miraculis in coelo uisis dicam? Gabaonitis contra quinque reges auxilium laturus uenit Iosue, hic hostes fusi,lapidibus magnis de coelo obruuntur,Sol et Luna steterunt in coelo,donec ille ulcisceretur se de inimicis suis. Sic tempore Ezechiae
4.Reg.20 umbra in decem gradibus etiam retro uertitur. Pretergredior hic lubēs breuitatis causa noui testamenti miracula. Hoc autem quod etiam tempore Mosi factum est miraculum,nec omittendū, nec derelinquendūm censeo,Nimirum quod panis ille coelitus est missus,qui honorabile altaris Sacramentum figurauit, & recepto uocabulo a nobis etiam Manna dicitur,de quo Exod.xvi.Numer.xi.Sapient.xvi. sic scriptum legimus: Quum de Helim in desertum Sin cōmigrassent filij Israël,coeperūt murmurare aduersus Mosen & Aaron, poenitentiaque ducti recordabantur delitiarum Ægypti,optabant enim se in Ægypto sedere super ollas carniū, uescique panibus in saturitate. Hic dominus murmurationem eorum audiens, mane dedit ros per circuitū castrorum. Cumque operuisset superficiem terrae,apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in si-
Exod.16 militudine pruinae super terram. Quod cum uidissent filij Israël,dixerūt, manhuah,id est, Quid est hoc? Vnde hic panis etiā apud nos nomē retinuit Manna,uel ut legisperiti ex propheta Iona cōprobāt,man,id Hebraeis significat,quod nobis paratū,adeo enim paratus ille panis erat,factusque esui aptus. Qui quidem panis inter alia sua miracula, quibus mire ornatus fuit,etiam illud habuit,quod singulis diebus(excepto die sabbati)coelitus demissus est,collegitque unusquisque ad uescendum ex eo gomor,decimam uidelicet partē Ephi per singula capita quotidie, nec qui plus collegerat,habuit amplius,nec qui minus parauerat,reperit minus. Die tamen sexta colligebant cibos duplices,id est,duo gomor per singulos homines. Etsi uero istis qui reseruabant Manna in crastinum (nisi ad diem sabbati)scatere coeperit uermibus, & computrescere, tamen alias sapidum & delectabile erat bonis, formaque eius quasi semen coriandri album, Gustus autem eius quasi similae cum melle, Et bonis ad quod quisque uolebat conuertebatur. Et hac quidem esca cibati sunt filij Israël quadraginta annis. Quanquam autem cibus ille esset admirandus, & uere angelorum panis, tamen durae ceruicis populus concupiscentia ductus,ne sic quidem cōtentabatur,sed fletu,clamoreque testabantur quam cuperent in Ægypto esse,super ollas carnium sedere,ubi uescerentur carnibus & piscibus gratis: in mentem ueniebant eis cucumeres, pepones, porrique,& cepe, & allia. Proinde uociferabantur: Anima nostra arida est,nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Ob quam murmurationem,grauem de eis dominus poenam sumpsit. Adhuc eī carnes erant in dentibus eorum, & plaga percussi plurimi perierunt, sepultique sunt. Vnde etiam loco nomen est inditum, sepulchra concupiscentiae.

Ibi enim

Ibi enim sepeliebant populum, qui desyderauerat carnes. Ex his iam uidetis, opinor, fratres charissimi, quid Manna fuerit, & quam mirabiliter diuinitus datum. Sed Christus Ioannis vi. inter hoc Manna & suum panem coelestem permagnam esse affirmat differentiam, Nimirum quod ij, qui sub Mose in deserto Manna manducauerant, oẽs sint mortui, Etiam ipse Moses uir ille & amicus dei. Ita eñ uita omnes defuncti sunt, ut præter Iosue & Caleb, nullus fuerit superstes ex omni populo qui ex Ægypto erat eductus. Verum qui manducauerit, inquit dominus, ex hoc pane, uiuet in æternum. Porro cum tot tantaque miracula in figura panis illius coelestis fecerit dominus, quomodo quæso isti Nicodemi phisici, solis mirabilibus adducti Zaccharię, Thomistæ didymi, hoc dei miraculũ in sacramento altaris reprobabunt? Quo ore contra mutire audebunt? quasi Deus Optimus & misericors dominus in hoc sacramẽto altaris non potuerit omnium mirabilium suorũ memoriam facere sempiternam, quemadmodum per os prophetæ Dauid ipse miserator & misericors dominus reuelauit. Atqui dicet mihi ex istorum Epicureorum grege porcus aliquis, Christus quę sua de illo pane esset sententia, ibi demum aperuit, ubi inquit, Caro non prodest quicq̃. Hic sis uide quid faciat diabolus, quid struat. Quãdo domum, hoc est, hominẽ unde eiectus est, non facile rursus inuadere potest, abit in desertum, illic oberrat quærens requiem, qua frustratus, sui similes, peioresque socios quærit, Non secus ac suos Catilina coniuratores Romæ, aut Hierosolymis Iudas fidos sibi addit commilitones, quibus iste stipatus, nihil non audet, nihil non aggreditur ac pertentat. Quare hoc loco flagitiosus iste ueterator, etiam scripturã impugnare conatur, Antiquus scilicet scholasticus summę Vniuersitati scripturam e manibus extorquere nequicquam nititur, Perfrictæ sane frõtis nebulo, parum in tam graui crimine falsi, reueretur summum magistrum Christum Iesum. Deum immortalem, q̃ astute tendit insidias? Sed quanti uos creditis diabolum & eius stipendiarios milites, sacramentorum euersores empturos hic fuisse unicũ pronomẽ mea? Ita scilicet, q Christus expresse dixisset, Caro mea non prodest quicq̃. Hoc unicum pronomen mea, multis aureorum milibus libenter coẽmerent, quin multis calicibus & patenis direptis e templis coęquarent. Sed non sic o impij, neq; enim ita Christus locutus est, sed dixit simpliciter, caro nõ prodest quicq̃, Quod nemo iuerit inficias. Siquidem ipse Ioan. iij. asserit, id quod natum est ex carne, carnem esse. Cui pulchre astipulatur Apostolus ad Galat. v. sic scribens: Spiritu ambulate, & desyderia carnis non perficietis. Nam qui secundum carnem uixerint, morientur, ad Roman. viij. Certissimum enim est, quod (ut Corinthijs scribit) caro & sanguis regnum dei non possidebunt. Quare passim nos hortatur Paulus, ut carnem castigemus, mortificemusq;. Ita enim Galatis scribit, Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs. Quin, nullibi non prohibet electum hoc uas Dei, ne libertate Euangelica pro carnis libertate abutamur. Sic Romanos admonet,

Ioan. 6

1. Cor. 15

Galat. 5

ne carnis curam agant ad concupiſcentias. De perpetua illa carnis & ſpiritus lucta Chriſtus in monte Oliueti locutus eſt, Depingitq́ꝫ eam Paulus ad Ephesios vi. Cuius et Ioannes in priori Canonica ca.ij. probe meminit. Iſta, inquam, caro nihil prodeſt, ſed pernicioſa in ignem deducit æternum ſibi adhęrentes. Iſta preterea caro, quæ credere (ueluti Capharnaitæ) recuſat, niſi quod ſuis manibus palparit, oculis uiderit, pedibusq́ꝫ que conculcarit, nihil prodeſt penitus, ſed fœtida, uermibusq́ꝫ omnis iniquitatis ſcatens, canibus eſt proijcienda. Atqui caro Chriſti bona eſt, & ſupra modum amplectenda. Eam enim ob rem Verbum caro factum

Ioan. 1 eſt, ut habitaret in nobis. Ideo recte Chriſtus affirmat, caro mea uere eſt cibus, Et iterum, Panis quem ego dabo uobis, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. Qui hanc carnem ederit, habebit uitam ęternam,

Ioan. 6 & in domino manet, & dominus in eo. Sed quid multis? Si domini car-

Opinio Manichæorum. nem in cruce nihil profuiſſe dixerimus, quid quæſo reſtat, niſi ut cũ Manichæis Chriſtum phantaſticum corpus habuiſſe aſſeramus? Sic enim ex hæreſi hæreſis uſq́ꝫ in infinitum pullulaſcet, & erunt nouiſſima quæque peiora prioribus. Proinde fratres, non iſtis nugigerulis, ſed ueraci Petro fidem adhibete, qui in priori canonica cap. iiij. clare teſtatur, Chriſtum paſſum eſſe pro nobis carne. Et ita pati oportuit Chriſtum, carneq́ꝫ paſſum ſic ingredi in regnum cœlorum, in gloriam ſuam, Marci viij. Lucæ xxiiij. Act. xvij. Quamobrẽ nolite ſeduci, Si enim uerbo dei creditis, etiam hoc incomparabile Sacramentum prodeſſe credetis, cauebitisq́ꝫ ne archam domini, in qua panis ille eſt, qui de cœlo deſcendit, perperam cum Oza attingatis, ne cum Oza prolapſi intereatis etiam, uel ſic rei fiatis corporis & ſanguinis domini, ut illi de quibus ad Corinthios Apoſtolus ſcribit, qui non probantes ſe, indigneq́ꝫ manducantes perierunt, quemadmodum in proximo ſermone demonſtrabimus apertius. Neq́ꝫ enim ulla ex parte conſiſtere poteſt, quod tibi Berẽgarij et Capharnaitæ de carne quę nihil proſit, temere & impudenter obganniunt. Quare eo firmius uos uerbo Chriſti per fidem adhærere debetis, & certo ſcire hoc corpus eſſe Chriſti pro nobis traditum. Quo nihil clarius, apertius & magis uerum eſſe poteſt.

SERMO QVINTVS IN DIE RESVRRECTIONIS DOmini habitus.



CRedere oportet accedentem ad deum, ad Hebr. xi. Hæc uere eſt dies, fratres chariſſimi, quã fecit dñs, quare a Ioãne & omnibus Chriſtianis recte dominica dicitur. Nam ut maxime omẽs dies, omnia tempora & ſigna ab ipſo & per ipſum facta ſint, tñ hęc dies

præter

præter alias, hoc insigni decorata est nomine, ut Dominica communi omnium appellatione uocetur, cæterisq; ut æquum est, multum præferatur. Quod cur fiat, nõ anilem fabulam, sed factum, unde mundi salus pendet, in causa fuisse persuasum habeatis. Hoc enim die dominus resurrexit a mortuis, triumphans de morte, inferno, & omni diaboli potestate. Hoc, inquam, tam præclarum facinus in causa est, cur illa dies Dominica dici mereatur. Parum fuisset, natum esse saluatorẽ in ciuitate Dauid, quantumuis gaudium magnum fuerit expectantibus redemptionem Israël: parum item fuisset, Christum passum in cruce, & mortuum esse, nisi hodierna die gloriose resurrexisset a mortuis. Tanta enim est, tamq; utilis, & necessaria hæc Christi Iesu resurrectio, ut beatus Apostolus ad Corinthios scribens, non erubuerit asserere: Si Christus non resurrexit, inanis uidelicet est p̄dicatio nostra, inanis est et fides uestra, quia nec nos a mortuis resurrecturi essemus. Quamobrem fratres, hæc dies, dies domini est, & quod in ea factum, mirabile est in oculis nostris. Porro circa lætam, & omnibus Christifidelibus uere iucũdam resurrectionem, non foret inutile, aliquot ueteris Testamenti figuras inducere, quibus dei uoluntas per os sanctorũ hominũ in scripturis sanctis reuelata, appareret, & uos, ut scriptura scripturę correspõderet, uideretis aptius, Quemadmodũ est signũ Ionę etiam a Christo allegatũ, qui tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti fuit, Item destructio templi, & his similia. Essent præterea huc adducendæ prophetiæ, quibus hęc resurrectio clare descripta est, & maxime regis Dauid, uerũ aliud hæc tempora poscere uidentur. Succurrendũ em̄ nunc infirmis simpliciũ conscientijs, ne perditorũ hæreticorũ, qui se sacramentis opponunt, p̄suasionibus circũueniantur. Quapropter cõtra sacramentorũ impugnatores, qui Christũ coelo inclusum, suis mendacijs quasi circũuallatũ detinere conãtur, ne qua emergat, nugisq; suis emẽtiti, populo p̄suadere non cessant, Christũ nõ nisi in uno loco esse posse, Ita em̄ coelo inclusum retinere, ut Iudęi sepultũ custodire cupiẽtes: Nam ut sunt isti homines, tũc se fortassis tutissimos arbitrantur, quũ nõ in medio eorũ, sed ꝓcul abest Christus, quo sibi liceat liberius sanã Euangelij doctrinã adulterare, uerbũ Christi crucifigere, extinguere, in eiusq; locũ substituere suas nugas, suasq; balneas & comessationes loco sacramentorũ honorabiliũ erigere possint, Contra istos, inq̃, ueritatis hostes, & hæresium seminatores, in hoc hodierno sermone aliquot ex quatuor Euangelistis de fructifera Christi & gloriosa resurrectione miracula producemus, quibus perceptis & pensitatis, uos istorum agnoscatis furorẽ, qui nihil firmi ualidiq; tenent. Principio autem scribunt (cur enim hinc non sumerem initium?) concorditer omnes quatuor, domini sepulchrum nouum fuisse, & in quo nemo antea fuerit positus, excisum in petra, & ad ostium fuisse aduolutum saxum ingens. Equidem lapidem permagnum fuisse, omnes uno ore asserunt Euangelistæ, quod rei non paruæ est indicium, omnes quatuor unam eandemq; rem describere. Plura enim a tribus aut duobus, uel

1. Cor. 15 · Mat. 27 · Mar. 15 · Luc. 23. · Ioan. 19.

ſæpe ab uno duntaxat deſcribuntur, Quemadmodum Euſebij Cæſari-enſis Canones non inuenuſte cõprobant. Proinde Mattheus de Ioſeph ſcribit, eũ corpus Chriſti inuoluiſſe in ſindone munda, et poſuiſſe illud in monumẽto nouo, quod exciderat in petra, & aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti eum abijſſe. In quem modũ ſcribit & Marcus. Adeo enim magnus fuit lapis, ut & mulieres inter eundum, prius quam ad monumentũ uenirent, inter ſe dicerẽt: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Erat ẽm lapis re uera magnus, qui tametſi aduen-tantibus mulieribus ab angelo mirabiliter eſſet reuolutus, ſederetq; iam angelus ſup eum, tamen iam pridem dñs reſurrexerat. Mox ẽm angelus mulieres appellans ait: Non eſt hic, ſurrexit a mortuis, uenite, uidete lo-cũ, ubi poſitus erat dominus. Hic ego mihi a Vualdenſibus, Pighardis, & obſcuris ædiũ umbris Oecolampadicis, ut uocant, dici uellem, quo-modo hoc, & q̃ ſit poſſibile, ut corpus lapidem penetret, aut ſepulchrũ lapideum, quod non tam cuſtodibus, ut Mattheus ſcribit, rite commu-nitum erat, q̃ ſigillo quoq; accuratiſſime obſignatũ. Neq; enim fruſtra in textu ſcriptum eſt: Munierunt ſepulchrum obſignato lapide, adhi-bitis cuſtodibus, Omnia procul dubio pro ſua diligẽtia cautiſſime pro-uidentes, ſua enim non parum intererat. Vnde unanimi conſenſu prin-cipes ſacerdotũ & Phariſæi ad Pilatũ uenerant, ut ſi quo modo poſſent, Chriſtum ſepultum tenerent. Quare obtenta a Pilato omni poteſtate, nemini dubium eſt, ſepulchrũ illos omni cum cura & ſollicitudine com-muniuiſſe. His tamẽ omnibus non obſtantibus, dominus ſuo cum cor-pore egreſſus eſt. Adeo in uno eodemq; loco duo corpora fuerunt, q̃d apud omnes gẽtiles magiſtros reputatur impoſſibile. Ita poſt dies octo,
Luc. 24 dum Thomas eſſet cum diſcipulis, etiam uenit Ieſus ianuis clauſis, & ſte-tit in medio. Hic ego (horribile dictu) met audiui quendam ſacramen-torum euerſorem, in diſputatione coram multis milibus impudice & præfracte (ut ſolet hoc hominum genus) aſſerere, tunc demum ianuas occluſas, cum dominus fuiſſet intromiſſus: quaſi uero Chriſtum ad oſtiũ operiri oportuerit interea dum puer aliquis ueniret, reſeraretq; ianuam, ueluti Petrum prſtolari oportuit, ex Herodis captiuitate liberatum. Atqui non ſic miſeri uos impoſtores, non ſic. Paulo ẽm ſuperius cap. xx. Ioannis expreſſe ſcriptum eſt, q cum ueſperaſſet, die illo, qui erat unus ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati, pro-pter metum Iudæorum, uenit Ieſus, ſtetitq; in medio, & dixit eis, Pax uo-bis. Vnde & Euangeliſta non fruſtra, ſed miraculi magni loco, bis clau-ſarum ianuarum facit mentionem. Iam uero clauſas ne ianuas, feneſtras, uel muros penetrauerit, an aliud quid, nihil moror: uenit e ſepulchro, bis clauſis ianuis uenit ad diſcipulos. Quomodo autem, qua forma, qua uirtute, id curioſius non ſcrutor. Ita cum ueniſſe uerbo dei firmatus, fir-miter credo. Non aliter etiam in ſacramẽto altaris, in Miſſa ſcilicet, poſt inſtituta Chriſti uerba, & a ſacerdote elocuta, nihil torqueor, q̃modo, & qua forma Chriſtus cœlitus deſcendat, Sed mihi ſufficit, me certo ſci-

re Chri-

re Christum adesse. Neque enim tanta, quanta nostræ res tarditate, hoc magnum dei procedit miraculum, Sed diuina id uirtute etiam in momento fit oculi. Quod quidem tum facilius intellexeris, si quæ a natura fiunt, propius fueris contuitus. Considera quot miliaria sol a te distet, & tamen in uno oculi momento solis radŋ suo splendore me & te contingant. Lyncis oculos parietē (quod nescio, cito tamen experiri possem cupidus) penetrare aiunt, uerum sic facito, claude tuos oculos, & rursum eos aperi, et uide quot obiecta simul concipiant. Quin hoc iam considera, Angeli dei sunt nobiscum, ueluti hodie in monumento fuerunt, & nihilominus Christus dicit, ꝙ angeli eorum (intellige puerorū) semper uideant faciem patris, qui in cœlis est. Et hæc quidem de primo miraculo dicta sufficiant. Secundum miraculum e superiori pendet. Qui enim diuinam uirtutem, quanta fuerit in resurgendo, didicit, ille nihil hæsitando, miracula etiam in apparēdo a Christo facta, pie credet: Contra, qui non longius quàm suo sensu comprehendit & oculis cernit, deduci potest, huic nec quæ diximus, nec quæ dici possunt ac sequentur satisfacient. Sed ut quæ secundo loco Christi miracula collocemus, uos intelligatis apertius, repetite quæso mecum, quot & quam uarŋs in locis hodie fuerit dominus. Matthęus mulieribus digressis a monumento, ut renunciarent discipulis, quæ uidissent, Christum occurrisse scribit, & dixisse, Auete. Illas præterea accessisse, pedesq; tenuisse, & adorasse eum. Marcus dominum Iesum, quum mane resurrexisset, apparuisse primum scribit Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. *Mar. 16* Quod idem aliquanto clarius Ioannes depingit his uerbis: Maria stabat ad monumentū foris plorans: dum ergo fleret, inclinauit se in monumentū, et uidit duos angelos amictos albis, sedentes, unum ad caput, alterū ad pedes, illic ubi posuerant corpus Iesu. Dicūt illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Sustulerunt dominū meum, nec scio, ubi posuerunt eū. Hæc cū dixisset, cōuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantē, nec sciebat, ꝙ Iesus esset. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quē quęris? Illa existimās ꝙ hortulanus (aduerte tu hic aliam formam) dominus esset, dicit ei: Domine si tu asportasti eū, dicito mihi ubi posueris eum, & ego eū tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa, dicit ei, Raboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus, Noli me tangere, &c. Eodem illo die, ut idem Ioannes testificatur, quū uespera esset, uenit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum, ac ostendit manus & latus suum. Vnde discipuli gauisi sunt, uiso domino. Lucas illo ipso die scribit Christum ut peregrinum apparuisse duobus discipulis euntibus in Emaus, quod aberat spacio stadiorum sexaginta ab Hierosolymis, pulchre commemorans, ut eis panem fregerit, & eorum oculis apertis ipsi cognouerint Dominum, Vt denique ipse euanuerit a conspectu eorum. Iam uero nemo, ut opinor, non uidet, Dominum eodem die, & quum uespera esset, illis in Emaus profectis, panem fregisse, & ut ex Ioannis Euangelio comprobauimus, Hierosolymis suis apparuisse discipulis, quibus manus & latus

Ioan. 20 *Distantia Emaus ab Hierosolyma.* *Ioan. 20*

& latus suum ostendit. Quin & flauit in eos, tribuens eis potestatem soluendi & ligandi, remittendi et retinendi peccata. Hisce omnibus nõ obstantibus, mulieres, teste Luca, ab angelis responsum accipiunt, Quid quęritis, uiuẽtem cum mortuis? Hic considera, uiuentem cum mortuis. Insuper eodem die dominus apparuit Petro. Mox enim reuersis illis duobus Hierosolymam, discipuli annunciant, dominum uere resurrexisse, & apparuisse Simoni. Porro quomodo hæc omnia facta, & quomodo possibilia sint, ꝙ uno tempore, eodemq; die Christus tot in locis apparuerit, & uere fuerit, non aliter inquiremus, nec certificabimur, q̃ per fidem. Quapropter ne hoc quidem mirum Christianis uideri debet, dominum Iesum multis in locis in sacramento altaris esse, & esse posse. Qui enim suæ rationis ductum, non purum dei uerbum per fidem in diuinis illis & alijs Christi operibus fuerit secutus, quo magis ut ista possibilia sint, cogitabit, eo minus inueniet. Sic deus omnipotens pudefacit sapientiam carnis, quæ uere stultitia est apud deum, ne ulla caro glorietur coram ipso. Desinant itaq; isti miseri homines, immensum diuinę sapientiæ mare suo uelle rationis lumine transfretare, & ea rimari, quæ deus in sua posuit potestate. Qui enim secũ ratiocinari perrexerit, quomodo Christo fuerit possibile, manere post resurrectionẽ super terram, & conspici a suis per quadraginta dies, utq; cum illis edere & bibere po-

Ioan. 20 tuerit, quomodo post octo dies incredulo Thomæ Didymo iterũ ap-

Matt. ultimo. paruerit, ut Ioannes scribit, & ueluti Matthęus habet, undecim discipulis in monte Galilęæ, ubi constituerat illis, apparuerit, item qua uirtute mox discumbentibus illis undecim uisus sit, illisq; suam incredulitatem exprobrarit, deinde ut ad suos uenerit ad mare, ibiq; prunæ positæ, piscisq; mirabiliter superpositus fuerit, ut deniq; ingentẽ tunc pisciũ ceperint multitudinem, quomodo præterea, ut Lucas affirmat, in Bethania ad suos uenerit, & ibi ei obtulerint partẽ piscis assi, et fauum mellis, Qui, inquam, hæc & id genus alia multa miracula sua ratione inuestigare conatus fuerit, quo cogitabit diutius, eo illaqueabit se arctius. Quomodo enim hæc facta sint, miseri mortales, non aliter q̃ fide depre-

Beati credentes non uidentes. hendemus. Vnde & a Christo beati illi pręcidantur, qui non uiderunt, & crediderunt tamen. Proinde mirabilia hæc opera dei, quomodo tot tamq; uarijs in locis simul & semel Christus fuerit, diligenter expendant

Luc. 17 increduli isti Capharnaitæ & Nicodemi, & suam tandem deserant hæresim, sublatis in coelum manibus, humiliter orent, Domine adauge nobis fidem. Equidem multis uarijsq; in locis simul Christum apparuisse, uel ex Paulo clarissime colligent, Quin in priore ad Corinth. cap. xv. expresse scribit, quemadmodum resurrexerit, & uisus sit Cephę, deinde duodecim illis, postea uisus sit plus q̃ quingentis fratribus simul, dein Iacobo, post Apostolis omnibus, postremo uero omnium sibi, Paulo. Præterea uero & alia multa circa gloriosam hanc Christi resurrectionẽ miracula facta sunt, ueluti cũ linteaminibus, & præcipue sudario, quod fuerat super caput eius. Honorifice enim dominus sepultus erat. Cuius

rei fidem

rei fidem facere poteſt ſyndon illa munda, linteamina, & mixtura myrrhæ & aloës ad libras ferme centum, quam unus attulerat Nicodemus. Neq; uero parum myſterij in ſe habent angeli albis amicti, quos in monumento inuenerunt mulieres, & terræ motus ille magnus. Et (quod non minus iſtis eſt incredibile) dei miraculo & uirtute factum eſt, ut Petrus ſuccincta tunica, ſe in mare Tyberiadis miſerit, perueneritq; ſine periculo ad dominum. Eadem uirtute diuina rete ingenti piſcium multitudine refertum, integrum traxerunt ad terram. Sed illorũ omnium longe maximũ, admirationeq; digniſſimũ eſt, Chriſtum mortuum eſſe, deſcendiſſe ad inferos, & dei uirtute, diuinitatem, animam, corpuſq; & ſanguinẽ rurſum conueniſſe. Quibus de rebus elegantiſſime Iſraëlitis (ut Acta teſtantur Apoſtolorũ) Petrus p̃dicauit, nimirũ quemadmodũ illum ſolutis doloribus mortis deus reſuſcitauerit, quatenus impoſſibile erat illũ teneri ab ea. Quibus mox regis Dauid ſubiungit teſtimonium, qui dudum in ſpiritu hæc ꝓſpiciens, dixerat, Non derelinques animã meam in inferno, nec ſines, ut ſanctus tuus uideat corruptionem. Porro hæc uerba de patriarcha Dauid intelligi non poſſe, euidenter Petrus comprobat, q Dauid defunctum eſſe, & eius ſepulchrum (de quo iij. Reg. ij.) apud Iudęos tum adhuc eſſe nemo negare ualebat, Vnde haud obſcurũ erat, ad unum Chriſtum ea uerba referenda fuiſſe. Quæ quũ ita ſeſe habeant, nihil Vualdenſes iſtos fratres, nihil Lutheranos, nihil obſcuri iſtius domeſtici ſplendoris ſcintillas, aut Pighardos moror. Parũ apud me omnes iſtorũ nugę faciunt, qui non amplius q̃ uno in loco Chriſtũ eſſe poſſe, cõmentantur, quũ illa pręclara glorioſæ reſurrectionis miracula talia tantaq; eſſe uideam, ut hoc quod in ſacramẽto altaris fit miraculũ, cum illis uix cõferri queat. Ego & (quod non dubito) omnes uerę fidei cultores, hoc noſtra ſponte, & magno cum gaudio confitemur, & dantes gloriã deo cõcorditer canimus Alleluia, cæteroſq; hymnos, quibus gratiam agimus deo, & inter nos cõgratulamur nobis, non tam q Chriſtus dominus reſurrexerit a mortuis, & a morte detineri nõ potuerit, q̃ q ipſe dñs fortis et potens ac dominus uirtutũ, uerus ille rex glorię inferni clauſtra diſrupit, indeq; ut in Gaza oppido Sampſon, ea ad montẽ dei, omnibus Philiſtęis deuictis, aſportarit. Atqui puerſi iſti ſacramentorũ euerſores, non niſi uno in loco Chriſtum eſſe poſſe credunt: nimirum ad dexteram patris non aliter eum affixum eſſe cupiẽtes, atq; Iudæi cruci adglutinarunt, uel in monumento cuſtodibus adhibitis probe adſeruatum iri ſperauerunt, pertinaces ſane homines, Chriſtum dominum ita huic loco addictum putantes, ut alioqui columnæ hominem catenis alligamus: quaſi uero Chriſtus iterũ in coelo ſepultus, alteroq; iam monumento incluſus teneatur, & a temerarijs iſtis ſuorum Sacramentorum perſecutoribus obſeſſo monumẽto contineri poſſit, ne reſurgens, poenam de illis condignam ſumat. Sed iſtis iam mittamus ſua ſomnia, Nos qui uere Chriſto nomen dedimus, uerbis Chriſti firmiter adhærentes, credimus id quod Chriſtus dixit, uerum eſſe & indubitatum.

Mat. 14

Pſal. 15.

Vualdenſes. Lutherani. Pighardi.

Vnde

Vnde nobis nihil eſt impoſſibile, quum fide certificati, compertum ha-beamus, Chriſto domino noſtro datam omnem poteſtatem in cœlo & in terra, Inſuper ipſum (ut promiſit) nobiſcũ reuera eſſe ſciamus omni-bus diebus uſq; ad conſummationẽ ſęculi. Quod nõ modo per gratiam ſuam facit, ſed etiam in hoc honorabili altaris ſacramento, ſuo corpore & ſanguine adimplet. Ad quod quidem ſacramentum quemlibet acce-dentem credere oportet, ne cum hęreticis ſuæ opinioni carnali innixus, reus fiat corporis & ſanguinis domini.

SERMO SEXTVS FERIA TER-TIA PASCHAE HABITVS.



Redere oportet accedentem ad deum, ad Heb. xi. Quum he-ſternum Euangelium fractionem panis ſecum adferret, multa nos quoq; heſterno ſermone de honorabili ſacramento alta-ris diximus, & quantũ per temporis licuit anguſtiam, oſtendimus, quis diuini illius & precioſiſſimi ſacramenti uſus in primitiua fidelium Eccle-ſia fuerit. In promptu adhuc ſunt multa, quæ ad hoc propoſitum exor-nandum commode adduci poſſent, quemadmodum figuræ & alia plu rima, quorum nos pauciſſima producemus, dabimuſq; omnibus cum Magdalena ad pedes Chriſti ſedentibus & audientibus uerbum dei, de cæteris cogitandi occaſionem. Equidem qui Manna panem illũ cœ-leſtem ſine myſterio manducandum toti populo datum arbitratur, er-
Rom. 15 rat & uehementer decipitur. Hæc enim omnia in figura contingebant illis: ſcripta uero ſunt ad admonitionem noſtri. Quare huc quoq; perti-net, quod in ſecundo libro Moſes de inſtitutione paſchæ ſcriptum reli-
Exod. 12 quit. Erat autem inſtitutum ſolenne hoc paſchæ feſtum, per agnum & azymos panes, Quod clariſſimã noſtri paſchatis figurã fuiſſe, Chriſti ſer
Luc. 22 uatoris dicto comprobatur, quem certo ſcimus non fruſtra apud Lucã dicere, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, quũ iam antea diſcipuli quæſiuiſſent ex eo, ubi uellet ſibi parari paſcha. Vnde diſcipulis ipſe committebat, ut profecti in ciuitatem dicerent patrifami-lias, Magiſter dicit, Vbi eſt diuerſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis edam? Neq; abs re credas uelim, toties Euangeliſtas ingeminare huius paſchatis eſum. Ita enim etiam apud Lucam legimus, diſcipulos miſſos ad parandum paſcha, ut ederent. Nam hic quoq; præcepit diſcipulis, ut patrifamilias dicerent, Dicit tibi magiſter, ubi eſt diuerſoriũ, ubi paſcha cum diſcipulis meis edam? In quibus locis duntaxat de eſu paſchatis lo-quuntur Euangeliſtæ, quemadmodũ nec penes inſtitutionem paſcha-tis, Exod. xij. ullum potum inſtitutum inuenimus. Cui enim obſcurum eſt, quid & quomodo edere debuerint, Nimirum agnum fuiſſe imolan dum, eumq; aſſum igni comedi oportuiſſe, comedentes uero ſtare de-bere, baculos manu tenentes & edere feſtinanter. Inſuper ut ſeptem die-bus nõ alio ꝙ azymo pane ueſcerentur, & quicunq; comederet fermen-

tatum,eum e populo Israëlitico extirpandum fore. Et hæc quidem azymorum panũ figura ad omnes ptinebat: De potu uero, quē illi omnes biberent,nihil in illa paschæ institutione expressum legimus. At ea figura,penes quam Genesis xiiij. Melchisedech inuenitur, panem & uinum habet, quum ea de sacerdote altissimi in sacerdotium nouæ legis commutetur. Ex quibus fratres dilectissimi aperte uobis etiam comprobare possem, recte populum Christianum, uenerabile altaris sacramentum, sub una dumtaxat specie sumere,& sacerdotes sub utraque. Quum uero id iam antea ex Christi uerbis, & primitiuæ Ecclesiæ historia, Actis nimirum Apostolorum,satis ostenderimus, uobis hic dilectissimi considerandum relinquo,quam pulchre & aperte ueteris Testamenti figuræ cum Euangelica ueritate conueniant, Vobis,inquam,hic latius cogitandum committo,quàm ea quæ Christus de hoc sacramento dixit, & primitiua Ecclesia opere compleuit,illis figuris respondeant. Nos enim cum hodiernum Euangelium aliud non minus accurate tractandũ punctum secum adferat,operam dabimus, ut illud quoq; ueluti superiora declaremus,& nucem frangentes,nucleum uobis apponemus. Hodierni itaq; Euangelij textus Christum in medio discipulorum stetisse asserit,& eis pacem exoptasse,& quum expauescerent, existimantes se spiritum uidere,dominus eorũ misertus,isti incredulitatis morbo efficacissima adhibuit ἀντίδοτα. Primũ enim bis eos uidere iubet,et semel etiam contrectare manus suas & pedes suos,Ita uidelicet eos comperturos, q ipse esset,cum spiritus carnem & ossa non haberet: Deinde in conspectu illorum comedit: Tertio ut omnem tolleret diffidentiam, uerba quæ locutus erat ad eos, quum adhuc cum eis esset, ipsis reuocauit in memoriam, & scripturarum produxit testimonia, Nimirum necesse fuisse ostendens, ut implerentur, quæ de se essent scripta in lege Mosi & prophetis & Psalmis, Aperiens interim illorum mentem, ut intelligerent scripturas. Quæ cũ omnia æqua lance ponderauerimus,scripturæ testimonia reliquis duobus firmiora esse inueniemus. Adeo res magna est uerbum Dei. Quod cum ex alijs, tum præcipue ex Abrahæ responso cuiuis facile patet. Abraham enim diuiti illi respondet, Si Mosen & prophetas non audiũt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit,credent. Quamobrem & Christus tametsi corporaliter cum discipulis iter facientibus in Emaus,heri esset, tamē ipse exorsus a Mose & prophetis interpretabatur illis scripturas,unde & cor eorũ ardebat in eis. Sed ut hodie discipuli se spiritum uidere arbitrabantur,ita hoc tempore nonnulli, at longe maiori cum periculo salutis,nostri Capharnaitæ & Iebusæi, circa uenerabile altaris sacramentũ somniant, nos Christum spiritualiter duntaxat in sacramento habere,& eum nos spiritualiter in fide manducare: corporaliter non posse,nec admodum opus esse: nam satis superq; spiritualem nobis manducationem esse,uidelicet sensim in Manichæorum heresim illabentes. Quantum enim eos a Manichęorũ opinione abesse credis, qui illic,ubi maxime suum corpus esse Christus uoluit, ipsi illud *Manichæorũ secta.*

adesse abnegant? Manichæi phantastico corpore Christum apparuisse asserunt: Isti proterui dei hostes, uterique Antichristi, uerum corpus inde depellere conantur, ubi Christus in sui memoriam præsens, & ad nostri consolationẽ efficacissimũ fore constituit. Atq; utinam Deus Op. Max. eos dignetur, ut hodie discipulos, sua diuina gratia illuminare, ut suam diuinam scripturam intelligant. Iam eñ quauis talpa cęciores, uehementer opus haberent, ut eorum tenebras illustraret dominus, & lutum ex
Ioan. 9 sputo faciens, eorum oculos illuminaret. Surdi aũt cum sint, uotis optare deberent, ut immissis in eorum auriculas digitis, aures aperiret, & linguam uariarũ hęresiũ uinculis affixam solueret, quo tandẽ auribus audirent, oculis cernerent, & conuerterentur ad fidei catholicæ unitatem, sanctamq; Christifidelium Ecclesiam, extra quam minus saluabuntur, q̃
Gen. 7 qui extra arcã Noẽ in aquis perierũt. Occulta sane, & a discipulorũ etiã intellectu alienissima res fuit salutifera illa Christi domini nostri passio. Adeo enim quę de passione dominus dixit discipulis, ab eis fuerũt absq; condita, ut etiam quum expressis uerbis coram omnibus (ueluti Mat-
Luc. 18 thęus, Marcus, & Lucas uno ore asserunt) Christus diceret, Ecce cõscen dimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotũ & scribis, & ipsi cõdemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendũ, flagellandũ & crucifigendum, et tertia die resurget, Adeo, inquam Christi passio eis fuit incognita, ut dum hæc diceret dominus, textus non simpliciter asserat, discipulos hæc non intellexisse, sed horũ eos nihil intellexisse, testificetur, & fuisse istud uerbum absconditum ab eis, nec intellexisse eos, quę dicebantur, Luc. xviij. Porro ut discipuli, quę de passione dicebãtur, nihil penitus intelligebant: ita nostro hoc potissimũ sęculo uehementer metuendũ est, ne multi sint, qui huius sacramenti my-
Sacramentũ altaris quid. steria non intelligant. Est eñ hoc sacramentũ reprę̃sentatio quædam, & uiua memoria amarissimæ passionis & effusionis sanguinis Christi. Vnde nihil mirum, si circa eius manducationem quidam impingunt, quibus quod suæ rationis beneficio intelligunt, magis placet, q̃ quod uerbo diuino certificati fideles credũt. Sed uos fratres in Christo charissimi, quibus compertum est, apud deum nõ impossibile esse omne uerbum, etiam hic circa honorabile altaris sacramentum pie agite, & fide confirmantes corda uestra, scitote penes hoc sacramentũ duo haberi: uerbum Christi, & eius corpus preciosissimũ. Verbum te instituit, & fidẽ tuam quo dirigas indicat. Iam si tu uerbo dei per fidem firmiter adhæseris credendo, spiritualiter manducas, & spiritualem cibum iam es consecutus. Quocirca apud Ioannem Christus, quum de sacramento diu multumq; esset locutus, confitetur tandem uerba sua spiritum esse & uitam. Hic
Ioan. 6 enim uere uiuus est panis, panis nõ mortis, sed uitæ. Atq; hinc est, quod Punici baptismi facientes mentionem, eum portam appellarunt salutis, uel salutem: De hoc uero honorabili altaris sacramento dicturi, uitam illud uocauerunt. Quanq̃ aũt spiritualis manducatio per fidẽ ex uerbo dei ꝓueniat, non tamen supuacua & inanis censenda est interim corporalis

ralis illa manducatio, quam etiam nostræ fragilitati consulturus instituit dominus, qui quum sit uia & ueritas, nec fallit, nec falli a quoq; potest. Quare nō quid nostri oculi cernant, sed quid omnipotens et uerax dominus dixerit, considerandum & prę oculis habendū erit. Quod ut uos faciatis facilius, non grauabor ex Euangelio (libenter enim Euangelicis testimonijs utimur) aliquot exempla proferre, ex quibus intelligatis, nō ad nostri ingenij captum, sed ad diuinæ maiestatis potentiam, mirabilia dei opera esse referenda, et discatis interim, quomodo spiritualiter et corporaliter manducetur. Quū missus esset angelus Gabriel in ciuitatem Galileæ, cui namen Nazareth, ad uirginem despōsatam uiro Mariam, Luc.1. & postquam gratiosam ei salutationē denunciasset, eam scilicet esse conceptur am & parituram filium, &c. ipsaq; demiraretur, quomodo futura essent ista, quum uirum non cognosceret, tunc nondum spiritualiter ipsa conceperat: Quamprimū aūt angelus ei recitauit, quemadmodum spiritussanctus esset superuenturus, & uirtus altissimi ei obumbratura, & apud deum non fore impossibile omne uerbum, mox dum hæc credebat beatissima uirgo, spiritualiter manducarat & cōceperat. At nihilo minus tamen Christus uere et corporaliter in utero eius fuit. Quare Elizabet cognata eius dixit, Beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei a domino. Pastores, quibus natum esse saluatorem annunciauerat angelus, spiritualiter illud credebant, & nihilo minus Bethleem usq; profecti, corporaliter uiderunt dominum. Simeon homo ille iustus & pius, qui responsum acceperat a spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini, ille licet non fuerit diffisus uerbis spiritussancti, iamq; credendo spiritualiter dominum uidisset, tamen per spiritum in templum uenit, & puerum Iesum accepit in ulnas suas, & laudans deum, piam illam orationem, Nunc dimittis, pronunciauit, in qua inter alia confitetur, se suis oculis uidisse salutare domini, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël. Mulier quæ Mat.9 sanguinis ꝓfluuio laborauerat duodecim annos, & insumpserat omnia sua, neq; quicquam adiumenti senserat, in fide etiam manducauit dominum, quum sibi certo certius persuasisset, se saluam fore, si uel uestimenta eius tangeret: at non eo segnius tamen corporaliter uenit in turba a tergo, & tetigit domini uestimentum. Latro in cruce recte per fidem Luc.23. manducauerat, dum in Christum credebat: at rectissime fecit, ꝙ in uerba prorumpens Christum orauit, ut sui foret memor, cum ueniret in regnum suum. Inde ēnim benignum a domino responsum est consecutus. Respondet enim illi Christus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Sed quid multis? Talibus historijs referta est scriptura, in qbus non tam spiritualem per fidem manducationem, q̄ corporalem subsecutam & celebratam uidere licet. Cum itaq; Christus per suum uerbum spiritualem nobis in fide manducationem adferat, et non minus interim corporalem subiungat, quod expressa & luce meridiana clariora eius uerba de corpore & sanguine comprobant, quod quęso aliud atq; ipse

docuit, aliud atq; Apostoli scriptum reliquerunt, & a primitiua Ecclesia usq; in hanc horam Christifidelium catholica usurpauit Ecclesia, nos suscipiemus? Cur a uerbis claris & certis ueracis Christi deficientes, somnia sequeremur? Qua ratione corporalem manducationem a spirituali segregemus & distinguemus, quum Christus non separauerit? Iurisconsulti ubi lex non distinguit, distinguendum minime censent, & nos impune nobis abiturum putamus, si contra clara Christi nostri regis uerba aliud statuerimus? Christi uerbum, Christi Testamentum habemus, hoc uobis e manibus friuolis hæreticorum nugis extorqueri nequaquam patiamini fratres. Equidem de hoc scriptum in Psalmis est:
Psal. 88 Neq; prophanabo testamentum meum, & quæ ꝓcedunt de labijs meis non faciam irrita. Nimirum id est, quod Num. iij. scriptum reliquit Moses: Non faciet irritum uerbum suum. Quin et in memorato Psalmo ait: Disposui testamentum electis meis. Quod quidem testamentum ratum & firmum seruabit. Est enim secundum illud testamentũ, quod ipse nobis Baruch xx. capite promisit, & de quo Zacharię ix. de quo denique multa apud Apostolũ in Epist. ad Hebr. legimus, quot scilicet et quantas habeat promissiones, quibusuis etiam ueteris Testamenti promissis multum per omnẽ modum pręstantes. Ipse dixit, proinde tu Balach sta, & ausculta, Audi fili Sephor, non est quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Num igitur dixit, & non faciet? Locutus est, et non adimplebit? Hoc ipse dixit, ipse promisit, suoq; diuino uerbo firmauit, unde seruabit etiam, & firmissime quidẽ promissa. Nimirũ etiam tu Iebusęe, qui non secus ac perfidi Iudęi, sacramenta conculcas pedibus, nõ ignoras, quid in ueteri Testamento patres fecerint, ut deum sui uerbi admonuerint, ꝓmissa illi reuocarint in memoriam. Ita eñ Exo. xxxij. deprecatur pro populo seruus domini Moses, dicens: Recordare domine Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semẽ uestrum sicut stellas coeli, &c. Ad eundem modum Iudith ix. Memento domine testamenti tui. Quin & dominus Leuit. xxvi. se ad populi preces sui testamenti recordaturum asserit. Expresse enim dicit: Cum orabunt pro impietatibus suis, & recordabor foederis mei. Item Exod. vi. inquit: Ego recordatus sum pacti mei. In ꝓmptu essent quamplurima alia testimonia scripturæ de foedere et ꝓmissionibus domini, quę omnia clare testificantur, dominũ quę promittit, uelle et posse seruare, Quemadmodũ ad Rom. docet Apostolus. Nequaq̃ enim mentitur dominus, quũ ipse ueritas sit & uita. Quamobrẽ fratres, quid reliquũ est, nisi ut diuini uerbi maiestatem adorantes, credamus tandem, tot eius miraculis edocti, apud deum omnia possibilia esse? Ipse enim uocat ea quæ non sunt, non aliter atq; ea quę sunt. Quare uobis per fidem suo diuino uerbo, reiectis carnalibus opinionibus, firmiter adherendum erit. Quod si feceritis, in hoc sęculo per fidem ad deũ accedetis, & in futuro perpetuo conregnabitis, et uiuetis per Christum. Quod ut fiat, faxit deus, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Sermo

SERMO SEPTIMVS, HABITVS IN OCTAVA PASCHAE.

CRedere oportet accedentem ad deum, Heb. xi. Multa & uaria fratres dilectissimi, de honorabili altaris sacramento per superiores sermones tractauimus, solidisque scripturæ testimonijs impudentissimorum istorum Iebuseorum, Nicodemorum & Capharnaitarum somnia confutauimus, eorumque inania & fucata subuertimus fundamenta. Nam impudentiam istorum nullis uerbis comprimi posse quis non uidet? Porro quum hodiernũ quoque Euangeliũ commodissimam ad nostrũ institutũ adferat materiam, uos oratos uolo, ut uel iam discatis, quàm perniciosa & indigna Christiano homine res sit incredulitas, quam passim Christus arguit, in quam inuehitur, quam denique radicitus e suorum cordibus euulsam esse cupit. Sic enim Thomæ incredulitatem dominus arguit, qui quum audiret alios discipulos affirmare, se dominũ uidisse, credere recusauit, nisi uideret in manibus eius uestigium clauorũ, & mitteret digitum in uestigiũ clauorum, ac manum suam in latus eius. Mox illius cordis duriciem & incredulitatẽ reprehendens dñs, beatos pronunciat eos, qui non uiderunt, & crediderũt tamen. Miseros igitur & uere miserandos homines, qui circa uenerabile altaris sacramentum suæ incredulitati dant locum, non credituri, nisi coram, & uisibiliter suis oculis in hoc sacramento Christum esse cernant. Et faciunt sane gloriabundi isti sacramentorum euersores, non aliter, atque apud Lucam Herodes, qui ob adductum ad se Iesum, gaudebat uehemẽter, sperabatque se signũ aliquod uisurum ab eo fieri. Ita isti sunt sacramentorum hostes, nõ Christiani aut fideles (quæ enim in eis scintilla est fidei?) sed proterui & duræ ceruicis, per omnia Iudæis similimi. Quos Apostolus in priore ad Corinth. signa petere, quemadmodum Grecos sapientiam querere asserit. His autem perfidis & obstinatis mysteriorum dei contemptoribus, signa maxima & plurima proferre possem, nisi metuerem, ne aures istas suis assuefactas fabulis, ad historias omnino surdas essem habiturus. Sed unũ tamen atque alterum exemplũ perstringam, si quo modo uel reliquæ eorũ conuersæ saluari queant. Principio itaque illis, si modo rationis suæ sunt cõpotes, cõsiderandum propono, quę mirabiliter Cypriani tempore obtigerunt, quarum ipse Cyprianus facit in sermone v. de lapsis mentionẽ, Nimirũ quod mulier quę de sacramento indigne erat locuta, uel indigne illud sumpserat, morte subitanea perijt. Deinde ob idẽ facinus alia, quod nõ dijudicasset corpus dñi, dęmonio obsessa est. Quid dicam interim de sacerdote indigno, cui pro hostia cinis in manibus remãsit? Si uero nec his quidem contenti fuerint, producam magnũ illud signũ, quod ante noningentos annos, Gregorij magni tẽpore est factum, ubi realiter in uenerabilis sacramenti hostia digitus est uisus. Cæterum ne hoc quidem prætermittendum censeo, quod Eusebius scribit, Serapion in Alexandria in grauissima infirmitate decumbentem, uirtute illius sacramenti, robur

Ioan. 20.

Luc. 23

Miraculum, quod cõtigit tempore Gregorij.

et firmitatem sui spiritus accepisse. Tempore Augustini (ut ipsemet xxij. de ciuitate dei testatur) dæmonia uirtute illius sacramenti profligata sunt. Gregorius fide dignissimus testis scriptum reliquit, Papam Agapitum cuidam muto & claudo honorabile hoc sacramentũ præbuisse, & e uestigio mutum esse locutum. Basilius, Beda, Ioannes Eleemosinarius, Pascasius, & alij multi, tum alia uaria miracula, tum hoc quoque de Satyro Ambrosij fratre scribunt, idque in multis Christianitatis regnis, & in Hispanijs, Germania, & alibi factum asserunt, quod multoties honorabilis sacramenti hostia sanguine conspersa uisa est. Insuper sanguinem alioqui sæpe apparuisse, Idque tametsi ante aliquot sæcula factum esse in confesso sit, tamen in hodiernum usque diem clare cernitur, quod per naturam insuetum est & insolitum: at diuinæ maiestati non impossibile, nobisque fragilibus hominibus admirabile in oculis nostris. Quid itaque iam uos Gigantes, quicunque uestra freti animositate, Christum dominum nostrum e honorabili sacramento profligare conamini? Quid iam, inquam? Num adhuc signa quæritis? An creditis ea quæ produximus non ex anilibus fabulis deprompta, sed grauissimorum patrũ, et omni exceptione maiorũ testiũ attestationibus cõmunita signa esse? Equidẽ si negaueritis, conuincam: sin fueritis confessi, uestram incredulitatẽ recte argui intelligitis. Quare uos per omnipotentẽ deum oro, per ueracẽ Christũ obtestor, ut deposita mentis cæcitate uidere incipiatis. Periculosa est enim uestra conuersatio, uita impura, et cor coram deo immundũ. Tametsi eñ Christus multa signa ediderit, discipulisque faciendi signa tradiderit facultatẽ, tamen nihil æque arguit atque eos, qui signa continuo flagitant. De Christi signis quæ fecit, referta est Euangelica historia, unde a Ioanne missos discipulos, remittens ipsemet ait, Matth. xi. Ite, renunciate Ioanni, quæ uidetis & auditis, Cæci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, &c. Quemadmodum uero discipulis suis dederit potestatem miracula faciendi in nomine suo, Mar-

Marc. 16 cus describit apertissime his uerbis: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid lætale biberint, nõ nocebit eis, sup ægrotos manus imponẽt, & bene habebũt. Quin maiora quoque eos facturos dominus apud Ioannem est pollicitus. Ait enim, Amen, amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse fa-

Act. 3 ciet, & maiora his faciet. Quare Petrus claudo ex utero matris suæ simpliciter dixit, In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et protinus consolidatæ sunt plantæ illius, & tali, & exiliens stetit & ambulauit. Ad Æneã, qui annis iam octo decũbebat in grabato paralyticus, ait

Act. 9 Petrus, Ænea, sanet te dominus Iesus Christus. Et ille continuo surrexit. Sed quod est admirabilius, delatis super infirmos a corpore Pauli sudariolis, morbi recesserũt, & uenientis Petri umbra infirmos sanitati restituit. Quæ utcunque magna & admiranda signa fuerint, tamen dominus non semper a signis dũtaxat pendere nos uoluit, sed nos uerbo maluit

3. Reg. 17. 19 per fidem adhærere, Cuius rei magnum est argumentum, quòd in ueteri

Testamen-

Testamento non multi admodum prophetæ signa fecerint, ut Helias & Helisæus, At nihilominus tamen uerbum suum prædicandum ipsis commisit, & per eorum ora dominus locutus est. In nouo Testamento quis ignorat, quam sancte Ioannes Baptista omnes ad se confluentes docuerit, ut populo, publicanis, ut denique militibus quæ agerent prædicauerit, singulos ad uitam æternam consequendam præparans? Erat autem ipse Ioannes in deserto, habens indumentum suum e pilis camelorum, et zonam pelliceam circum lumbos suos. Porro cibus illius erant locustæ & mel syluestre, & uinum non bibebat. Quin adeo sancte uixit & docuit, ut Christus ipse testetur, non exortum esse inter eos, qui nascuntur e mulieribus, maiorem Ioanne Baptista. Atqui utcunque magnus & sanctus fuerit Ioannes Baptista, signum tamen nullum fecit. Ex quibus cuiuis facile patet, non tam signa quærenda, quam nudis dei uerbis credendum firmiter. Quod ut habeas apertius, huc quæso refer id, quod Christus quibusdam e scribis & pharisæis respondit, cupientibus ex eo signũ uidere. An non eos increpat & obiurgat, dum ait, Generatio praua & adultera signum quærit, & signũ non dabitur illi, nisi signũ Ionæ prophetæ? Ad eundẽ modũ & apud Marcũ eis exprobat eorũ incredulitatẽ dicens: Amen dico uobis, si dabitur huic generationi signũ. Postremo etiam apud Ioannẽ Christus Iudæis hoc uitiũ obijciens ait, Nisi signa & prodigia uideritis, nõ creditis. Sed ut tandẽ, quãti apud deũ miracula æstimentur, uere iudicare possitis, Tanti facit deus miracula, ut quibusdã qui in nomine eius eiecerunt dæmonia, & multa signa fecerũt, ipse dicturus sit, Nescio uos. Quare etiam in hodierno Euãgelio nõ frustra Thomas audit a dño, Quia uidisti me Thoma, credidisti, Beati qui nõ uiderũt & crediderũt. Quocirca qui in ijs reb. quæ sunt fidei aliquid uidit, iam fidei amisit meritũ. Quinetiã hoc consequitur, ut fides quã in eã rem habuit credendo, amplius fides non existat, quũ ut Apostolus Hebr. docuit, fides earum rerũ quæ sperantur sit substantia, argumentũ eorũ quæ non uidẽtur. Sed dices hic mihi: qd de miraculis in scriptura cõprehensis? Quod illorũ maius est? Hic ego tibi paucis respõdebo, Homini cæco a natiuitate uisum donare magnum est miraculũ: sed ut mea quidẽ fert sententia, hoc lõge maximum signũ, & præcipue est admirandũ, quod uirtute spũs sancti, quem hodie primũ acceperunt Apostoli, uniuersum terrarũ orbẽ ad fidẽ cõuerterũt. Quid enĩ admirabilius, q̃ homines idiotas, indoctos, & inopes (neque enĩ qd relinquerẽt præter unã atque alteram nauiculã cũ retibus, habuerũt) quid itaque magis mirum, q̃ eiusmodi homines tot regna, tamque uarios populos in suam deducere sententiã, quũ nõ cum duce aliquo potenti, sed diuisi ab inuicẽ, totũ terrarũ orbem peragrarint? Vnde facile uidemus mundũ nec per fauorẽ, opes, uim, aut alias malas artes esse cõpulsum, Sed per uerba Apostolorũ, sermones, & scripturas sanctas esse cõuersum, id qd nobis luce meridiana clarius cõprobant Petri, Pauli, et aliorũ Apostolorum sermones. Tametsi uero etiã superstitiosas incredulorũ Didymorũ cõscientias torqre posset, quõ Chrũs ex incorruptæ uirginis

Marc. 1

Matth. 11

Matth. 12

Marc. 8

Hebr. 11

 ginis

ginis utero in hunc mūdum natus sit, quomodo ex clauso et obsignato monumento resurgendo egredi, & clausis ianuis ad suos discipulos intrare potuerit &c. tamen si me amice & fraterne monentem audiuerint, relictis inutilibus quæstionibus, uerbis Christi, quibus honorabile altaris Sacramentum instituit, firmiter innitentur, & illis adhærebunt constantissime, atq; non secus ac Iudæi suam legem in uestimentorum fimbrijs gestabant, ipsi quoq; clara Christi de sacramento altaris uerba, alta mente reposta tenebunt. Quod quum facere inceperint, inuenient apud Matthæum cap. xxvi. Iesum accepisse panem, & cum gratias egisset, fregisse, dedisseq; discipulis suis & dixisse, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, gratijs actis dedisse illis ac dixisse, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui effundetur pro multis in remissionem peccatorum. Vide quæso, quisquis uerum et germanum uerborum Christi sensum nō respuis, Vide et attende quid dicat. An non inquit, hoc est corpus meum? nimirum sic est. Audis præterea quod dicit, hic est sanguis meus, Qui igitur uinū esse poterit, quod dominus non uulgarem, sed suum sanguinem esse confirmat? Ait enim, hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Miranda sane, & si dicendum est apertius; absurda res esset, si Christus uino nouum suum Testamentum erigere & confirmare uoluisset. Deberemus enim fortasse & nos (ut plerique Sacramentorum hostes) in conuiuijs dies noctesq; delitescentes uino madere, quod a dei populo, quem sobrium esse decet, longissime absit. Quid uero? quam præclare quęso affirmabimus, uinum ex Christi uulneribus, & ex eius latere fluxisse, & profusum esse in remissionem peccatorum? Quod tamen necessario sequeretur, si (ut impij sacramentorum euersores eructāt) nihil aliud in calice præter merum uinum esset, & nos contra ac Christus dixit & uoluit, hoc uinū esse duntaxat crederemus. Sed age producamus etiam Marci testimonium, qui illarum rerum mentionem xiiij. cap. facit, sic scribens: Iesus sumpto pane, cū gratias egisset, fregit et dedit illis, ac dixit, Sumite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis, Et biberunt ex eo omnes, Et dixit illis, Hic est sanguis meus noui Testamēti, qui pro multis effundetur. Atq; hic uide obsecro, quam pulchre Marcus Petri discipulus cum Matthæi Euāgelio cōsentiat, Agnosce tandem germanum uerborum & rerum intellectum. Postremo ut uel omni ex parte infirmioribus consulatur conscīētijs, ecce Lucæ quoq; medici Antiochensis saluberrimum testimonium minime relinquemus, qui in sua Euangelica historia ad Theophilum scribit, Christum postquam accubuerit cum duodecim, dixisse, desiderio desideraui hoc pascha comede-
Lucæ 22 re uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno dei. Et accepto poculo gratias egit & dixit, Accipite hoc et diuidite inter uos, Dico enim uobis, quod non bibam de fructu uitis, donec regnum dei ueniat. Et accepto pane, cum gratias

gratias egisset, fregit ac dedit eis dicens, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculū postq̄ coenauit dicens: Hoc poculum nouum Testamentū per sanguinem meum, qui pro uobis effundetur. Hic uero fratres charissimi considerandū uobis relinquo, quod primum Christus ante huius sacramenti institutionem de paschate loquitur, testificans se desiderio desiderasse cum discipulis pascha edere. Iam nemo ignorat, pascha etiam cum infermentatis panibus celebrari oportuisse. Ita enim est institutū, Exod. xij. Vnde non est arbitrandum quum iam antea panibus uescerētur, dn̄m secunda uice nihil aliud exhibuisse discipulis q̄ materialem & pistoris manu coctum panem. Deinde accepto poculo, dicit se nō bibiturū de fructu uitis, donec regnum dei ueniat, deditq; discipulis poculū, iubens ut inter se diuiderēt. Quod si nihil aliud in poculo secūda uice exhibito eis dedit q̄ merum uinū, quid q̄so noui fecit? Quid q̄d non antea biberint exhibuit? q̄d deniq; opus erat uerbis, quibus testificabatur sanguinem suū hunc esse, quum non nisi uinū exhiberet? Sed fratres charissimi, nolite quæso uanis istorum nugis persuasi, temere in aliud Euangelium transferri, sed propius ordinem a Luca obseruatum inspicite, & uidebitis Christum primum pascha cum suis discipulis comedisse, ibiq; proculdubio panē materialem & uinū naturale non defuisse, Sicq; secundum legem Mosi eos comedisse pascha, & uinū inter se diuisisse: At lege impleta aliud pascha Christus instituens, nō iam iterum materialem panē, non iterum uinū de fructu uitis, sed ut suis ipse uerbis testatur, suū corpus & suū sanguinem discipulis præbuit. Quæ adeo clare & expresse cū ab alijs, tum præcipue a Luca describunt̄, ut non tam demiranda q̄ deploranda eorum cæcitas uideatur, qui apertæ ueritati reluctantes, præter panem & uinum nihil adesse garriūt. Tametsi uero satis superq; rem probatam trium illorum claris testimonijs putemus, quum in lege Mosi scriptum sit: In ore duorum aut trium testium stabit om̄e uerbum. Quod etiam Christus Ioan. viij. tangit. Et Apostolus suo Timotheo in sacerdotū causis cognoscendis præscripsit, aduersus presbyterū accusationē suscipiendam non esse, nisi duobus aut tribus testibus. Atqui bone deus, quot hodie sunt Laici, qui contra clericos multa moliuntur, caq; potissimum, quæ non tam in sacerdotū capita essent inclinatura, q̄ omniū Christianorū Imperatorū & Regū iura subuerterent. A tēpore enim primi Christiani Imperatoris Constantini magni, usq; in hūc diē nullus Imperatorū ea attentauit, quę isti perfricta fronte mouere & agitare non desinūt. Veruntn̄ minus hoc demirandū erit, si post euersa Sacramēta, & pulsum inde pro uirili Christum, postremo etiam impetū in Christi seruos faciūt. Sed redeo unde digressus sum, ac licet Matth. Mar. et Luc. testimonia sufficere iudicarem, ex quibus uera instituti honorabilis Sacramenti dignitas perdisci queat, tamen quo minus dubitationis relinquatur infirmis, etiam quid Paulus nobis e tertio coelo detulerit, referemus. Docet autē beatus Paulus suos Corinthios, quod accepit a dn̄o, nō q̄ ipse cū duodecim in ultima coena

Deut. 17 (margin)
1. Cor. 11 (margin)

accubuerit in mensa, sed quod illud quoq;,ut alia,a deo acceptum refe-
rat, quod dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postq̃ gratias egisset,fregit & dixit: accipite & edite, hoc meum est cor-
pus,quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei cõmemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta cœna dicens: hoc poculũ nouum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem. Iam uidetis dilectissimi in Christo, quod o-
mnes hi quatuor concorditer et uno ore scribunt dominum dixisse,hoc est corpus meum &c. Quapropter nemo aliter nec credat nec doceat, Nam alterum illorum necessario sequetur: aut confiteri nos oportebit, hic adesse corpus & sanguinem Christi,aut confiteri panem manu pisto
ris coctum pro nobis esse passum,& uinum merum non sanguinem pro nobis esse effusum,quod nemo unquam asseruit, imo nemo bonus co-
gitauit, præcipue si ea quæ Apostolus indigne manducanti & indi-
gne de poculo bibenti minatur, non somnolenter legerit, Ait enim ta-
lem reum fieri corporis & sanguinis domini. Imo illum iudicium si-
bi edere & bibere affirmat, quod non dijudicet corpus domini,ab alijs uidelicet cibis.Propter hoc enim Corinthiorum multi imbecilles & in-
ualidi erant,& dormiebant multi.Et eã sane ob rẽ ipse disposuit,ut pro-
bet seipsum homo,cognoscat et iudicet se,ne a domino corripiatur.Idq; non de hordeaceo,aut ex tritico,auenaue cocto pane, sed de supernatu-
rali,cœlesti,& diuino pane intelligi uoluit. Prodeant nunc Nicolaitæ isti Anabaptistæ cum sua cœna dominica in suis synagogis celebrata,& cognoscãt eorum impium ritum ab Apostolo esse prohibitum,Discant Apostoli uerbis moniti,in suis priuatis domibus edendũ & bibendum, in Ecclesia uero cum debita reuerentia dominicam cœnam manducan-
dam. Quare uos Vualdenses,Pighardi,Vuiclephenses attendite et cõsi-
derate tandem,quomodo de hæresi in hæresim incidatis. Hic enim non in eo duntaxat(quod per se erat maximum) erratis, quod cõtra Christi uerba nec corpus nec sanguinem domini præsto esse creditis, sed etiam iuxta hoc cõtra clara Christi uerba perniciose & impie agitis,quod non in Ecclesia,sed in priuatis ędibus & famosis angulis,cœnam dominicam sumere non erubescitis.Quem quidem errorem, ut manu deprehenda-
tis(credere enim a fide alienissimi non potestis) Pauli uerba uos inspice-
re iubeo,& uos oro,si quas surdæ uestrę aures preces admittunt,ut non me, sed Paulum electum dei uas audiatis, quem et uos gentium esse do-
ctorem,& in ueritate missum,electumq; Christi apostolum, non igno-
ratis. Merito itaq; apud uos eius,qui in ore uobis tam frequens est,uale-
bit authoritas, quum eum electum sciatis, ut portaret nomen Chri-
sti coram gentibus, regibus, & filijs Israël. Sed demirabitur hic fortasse aliquis,& quæret ex me,quum Euangelistarum & Apostoli uerba luce meridiana sint clariora,quomodo isti homines adeo excæcari queant,ut cum cæcis palpent in meridie? quomodo ea suis inuentis obscurata, alio trahere & torquere audeant? Recte sane & non immerito demiraris,
quisquis

quisquis es qui solidam scripturam & simplicem ob oculos positam ueritatem cõsideres, nec dum uides q̃ sit diabolus mille artifex. Porro nos straminea quędam eorum argumenta per superiores sermones confutauimus, nimirũ quod ex Ioanne adferunt, caro nõ prodest quicq̃ &c. Plura aũt, deo annuente, in consequentib. eorũ fundamenta producemus, et diaboli detegemus astutiam, qui non mõ ut leo rugiens oberrat, sed q̃d est auditu horribilius, etiam in angelum lucis se transfigurat, ut multos laniet, multos deuoret. Interea uero uos etiam atq; etiã per Christũ obtestor, nolite locum dare deceptiõi: uerum Christi clarissimis uerbis adhærete, his immoramini, & ibi mansionem facite. Nolite a mensa dñi ad dæmoniorum tabulam, a luce ad tenebras, a Manna coelesti et sempiterna, ad panẽ materialem, a Christo & Belial, & (ut tandem omnia simul dicam) nolite a ueritate ad mendacium istorum blandis et subdolis persuasionibus abduci. Atqui dicetis mihi, Ipsi aliter hæc uerba interpretantur? Audio, & id eos facere nihil demiror. Ita enim eorũ antecessores omnes hæretici fecerunt, Nimirum id quod Saducæi & Iudæi in hodiernũ usq; diem faciunt, euidentissimeq; per Corinthiorũ infideles de resurrectione, Hymenęum, Alexandrum, & alios comprobatur. Et id est fratres quod etiam diuus Petrus conqueritur, nonnulla difficilia intellectu in Epistolis Pauli ab indoctis parumq; firmis detorqueri & deprauari in eorũ perniciem. Quamobrẽ recte B. Paulus ministrũ uerbi diuini desiderat compositum, qui illud recte & syncere tractet, et fideliter dispẽset: seq; multoties ostendit non esse ut plerosq; cauponantes uerbum dei. Manet itaq; firmum & uerum perpetuo, scripturam sanctam non in litera mortificante, sed in uero intellectu cõsistere. Si enim mortificantem literam pro mea libidine, ut isti solẽt, interpretari mihi liceret, facile comprobarẽ ex Euangelio, non oportere nos calciamenta portare. Ad eundem modũ ex Lucæ xiiij. cap. conuincerẽ eum inique agere, qui ad prandium aut cœnã fratres, cognatos, aut uicinos diuites inuitaret. Itemq; cogeretur quilibet Christum sequuturus relinquere domum, fratres & sorores &c. Quemadmodũ Anabaptistę se facere arbitrãtur, Qui Christi dictũ Lucæ xxij. reges gentiũ &c. diu cõtra spũales p̃latos direxerũt, nũc idem telũ in sęculares magistratus intentant, etiam illos deuicturi. Quapropter fratres dilectissimi in his Christianæ reipub. fluctibus & controuersijs, uobis qui unam sanctã Catholicam Ecclesiam creditis, nihil cõsultius & salubrius fuerit, q̃ cõmunis Christianæ Ecclesiæ intellectũ sequi, ne lõgius ab ouili aberrãtes, p̃da fiatis lupo. In hoc em̃ ouili, ecclesia uidelicet, cuius pastor & caput Christus est, securi habitabitis. Nam ut elegãtissime scripsit Apostolus, Ecclesia est columna et stabilimentum ueritatis, & penes hanc quidem, non apud apostatas & perfidos sacerdotes, q̃ suũ abiurarunt ordinẽ, diuina est ueritas. Sed quũ tẽpus iã sit elapsum, ne ego uos differam longius, reseruabo reliqua, & deo Opt. Max. uolente, in sequẽti sermone de Christi & eius Ecclesię pręsidio dicemus. Interim uos p̃ gl̃iosam resurrectionẽ oratos cupio, ut firmiter aduersus oẽs diaboli

diaboli insultus persistatis in fide Catholica firmissimi, sine qua ad deum accedere nemo potest, nec poterit unquam.

SERMO OCTAVVS, IN DIE S. GEORGII EQVITIS ET martyris habitus ante meridiem.

Militia est uita hominis super terram, Iob septimo. Hodie, fratres in Christo dilectissimi, uere strenui equitis S. Georgij festum celebramus, qui in Cappadocia sub Diocletiano & Maximiano seuerissimis tyrannis ante mille trecentos annos usq; ad extremum uitae spiritũ pro Christi nomine constanter pugnauit, quem ut alios sanctos, Catholica mater Ecclesia celebrat, eiusq; pro fide nostra praeclare facta praedicat, ut nos illius exemplo cohortetur & excitet, quo in Catholicae fidei articulis eadem animi promptitudine & constantia pergentes, perdu remus usq; in finem. Quemadmodum enim in bello non summi duntaxat Imperatoris uirtute, sed etiam Centurionũ exemplo gregarijs militibus animus additur: Ita suos filios sancta mater Ecclesia tam summi principis & capitis Christi, quam sanctorũ dei exemplo excitat, et ne de
1.Cor.9 ficiant hortatur. Idq; non uana superstitione commota, sed a Paulo magno illo gentiũ doctore edocta facit. Is enim suos Corinthios non solũ ut Christi sequantur uestigia, quinetiã ut se imitarẽtur, est hortatus, dum
2.Cor.6 inquit, Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Ad quem modũ Petrus
1.Pet.2 etiam aduenis sparsim incolentibus Pontum, Galatiam etc. scribit, ut suorum mandatorum sint memores. Porro de uita hominis, quam militiam esse patientis Iob testimonio confirmauimus, multae uariaeq; gentilium fuerunt sententiae. Illi enim bullam quae momento temporis enascatur, simul & euanescat, esse iudicarunt. Alij uero umbram dixerunt & somnium. At non gentilium opinionibus nos Christiani innitemur, uerum scrutabimur (ut dominus nobis praecepit) scripturas, & inde quid
Iacob.4 de uita hominis sentiendũ sit depromemus. Primo itaq; Iacobus uitae humanae fragilitatem nobis ob oculos positurus, uitam nostram uaporem esse ait, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit. In Esaia ex Psalterio transcriptum legimus, eam araneae similem esse. Et in sapientiae libro uita nostra sicut uestigiũ nubis trãsire dicitur. Atq; huc quoq; pertinet, quod viij. capite Iob scriptũ reliquit de fugaci uita hominis, quam uento & umbrae similem aestimat. Quocirca capite vij. asseruit uitam hominis militiam esse super terram. Quam diu enim uiuimus, lucta nobis est perpetua aduersus carnem, mũdum & diabolum. Vnde fortissimus Christi miles Paulus crebram illius certaminis mentionem facit, suumq; discipulum Timotheum diligentissime hortatur, ut bonum se Iesu Christi militem exhibeat, ut militet bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Quamobrem ij. Timoth. ij. neminem coronatum iri asserit, nisi eum, qui certauerit legitime. Ac de se quidem in eiusdẽ Epistolae

cap. iiij.

cap.iiij. testificatur se certamen bonum decertasse, cursum consummasse, Coloss.3
et seruasse fidem. In summa, de hoc certamine ad Colossenses, Philippen Philip.1.3
ses, Ephesios, Corinthios, Hebręos, & alios, Apostolus multa scribit, Ephes.5 Heb.3
nullibi non eos admonens pugnæ & certaminis, Et quo pugnarent fœlicius, inimicorū multitudinem & potentiam diligenter ponit ob oculos. Quę quum a magno gentiū doctore tanta cum diligentia facta certnam, & hoc nostro tempore omnes Christifideliū hostes adeo sęuiant, ut triplo q̃ antea fuerat, singulorum robur geminatum uideatur, factu rum me etiam operępreciũ putaui, si contra crudelissimorum hostium uim, uestros animos per Christum ad resistendum illis, hortatus fuero. Primum uero intra sua uiscera quod gerat homo bellum, longe periculosissimum habet, & quo fœliciter administrato, spes est, eum in cæteris non esse succubiturum. Est autem hoc prælium, quo inter se caro & spiritus acerrime pugnant. Nam ut uerissime scripsit Apostolus, caro con Gal.5
cupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: quod etiam in monte olíueti dominus conqueritur, spiritum quidem promptum, carnem uero infirmã, Et rotundis uerbis clarissime depingit ad Rom. Apo Rom.7.
stolus, dum se aliam legem uidere in membris suis conqueritur, rebellantem legi mentis suæ. Deinde Christiano gregi alius, & is quidem astutissimus hostis diabolus imminet, quem cõmodo sane epitheto Petrus 1.Pet.5.
leonem rugientem appellat, & cõtra cuius insidias Paulus q̃ accuratissime munitos nos esse cupit. Et ad Ephesios scribens, spiritualia arma ex Ephe.6
hibet, dum scilicet nos hortatur, ut firmiter perduremus induti thoracẽ iustitiæ, calceati pedibus, ut præparati simus ad Euangelium pacis, galeaq; salutis & spei accepta, hac quidem manu tenentes gladium, qui est uerbum, illa uero scutum gestantes fidei, quo possimus omnia iacula mali illius ignita extinguere, uigilantes ad hoc cum omni sedulitate & deprecatione. Et hoc quidem Apostolum non sine magna ratione scripsisse putabitis, si paulò ꝓpius fueritis istius ueteratoris dolos contemplati. Nam ille contra Michaëlem in cœlo pugnauit, & in Paradiso primos parentes decepit, Christus denique in deserto non fuit securus, Mat.4
quin ab hoc tentaretur. Proinde maiori cum diligentia, illisque armis ab Apostolo præscriptis, & Christi exemplo arcendus erit hostis callidissimus. Huic autem proximus, & non minus terribilis est inimicus, immanis iste, de quo in Regum historia Golias, superbus Philistæus, 1.Reg.17.
mundus scilicet immundissimus, quem Ioannes affirmat totum in malo 1.Ioan.5
constitutum esse. Nam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, ac concupiscentia oculorum, & fastus uitæ. Iam uero siue sub mundo isto Turcam infestissimum hostem complectaris, siue hunc his superioribus quartum adnumeres, hoc tamen certum est, utcunque uarios & multos sæuos admodum hostes Christus & eius Ecclesia habeat, tamen a noningentis retro annis usque in præsentem horam nullum habuit immitiorem, magisque infestum, quam Turcam, qui ut lupus insatiabilis Christi ouile persequi et spoliare non desinit, qui tribus imperijs

Turcæ crudelitas. Capha, Trapezuntio, & Constantinopoli, & quadraginta regnis non contentus, reliquias Christianitatis, gregem illum paruum omnino extinguere nititur. Et faciet sane, nisi aliter obuiam ei eatur, atque hactenus itum est, Iam enim nobis iterum imminet, & mihi credite, securis ad radicem arborum posita est. Proinde consulendum & occurrendum erit. Si enim unquam antea, certe in hoc iam negocio periculum erit in mora. Quum itaque in his comitijs eam ob rem conuentum sit, commodum fore ratus sum, ut primum quæ Turcarum origo fuerit, dicam: deinde quomodo eorum opes creuerint, & fines sint ampliati: postremo quod deceat, imo quod oporteat omnes Christianos spiritualem dei armaturam indutos, omnibus modis dare operam, quo immanissimus hostis a Christi ouili Ecclesia arceatur, Sic fore existimans, ut diligenter ponderatis ijs, quæ per crudelissimos hostes gesta sunt, nemo non intelligat, quanta mala nostris ceruicibus immineant, et iam sint præ foribus, nisi pœnitentiam delictorum agentes, per Christum, sine quo nulla est iusta uictoria, hosti scelestissimo arma obuiam tulerimus. Nunc itaque unde hostes sceuissimi ducant originem, omnium primum dicere incipiam.

Turcarum origo. Tempore Heraclij Imperatoris fuit quidam, cui Mahumeto erat nomen, qui ex Arabia ne, an ex Persia oriundus fuerit, non satis compertum ex historijs habemus, Sed in Arabia illum nouam quandam fidem instituere, nouaque religione hominum animos imbuere uoluisse, & eum esse conatum, non ignoratur. Ad quod facinus, quantumuis immane & nefarium, commodos sane socios nactus est, Sergium apostatam, qui in Nestorianorum hæresim erat prolapsus. *Sergius apostata.* Quid enim boni unquam ab istis Monachis ortum est, qui suam abiurantes religionem, nouum uiuendi genus instituunt? Nam quanta isti nebulones reip. Christianæ hoc sæculo damna dederint, testantur dissensiones, sectæ, condemnatæque hæreses, cædes innumeræ, & quotidiana prælia, quibus inter nos mutuo contendimus, tandem (ni alia ingrediamur) Turcis præda futuri. Periculum enim est, ne multos habeamus nostro tempore Sergios, quorum opera etiam iam est effectum, ut plerique istis adhærentes, non tam curent Turcas propulsare, quam sanctorum exurere imagines, & omnia Ecclesiæ præcepta ludibrio habere. Sed hæc alibi, Nunc redeo ad Mahumetum, qui scelestissimi sui propositi socios & adiutores periurum Monachum Sergium, & Ioannem Antiochenum est consecutus, per quos ex lege Mosi, Euangelio & gentium libertate propriam legem, quam Alchoranum uocant, Mahumetus composuit, satis quidem astute ex tribus illis, quod humanæ petulantiæ gratissimum erat, decerpens, nimirum ut iucunda, placentia & applausibilia diuulgans, plures in suam deduceret opinionem. Neque profecto eum omnino sua fefellit opinio. Breui enim magna Arabiæ pars hanc factionem probans, ad eum defecit, populus uidelicet insignis leuitatis facile quemuis sibi imponere passus est. Porro ut eos uarijs imposturis deceperit, longum foret, hic recensere, Hoc uero non prætermittendum censeo, quod inter alia, quibus suam factionem duraturam putauit, quatuor duces, quos ipsi sua

lingua Amiros appellant, constituit, quibus hoc solum negocij dedit, ut ad quatuor mundi plagas pro dilatandis sui imperij finibus indefesse pugnarent, Tanta hominem suæ hęreseos augendę cupiditas incesserat. Tandem aũt cum tertium & trigesimũ annum ageret, mortuus est & sepultus in Mecha, anno à Christo nato D. C. XXXII. Tot enim annis fides nostra catholica istorũ diabolicam factionẽ antecedit. Proximus Mahumeti successor Ebubacher collectis suorum copijs, Sirachem regẽ Persarum regno eiecit: post hunc Hanman suæ ditioni Syriam, ac Hierusalem, Mesopotamiam & Cęsariam Palestinæ addidit: quo mortuo, imperij habenas suscepit Othman, is reliquam partem Arabiæ Petreæ, desertæ uidelicet & fructiferę, deuicit usq; ad mare rubrum. Nec ita multo post, Ægyptum usq; ad fluuium Euphratem occupauit. Deinde Sarraceni (ita enim diu appellati sunt) opibus eorum mire auctis, arma mouerunt contra Aphricam, Cyprum, Ciliciam, Syracusas, Rhodũ, & alia confinia, quibus sub suum iugum coactis, quanto potentior breui factus sit, ipsi iudicate. Hæc enim omnia infra tres & uiginti annos acta sunt. Et ab incarnationis dominicę anno D. C. L. ui inuaserunt Armeniã usq; ad Caucasum montem. Postea quam Muhamias impandi subijsset munus, is bellum mouit contra Romaniam & Constantinopolim, quã quum per septem annos terra mariq; cõtinua obsidione premeret, tandem infecto negocio, domũ rediens, diem suum obijt. Cuius successor Damascũ, Mysiam, quam hodie Sagariam dicũt, et Galachios ui cepit. Lubens hic pretergredior, quę Sulemon, Haumar, Gizid, Eluelid, strenue fecerint, deueniamq; ad Iustiniani Imperatoris tempora, quando Turcici imperij summus moderator fuit Abdurauia. Is ex Numidia & Mauritania in Hispaniam traiecit, totamq; fere Hispaniam, Castilia & Galatia exceptis, in suam ditionem redegit, obtinuitq;, ac omnium longissime Granatũ urbẽ populosissimã, donec anno domini M.CCCC.XCIX. Ferdinandus & Isabella Turcam cum suis iterum ꝓfligarunt. Cęterũ ea quæ ab anno domini septingentesimo usq; ad millesimũ quadringentesimũ, gesta sint, pluribus hic ꝓsequi, cõsilium non est. Prius eñ dies deficeret, quam recensenti mihi nimis fœliciter a publicis hostibus res gestæ. Adeo, fratres pijssimi, impium istorum regnum creuit in dies singulos. Sic Amurates Othomanorum Turcarũ rex Thessalonicam, Ætoliam, & magnam partem Mirici cepit. Deinde plures ciuitates Atticæ, Boëtiæ, Phocidis, Achaiæ, Macedoniæ & Gręcię sibi fecit subditas. Nec nõ aliquot nobiles insulas, Euboiam, quam Nigropontũ dicunt, Chium, Lesbum, & alias suo imperio adiecit. Postremo etiam Apuliam inuasit, et Hydrumetũ, Seruiã, atq; alia loca munita, anno domini M.CCCC.LXIIII. ui cepit. Hoc etiam mortuo, filius eius Machimetes, cognomento Magnus, imperandi munus subijt, maiorum suorum crudelitatem facile superans, minusq; cõtentus iam partis opibus, per Hellespontũ Euxinum mare iuxta Bosphor traiecit, ibi arcem munitissimã exædificauit, ac mox Achaiam, Acarniam, Epirũ, Bulgariam, Seruiam, Valachiam, Bosnam,

Croatiam & Hungariam inuasit, & deuicit. Ac præter hoc, q Constantinopolim, Trapezuntium, & Capham in suam potestatem redegit, etiam Pontum, Bithyniam, Capadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Liciam, Cariam, Lidiam, Phrygiam, Peloponesum, duodecim hæc Asiæ regna occupauit. Ad hæc Albaniam, quæ olim Macedonia dicebatur, Scopium, Dirachium, & multa in Epiro cepit. Insuper Assiriorum & Ægyptiorum Soldanum profligauit & occidit. Quid uero hic commemorem fratres dilectissimi, ea, quæ crudelissimi hostes inter inexpugnabilem Rhodum & Albam græcam, Petriuoringum, Vlachum, & magnam Croatię partem, Hungariam, Rassiam, Vualachiam, Dalmatiam, Illyricum, & alia Christianitatis regna, dominia, quæ aut deuicta armis adhuc retinet, aut ui capiens, prædamque auehens, præter terram uacuam, sibique præ ætate inutiles homines, residuum fecit. Hæc uero recensere uolui, ut ex istis sæuissimum crudelissimi tyranni propositum uniuersis Christianis innotescat, Nimirum quod nec cessare uult, nec potest, donec sibi reliquias Christianorum, gregem (si eum cum Turcis conferas) admodum paruum, suæ ditioni addat. Necq̃ em̃ obscurum est, maiorem regnorum suorum partẽ Christi nomen fuisse ꝓfessam. In q̃bus multi sunt, qui abnegata fide Christi, Turcica figmenta sectantur. Reliqua uero, & ut spero innumera multitudo, non aliter sub istius tyranni est imperio, atque sub Pharaone populus Israëliticus quadringentos triginta annos seruiuit, aut in Babylone sub Chaldæis septuaginta annos captus extitit. Quid enim illos magis uotis exoptare creditis, qui intolerabile iam sub Turca iugum ferunt, quam redemptionem? Quid quęso reliquum, quam spem liberationis futurę habent? Quum itaq palam impijssimum istum Philistęum statuisse uideatis, nõ se pugnandi finem facturum, priusquam uniuersæ terræ dominus efficiatur, & ad suum nutum omnia ab ortu usq ad occasum solis perficiantur, quũ, inquam, istam Turcæ perspiciatis firmam sententiam, et eius quotidie potentiam augeri, quid aliud Christianos decebit principes, quam inter se concordiæ studere, & arma contra publicum & communem omnium hostem cõuertere? Gentes suam tam pertinaciter tuentur superstitionem, & nos Christiani nostram religionem non modo subuerti, sed unà cum fide radicitus tolli patiemur? Quin igitur fratres in Christo dilectissimi, negocij curam arripite, sublata omni mora, crucem Iesu Christi domini nostri, & eius fidem propugnate, confitemini quæso coram gentibus cũ uerbis tum re ipsa, uos esse Christianos, clamate ut
Iud. 7 Israëlitæ, pugnã contra Amalechitas suscipientes, ac more Machabęo-
1. Machab. 2 rum contra Antiochum facite, & cum Dauid eleuate corda uestra, spiri-
Psal. 67 tu & mente clamantes, Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant: qui oderunt eum a facie eius sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant impij a facie dei. Hæc facientes, deumq ponentes spem & uictoriam uestram, nihil formidate brachium carnis, nihil perhorrescite inanem mundi superbiam, Vana enim tunc erunt,

& infirma omnia Turcæ præsidia. Nam Dominus æque paucis ac multis uictoriam tribuere potest, & oculus eius ad timentes se, & ad sperantes in misericordia eius. Ita Abraham cum trecentis decem & octo uernaculis ingentem regum exercitum deuicit, captiuosque cum præda auecta domum reduxit. Sic domini uirtute Gedeon cum trecentis uiris Madianitas percussit. Sic denique deo nostro confisi, unus e uobis persequetur hostium mille uiros, quia deus uester ipse pro uobis pugnabit. Quinimo libere affirmare poteritis, plures nobiscum esse, quam cum illis, quod Helisæus iiij. Reg. vi. a ualido exercitu in Dothaim obsessus, uerissime dixit. Quamobrem principes Christianissimi (nunc enim uobiscum loquar) agite, & Christi populum, quem ille uobis pascendum & tuendum commisit, sedulo defendite, & uestros subditos Ezechiæ oratione consolamini. Ezechias cum in sancta ciuitate Hierusalem obsidione a Sennaherib premeretur, his uerbis animum suis addidit: Viriliter agite, & cōfortamini, nolite timere, nec paueatis regem Assiriorum, & uniuersam multitudinem, quæ est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscū dominus deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Equidē compertissimū habemus, eum pro quo dominus pugnauit, populū, nunquam nec percussum, nec in fugam uersum esse. Quum enī unus dei nostri angelus in nocte una regi Assiriorum occiderit centum octogintaquinque milia, nihil diffidite, manus domini dei nostri nihil facta est breuior, & ne tantillum quidem de eius omnipotentia est diminutum: potest autem adhuc (ut semper potuit) omnia, & sperantibus in misericordia eius, credentibus in se, per Christū omnia largietur clemens ac benignus pater. Iam uero si deus pro nobis (ut pro credentibus in se est perpetuo) quis obsecro contra nos? Huc accedit maxima rebus nostris cōmoditas, quod in Seruia, Bulgaria, Bosna, &c. permulti sunt, qui superioribus annis Turcarum ui a fide Christiana auulsi, redemptionem expectant, nec aliter nostrum præstolantur aduentum, quam patres in limbo Christum expectarunt. Veniant itaque uobis in mentē, principes potentissimi, tot fideles homines, nobisque in Christo fratres, qui sub dira tyrannide Turcæ incredibiliter torquentur. Etenim nihil tam uos decet, quam captiuorum esse memores. Nam ita eorum recordari nos uult Paulus, tanquam unā cum illis uincti essemus, omnia nimirum cogitantes & facientes ad laudem dei omnipotentis patris, cuius & illi fuerunt per Christum filij, nobisque fratres, quibus fraternum auxiliū denegare, uidetis, opinor, quam sit impium & miserabile. Præsertim uero ijs non succurrere, qui adhuc fidei adhærentes, assiduis uotis nostrum exoptant aduentū. Quocirca agite, moueat uos aliquātо & cōmoueat animos uestros res illa absurdissima, quod uenerunt gentes in hæreditatē dei, pollueruntque templum sanctum eius, ac Hierusalem posuerunt in pomorum custodiam. Agite igitur præparemus nos & pergamus, impleturi, quod rex Dauid prophetauit, ut adoremus in loco, ubi steterunt

Psal. 32. Gen. 14. Iudic. 8. et 7. Leuit. 26. 2. Paral. 20. 4. Reg. 6. 4. Reg. 19. Esa. 38. Rom. 8. Heb. 13. Psal. 78. Psal. 138.

pedes eius, hoc est, in terra sancta ad templum & sepulchrum sanctum domini. Hęc enim uera est militia, qua fideliter pugnantes, non Romanorum more talē aliquam, de quibus Aulus Gellius, & alij, coronam adsequemur, sed ueram, ac nunquam interituram demerebimur, uitæ scilicet æternæ coronam, quæ tot tantisq; gemmis & uirtutibus est exornata, ut oculus nunquam uiderit, auris non audierit, & in cor hominis non ascenderit, quod unà cum hac corona abunde consequuntur, digne pugnantes. Quare uos uiri fratres armaturam dei induti, etiam reipsa, quod crucem domini dei uestri cupiatis defensam, sanctamq; eius fidem propagatam, iam declarate, Iam dico declarate, quoniā nullam moram negocium patitur: qui sub hac cruce et nomine Christi parum strenuum se exhibuerit militem, ille se non esse Christi sectatorem, non esse Christi discipulum, sed cruce Christi indignum se hominem sciat, habeatq; compertum, eam crucem, qua in baptismatis fonte est consignatus, deletum iri, & in illius contumeliam in nouissimo iudicio coelo inscriptam esse apparituram. Quæ quum ita sese habeant, uiri qui Christo duci uestro dedistis nomen, pergite quæso sub hoc Imperatore bonum certamen certare, & semel negocij cura suscepta, nolite respicere, quemadmodum uxorem Loth respexisse legimus, Nolite alijs concupiscentijs a sanctissimo instituto reuocari, ne cum populo Israëlitico reditum in Ægyptum optante, pœnas detis. Sed pergite potius, dicto uestri Imperatoris Christi obedientes, qui manum ad aratrum apponentem iubet, non retro, sed prospicere, Qui in monte olibeti certamen ingressus, perseuerauit constantissime. Et licet sæpius ab eo petitum fuerit, ut descenderet de cruce, tamen ipse cruci affixus perdurare uoluit, exemplū nobis præbens, ut eius innitentes uestigijs, etiam perseueremus in hac nostra militia usque in finem, postea accepturi coronam de lapidibus preciosis, uitam scilicet ęternam. Quemadmodum enim prēmium peccati mors est, ita illius nostræ militiæ post hanc corruptibilem uitam in terris, stipendium est æterna uita in coelis, Quam omnibus largiatur deus pater, filius, & spiritussanctus, Amen.

Esa. 64 / 1. Cor. 2 / Ephe. 6 / Gen. 19 / Num. 14 / Luc. 19 / Luc. 22. / Mat. 27 / Marc. 15.

SERMO NONVS IN DIE SANcti Georgij, post prandium habitus.



CRedere oportet accedentem ad deum, Heb. xi. Superiore quodam sermone, fratres charissimi, inter alia pro obtinenda contra hæreticos ueritate, testes produximus Matthęum, Marcū, Lucam, & gentium doctorem Paulum, qui contra periuros apostatas, & reliquam impiorum leuissimam turbam nobis p̄sidium sint firmissimum, et quorū attestationibus non minus fidei firmantur fundamenta, q̄ ut lucerna perspicua pedum diriguntur uestigia. Possemus præterea hic etiam Ioannis testimonio uti, qui expressis uerbis Christū testificatur dixisse; Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.

Ioan. 6

uita. Bis cũ a Ioanne in græco ſcriptum inuenimus uerbum, dabo. Qua‑
propter non illud hic Chriſtus parabolice dixit, uelut apud Matthæum
ca. decimotertio, de ſemine, & Matth. uigeſimoquarto, de arbore fici, &
in alijs multis locis in parabolis & ſimilitudinibus eſt locutus. Sed de il‑
lo quod prophetauerat rex Dauid Pſal. lxxvij. Chriſtus in hoc loco Io‑
annis expreſſis uerbis & aperte loquitur. Quid enim dñi uerbis clarius
aut perſpicacius inueniri poteſt? Atqui ne ullus in animis ueſtris ſcrupus
remaneat, uobiſcꝫ nõ meo, ſed ipſiusmet Chriſti teſtimonio innoteſcat,
Chriſtum non parabolice, ſed re uera, ut ſonant ſua uerba eſſe locutum,
& illa ſic accipi eũ uoluiſſe, Repetite & diligentius expendite, quę in ea‑
dem cœna dixerit. An non Ioan. xvi. cum dixiſſe legitis: Veniet tempus,
cum iam nõ per prouerbia loquar uobis? Quod quidẽ tempus iam tum
ueniſſe teſtantur diſcipuli, qui ut paulo inferius Ioannes ſcribit, dixerunt
domino: Ecce nũc aperte loqueris, nec prouerbium ullum dicis. Ex qui‑
bus facile intelligitis, Chriſtum aperte ſuis diſcipulis loqui cœpiſſe, & di‑
ſcipulos nihil dubitaſſe, quũ confiterentur dominũ aperte loqui. Quod
quum negare non poſſimus, quomodo Chriſtum contra ac promiſerat
de honorabili altaris Sacramento in parabolis eſſe locutum affirmabi‑
mus? Quomodo diſcipulos illa non intellexiſſe, aut parum firmiter cre‑
didiſſe comminiſcemur? Fuerunt diſcipuli, & procul dubio fuerunt co‑
rum uerborum memores, quæ a Chriſto in Capharnao audiuerant, ubi Ioan. 6
promiſerat, quod iam eis exhibebat. Propterea non in eos, ſed in Iudam
poſt ſumptum panem ingreſſus eſt ſatanas, qui iſtos Nicodemos & O‑ Ioan. 3
zitas uere etiam obſedit, in ſua eos cæcitate pertinaciores reddens, adeo
ut iam nihil metuant temerario auſu claris & apertis Chriſti uerbis relu‑
ctari, et in arcam domini, in qua cœleſtis ille panis ſeruatur, impetum fa
cere. Quis enim ſanæ mentis, de expreſſis Chriſti uerbis dubitaret? quæ
ſi non clariſſima extitiſſent, non ea ſic abire diſcipuli eſſent paſſi, ſed cla‑
riorem a domino eorundem obtinuiſſent interpretationem, dum in hoc
Sacramento, corporis & ſanguinis Chriſti negaſſent præſentiam. Iam
uero (quoniam de his ſatis hic dictum eſt) ad reliqua properabimus, ſi
prius eam quam in ſuperiore ſermone attigimus, quęſtionem, clarius in‑
terpretati fuerimus. Quærebamus autem quando hoc noſtro periculo‑
ſo tempore illa Chriſti uerba ad uarias opiniones torquentur, eorum‑
que intellectus certiſſimus, a pleriſqꝫ (proh pudor) in dubium uocatur,
unde iam ſyncerus illorum & uerus intellectus ſit petendus? Siquidem
uarie uarij exponunt, & omnes ſub prætextu pietatis, pro ſua fere pri‑
uata digladiantur ſententia. Vnde minus demirandum, ſi quos illæ con
trouerſiæ & pugnæ mouent, & male habent. Proinde eos etiam atque
etiam adhortor, ne cuiuſquam facile credant opinioni: magis uero co‑
gitent ſcripturam non in literali conſiſtere lectione, ſed in uero intelle‑
ctu. Nam qui in ſcripturis interpretandis litigioſus, pertinax, & ut po‑
pulus Iſraël ſemper fuit, duræ ceruicis eſſe uoluerit, innumerabiles Actuum 7
ille ex Euangelio hæreſes decerpere poterit. Neque enim quiſquam

 negauerit,

negauerit,si ad hũc modum sanctas dei scripturas tractaremus, Quin ex
Christi uerbis Matt.x. et Luc.x. cogereris nudis pedib.incedere,quum
tibi Christi uerba proferrem, quibus septuaginta discipulis,quos binos
Exod.3 ante faciẽ suam misit in oẽm ciuitatẽ & locũ,quo erat uẽturus,diligenter
Iosue 5 commisit,ne possiderent aurum neq; argentum , nec peram ad iter , nec
Luce 14 Luce 18 binas tunicas,neq; calciamenta. Haberentq; ad hoc institutum Mosi &
1.Thess.5 Iosue exemplum non parum faciens, qui calciamẽta exuere cogebantur.
Porro in Luca,si literæ duntaxat solum innixus pergerem , facile tibi esssem cõprobaturus,neq; ad prandium , neq; ad cœnam amicos , fratres, agnatos aut uicinos inuitandos esse,Item (ut Psalliani & Euchitæ) noctes diesq; orare te oporteret. Alia deniq; magis inaudita et absurdiora ex minus recte intellecto Euãgelio colligere possem.Et mihi crede , non aliter fecerunt Ebion,Nicolaus, Valentius,Sabellius, Nestorius , Pelagius,Arrius,& alij his similes hæretici,de quibus plura apud Epiphanium,Pilastrum,Augustinum scripta inuenies . Ita enim omnes & singuli suas adornant hereses,ut pro se Euangelium Christi esse contenderent.
Sic omnis Arrianorum hæresis duobus primũ uerbis duntaxat ʽουσία & ὁμουσία innitebatur,Quandoquidem nolebant cõcedere,filium cum deo patre unius substantiæ & essentiæ esse . Quæ perniciosa hæresis maximis dissidijs dedit occasionem , & ex se miserandas ac plurimas cædes (quid enim etiam hodie pariunt hæreses,quam sanguinolentas dissensiones?)peperit.Istis eñ Catholici Athanasius,Hilarius,Paphnutius,Hila
Roman. 11 rion & alij orthodoxæ fidei cultores resistebant,etiã Euangelij testimo
1.Cor.11 nio asserẽtes filium ex deo esse. Quod isti contra se parum facere proba
1.Cor.1 turi,quemlibet nostrum ex deo esse dicebãt, idq; Pauli testimonio pro
Hebr.1 babãt qui expresse scripserit, Vnus est deus ex quo omnia . Cõtra quod
1.Cor. 11 Catholicis referentibus filium in scripturis uirtutem & sapientiam pa
Ioan. 10 tris appellari,atq; imaginem et gloriam dei uocari, Arriani nihil horum negarunt,sed eadem illa de creaturis dici confirmarunt,cum Paulus scribat,uirum esse imaginem et gloriam dei,insuper uirtutem & sapientiam in hominibus inueniri . Et quum obijciebatur istis,ipsum filium met dixisse,Ego et pater unũ sumus,Respõderunt Arriani, Recte,at non unius naturæ & essentiæ , sed alioquin eos unum esse pace & societate uel
2.Timot. 2 unitate concordiæ mutuę.Hæc sunt fratres,quę Arrianis aberrandi de
Iudicũ 15. derunt ansam. Sic aliæ sectæ una aliqua Euangelij particula proposita, suum caput sequentes uires acquirunt , & in multorũ conualescunt perniciem,Hinc uulpes caudis iniunctis ad caudas,capitibus uero libere di
Ephes.4 missis, per segetem discurrere cœperũt. Tandemq; effectum est,ut qui
Cantic.6 libet suo more Euangelium intelligere,interpretari , & torquere cœperit,quo facto nihil magis Catholicæ nostræ fidei repugnat.Quemadmodum enim unus dominus,unũ baptisma,ita unam oportebit esse fidem, unam Ecclesiam Catholicam,non duas aut tres . At plures sane synago
Mat.26 gas hæretici in angulis erexerunt , ueluti hoc nostro sæculo recentiores
Luce 22 Marc.14 isti,& impij Iebusæi & Ozitæ, ex paucis Christi uerbis , his scilicet,Hoc est cor

est corpus meum, hic est sanguis meus, octo (ut prædiximus) sectas con- Leuit.10.
finxerunt, Quorum factiones ne sectemur, pulchre in ueteri Testamen- Nume. 16
to exemplis Nadab, Abihu, Chore, Dathan, Abiron, Hieroboam, & 3.Reg.12 1.Cor.3
aliorũ admonemur. Huc accedit q cum beatus Paulus schismata & dissi
dia inter Corinthios esse audiret, mox diligentissime eos est ad concordi
am adhortatus. Ex sectis enim recta proficiscuntur contentiones, & inui
dia, refertissimæ lites, quemadmodum idem testatur Apostolus, & hoc Galat.5 1.Cor.1.& 12
est cur toties eos unanimitatis admoneat, cur toties nos oret ut concor- Romano.12
des unum corpus integrũ, eadem mente, eademq; sententia simus. Sicq; Philip.2
Romanis scribit, ut unanimiter uno ore glorificent deum, assumantq; se Roman.15
inuicem. Nimirum non deficientes a communi Ecclesia. Tali concordia
mutuo se assumentes Christiani in primitiua Ecclesia congregati, deum
uno ore glorificarũt, unũ toties de illis scriptũ unanimiter legimus. Ita eñi
Acto.1.cap. legimus Apostolos perseuerasse unanimiter in deprecatio-
ne & obsecratione cum mulieribus & Maria matre Iesu, cumq; fratrib.
illius, sicut Euangelica Lucæ historia testatur, semper erãt in templo lau Lucæ ult.
dantes & benedicentes deum. Ad hunc modum iterum unanimiter at-
tollentes uocem ad deum orauerunt, Act. iiij. Quin ita quoq; unanimi-
ter oẽs in porticu Salomonis fuisse legimus. A qua quidem unanimitate Actuum 5
& congregatione Ecclesiam nomen accepisse, haud obscurum est, nam
ἐκκλησία Græcis, apud nos congregationem significat, Et huic Ecclesię su
am deus ueritatem, suaq; oracula commisit. Quod uel ex eo facile patet,
quod quum nullũ adhuc Euangeliũ scriptum haberetur, sed solũ p præ-
dicationẽ cordib. inscriberet credentiũ, tanta tñ fuit multitudinis creden
tiũ cõcordia, ut textus Act. iiij. asserat illis cor unum et animã unã fuisse,
qđ quidẽ nullo pacto fieri potuisset, nisi sancta dei Ecclesia diuina uerita
te pręmunita omnibus aduersarij uersutijs restitisset. Insuper ne hoc qui- Matth.13
dem exiguũ illius rei est testimonium, q sancta dei Ecclesia quantũuis ua
rijs hæreticorum arietibus sæpe concussa sit, tñ semper præualuit, et illos
deuicit. Magnum profecto hoc est argumentũ, toties per diabolũ uaria
hæresiũ zizania in Ecclesiæ agrum seminata, bonum triticũ, hoc est, uerę
& antiquæ fidei cultores suffocare nõ potuisse: omnes uero iuxta ortho
doxã fidem pullulascentes hæreses eradicatas, & cum Ephesiorum libris Act.19
igne exustas esse, queadmodum in Celso, Fausto, Heluidio, Iouiniano,
Pelagio, Celestino, & alijs hæreticis uidere licet, qui utcunq; multos li-
bros scripserint, tamen nulli remanserunt superstites. Ita enim deus repel Psalm.111
lit a suo proposito impios, ut maxime ij sibi primũ florere, et quibusuis li
bani cedris altiores esse uideant, ppterea q ab amœnissimo purissimarũ
aquarũ fonte deficiunt, sibiq; laceras ac uetustas sine aqua cisternas exędi Hierem.2
ficant, Quid quod etiã Apostolus (ut superiore sermone indicauimus)
Ecclesiam columnam & fundamẽtum ueritatis appellat? An non hoc sa 1.Timo.3
tis uobis magna Ecclesię dei laus esse uidet? Equidẽ si Ecclesia columna
et fundamentũ est ueritatis, facile intelligitis opinor, unde in dubijs ueri-
tatẽ nos petere uoluerit Apostolus. Tantũ eñi hoc est, ac si dixisset Paul.

Sicubi

Sicubi nouus et inauditus aliquis ſcripturę intellectus productus fuerit, tunc non alio quam ad Eccleſiam de illius ueritate referendum eſſe negocium. Eccleſia enim non ſolũ ſupra petram ędificata eſt, ſed ipſius ædificij columna, & ueritatis fundamentum exiſtit. Hęc eſt columna quę firmiter & immota perſtat, neq; ut arundo quouis doctrinæ uento agitatur, ſed conſtans & firma omnes hæreticorũ impetus ſuſtinet, eorumq; conatus irritos declarat. Contra uero hæretici ad uenti flatum ſuam linguam loqui docentes, quod modo ratificant, cras irritant iterum: quod hodie dicunt, cras indictum uolunt: ubi hodie Chriſtum, cras Belial eſſe prædicant: aliud ſtando, & aliud ſedendo effutientes. Quod cum ex alijs eorum dictis factisq; cernitur, tum in hoc Sacramento res ipſa teſtatur. Quotus enim quiſq; eſt qui neſciat, quomodo impij iſti Euãgeliſtę primum docuerint, Euangelium & Epiſtolam germanice legendam, mox canonem proſcripſerint, ſua ſomnia ſubſtituentes, deinde uerba conſecrationis diu cecinerint permutata, & populo Sacramentum altaris ſub utraq; ſpecie miniſtrarint, ſutoribus, ruſticis, quinetiam mulieribus conſecrationis uerba conceſſerint? Hoc tandem conſpicati Carolſtadiani, Zuingliani, Oecolampadiani, & alij Iebuſęorum porci parum ſe ſtrenue facturos putarunt, niſi magis inſigni contumelia Chriſtum afficerent. Proinde uario grunnitu, uarijſq; opinionibus, uno tamen nocendi animo peruerſo in ſacram Chriſti menſam faciunt impetum. Satis iam impudice ab alijs margaritas proiectas arbitrati, et ſuarum iam partium eſſe indignioribus eas modis tractare, & conculcare pedibus, Proinde dentibus id quod ſanctum eſt certatim lacerant. Atq; (ut dicam clarius) Chriſtum in Sacramento miſeri homines nullis non cõtumelijs afficiunt, Babylonicã turrim, quam per Nembrot in Saxonia conſtruere cœperunt, adhuc ædificant. Et licet iam eo peruenerint, ut frater fratrem non intelligat, tamen furere non deſinunt, Non aliter atq; Oza penes arcam ſe gerentes, Etiam ut Michol regem Dauid, quod coram arca domini ſaltauerat, ludibrio habuit. Sic iſti nos uilipendere non deſinunt, ſcurras, mimos, & ſtultos reputantes, dum ueris patrum ueſtigijs innitentes, ſyncerum Eccleſiæ ſenſum nõ reijcimus. Quinetiam Chriſto capite noſtro eadem quæ Herodes, & ſub cruce Iudæi fecerunt, iſti hodie faciunt, dum ſuam infidelitatem ſequentes, nolunt credere, niſi uideant ſigna: tunc demum filium dei Chriſtum eſſe credituri, ſi de cruce deſcenderit, tunc demum eum in Sacramento eſſe non recuſaturi, ſi illum coram ſuis oculis uiderint. Nam ut maxime nõ pauca in honorabili hoc altaris Sacramento ſigna apparuerint, tamen ne ſic quidem mouentur. Quin Zuinglius iſte, qui fronte perfricta iam aperte os in cœlum ponere non erubeſcit, etiam non obſcure affirmat, illa ſigna a diabolo fieri. Neq; tamen admodum mirum, ſi ſignis non credunt, quum aperto dei uerbo reluctẽtur, indurati ſicut cor Pharaonis, & ueluti Nabuchodonoſor peruerſi. Quod eorum doctrina, quam recta ex deo per ſpiritum ſanctum uenire uociferantur, facile arguit. Quis enim non uideat ex quo

iſta doctri-

Matth. 16

Inconſtantia hæreticorum perſtringitur

Gene. 11.

2. Regum 9

1. Paralip. 15

Luce 23

Matth. 27

Marc. 15

Exod. 7. 8. 9

ista doctrina proficiscatur, quæ cum semetipsa perpetuũ bellũ gerit, adeo uaria instabilisq́, ut semet aperte sæpius mendacij arguat? Nimirum nõ Ioan.14
talis doctrina ex deo, qui ipsa est ueritas, sed ex diabolo patre mendacio- Ioan.8
rum ducit originẽ. Nam Apostolus ad Corin. scribens pia quadam glo- 2.Corin.1
riatur iactantia, sermonem suum non fuisse etiam & non, sed etiam per Galat.1
Christum, hoc est, firmũ et stabilem fuisse. Nec immerito quidẽ Pauli ser Matth.5
mo fuit certissimus, quia a dño illũ didicerat, qui nostrũ sermonem esse Hebr.13
uoluit, Est est, non non. Insuper et Apostolus alibi nos hortatur, doctri
nis uarijs et peregrinis ne circũferamur, aut quolibet doctrinę uento iam
huc iã illuc impellamur, Sed in simplicitate cordis quęrere nos dñm uo-
luit. Porro autem cum ad scripturarũ deuenimus interpretationem, cu-
ius quæso sequemur sententiam ęquius & securius, quam unanimis et in
ueritate constantis Ecclesiæ, quemadmodũ etiam prophetiasapud con-
cordantes prophetas. Petendam uero ab Ecclesia scripturarum interpre
tationẽ nemo negauerit, qui illud q̃d apud Ioãnem nobis Christus pro-
misit propius fuerit contẽplatus. Cum em̃ in ultima cœna cũ suis discum Ioan.14
beret dñs, inter alia illis pollicetur se patrem rogaturũ, ut illis det consola
torem spiritum ueritatis, ut maneat cum illis in æternũ, Nimirũ spiritum
sanctũ nobiscũ, & in nobis mansurũ significans. Promiserat enim dñs, se
nos non derelicturum orphanos, sed q̃ ipse & pater ad nos uenturi es-
sent, et mansionem apud nos facturi. Quinetiam spiritum sanctũ omnia
nos docturum & suggesturum omnia promittit. Imo etiam se pacem su
am nobis dare dicit dñs, Se ire, et iterum uenire ad nos, quemadmodum
clarissime apud Ioannem xiiij. hæc omnia habẽtur. Quum itaq́ Ecclesię,
non istis periuris apostatis, qui una cum sua religione, oẽm pietatem ab-
iurarunt, & tamen hoc periculoso tempore legis Rabbini et legumlato-
res uideri uolũt, spiritus sanctus promissus sit, quem potius, Ecclesię ne-
an istorum in scripturis interpretandis intellectum, sequi debeamus, fa-
cile perspicitis, quum Ecclesię non solum promissum spiritum sanctum,
sed missi spiritus egregia facinora & signa multa habeamus: ab istis uero
uertiginis spiritibus boni nihil esse ortum, res ipsa clamat. Nostræ Eccle
siæ professores & martyres spiritum Ecclesiæ promissum habuisse, præ-
clara illorum in fide constantia & doctrina in punctis & articulis fidei
consonans & unanimis testificatur. At quid de istius factionis cæcis du-
ctoribus multum dico, quum non modo singuli singulas opiniones tu-
eantur, sed pro qua quisq́ ad aram usq́ pugnauit hodie, eandem cras il-
le ipse, qui heri docuerat, reijciat iterum, & tanquam erroneam conde-
mnet? Ita eorum doctrina inconstans, dissecta, lacera, & (ut unico uer-
bo complectar omnia) non aliter in se atque satanæ regnum est diui-
sa. Nimirum quia non modo isti antesignani inter se dissentiunt, sed
cuiuslibet opinio uaga est, instabilis, & sibi sæpe contraria. Quod
quum ita sit, non iam dico ab istis scripturarum intellectum non esse
petendum, sed ne posse quidem peti firmiter assero. Quid enim ab eo
petes, qui ipse quid cras sentire uelit, nondum constituit, & cui suus
Belial

Belial ne quid noui suggerat, est expectandus, Propterea uos eius Ecclesiæ firmum & simplicem intellectum amplectimini, quæ a spiritu ueritatis per tot sæcula consolationem accepit, & ita est gubernata, ut diabolicis factionibus deuictis & oppressis, ipsa semper floruerit. Atqui aiunt, concilia & omnes doctores, ut scripturarũ interpretes etiam inter se dissentiũt. Audio sane belli homines, et intelligo uos astute quidem sanctorum uirorum exemplo elabandi occasionem quęrere: sed obsecro ostendite mihi eorum scripta, quibus cõprobetur illos in fidei nostræ punctis discordes fuisse. An non post Nicænam Synodum in Bithynia, cætera omnia concilia Arrium condemnarunt? An non sequentia semper concilia ea quę præcesserant in fidei rebus approbarunt? Quod autem in ceremonialibus, quibus animarum salus non periclitatur, alicubi uariatum est, concessum est hoc Ecclesiæ, quemadmodum de suffocato Acto.xv. Deinde uero quid referre putas, quod diuersam a Chrysostomo Augustinus circa lotionem pedum Petri sentẽtiam tenet? Illo eñ fides nihil læditur. Porro quid impedimento fidei esse potest, quod in Nicęno concilio ad unius Episcopi consecrationem, tres aut quatuor alios Episcopos requirẽdos esse statutum est, Et postea in Tripoli patrum consensu duorum Episcoporum præsentiam sufficere ad unius consecrationem concessum fuit? Num ideo a fide defecerunt? Absit, & q̃ longissime absit hoc a sanctis patribus, qui in cõciliis unanimiter congregati in pace & trãquillitate, eradicatis hæresium zizaniis, per spiritum sanctum conseruarũt Ecclesiam. Sed isti qui hoc tempore nouas & uarias doctrinas proferunt, isti inquam, sanctam dei Ecclesiam nequiter impetunt, & eam demoliri conantes, inter se perniciosis opinionibus dissentiunt, uidelicet in Sacramento altaris & aliis magnis articulis discordes, suis fortasse sectis Ecclesiæ unitatem, suisq; opinionibus Ecclesię concordem ueritatẽ cessuram arbitrati. Cuius cęcitatis quã quęso aliã rationẽ esse putatis, nisi quod istorum doctrina non e cœlis descendit, sed ex inferno a diabolo disseminata est, et mẽdaciis & uariis factionib. alicubi etiam cruentis præliis patrem diabolum refert? Quapropter fratres charissimi, nolite quolibet doctrinæ uẽto commoueri, sed firmi in Ecclesia firmissimo illo ueritatis fundamẽto perseuerate, spiritus probantes an ex deo sint. Si enim unquam antea, certe hoc tempore liberrime oberrat diabolus ueluti leo rugiens, quærens quem deuoret.

Ioan. 13

1.Timoth.3
1.Ioan.4
1.Petr.5

SERMO DECIMVS



Credere oportet accedentẽ ad deum, Hebr.xi. Mos est & consuetudo scripturæ, fratres piissimi, ut quę magna, excellentia, & præ aliis honoranda sint, multis & uariis nominibus ea nobis sacra scriptura depingat, sępiusq; ob oculos collocet. Quamobrem ne sine mysterio tot uerbis honorabile altaris sacramentum a Christo ornatum putetis, non grauabor ex ueteri Testamento, euidens illius regulæ exemplum producere. Enimuero, quum preciosius & sanctius nihil nobis scriptu-

bis ſcriptura proponat, q̃ dominum deum agnoſcere, diligere, & ſuper omnia uenerari, ideo noſtræ imbecillitati conſulens ſpiritus ſanctus, ſæpius dei nomẽ in ſcripturis ingeminat, multiſq; dominũ deũ nominibus celebrant. Sic eñ in ſancta Hebræorũ lingua decẽ diuina nomina habemus. Nam primo El dicit, q̃d ſeptuaginta θεὸν deũ uerterũt, et Aqla pro forti eſt interp̃tatus. Secundũ dei nomẽ Elohim eſt, Tertiũ Elohe, quæ etiam deũ ſignificãt. Quarto dñs appellatur deus Zebaoth, hoc eſt, uirtutũ. Quintũ uero eius nomen eſt Elcion. i. excelſus. Huic ꝓximũ eſt magnum illud, quo ſemet appellauit dominus, nomẽ Aſcher æheiæ, quod Exod. 3
interp̃tatur, qui ſum. Ita eñ Moſi reſponſum a domino legimus, Sum q ſum. Nã dñi eſſentia non ab alio, ſed ex ipſo domino et in ipſo exiſtit. In ipſo eñ & per ipſum uiuunt & mouentur omnia. Nomẽ ſeptimum eſt Adonai. i. dñs. Et octauum Ioh, unde halleluiah, q̃ frequenter in noſtris canticis etiam hodie utimur. Porro nonũ dei nomen eſt Tetragrammaton illud, q̃d Iudæi lingua Græca ἀνεκφώνητον dicũt. Eſt eñ nomẽ Iehouoh quatuor illis literis ſcriptum, quod nos Iehouah legimus. At Iudæi tantã huic nomini reuerentiã exhibẽt, ut literas nõ ſcribant omnes integras, ac ſicubi inter legendũ illud occurrit, nõ Iehouah, ſed Adonai legant. Decimum aũt dei nomen eſt Schadai, hoc eſt, fortis, uel qui ſufficiat, ſatiſq; habeat ad oẽs res pro ſua uoluntate diſponẽdas. Quemadmodũ Dauid Pſal. 70
in Pſalterio uocat dominũ adiutorẽ fortẽ. Porro de his decem nominibus multa nobis & minime puulgata eſſent, quæ poſſemus dicere, niſi illis ad hoc dũtaxat ꝓpoſitum hic uti uoluiſſemus, ut uideretis uos magni quiddã eſſe illud, q̃dcunq; multis ſcriptura ſancta cohoneſtat nominibus, & alijs atq; alijs uerbis ponit ob oculos. Inani eñ uerborũ tinnitu ſpiritum ſanctũ delectatum eſſe non inuenietis. Proinde Eſaiã, cum regi Eſa. 7
Achas ſignũ daret, uirginem concepturam & parituram filium, nolite putare, eum temere hoc ſignũ tanta cũ diligentia exornaſſe, et fruſtra tot de hoc filio ſcripſiſſe: neq; eñ ſolum natum iri filium e uirgine dixit, ſed qualis ille eſſet futurus deſcribit, & quomodo populus, qui ambulabat in tenebris, in hoc uiſurus eſſet lucẽ magnã. Quinetiã ne illius pueri maieſtatẽ uerborum occultaret paucitate, ꝓpheta ſubiungit, Et uocabitur Eſa. 9
nomẽ eius admirabilis, conſiliarius, deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Satis quidem multa unius pueri (ut uideri poſſent) epitheta, ſed q̃rum tamen nullum eſt ſupfluum. Inſup etiam in nouo Teſtamento illi longe plura et maiora attribuuntur nomina, quæ ab homine Chriſtiano non ſupficialiter legẽda, ſed rimanda ſunt accuratius, ne litera occidente cõtentet, ſed ſpiritu qui uiuificat, ſaturetur. Eq̃dem (ut aliqua ex nouo Teſtamento illius nomina adducamus) exp̃ſſe apud Ioannẽ Chriſtus met dixiſſe legit̃, ſe eſſe uiam, ueritatẽ, et uitam, paſtorẽ bonũ, lucem Ioan. 14 Ioan. 10
mundi, uerbum æternũ, uitem ueram, granũ tritici, medicum, agnum, et, Ioan. 1
quo eum angelus appellauit nomine, illũ eſſe ſaluatorem. Videtis iam, q̃ Mat. 1
ſpiritui ſancto curæ fuerit, ea quæ ſemp meminiſſe multum noſtra intereſt rat, multis & condignis modis exornata ſæpius inculcare, idq; a nobis per diuina illa nomina, & Chriſtum ꝓmiſſum exhibitũq;, pulchre com-

probatum esse.Iam igitur si idem a Christo saluatore nostro circa hono
rabile altaris sacramentum factum probauero,nimirum credetis & con
fitebimini opinor,Christum non selectissimorum uerborum sonitu de-
lectatum,sed ineffabile hoc sacramentum digne nobis commendare uo
luisse,adeoq; multis & honorificis nominibus exornasse. Primum igi-
tur illud Ioannis vi.dominus appellat panem uitæ, idq; multas sane ob
rationes. Nam ipse est uita,atq; in eo & ex eo uiuunt omnia. Quapro-
pter in Ioanne panē illum cœlestem patribus datum,a suo multū differ-
re asserit,dicens:Patres uestri comederunt Manna in deserto,et mortui
sunt, & ita quidem,ut ex tanta multitudine uirorū,qui ex Ægypto ꝓfe-
cti erant,p̄ter Iosue & Caleb,in terram ꝓmissam nullus peruenerit.Cęte-
Num.14.20 Deut.34 ri em̄ omnes,Moses,Aaron et alij in deserto diem obierant.Deinde ue-
ro suum illum panem dominus panē uitæ appellat, qa ipse uitam dedit
mundo.Et ueluti ipse ait,qui comederit hunc panem,uiuet in æternum.
Quamobrem Punici,teste Augustino,mentionē baptismatis facientes,
ipsum uocant salutē:at hoc sacramentū semp̄ nōminarūt uitam. Hic em̄
est supnaturalis ille panis, qui omnium rerū huius mundi naturis facile
Act.2 antecellit.Deinde uero ille panis κοινωνία,hoc est, cōmunicatio uel cōmu-
nio dicitur.Nam cōmuniter ab Apostolis & alijs credētibus in fractio-
ne panis tractabatur.Atq; nos idem facientes,in cōmunionē Christi de-
1.Cor.11 uenimus.Proinde hoc nomine diurnū illud sacramentū in priori ad Co
rinthios insigniuit Apostolus, & inuenitur Act.iij.His tertiū nō minus
celebre illius sacramenti nomen accidit,quo ob gratiarū actionē εὐχαριστία
dicitur,propterea uidelicet,q; benedixerit,gratiasq; egerit dominus,ue-
Mat.26 luti Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus apertissime scribunt,& alio-
Marc.14 quin pro more habuit dominus, ante & post cibū gratias agere, & hy-
Luc.22 1.Cor.11 mnum dicere.Vnde & Marcus eum septem illos panes postquam gra-
Mar.8 tias egisset, fregisse scribit,& dedisse discipulis turbæ apponendos. Et
peracta cum discipulis cœna,cum hymnum cecinissent,egressus est Iesus
trans torrentem Cedron ad montem Oliueti. At hæc gratiarum actio
a nostris Benedicite,uel benedictio uulgato nomine dicitur, quæ quidē
benedictio non tam in ueteri Testamento a deo,q̄ a patribus celebrata
legitur.Dei benedictione scriptura est referta. Ita enim cum masculum
Gen.1.9.25. & fœminam creasset dominus,benedixit eis.Sic etiam Noē et filijs eius.
Sic Abraham & filio eius Isaac, qui ad fontem uiuentis & uidentis ha-
bitabat, dominus deus benedixit. Porro de patrum benedictione sa-
cris in literis multa sunt prodita memoriæ.Illi enim Deum summum re-
rum authorem sequuti,sæpius benedixisse leguntur. Melchisedech Ge-
nesis decimoquarto (quia erat sacerdos dei altissimi) Abraham bene-
dixit,& Iacob, ut Genes. xlviij. legimus, filijs Ioseph,Ephraim & Ma-
nasse benedixit.Ad hunc modum Aaron Leuitici nono extendens ma-
num ad populum benedixit ei. Deinde etiam Moses & Aaron simul
egressi tabernaculum benedixerunt populo.Iosue denique morem pa-
trum sequutus, benedixit, Iosue uigesimosecundo. Et harum quidem
benedictionum permultę sunt,At illa omniū potentissima & saluberri-
ma est

ma est benedictio, cuius uirtute panis in corpus, & uinum in sanguinem cōmutatur & transubstantiatur, de qua expresse ad Corinthios scribit Apostolus: poculū benedictionis, cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? Hoc est illud uerū sacerdotiū, quēadmodum Paulus Melchisedechi exēplo ad Hebręos cōprobat. Et hic est ille panis uere benedictus, quē nobis in sui memoriam et recordationē reliqt dominus, nostriq; perpetuam consolationē. Quare fratres digno in honore apud uos pciosissimum hoc sacramentū esse debet, quo uerū Christi corpus et uerū eius sanguinē contineri, apti & expressi Euangelistarū textus cōprobant, Apostoli & omnes sancti dei doctores testificantur, & perpetuus ille Christianæ Ecclesiæ ab Apostolorum tēporibus usq; in hodiernum diem unanimis & consentaneus usus confirmat. 1. Cor. 10. Heb. 7

SERMO VNDECIMVS.

Credere oportet accedentē ad deum, Heb. xi. Habetis, opinor, in memoria, fratres dilectissimi, quę supioribus sermonibus cōtra impijssimos istos Ozitas, Nicodemos, Capharnaitas, Himenęos, & Iebusęorū immundissimos porcos, qui temere ueritati honorabilis sacramenti reluctantur, ac sanctū domini μυστήριον q̄ possunt iniquissimis modis conculcant, nos pduxerimus, & quibus scripturarū testimonijs eorū somnia a nobis sint refutata. Quoniā uero ea hodie temporū est iniquitas, ut non illæ modo hęreses, de quibus Philaster, Augustinus, Primasius ante mille annos scripserunt, reuixerint, & relatę ab inferis, denuo radices agant, sed etiam nouæ atq; inauditæ simul subinde pullulascant, & multū per omnē modum in sancta fide nostra hæreses succrescant, aduersus dominū & aduersus Christum eius, in magnā Christifidelium calamitatem, atq; multorum perniciem. Hæreses enim quis non uidet, quauis hydra uniuerso sane malo, multo fœcundiores esse? Equidem unius sectæ capite præciso, mox decies totidem continuo renascuntur. Inter quas utcūq; tolerabilis quibusdam uideatur opinio, est tamen longe pestilentissima hæresis, quam cautissimæ istę uulpes (a quibus optime plantata dei uinea misere exterminatur) excogitarunt, Nimirum asserentes, ut maxime esset ac sit in sacramento altaris corpus & sanguis Christi, tamen id nullum esse posse sacrificium. Astute sane, ne non satis multæ essent hæreses, quibus populi Christiani concordia & fidei unitas discinderetur, etiam istam producūt. Videte quæso, ut omnibus eadem nocendi sit cupiditas, fallendi autem mille artes. Isti sunt uerę Sampsonis uulpes, caudas cōiunctas, capita uero libera habentes. Quin etiam ignitis istis serpentibus missis in populum, longe perniciosiores, et turris Babel nefarij ædificatores. Vt enim in eius turris ædificatione linguæ confundebantur, ut frater a fratre intelligi non posset: Ita istorū animis per uarias & diabolicas sectas diuisis, ipsi non modo suos proximos, sed etiam semet non amplius intelligunt. Hinc fit, ut sub istis ductoribus utroq; pede populus claudicet, & aberret perdite. Hanc itaque Christiani populi calamitatē non sine magno dolore considerans, non Sacramenti euersores. Iudic. 15 Num. 21 Gen. 11 3. Reg. 18

possum quin clamem, & pro mea mihi diuinitus data gratia periclitan-
Exod.3.4. tes iuuem. Tametsi em̄ non ignorē me (ut Moses olim querebatur) nō
Hiere.1. eloquentē esse, & linguæ impeditæ, meritoq; cum Hieremia p̄tendam,
Ah ah ah domine deus, Ecce nescio loqui, q̄a puer ego sum: Tamē sim-
1.Reg.17. plicis et humilis Dauidis exemplo prouocatus, contra sup̄bissimū Phi-
listęum Goliad, sumptis quinq; limpidissimis de Iordane lapidibus, isti-
us hęreseos seminatores adoriar, penes hunc scilicet nostrę fidei non mi-
nimum articulum pro mea uirili facturus, quod potero optimum. Atq;
Act.3 si non multum auri & argenti habuero, tamen hoc quod habeo, ut Pe-
trus dixit, prompto animo præstabo. Atque si non decem mihi talenta
Luc.21 commissa sunt, mittam tamen duo illa minuta æra cum uidua in Gazo-
phylacium pro templi sustentatione, ne quantumuis minutum æris ta-
lentum in sudariolum reposuisse inueniar. Pergam enim secundū men-
suram gratiæ mihi datæ fideliter agere. Et si metere nō ualuero, non de-
Ruth 2. sinam tamen in messe domini, quēadmodū Ruth Moabitis, spicas col-
ligere, oratosq; istos cupio, ut si me Rahel aut Thobię nomine non di-
Mat.15 gnantur, sinant tamen me uel catellum illum esse, qui edat de micis ca-
dentibus de mensis domini sui. Quocirca fratres charissimi, benigne
quæso me tolerate, & quæ producam contemplamini diligentius. Iam
Mat.9 Luc.8. enim infirmæ illius mulierculæ more accedam ad dominum, ut uel ue-
stimentum eius tangam. Indeq; uobis quid spiritus domini, imò quid
os domini de sacrificio huius sacramenti, non minimo scilicet nostræ fi-
dei puncto, loquutum sit, referam. Permulta sunt autem, quibus domi-
nus suorum corda fideliter præmuniuit, ne in nouissimis temporibus
seducerentur, signa sui aduentus & consummationis sęculi multa indi-
cans, quæ diem sui aduentus essent præcessura: ueluti sunt, bella, bello-
rum rumores, pestilentiæ, fames, falsi prophetæ, &c. Atque inter alia
fidelis Dominus Matthæi uicesimoquarto his uerbis certum sui ad-
uentus signum ostendit. Cum ergo (inquit dominus) uideritis abo-
Dan.9 minationem desolationis, quę dicta est a Daniele propheta, Stantem in
loco sancto, qui legit intelligat, Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad mon
tes, qui in tecto, non descendat, ut tollat quicquam de domo sua, & qui
in agro, non reuertatur, ut tollat uestes suas. Quod & Marcus capite
decimotertio depingit in hunc modum: Porro cum uideritis abomi-
Dan.9 nationem desolationis, de qua dictum est a Daniele propheta, Stantem
ubi non oportet, qui legerit intelligat, &c. Vidistis iam, quomodo
istam abominationem illi duo describant, & quanta cum diligentia,
Ita scilicet, ut alter ab alterius sententia ne latum quidem unguem disce-
dat. Nunc itaq; (quoniam non parum refert hæc intellexisse) ad Da-
nielem deueniemus, scrutaturi scilicet, quibus ille uerbis abominationē
describat. Collatis enim multis scripturæ locis, fieri non potest, quin al-
ter ex alterius collatione illustretur. Sic enim nobis hic Daniel lectorem
indicabit, qui hoc sit intellecturus. Ita em̄ apud Danielem os domini lo-
quitur: Vade Daniel, quia clausi sunt signatiq; sermones usq; ad præfi-
nitū tempus, eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis p̄babuntur mul

ti. Et

ti. Et impie agent impij, neq; intelligent omnes impij, Porro docti intelligent ea. Et a tẽpore cum ablatum fuerit iuge sacrificiũ, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta, Beatus qui expectat, & puenit usq; ad dies mille trecentos trigintaqnq;. Hic fratres dilectissimi tria nobis per ꝓphetam ꝓponi uidetis: Primo q̃sdam scilicet doctos illa intellecturos, q̃sdam uero, uidelicet impios, minime. Deinde ad tẽpus sublatum iri iuge sacrificiũ, & contra fore, ut substituatur abominatio. De hoc aũt iugi sacrificio, q̃d apud Hebræos thomid dicitur, idẽ Daniel ca. viij. sic scribit: Princeps fortiũ (nimirũ Antichristus) abstulit iuge sacrificiũ, & deiecit locũ sanctificationis eius. Robur aũt datũ est ei contra iuge sacrificiũ ꝓpter peccata. Et ꝓsternetur ueritas in terra, & ꝓsperabitur & faciet. Et audiui unum de sanctis loquentẽ, & dixit unus sanctus alteri, nescio cui loquenti: Vsq;quo uisio, & iuge sacrificiũ, et peccatũ desolationis, quę facta est, & sanctuariũ, & fortitudo cõculcabitur? Et dixit ei, Vsq; ad uesp̃am & mane dies duo milia trecenti, & mundabitur sanctuariũ. Huc etiam ptinent ea, quæ in ix. eius cap. scribit: Confirmabit aũt pactum (inquit Gabriel) multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificiũ, & erit in templo abominatio desolationis. Porro in xi. cap. ibi demũ clarissime tractat ꝓpheta istorum impietatem, quemadmodũ uidelicet iuge sacrificium impij ablaturi sint: At populus intelligens deum suum, sit obtenturus & facturus, hoc est, sacrificaturus. Et hoc quidẽ sacrificium, q̃d populum intelligentem sacrificaturum dicit ꝓpheta, q̃d quęso aliud fuit, aut esse potuit, nisi honorabile hoc altaris sacramẽtum? Quod populus retinens deũ suum a Christi domini nostri ascensione quotidie pro uiuis et mortuis pie obtulit, quodq; sacrificiũ tempore Antichristi per tempus et tẽpora, et per dimidiũ temporis (teste eodẽ Daniele) auferet e tẽplo, & in eius locum substituetur horribilis et deplorãda abominatio. Porro tẽpus, tempora, & dimidiũ tẽporis non aliter in Daniele interp̃teris, q̃ in Apocalypsi Ioannis exponemus. Significantur enim per illa tẽpora tres anni, & dimidius, quibus iuge hoc sacrificium Antichristus subuertet, tollet, & in desolationẽ ponet, abominationem horrendam surrogaturus in sancto tẽplo dei, in eo scilicet loco, ubi stare non debebat, queãdmodum iam Antichristi p̃cursores Anabaptistæ, & alij hęretici strenue incipiunt suo domino Antichristo uiam p̃parare, dum quicq̃d pium et sanctũ est contẽnunt, altaria dei demoliũtur, & mensas dęmoniorũ instituunt, ꝓculq; hoc iuge sacrificiũ abesse iubent, dum materialẽ panem pro sacramento altaris substituẽtes, pro Christo in eorũ synagogis Belial, Moloch, Baal, Baalim, & Beelzebub adorant. O nimis certa crudelissimæ abominationis semina, & populo intelligenti, uolẽtiq; suum deum obtinereue, hementer fugienda. Audistis hactenus fratres charissimi, quid de hoc iugi sacrificio Christus dixerit, q̃d etiam ante multos annos ꝓpheta Daniel scripserit de eodẽ: nũc quid Malachias de eo scriptũ reliquerit, audietis. Nam & Malach. i. cap. de eodẽ sacrificio hęc habet: Ab ortu solis usq; ad occasum magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur

Dan. 12.
Apoc. 12

ficatur & offertur nomini meo oblatio munda, dicit dominus exercituum. Atq; hęc quidē oblatio munda nō cōmode interp̄tabitur de sacrificio laudis nostrarū orationū et dep̄cationum, quum adhuc cū rege Dauid peccata cōfitentes oremus, Cor mundum crea in me deus, Et q̄libet cum publicano p̄cutiat pectus suū, dicens: Deus, p̄pitius esto mihi peccatori. Quis uero adeo sibi placeat modo Christianus, qui nō cū Paulo caput demittat, & cōfiteatur: Nihil mihi cōscius sum, sed nō per hoc iustificatus sum? Vnde sapiētissimus rex Salomon rectissime interrogat, Quis potest dicere, mundū est cor meū, purus sum a peccato meo? Quòd si p̄ mūdo corde q̄tidie apud deū interpellamus, & nos peccatū habere (modo ueraces esse uelimus) diffiteri nō possumus, q̄modo q̄so alia oblatio, munda, nisi iuge hoc altaris sacrificium deo offertur, quod per oēs Christianitatis p̄uincias per tot sæcula sacrificatū et oblatū est deo? Est uero hoc altaris sacrificiū uera et sola mūda oblatio, Nimirū speculū illud sine macula, agnus ille uere integer et candidus, q̄ peccatū nō fecit, sed aliorū peccata p̄tulit in corpore suo, in cuius ore nō inuentus est dolus, Hic ille inq̄, per totū Christianitatis orbē mūda oblatio deo offertur, et pro hac munda oblatione, iugi sacrificio, materiali & pistoris manu cocto pane uesci quidam desperati Antichristi p̄cursores incipiunt, pro sua uirili ad desolationē fidē catholicā diruentes. Propterea nō istorū dissectis & diuisis opinionibus, sed unanimis Ecclesię cōcordi doctrinę, columnę illi ueritatis credite, nec istorū terræ filiorum cōmentis, sed sanctorū doctorū interp̄tationē acceptate, et tenete firmiter: qui hunc p̄phetę locū sic intellexerunt, et ita (q̄d eorū scripta testātur) sunt interp̄tati, E q̄rum numero Irenęus, q̄ Ioannis Euangelistę discipuli discipulus fuit, diligens fraternę charitatis, et crude nomē habet, uere pacis cultor, Ille li. iiij. ca. xxxij. contra Ebionitas sic scribit: Dn̄s noster Iesus Christus eū qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens, Hoc est meū corpus. Et calicē similiter, qui est ex ea creatura, quę est secundū nos, suum sanguinē confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationē, quā Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mūdo offert deo. His adde, si placet, clarissimam sacerdotis Melchisedech figuram. Debebat enim Aaronis sacerdotium cessare, quemadmodum & etiam abrogatum est, sublataq; sunt boum, uitulorum, arietum, hircorū, et his similia sacrificia. At illius Melchisedech sacerdotium in æternum duraturum promisit dominus. Et Melchisedech quidem in sacerdotio successerunt Apostoli & discipuli Iesu Christi. Quod aperte nobis uel Actorum testatur historia, in cuius capite xiij. scriptum cōtinet, in Ecclesia, quę erat Antiochiæ, fuisse p̄phetas & doctores, Barnabam & Simonē, cognomento Nigrum, Lucium Cirenensem, & Manahem, & Saulum. Cūq; illi sacrificarent, &c. Audi quæso uerbū, sacrificarent. Quid hic dicent isti ueritatis osores? Nū hic p̄phetas & doctores Ecclesiæ dæmonijs sacrificasse affirmabunt? Profecto non arbitror id istos dicturos. Quis eīm sanctos Christi discipulos credat ea fecisse, q̄d ipsi alijs summe p̄hibuerant? Paulus eīm uehementissime εἰδωλόθυτα execratur, arbitratus iuxta doctrinam Christi, impossibile esse

[Margin notes: Psal. 50; 1. Pet. 2.; 1. Cor. 4; Prou. 20; 1. Pet. 2.; 1. Cor. 10]

bile eſſe deo ſeruire & Belial, duobus ſcilicet dominis contrarijs. Qua-
propter affirmat Apoſtolus, neminem poſſe poculum domini bibere,
& poculum dæmoniorum, nec menſæ domini participem eſſe, & men-
ſæ dæmoniorum. Quod quū ita ſit, facile intelligitis diſcipulos domino
ſacrificaſſe, quemadmodum & ieiunaſſe eos ibidem legimus. Neq; enim
fruſtra expreſſis uerbis illos ſacrificaſſe dño & ieiunaſſe Lucas aſſerit.
Quum itaq; ſacrificarint, non eſt dubitandum fratres, quin hanc mun-
dam oblationem, Chriſtum, in ſacrificio miſſæ deo obtulerint, adeoque
miſſam celebrarint. Cuius rei euidentiſſimum teſtimonium perhibet
græcum illud participium λειτουργούντων, quo ibidem Lucas utitur. Nam
græcis λειτουργίαν miſſam dici, nemo, modo linguæ non omnino ignarus
dubitat. Quanquam uero λειτουργεῖν miniſtrare ſignificat, tamen ea dun-
taxat miniſteria obire denotat, quæ ad ſacra facienda pertinent. Sic enim
ad Hebræos viij. Chriſtus λειτουργός, quod nobis eſt ſacerdos, appella-
tur. Et in eodem ſane capite etiam τῆς λειτουργίας Apoſtolus facit mentio-
nem, quod Eraſmus ibi ſacerdotium reddidit, & ad Philippenſes pro Philip. 2
ſacrificio uertit. Idem autem alioquin eſt atque θυσία, a quo & θυσιαστήριον
eſt deriuatum. Ita locus ad Romanos xv. male eſt redditus. Conſidera
cauſam, Paulus miniſtrum ſacræ rei appellat & Apaphroditum. Et ta-
les quidem λειτουργοὺς, id eſt miniſtros, angelos appellat Paulus ad He-
bræos primo. Sed quid multis? Hominibus græcis λειτουργίαν idem ſigni-
ficare, quod eſt apud Latinos miſſa, non tam noui Teſtamenti pluri-
mis locis comprobare poſſumus, quam communis totius Græciæ ſer-
mone. Siquidem ab Apoſtolorum tempore in hanc horam uſque apud
Græcos & græce loquentes Moſcouitas, miſſa λειτουργία dicitur. Atque
ab hoc ſacrificio, quod alioquin θυσία dicitur, θυσιαστήριον altare dictum eſt,
quo frequenter Apoſtolus uocabulo utitur. Et altare quidem cum ſa-
crificio pulchre depingit ad Hebræos xiij. his uerbis: Habemus θυσιαστήριον
id eſt, altare, de quo non eſt phas edere ijs, qui tabernaculo deſeruiunt,
& cætera. Ex quibus omnibus cuiuis facile patet, honorabile hoc alta-
ris Sacramentum ſacrificium eſſe, & recte a nobis ſacrificium credi &
appellari.

SERMO DVODECIMVS



Credere oportet accedentem ad deum, Heb. xi. Vniuerſo illo
ſuperiore ſermone fide digniſſimos teſtes Danielem, Malachi-
am, Melchiſedech pro honorabili altaris Sacramento &
eius ſacrificio conſeruando produximus, docuimuſque concorditer &
unanimiter ab Apoſtolorum tempore uſque ad hæc noſtra periculoſa
tempora ſanctos Doctores ita docuiſſe, & Eccleſiam, (quam Apoſto- 1. Timo. 3
lus columnam ueritatis eſſe affirmat) ſic ab Apoſtolis edoctam, per tot
ſæcula obſeruaſſe & tenuiſſe. Quæ tametſi pio homini ſatis ſuperque eſ-
ſent pro ſua fide confirmanda, tamen quo pij contradicentes conuin-
cere facilius poſſint, & imbecilliores magis confortentur, non dedigna-

bimur hic principaliora aliquot hæreticorum obiecta diluere, & quam cæci isti homines in arenam ædificent, clare ostendere. Neq; eñ me clam est fratres pijssimi, quæ isti sacramentorum contemptores hic obganniant, quomodo in clara meridie palpent ad parietem. Nimirum perplexi sophistæ, incerti figuristæ, ac cæci isti tutistæ ad montem Sylesium nõ lusci, sed quauis talpa cæciores, Sodomitis obstinaciores, et squãmis densissimis eorum oculis prægrauatis, uehementissime opus haberent Anania aliquo, qui ut olim Saulo, ita istis quoq; manus imponeret. Neq; eñ, ueluti Galatæ, stulti solum sunt, sed multis diabolorum legionibus obsessi, contra Christum in Sacramento atrociter pergunt furere. Et quũ adiurantur, pro suo more isti insaniunt, uocem ueritatis audire recusantes, nõ aliter atq; diabolus in obsessis semper fecisse tota Euangelica testatur historia. Atq; in hac materia Sacramẽti, & pciosissimi sacrificij altaris omnibus uiribus collectis in medium prodeũt, pro diaboli mensa fortiter pugnaturi. Nimirũ gloriabundi isti ut Goliath hastas ferreas sua quidẽ sententia firmissimas pararũt, ueniuntq; totum populũ Israel, imo etiã principẽ exercituũ expugnaturi, quemadmodũ Gigantes olim Iouem coelo depellere conatos esse aiunt. Quare illi nobis iuge sacrificium erepturi, parũ firma quib. defendamur præsidia esse obijciunt. Nam figuram Melchisedech non pro nobis, sed cõtra nos esse, quũ de Melchisedech, qui sacerdos erat altissimi, nihil aliud scriptum sit, quod quidem obtulerit, nisi panem & uinum, Et id se quoq; cõfiteri, atque ex eo inferre etiam, in Sacramento præter panẽ & uinũ nihil esse, quum in figura nihil fuerit amplius, Adeoq; nos nostro gladio confossos occumbere. Ecce aũt quanti gloriosorũ militũ ictus! Deũ immortalẽ q̃ firma fundamenta, quib. abominanda hæresis nititur. Enimuero longiore responso uix dignũ iudico stramineũ hoc argumentũ. Veruntñ in gratiam infirmorũ libẽter illud refutabo, quo etiã mundo istorum innotescat stultitia. Principio aũt fratres in memoria uos habere uolo, scripturã nõ in litera externa et mortificãti, sed in sensu et spũ cõsistere, et sæpe eam parabolice loqui, ut nõ possit literalis sensus habere locũ. Quemadmodũ igiẽ qñ scriptura Christũ esse dicit agnũ, ouẽ patientẽ, bonũ pastorẽ, lapidẽ angularẽ, lapidẽ scissum de mõte sine manib. petrã, fontẽ uitæ, medicũ, uitẽ &c. nõ propterea oĩa illa naturaliter & essentialiter ita se habere putandũm est, ut uerba sonant, aut illæ res, q̃bus Christus cõparaẽ, naturaliter existũt, ita scilicet, ut inter eas & Christũ nulla sit differẽtia. Sic eñ sæpe quadrupes esse dñs cogeretur, sæpe ut lapis angularis templi apparere, uel ut aqua salire e petra, et pro cõficiendis antidotis apothecam ingredi, tametsi uerus aliogn sit medicus amplissimi illius hospitalis uniuersi mundi. Quis enim nesciat quanta ab eo uel in terris adhuc agẽte cæci, muti, surdi, claudi, paralytici, & alij quibuscunq; morbis affecti beneficia acceperint: tñ nemo dñm naturalem agnũ, aquã, lapidẽ, aut chirurgũ esse dixerit. Porro ut istis cõparationib. & similitudinib. agimus, ita etiã figuras ueteris testamenti tractare debemus, Quanq̃ eñ omnia (teste Aplo) in figuris contigerint patrib. tñ umbram duntaxat obtinebant futuræ lucis, Quocirca uelũ tẽpli

Acto. 9
Galat. 1. 3
Gene. 14
Ioan. 1
Actuum 8
Ioan. 10
Esaiæ 28
Ephes. 2
Daniel. 2
Apocal. 7
1. Cor. 10

tam diu integrum permansit, donec Christus omnia in luce (ipse cum lux uera fuit) rite perficeret. Ideoq; Moses in facie sua uelamē positū habuit, donec dñs reuelaret sapientiā paruulis, quā prudētes et sapiētes nō agnouerant. Iam uero quis umbrā dicere eam rem audebit, a qua umbra proficiscitur? Quomō eñ umbrā Petri aut alterius eū ipsum hominē dices, ex quo umbra egreditur? Id quod Æsopus etiam sua de carne fabula cōprobat. Quamobrem figuræ non totū, sed signū & demōstratio alicuius futuri fuerūt. Neq; necessario requiritur, ut in minimo quoq; puncto figura cū figurato conueniat. Quod ex his Christi uerbis euidentissime patet: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiū hominis. Hic enim quis adeo communis sensus expers esset, ut e Christo serpentē æreum faceret, eumq; quum ad Ezechiæ tempora duraret, confractū iri diceret? Sufficit enim quo ad illā figuram: Christū in cruce exaltatū, quemadmodū eum exaltari oportuit, & sic ingredi in gloriā suam, perpetuū futurus antidotū contra uenenosos & uersutos omniū inimicorum morsus, Ac præcipue firmum præsidiū aduersus Sacramentorum & imaginum euersores, qui tanto rerum sacrarum odio flagrant, ut ante oculos Christi imaginē esse sitam ferre nō queāt. Quinetiā hoc producemus exemplū, quod Matth. xij. scriptū habemus, ubi sic ait dñs: Quēadmodum Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus dieb. & tribus noctib. Hic non poterimus affirmare Christū in Niniuē, quæ erat itinere triū dierū ciuitas, abijsse, atq; egressum sub umbraculo in umbra resedisse. Hoc uero nō imus inficias, dñm Iesum nauim ingressum, & in ea dormiuisse, cū motus magnus fieret in mari. Qđ aūt dñs missa prius sorte in mare proiectus sit, nullibi inuenit. Nam uēti q̄q; & mare obediebāt ei. Sed q̄d ad tēpus triū dierū et triū noctium ptinet, id hac figura cōprobat: Vt eñ Ionas in medio ceti fuit, & mirabiliter inde clamauit ad dñm, tandemq; diuino iussu piscis illū euomuit in aridā: Sic etiā Christus trib. dieb. in medio terræ fuit, hoc est, Hierosolymis, q̄ in medio habitatæ terræ sita est ciuitas, atq; per deū et diuinā suā uirtutē excitatus a mortuis, ueluti Ioan. x. ipse p̄dixerat, se ponere animā suā, & iterū sumpturum se eā. Ideoq; & Petrus repletus spū sancto, Israēlitis Act. iij. cōfirmat, q̄ deus Christū suscitauerit a mortuis. Age uero sumamus etiā illam figuram temporum Noē, quā Christus Lucæ xvij. extremis temporibus comparat his uerbis: Sicut factū est in diebus Noē, ita erit in diebus filij hominis: edebant et bibebāt, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usq; in diem, qua intrauit Noē in arcam, & uenit diluuiū & perdidit oēs. Similiter sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant: qua die aūt exijt Loth a Sodomis pluit ignem et sulphur de coelo, & perdidit omnes. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur. Atq; hoc quidem in eum finem indicatur, ut uigilemus præcincti, expectantes quando dñs ueniat, recordemurq; horam esse incertam, at filium hominis certo uēturum, malis iustum & pertimescendū iudicem. Alioquin eñ arcus in nubib. coeli collocatus est, & ignis purgās ueniet. Et quem-

Matth. 11
Numer. 21
4. Reg. 18
Matth. 8
Marc. 5
Luce 8
Matth. 24
Luce 12
Matth. 24
Marc. 13
2. Petri 3

Et quemadmodum ſcriptum eſt, Sol ſtabit in oriente, & Luna in occidente,& erunt dies perpetuę. Quid hic commemorem figuram,de qua Geneſis xxij. ubi Abraam unigenitum & dilectum filium obtulit, iam lignis apparatis illum iugulaturus,ni uoce Angeli præuentus, arietem e uepribus protraxiſſet.Quanq̄ aūt hanc Chriſti dn̄i offerēdi in ara crucis figuram fuiſſe non ambigimus, tn̄ dn̄m deum manum extendiſſe & arripuiſſe gladium,ac ictum ab Angelo interceptum eſſe nō aſſerimus.Prętergredior hic etiam hiſtoriam Ioſeph, quam Chriſti uenditi figuram fuiſſe non dubitamus: licet Ioſeph uiginti duntaxat argenteis mercatorib.

Geneſ.37 Iſmahelitis & Madianitis ſit uenditus,Chriſtus autem triginta argenteis

Matth.26 a Iuda diuenditus exiſtat,Magna hiſtoriarum eſſet copia, fratres chariſſimi, quibus idem probarem, ſed mihi ſufficit illis exemplis uobis oſtenſum eſſe,non neceſſario requiri, ut figura omnino in omnibus punctis,

Geneſ.14 uerbis & proprietatibus correſpondeat rei figuratę. Quū itaq; Melchiſedech ſacerdos,&,ut ſcriptura teſtat̄,ſacerdos altiſſimi fuerit, atq; ut ſacerdos benedixerit,ſicq; obtulerit panē & uinū, quū deniq; mirabile eius

Pſalm.109 us ſacerdotiū in ęternū ſecundū ordinē Melchiſedech(ueluti expreſſe cōfitet̄ propheta)manere & durare debeat,atq; tales quidē huius perpetui ſacerdotij preces,benedictiones,& oblationes nō niſi in hoc Sacramēto inueniantur,quō quæſo hoc Sacramentū ſacrificiū eſſe negabimus, quū uerba prophetę ſint clariſſima per ſe,deinde ea ſic unanimiter omnes ſancti doctores,Auguſtinus,Chryſoſtomus,Origenes, Cyrillus, Cyprianus,Gregorius Nazianzenus, Baſilius magnus, Ambroſius, Hieronymus,Gregorius magnus, Theophylactus,Tertullianus,Ignatius,et alij intellexerint,tenuerint,æditisq; libris ſancti prophetæ uerba ſic interpretata poſteritati reliquerint. Porro in hoc uenerabili altaris Sacramento pro pane & uino accipimus nos ſpeciem panis &uini, & non materialē manuq; piſtoris coctum panem,ut per ſe fuit,At poſt cōſecrationem & benedictionem amplius non eſt. Quapropter manet adhuc firmum & rectum ſacerdotium illud Melchiſedech cum ſuo ordine, quem poſt ſe ſummus ille ſacerdos Chriſtus primis a ſe ordinatis ſacerdotibus Apo-

Aaronis abrogatum ſacerdotium. ſtolis & eorū ſucceſſoribus pręſcriptum reliquit, et eum quidē ordinem non ſecundum ritum Aaronis,nam Aaronis ſacerdotium una cum lege

Pſalm.109 tranſlatum & abrogatum eſt & in eius locum ſurrogatum eſt ſacerdotium & ordo Melchiſedech.Habet autē illud Melchiſedech ſacerdotium gratiarum actionem,benedictionē,ritum, Aldibrothi uerbū,quod Septuaginta uerterunt,τὴν τάξιν,& noſter interpres ſecūdum ordinem reddidit.Neq; uero temere excogitatū ordinem, ſed quem Chriſtus in nouiſſima cœna inſtituit,cum nobile hoc ſacerdotiū habet, eiusq; rei teſtes

Matth.26 omni exceptione maiores ſunt,Matthæus,Marcus,Lucas,& Paulus,q

Marc.14 expreſſis uerbis hunc deſcripſerunt.Ille itaq; ordo manebit,manebit inq̄

Luce 22 1.Corin.11 inuitis etiam omnibus hæreticis. Nam dn̄s(quemadmodū Dauid in ſpi

Pſalm.109 ritu locutus eſt)iurauit & non pœnitebit eum,uerbum enim ſuū & Te-

Matth.22 Marci 12 ſtamentū ſuum nō faciet irritum. Atq; hoc ſane uerbum adeo magnum,

Luce 20 adeo excellēs eſt,ut Chriſtus (ueluti Euangelica hiſtoria aſſerit) non de

Dauid

Dauid, sed de semet Christo illum Psalmum intelligi uoluerit. Iam uero Psalm. 131
dilectissimi, queadmodum dñs deus iurauit Dauid et semini eius et iura- Lucae 1
uit ueritatē, queadmodū Abrahae iurauit, ueluti in suo cantico Zaccha-
rias cōfitetur et id qdem p seipsum, quū p quē maiorē iuret nullū dñs ha Hebr. 6
beat, Queadmodum inq̄, his iurauit, et seruauit iurata fideliter: Ita etiam
Christo dño nro iurauit, & non poenitebit eum, Nimirū q Christus ma
neat sacerdos in aeternum, secundum ordinē Melchisedech. Et hic ordo
manebit in Ecclesia dei usq ad illud tēpus, q̄ Danielis prophetia implebi
tur. Atqui sunt hic quidā, q̄ se illaqueandi materiam q̄rentes, asserere nō
dubitāt, quum de Melchisedech legatur, eū chohen fuisse, q̄d etiā signifi- Genes. 14
cet pfectum, uel in officio cōstitutum, Atq adeo figurā illius parum pro
firmando nro sacerdotio facere. Ecce aūt hominū uersutiā, quanta exco-
gitēt, et q̄ friuolis innitātur. Sed q̄remus ab illis, q̄dnam illius fuerit offi-
ciū, aut cuius officialis extiterit? Equidem res mirabilis esset, si Melchise-
dech Gen. xiiij. officialis fuisse diceret dei altissimi: oporteret eñ nos ostē
dere cui officio pfuisset, magister ne curiae, an q̄stor, aut talis aliqs fuisset.
Sed nugae sunt merae, quas belli homines excogitāt, ne omino tacuisse ui
deantur: siquidē uox Chohen Hebraice sacerdotē significat, unde Cho-
hen gaedol, sacerdos magnus dicitur, idq Septuaginta exploratū haben
tes, pro Chohen passim uerterūt ἱερεύς q̄d etiam interpretatur sacerdos.
Praeterea et Apostolus ad Heb. v. vi. vij. ca. Melchisedech uocat ἱερέα. i. sa
cerdotē. Quamobrē Melchisedech ab Abram decimas accepit, et secun- Genes. 14 Hebr. 7
dū ordinē et cōsuetudinē sacerdotis Abrae benedixit. Qua de re beatus
Hieronymus nostrae sententiae existens ad Euagriū scribit, et in libro He
braicarum quaestionū pulchre disputat. Porro autē secundo nobis impij
isti Capharnaitae & Sacramentorū euersores obijciūt, Paulū ad Heb. ix.
scribere, Christum semel oblatū esse, ut multorum peccata tolleret, unde
colligūt isti, si semel Christus oblatus sit, fieri nō posse ut iterū offeratur.
Proin ut istorū falsam esse opinionē clarius conuincā, duo agam potissi-
mū, & primū quidē cōtra istos in Aquilone, unde nro hoc saeculo ducit
originem omē malū, uehementer conqueror, eosq ut seditiosos et per-
petuos canes tartareos accuso, quod quibusdā Apostolis dei, ueluti Pau
lo & Iacobo nō aliter utuntur, q̄ est in pūerbio, furē sicubi eo opus ha-
beas de patibulo deponēdum, et suspendendū denuo, postq̄ eo satis fue
ris usus. Ita eñ isti falsarij Epistolis Pauli et Iacobi utuntur: Saepius aeditis
libris affirmarūt, Epistolā ad Hebr. nō esse Pauli, eamq Pauli phrasim
non redolere. Ideo praeter priorem & uetustiorē librorum noui Testa
menti ordinē, ipsi illam ad Hebr. a caeteris Pauli epistolis segregantes, in-
ter Pauli Epistolas et eam quae ad Hebraeos scripta est, Petri duas, & san
cti Ioannis unam collocarunt. Quae quum ita sint, quis non uidet, uel eo
ipso, q̄d ipsimet Epistolā ad Hebr. nō acceptant, ac Pauli esse eam negāt,
me nō teneri ad ullū istorū argumentum ex illa depromptum respōde-
re? Caeterū de Iacobi Epistola non dubitant temerarij homines blasphe-
mas uoces spargere in uulgus, eamq stramineā Epistolā appellare. Sed
non sic o impij, uerbū enim dñi malleus est, cōterens petrā. Quapropter Hierem. 23
stabit, &

ſtabit,& ſtabit quidem ad omnia iſtorum ſtraminea argumenta immo-
tum.Quem enim uel parum confirmatũ in ſancta noſtra fide iſtorũ com
menta mouerent,qui tam ſtramineis cum telis firmiſſimam ueritatis co-
lumnam Eccleſiam expugnatum ueniũt? Quoniam uero propter dicti-
onẽ ſemel incautis ipſi,ut ſunt aſtutiſſimi,poſſent fortaſſe imponere,ideo
nos ſemel cum alio ſemel compenſabimus, & cõfidenter quidem totam
ad Hebr.Epiſtolam(ſi propius introſpiciatur)de uiſibili oblatione cor-
poris et ſanguinis Ieſu Chriſti loqui aſſerimus,quemadmodũ tota dñica
paſſio,ut ſudor in monte olíueti,ipſa flagellatio,coronę impoſitio,cruci-
fixio &c.aperte comprobãt.Atq; hinc fit,ut toties ſanguis ſacrificiorum
ueteris Teſtamenti, in hac Epiſtola tangatur & introducatur, ueluti ij.
iij.iiij.v.vij.ix.x.cap.iam dictæ Epiſtolæ cuiuis uidere licet. Ideoq; dicit,
per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta &c.Cui ſubſcribit
etiam Paulus ad Roma.vi. his uerbis: Chriſtus excitatus eſt a mortuis,
nõ amplius moritur,mors illi amplius nõ dominabiturnam q:uod mor
tuus fuit,peccato mortuus fuit ſemel,quod autem uiuit,uiuit deo.In ean
1.Petr.3 dem pręterea ſententiam beatus Petrus ſcripſit: Chriſtus ſemel pro pec-
catis noſtris paſſus fuit,iuſtus pro iniuſtis,ut nos adduceret deo,mortifi
catus quidem carne,ſed uiuificatus ſpiritu.Ex quibus omnibus ſcripturę
teſtimonijs comprobatur Chriſtum ſemel paſſum,mortuum,et in cruce
Eſaie.53 oblatũ,Oblatus eſt aũt,quia ipſe uoluit.Et hac quidẽ forma nõ offertur
iterum,nec unq̃ offeretur. Tametſi eñ anabaptiſtę Origenica conſuetu-
dine aſſerant Chriſtum denuo natum iri & eſſe paſſurum,ut diabolos li
beret:tamen male hoc iſti affirmant, et,ut ſolent anabaptiſtæ, ſcripturis
ſanctis hic quoq; reluctantur.Porro de hoc ſemel ſcribit Apoſtolus,ni-
mirum ſemel id omne eſſe impletum.Quod aũt propterea altaris Sacra-
mentũ nõ ſit ſacrificiũ,id ex illo Pauli dicto nõ cõprobatur.Manet itaq;
firma ueritatis colũna Eccleſia, depulſisq; omnib.ignitis uerſuti diaboli
telis,ſalua,integra apud omnes pios ſtat ſententia,honorabile altaris Sa-
cramentum iuge eſſe & acceptum deo ſacrificium. Cuius ſententiæ non
ego tantũ,ſed oẽs ſancti patres ante multa ſæcula fuerunt, quorũ ſenten
tia non in ancipiti dubio ſitum, ſed firmũ & certũ fuit ab Apoſtolorum
tempore uſq; ad hoc noſtrũ periculoſiſſimũ ſęculũ, quo tandem Luthe-
rus hæreſiũ multarũ excogitator, & iamdudũ condemnatarũ patronus
pertinaciſſimus,etiã cõtra hoc Sacramentũ arma ſumpſit.Et licet in Pſal.
cix.ſcribens expreſſe confiteatur,hoc Sacramentũ per uniuerſam Eccleſi-
am ſacrificium eſſe,tñ ne non ſibi ſatis contradicere uideretur,nunc ſacri-
ficium eſſe negat.Iam uos fratres in Chriſto chariſſimi, utrum ſit melius,
expẽdite, ſequi ne concordem & unanimẽ totius Eccleſiæ de hoc Sacra-
mento ſententiã,uel Lutheri recens excogitatam tueri opinionem.Equi-
dem num liceat a Chriſtiana Eccleſia tam leuiter deficere,et priuati homi
nis ſequi ſomnia, uobis tacite apud uos conſiderandum relinquo.

Sermo

SERMO DECIMVSTERTIVS



Redere oportet accedentem ad deum, Heb. xi. Re ipsa comperior, fratres dilectissimi, dominum esse ducem uiæ, & dirigere gressus uiri, quemadmodum Dauid & Salomon testificantur. *Psalm. 36* *Prou. 16*
Cuius enim curam agit dominus, illi omnia coopantur in bonum. Sic, *Rom. 8*
ut scriptura asserit, quia dominus erat cum Ioseph, cuncta illi prospere *Gene. 39.*
successerũt. Nam dominus omnia dirigebat in manu ipsius. Et hinc est, *Psalm. 1.*
quod in Psalmo scriptum de beato uiro legimus, quod folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet, ꝓsperabuntur. Sic deniq; in his sermonibus de honorabili altaris sacramẽto nobis usu uenit. Quando quidem dominus existens in medio nostri, et nobiscũ ambulans, nõ desinit iuxta sanctæ Ecclesię institutionẽ ꝓferre Euãgelia, quæ huic nostro ꝓposito unice deseruiũt. Qđ cum ex supioribus facile intellexistis, tum uero in hodierno illo sermone longe apertissime uidebitis. Ex eo nanq; Euangelio, q̃d hodierno die unica Christi spõsa Ecclesia nobis exhibet, multa, firmaq; cõtra sacramentorum euersores pręsidia colligere possumus. Primo itaq; quũ Christus etiam deus sit, & pro deo credi uelit ac debeat, nemini opinor erit dubiũ, cum etiam esse omnipotentẽ, ut deum patrẽ omnipotentẽ cõfitemur. Quod si Christi omnipotentiã non diffitemur, quæ (malum) uesania est, ꝙ omnipotentiã eius non imus inficias, & tamen quę in sacramento diuina illius uirtute fiunt miracula, impossibilia arbitramur? Adest pręterea illud Veniam, quo discipulis promisit se esse uenturum, & accepturum illos ad seipsum, ut ubi ipse sit, etiam illi *Ioan. 14*
secum sint: unde quis germanus Apostolici illius dicti sit intellectus, fa- *1. Cor. 11*
cile patebit. Nimirum Apostolus Corinthijs scribit: Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de calice biberitis, mortem domini annuncietis, donec uenerit, Innuens uidelicet hoc sacramentum faciendum & sumendum esse, donec unumquenque ad se uocauerit dominus, Ita enim pollicitus est se nos assumpturum esse ad seipsum. Porro ꝙ sequitur, Christum esse uiam, ueritatem & uitam, quid iam amplius expectamus? *Ioan. 14*
Quid diu nostræ rationi innitimur? Christus se ueritatem esse affirmat, & hoc pie omnes credimus. Credamus itaq;, quod ueritas ipsa de hoc uenerabili sacramento Ioan. vi. est locuta, & agnoscamus uera esse, quæ penes hoc sacramentum nobis est pollicita, quo de sacrificio huius sacramenti, & sacris faciendis supra disputauimus. Atq; q̃niã in hoc Euangelio congruo sane ordine sex Facere a Christo exprimuntur, placet eam materiam altius repetendo pluribus prosequi, ut intelligatur, q̃d in scripturis Facere significet. In hoc igitur Euangelio Christus ait: Pater in me manens ipse facit opera. Et paulo inferius iterum subijcit: Amen *Ioan. 14*
amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Et, quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Itẽ, si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. Quũ itaq; in hoc Euangelio toties repetatur uerbum Facere, & Lucas atq; Paulus penes hoc *Luc. 22*
uenerabile altaris sacramentum Christum dixisse scribant, Hoc facite, *1. Cor. 11*

non abs re fore arbitratus sum, si diligentius illius uerbi uim et uirtutem discussero. Neque enim obscurũ est, quanto cum damno publico isti errent, qui temere, uix uisa, nedum ponderata scriptura, suas opiniones mordicus tuentur. Principio itaque Facere in scriptura stricte acceptum fieri aliquid significat. Et ita fecit deus firmamentum, duo luminaria magna, hominem ad imaginem & similitudinem suam, mulierẽ uero adiutorium. Sic etiam Moses tabernaculum, Salomon templũ, sic dominus (ut Hester iij. legimus) cœlũ & terram fecit, & quicqd cœli ambitu continetur: Sic denique Christus multa signa et miracula fecit. Omnia eñi, ut Euangelica testatur historia, bene fecit, surdos audire, mutos loqui, ambulare claudos, &c̃. Postremo circa huius sacramenti institutionem discipulos iussit, ut facerent hoc, &c̃. Quod non tam illis duodecim, q̃ alijs dictum esse uoluit dominus, Cum Paulus licet in hac cœna nõ fuerit, tamen idem Corinthijs faciendum commiserit. Iam uero quod in ueteri deus, & in nouo Testamento Christus præcepit, ut fieret, id omne factum esse, nemo negare potest. Sunt enim innumera scripturæ exempla, quibus illud comprobatur. Moses diuino iussu uirgam super mare extendens, diuisit aquas, ut starent quasi murus a dextra & leua. Ad uerbum domini Moses petram uirga percussit, & mox inde exiuit aqua, qua tam populus q̃ iumenta refocillabantur. Verbo etiam domini muri Hiericho collapsi, & tota ciuitas est desolata. Nam nihil unquam tam magnum, difficile, inauditumque fuisse, in ueteri Testamento legimus, q̃d ad iussum dei non sit factum. Porro in nouo Testamento Matth. x. & Lucę x. quum Christus discipulos regnum cœlorum prædicatum mitteret, simul illis cõmisit, ut infirmos sanarent, leprosos mundarent, mortuos suscitarent, dæmoniaque eijcerent. Quæ quum omnia ab Apostolis facta esse nemo dubitet, & Christus in omnibus uerax inueniatur, intelligitis, opinor, æternam ueritatem circa hoc sacramentum minime mendacem esse futuram. Christus expressis uerbis dixit, Hoc facite: atque in hodierno Euangelio in se credentibus promittit, illos opera quæ ipse fecit, facturos, & maiora his facturos. Quod si Christus, qui ipsa est ueritas, mentiri nec uoluit, nec potuit, cedant tandem obstinati & proterui homines deo, fateantur se imbecilliores, q̃ qui diuinam Dei maiestatem scrutari queant. Intelligant quando, ut Psalmus habet, ipsi mendaces sint, se Christi ueritatem suis nugis opprimere non posse, Et tot Christi miraculis docti, eius agnoscant omnipotentiam, & dictorum illius ueritatem, adeoque firmiter illius uerbo adhæreant, ut apud Christũ non impossibile esse omne uerbum cõfiteantur. Quod cũ fecerint, non tantum illa quæ de sacramento dicta sunt, uera esse deprehendent, sed fide confirmati credent, si Christo placuisset, ut singulis diebus nouum solẽ, & singulis noctibus nouam lunam faceremus, uel si maius quiddam a nobis fieri uoluisset, quod id omne longe facilimum esset. Maior enim & multo potentior dei uirtus est & maiestas, quàm res ulla esse possit. Quapropter dilectissimi in Christo, non quid exiguis nostræ rationis uiribus deprehendere possimus, sed quid omnipotens

pater &

Gen. 2
Exo. 36. 37. 38.
3. Reg. 7
Hester 13.
Mar. 7
Eccle. 35.
1. Cor. 11
Exod. 14
Exod. 17.
Num. 20.
Iosue 6.
Psalm. 61. 115
Luc. 1

pater & dominus possit circa hoc sacramentũ considerate. Cæterum q̄ res magna, & sacerdos fortasse nõ optimus uidet̃, id animos uestros ne tantillum q̃dem moueat. Postq̃ eñ ut aliq̃d fiat dño deo placuerit, nihil refert, bonus ne, an malus sit ille, per quẽ dei uoluntas exeq̃tur. Cuius rei testimoniũ historia Iob p̃hibet. Principio eñ bona & liberos Iob in manus sathanæ dominus tradidit, unde Iob uno eodemq̧ fere momento amisit septem milia ouium, tria milia camelorũ, quingenta iuga boum, quingentas asinas, septẽ filios, & tres filias, deinde etiam obtenta corpus affligendi authoritate, quia animã seruare a deo erat iussus, corpus quidem miris modis afflixit, animam uero, q̄ præcepto dei obtemparecogebat̃, nõ attigit. Quinetiam ne magnũ aliq̃d a malis fieri posse dubites, huc refer, quæ apud Marcum scripta sunt de spiritibus immundis, qui Christo p̃mittente in porcos ingressi sunt. Et q̄ Iudas non minora cæteris Apostolis signa edidit. Quamobrẽ depulsis istis tẽtationibus, uerba Christi, hoc facite, ob oculos ponite. Per hæc enim discipulis hoc sacramentũ faciendi potestas data est, non aliter atq̧ dimittendi & retinendi peccata potestatẽ acceperunt, q̃ primum ex Christo audiuerunt Apostoli, Accipite spiritũ sanctũ, quorũcunq̧ remiseritis peccata, remittuntur eis: quorũcunq̧ retinueritis, retenta sunt. Et hæc quidẽ de prima uerbi Facere significatione, quæ de integro parare & formare aliq̃d sonat, a nobis dicta sufficiant. Nunc ad secundam descendemus. Est enim alia illius uerbi significatio, quę plus in se actionis et expeditionis habere uidetur, et ita populus Exod. xxiiij. respondet, Omnia uerba dñi quę locutus est, faciemus. Ac dñs Deu. xij. Quod p̃cipio tibi, hoc tantũ facito. Sic Iudic. xvij. unusq̃sq̧ q̃d sibi rectũ uidebat̃, hoc faciebat. Et ita rex Dauid scribit in Psal. Recede a malo, & fac bonũ. Sed q̃d multis est opus, cum ex noui Testamenti aliquot locis longe clarius illius uerbi dep̃hendatur significatio, ubi dignos pœnitentiæ fructus facere iubemur, ubi non nuda uerba, sed bona op̃a a nobis efflagitantur? Nam ille sup̃ petrã ędificare dicit̃, qui docet & facit. Quare & dñs ea nos facere iubet hominibus, q̃ nobis ab his fieri cupiamus. Et seruanda ac faciẽda p̃cepit omnia, quæ in cathedra Mosi sedentes iusserint. Factis enim et fructibus fidem nostram nos declarare, nõ insanis clamoribus plebem exagitare uoluit Christus, Propterea illi dicit, Hoc fac, et uiues. Et apud Lucã suos hortatur, ut quum fecerint omnia, quæ præcepta sunt eis, dicant, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Huic adde, quod suis Corinthijs scribit Apostolus, nimirum ut siue edant, siue bibant, siue quid faciant, omnia in gloriam dei faciant. Et in Apocalypsi prima opera facienda legimus. Quamobrẽ rectissime ad Romanos Apostolus, nõ auditores, sed factores legis scribit iustificari, Proinde factores uerbi, & nõ auditores tantũ nos esse iubet Iacobus. Et uniuersa scriptura tã facere, q̃ audire & credere a nobis requirit. Sic etiam honorabile altaris sacramentum nos facere iussit dominus. Mensæ eñ domini participantes talem rem facimus, quæ memoria est, & uiua recordatio amarissimæ passionis Christi, quemadmodum ipse nobis commisit, ut hoc facia-

Iob. 1. Mat. 8 Marc. 5 Luc. 8 Luc. 22 Ioan. 20 Psal. 36 Luc. 3 Mat. 3 Mat. 7 Mat. 23 Luc. 10 1. Cor. 10 Apoc. 2 Rom. 2 Iacob. 1 Luc. 22.

1.Cor.11 mus in sui recordationem.Cæterum facere etiam offerre sæpissime significat. Idq; non unius dũtaxat,sed trium linguarũ,Latinæ,Græcæ & Hebræorum sanctissimæ linguæ infinitis testimonijs cõprobare possumus. Siquidem Latinus ille Homerus Virgilius, qui poëtarũ non immerito doctissimus dicitur,sic cecinit: Quũ faciam uitula pro frugibus ipse uenito. Et Theocritus ille latinitate donatus: Quum facies agnum nymphas ueneratus agrestes. Quinetiam Plautus, quẽ sanctus Augustinus auriloquum poëtam uocat,hac significatione illo uerbo facere usus est. Sed age nõ gentilium innitemur testimonijs, tametsi nec istorum quidẽ testimonium ad communis sermonis proprietatem cognoscendam infirmum censeri possit, tamen quas Christus scrutari iussit scripturas, eas sumemus in manus, & inde noua & uetera depromentes, luce meridiana clarioribus dictis cõfirmabimus,etiam in scripturis sanctis facere pro sacrificare esse usurpatum,scripturisq; scilicet sanctis hæreticorũ ora obturantes,cæteros fideles in doctrina sana exhortabimur.Principio itaq; (cur enim non a legis testimonio sumerem initium?) Leuit.xxiij.scriptum habemus.Et facietis hircum pro peccatis,quod facietis,si non pro offeretis isti nugatores interp̃tabuntur, quid aliud significare debeat,significent.Et in hac quidem significatione uerbo facere usus est Ezechiel propheta,qui cap.xlv.expressis uerbis scripsit,Et faciet septẽ uitulos, & septem arietes.Item xlvi. iterum agnum anni immaculatum faciet. Iudicũ xiij. Manue,angelo dicit,faciamus tibi hœdum de capris. Ex quibus omnibus facile intelligitis,non eam scripturæ mentem fuisse,ut ab hominibus gignerentur ac fierent hirci,arietes,uituli,agni,hœdi,capræ,& his similia animantia bruta,Sed ut illa offerrentur ab hominibus domino deo. Sic eñ de Salomone,iij.Reg. viij.scriptũ habemus:Fecit Salomon holocausta & adipem pacificorum.Sic deniq; in nouo Testamento Lucas uerbo facere usus est,dum Ioseph & Mariam puerũ attulisse in templum scribit,ut facerent,id est,offerrent secundum cõsuetudinem.Insup rex Dauid ex hoc ipso sacramento loquens in libro Psalmorum,eodem uerbo facere utitur. Ait enim: Fecit memoriam mirabilium suorum misericors & miserator dominus,escam dedit timentibus se. Hæc tam apta scripturarum testimonia sanctis patribus occasionem dederunt, cur hoc sacramentũ esse sacrificium dicerent. Illi enim non quouis doctrinę uento impulsi,non cuiuslibet opinione moti,sed scripturam propius introspicientes,& syncerum ab Apostolis (quorum tempora plerıq; attigerunt) intellectum haurientes,concorditer affirmant,altaris sacramentũ sacrificiũ esse.Hinc est fratres dilectissimi,q; S. Dionysius hoc sacramentum sacrificiũ sacrificiorũ appellat. Atq; illo quidẽ nomine diuinum altaris sacramentũ uocarunt S. Andreas,& S.martyr Laurentius, qui ante mille ducentos annos hoc item nomine illud dignati sunt. S.martyr Ignatius,qui Ioannis Euangelistę discipulus fuit,& Irenęus,qui discipuli Ioannis auditor fuit & sectator extitit,illi, inq̃, ante mille quadringentos annos diuinum & cœleste altaris sacramentum sacrificium esse docuerunt.In quorum sententia Tertullianus, ac sanctus martyr Cyprianus ante

Facio pro offero.

Ioan.5 Mat.13

Luc.2.

Psal.110

nus ante mille ducentos annos fuerunt. Siquidem Cyprianus fere centũ locis expresse illud sacrificiũ nominat. Idem deniq; omnes sancti, & præcipue sacrarum scripturarũ interpretes faciũt, uidelicet Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, Origenes, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Theophylactus, qui omnes uno ore & constantissime Sacramentum altaris sacrificium esse affirmãt. Atq; hinc est, fratres dilectissimi, quod hoc sacrificium recepto sane & antiquo uocabulo missam dicimus. Est enim Missah nomen hebraicum, quod nobis oblationem significat, quemadmodum Mosi dicto Deut. xvi. comprobatur. Quum itaq; charissimi in Christo expressis scripturæ sanctæ testimonijs uerbum facere etiam uerbi offerre & sacrificare uim habere intelligatis, & sancti Christianæ Ecclesiæ doctores ab Apostolorum tempore per tot sæcula tenuerint, & docuerint hoc Sacramentũ sacrificium esse, idq; nominis ipsius ἔτυμον repræsentet, et Christianæ Ecclesiæ diuturna cõsuetudo cõfirmet, qd quæso amplius desideramus? Maior ne apud nos quorundam nugatorum erunt commenta, quam sanctę Ecclesiæ autoritas? Ecclesiæ promisit dñs spiritum sanctum, qui eam doceat, regat & cum ea maneat in æternum. Istis uero errorum excogitatoribus dixit deus: Quare uos assumpsistis Testamentum meum per os uestrum? Iam uos expendite utrũ sit melius, sequi ne hæreticorũ inter se diuisas opiniones, an Ecclesiæ, quæ sui sponsi Christi spiritu gubernatur, concordem & scripturæ conformẽ doctrinam. Equidem ego in sinu Ecclesiæ nobis manendum uehementer censeo, ne errorum fluctibus oppressi, extra pereamus. Quamobrẽ chariss. manete & perseuerate in sinu sanctæ matris Ecclesiæ, et ueram de honorabili altaris Sacramento sententiam fideliter retinete, Videlicet indubitanter credentes in hoc Sacramento adesse uerum Christi corpus, eiusque preciosissimũ sanguinem, quemadmodũ ab Apostolis edocti sancti patres crediderunt, & nos posteros cum sancta matre Ecclesia credere uoluerunt, quorumq; doctrina uarijs multisq; diaboli technis impetita, immota tamen & firma per tot sęcula permansit. Cum qua ut firmiter perseueremus usq; in finem, faxit deus, ex quo, in quo, & per quem sunt omnia, cui honor, laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 14

SERMO XIIII. IN DIE CORPORIS CHRISTI PRAGAE habitus.



Vm intrasset arca domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, uidit regem Dauid subsilientẽ & saltantem coram domino, atque despexit eum in corde suo. Porrò quando arca domini & quomodo facta sit, Moses ille seruus dei clariss. describit Exod. xxv. Ꝗprimũ eñ deus populo suo electo ꝓcepta uiuendi et se colẽdi religionẽ tradidit, mox Mosi ꝓcepit ut arcã de lignis Sethim cõpingeret, cuius lõgitudo habeat duos et semis cubitos, latitudo cubitũ et dimidiũ, altitudo cubitũ similiter et semissem. Et hãc qdem deaurandã cõmisit dñs auro mũdiss. intus et foris. Ad hæc Mosen iussit supra illam facere coronam auream per circuitũ, & quatuor circulos aureos. Atq; ad huius arcæ latus Moses postea sephær hathorah librũ legis posuit, sed in arcam 1. Paralip. 15.

tria duntaxat peruenerunt: primum duę tabulę Mosi, de quibus Deut. x. uirga Aaronis, et urna aurea, in qua Manna, panis ille cœlestis erat repositus. Exod. enim xvi. legimus, dominum præcepisse Mosi, ut sumeret uas unũ, & Man imponeret quantum capere posset gomor, illudq́ reponeret coram domino seruādum in generationes, ut cognosceretur quo pane deus populũ suum in deserto quadraginta annos aluisset. Fuit aũt hæc urna aurea quemadmodum ad Hebr. ix. testatur Apostolus, in ipsa arca Testamenti. Post multos aũt annos arca Testamenti deuictis prælio Israelitis in Philistæorũ potestatē uenit, à quibus remissam uiri Cariathiarim intulerunt in domum Aminadab in Gabaa. Interim uero confirmato regno Dauid iterum congregauit omnes electos ex Israel triginta milia, surgensq́ cum illis abijt in Gabaa, ut adducerēt arcam domini. Quam quum super plaustrum nouum imposuissent, efferrentq́ magno cum gaudio & reuerētia illā de domo Aminadab, Dauid & omnis Israel ludebant coram dño in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, et sistris, & cymbalis, Sic adducentes arcam dei usq́ in domum Obededom. In cuius ædibus dum tribus est mēsib. arca, benedixit dñs Obededom, & omnem domum eius. Quod quum accepisset rex Dauid, magno cum gaudio abijt, & erant cũ eo septem chori, quumq́ portaretur iam arca dñi, Dauid percutiebat in organis, & saltabat totis uiribus ante dominum. Sic enim rex Dauid & omnis Israel ducebant arcā Testamenti in iubilo, & in clangore buccinæ. Iamq́ intrante arca domini in ciuitatē Dauid, Michol filia Saul prospiciēs per fenestram, uidensq́ regem Dauid saltantem coram dño, primo despexit eum in corde suo, deinde redeuntem domum, uerbis etiam cõtumeliosis lacessiuit. Quamobrem (ut luti textus habet) Michol filię Saul non est natus filius usq́ in diem mortis suæ. Nolim aũt hic uos ignorare charissimi, quòd hæc omnia quæ contigerunt patribus, figuræ contigerunt illis, scripta autem sunt (uelut ad Corinthios testificatur Paulus) propter admonitionem nostri. Quę quum ita sint, uidendum etiam nobis censeo, quò hæc figura referenda existat, & quid nos illa admoneamur. Cogitanti autē mihi, quò illam referamus, nulla se aptior offert interpretatio q̃ est apud Ioannem summi illius magistri Christi expositio, quę de honorabili corporis & sanguinis sacramento loquens, de Manna etiam cœlitus dato pane nonnulla uerba facit, quod in aurea urna deauratæ arcæ (super qua inuocatum est nomen dñi exercituũ sedentis inter Cherubin) inclusum, nihil aliud quàm figura honorabilis illius Sacramēti altaris extitit, unde etiam Christus apud Ioannem de uero illo cœlesti pane dicturus, figuræ illius, per quam erat præfiguratus, facit mentionem.

1. Regum 4
Ibidem. 7
1. Paral. 13
2. Regum 6
1. Corinth. 17
Ioan. 6
Hebr. 9

Age uero, consideremus porro, quantum diuinę maiestatis, quantumque miraculorum iuxta hanc arcam dñi inueniatur. Ita enim fore confido, ut inde coniecturam faciētes, si in figura tanta miracula fuisse tantamq́ dei uirtutem apparuisse uideritis adaucta fide eo firmius ueri corporis & sanguinis Christi Sacramentum credituri & digno in honore illud habituri sitis. Penes hanc itaq́ arcam, et figuram illius Sacramenti Numeri iiij. legimus non quemlibet ad eam fuisse admissum, sed delectos fuisse Leuitas, nimirũ filios Caath, qui arcam dei portarēt. Moses aũt, cum eleuaretur arca, dicebat: Surge dñe, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te à facie tua, Et cum deponeretur, aiebat: Reuertere dñe ad multitudinē exercitus Israel. Tanta enim cum honoris exhibitione arcam domini Moses tractauit, ut nõ solum delectis Leuitis illam ferendam tradiderit, sed eam uerbis conceptis reuerenter eleuandā & deponendā suo declarauerit exēplo. Hanc postea arcam sub Iosue sacerdotes portātes in medio fluentis Iordanis tenebāt, et mox aquæ inferiores defluxerunt in mare mortuum: superiores autē, quę erant descensuræ, steterunt in loco uno, Quo factum est, ut oīs populus Israel per arētem Iordanis alueum pertransierit. Hanc deinde arcam magno cum gaudio portantes septies circuerunt ciuitatem Hiericho, Et in septimo circuitu corruerũt muri Hiericho. Hanc porro arcam Philistæi uictis & in fugam conuersis Israelitis intulerũt in templum Dagon, eamq́ iuxta Dagon statuerunt. At Dagon arcā dñi non ferens, decidit de loco suo pronus in terram. Hanc deniq́ arcam quũ Oza temere attingeret, à domino percussus, iu-

Numer. 10
Iosue 3
Ibidem. 6
1. Regum 5

cussus, iuxta arcã mortuus est. Hęc sunt fratres pijssimi mirabilia dei opera, qbus p̃
arcã fœderis diuinam suã uirtutẽ & potentiã declarauit deus. Iam uero arca, in qua Hebr. 9
Manna reseruabatur, figura fuit cœlestis illius panis, quem nobis edendũ Christus
dñs in nouissima cœna dedit, cuiusq; institutionem hodierno die per totam fideliũ
Ecclesiam celebramus, de quo denique electum dei uas Paulus Corinthijs scribens 1. Cor. 11
expressis uerbis affirmat, eum qui hoc indigne edat aut bibat, iudiciũ sibi edere aut
bibere, quod nõ diiudicet corpus dñi. Ad hæc causam infirmitatis & imbecillitatis eo-
rũ assignans, propter hoc, inquit, inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiũt
multi. Nimirum quia non debita cum reuerentia honorabile altaris Sacramentum
tractabant. Merito itaq; sancta mater Ecclesia hodierno die cãtando & psallendo,
alijs musicis instrumentis, uerum illum panem qui de cœlo descendit, honorat, pa-
rum curans blasphemas hæreticorum uoces, qui regem Dauid cum suo populo, 2. Regum 6
quemadmodum Michol contemnunt. Sunt enĩ isti sapientes in oculis suis, & cum 1. Paral. 15
impio Gobal in cordibus suis dicunt, non est deus, Impij Capharnaitę deum adesse Esaie 5
se non credentes. Alioquin eñ, ut est apud Malachiam, ipsi ueluti serui honorarẽt Psalm. 13
eum. Iam uero sunt quidam Ozitæ, qui aiunt: Credimus & nos hic uere esse domi- Malach. 1
num Iesum, sed cum adhuc in terris ageret, honoris exhibitionẽ semper fugiebat,
Quare his ceremonijs, tantaq; reuerentia eum in hoc Sacramento afficere nõ de-
bemus. Audio quidem istos tales passim apud suos uoces spargere. Sed quomo-
do per Euangelicam historiam istæ nugæ queant comprobari, hoc non uideo. Si-
quidem multis sancti Euangelij testimonijs à saluberrima scilicet Christi natiuitate
facientes initiũ, per uniuersam eius uitę seriem contrariũ demonstrabimus. Quam-
primum enim Christus dominus in Bethleem natus erat, non unus duntaxat An- Luce 2
gelus apparuit, sed magna multitudo militiæ cœlestis, qui hymnum concinebant
domino. Tametsi uero Christus in Bethleem sit natus, tamen illic non modo pa- Ibidem.
stores excubantes excubias ea nocte super gregem, sed et sapientes illi reges ab ori
ente Bethleem usq; profecti, Christum infantem uisitarunt prostratiq; adorauerũt
illum. Munera denique apertis thesauris obtulerũt illi, aurũ, thus, et myrrham. Eamq; Matth. 2
ob rem iam antea Hierosolymis palàm erant percũctati, ubinam esset ille qui natus
esset rex Iudæorum. Ad hęc Hierosolymis sui aduentus causam non dissimulanter
assignantes dicunt, uidimus eñ illius stellam in oriente, & accessimus ut adoremus
eum. Porrò iam cũ factus esset annorũ duodecim dñs, in medio doctorum hono-
rifice sedit, illos audiens et interrogans, ut oẽs super intelligentia & responsis eius
stuperent. Assumptis autem, quemadmodum Matthæus scribit, aliquot discipulis,
in monte Tabor coram illis est transfiguratus, uestimentis eius niue candidioribus
factis. Deinde in domo Simonis non repellit mulierem, quæ lachrymis pedes eius Luce 7
rigabat, capillisq; capitis sui tergebat, & ungebat ungento. Quinetiam cæcos &
claudos accedere et se adorare non prohibuit. Sic etiam qui in naui erant, acceden-
tes adorauerunt dominum, Matth. xiiij. ca. Sic undecim sui discipuli adorant eum
in Galilęa. Sic denique cęcus ille à natiuitate Ioan. ix. ipsum adorauit. Alijq; pretera Matth. ult.
plures ut Matthęus, Zacchęus, qui q̃ potuerunt maximo honore ipsum affecerũt. Matth. 9
Quinetiam Angelos accedentes sibi ministrare permisit, Matth. iiij. Quàm autem Luce 19
regio & honorifico apparatu Hierosolymã uenerit, Matth. xxi. describit. Quum
enim discipuli imponentes animalibus uestimẽta sua, Iesum uerum ęternumq; re-
gem super illa collocassent, plurima turba (ut expresse habet textus) non modo ra-
mos de arborib. sed uestimenta quoq; sua strauerunt in uia. Porrò turbæ quæ prę-
cedebant et quę sequebantur, clamabant: Hosanna filio Dauid, benedictus qui ue
nit in nomine dñi. Quid hic mihi obgannient miseri Ozitę? Quid obstrepent? An
nõ illo magno & se digno honore dignissimus ille rex sęculorũ semel affici passus
est? Nimirũ adeo non coërcuit aut, phibuit pueros clamantes, ut principib. sacerdo
tum et scribis indigne id ferentib. etiam sacrę scripturę testimonio ora obturauerit.
Illis enim indigne obijcientib. audis quid isti dicunt? mansuetus ille et uere glorio- Matth. 21
sus rex respondit, Quid ni? Nunq̃ legistis, ex ore infantium et lactantium perfecisti
laudem? Cæterũ nouissimã cœnam peracturus nõ in humili aliquo tugurio, sed in Ioan. 13.

magno

magno probeq́ exornato & strato cœnaculo cum suis discipulis comedit pascha,
Matth.27 ibiq́ peculiaribus ceremonijs ponit uestimenta, ac denuo recipit, præcingit se line
Marci 15 teo, mittit aquam in peluim. Postremo mors quoq́ Christi suo honore non caruit,
Luce 23 Preter eñ hoc quód sol obscurabatur, mouebatur terra, et oĩa elemẽta compati-
Ibidem. ebantur, mortuum etiam domini corpus Ioseph diues ille ab Arimathia inuoluit
Matth.28 sindone munda, sicq́ inuolutum cum aromatibus corpus domini posuit in sepul
Marci 16 chro nouo. Nam & Ioseph mixturã mirrhæ & aloës ad libras ferme cẽtum secum
Luce 24 attulerat. Post quam honorificam domini sepulturam etiam Mariæ ueniunt ut un-
Ioan. 20 gerent eum, uidentq́ Angelos albis amictos gloriosæ resurrectionis dominicę te-
Psalm.46 stes. Iam uero ut honorifica Christi fuit sepultura, & gloriosa eius resurrectio: Sic
Ioan.6 etiam læta, & diuinis mirabilibus pulchre exornata fuit eius ascensio. Ascendit eñ
Matth.26 secundum prophetiam dominus in iubilo & decore. Quæ cum ita sint fratres, in-
Luce 22 telligitis, opinor, non errare Ecclesiam, quæ circa hoc uenerabile altaris Sacramen
Marci 14 tum (in quo Christum præsentem esse Euangelica ueritate cõfirmati non ambigi-
1.Cor. 10. 11. mus) Christo domino & capiti suo quoscunq́ potest etiam amplissimos honores exhibet. Errant autem, & perniciose errant isti Vualdenses, qui quo sibi consulant, & se magnificent, non iam proximis tantum honorem, sed etiam domino Iesu inuident, impia muliere Michol et Iuda traditore nihil meliores. Cum Michol eñ honorem deo exhibentem regem Dauid ludibrio habent, stultitiæ, scurrilitatis, & hypocriseos uetustioris fidei Christianæ cultores damnant, dum coram arca domini saltant, hoc est, Christo domino in honorabili altaris Sacramẽto debitum honorem exhibent. Mallent enim cum Iuda ungentum uendi, id est, omnem templorum ornatum distrahi in pauperum gratiam, sed ut optima quæq́ in eorũ priuatum usum cederent, q̃ cum Dauide deo seruire. Experiẽtia siquidem docti uidetis istos homines omnem suarum hæresium gregem non aliò ordinare, q̃ ut eradicato omni pietatis fomẽto, confirmatisq́ eorum opinionibus, uentri seruire, epulari, uxores ducere, et cum illis libere agitare conuiuia tutò liceat. Quamobrem pijssimi deserite et fugite execrandas istorum hæreses, & quum in hac materia de honorabili Sacramento corporis & sanguinis Christi nihil nisi Euãgelium, sanctumq́ dei uerbum, quod deus ipse est, audiueritis, ideo uos oratos uolo, ut uenerabili altaris Sacramento dignum honorem exhibentes, reiectisq́ hæreticorum somnijs, ueritatẽ credatis firmiter, Deniq́ non quid cuiusq́ intellectus capere, aut oculi cernere ualeant, sed quid suo uerbo æterna ueritas promiserit, diligenter expẽdite, Quod quum feceritis, post hanc interituram uitam, consequimini æternam in cœlis, Amen.

FINIS.

Censura

CENSVRA VISITATIONIS SAXONIAE, PER MARTINVM Lutherum institutæ.

Autore Ioan. Fab. Episcopo Viennen̄.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

SPECTATO AC PRV-
DENTI SENATVI, POPVLOQVE LINDOVIEN. IOANNES
Fabri Doctor gratiam ac pacem ab eo, qui est benedictus
in sęcula, exoptat.



NON MIHI FIT DVBIVM, QVIN VOS VEL etiam conscientijs uestris adacti ingenue fateamini, quod fideliter multis abhinc annis animas uestras, quemadmodum par est prouidum pastorem facere, ab ore ac rictu rapacium luporum ac rugientium leonum, hoc est, ab insultu ac impressione perpetui nostri insidiatoris Diaboli defenderim, semperque propulsarim. Neque hinc uestrum lac lanamque aduersus diuinum decretum in Ezechiele speraui aut quęsiui unquam, Sed tantummodo fraternitate Christiana ductus fœlicitatem potius animarum uestrarum, quam quicquam lucri proprij curaui. Econtra & ego quoque, ut libere fatear, a uobis ueluti diuina quadam uirgula contingens Parochus dignis ac honorificentissimis modis tractatus fui: Mihique de sacrosancto Euangelio uerba facienti, satis benignas prębuistis aures. Atque adeo me ita dilexistis, ut merito cum Paulo ad Galatas scribente loqui potuissem, si fieri potuisset, ut uobismetipsis uestros oculos eruissetis, mihi utique libentissime dedissetis. Consimilis enim inter nos fuit familiaritas ac inter illos, qui primum in Hierosolymis fidem ac religionem a Christo orthodoxam acceperant. Videbamur enim ita bonam fructuosamque messem ad æternam scilicet salutem absque omni controuersia habere. Nunc uero quibus nam uociferationibus non conquerar, apud Deum Opt. Max. quod Sathanas ille, qui neque ipsos angelos etiam in cœlis, Adam in Paradiso, Iob in cinere, Iesum uero Christum saluatorem nostrum in solitudine, missos a tentatione fecit, tantum ausus, ausuque potitus fuerit, ut nescio quum non ex parte sacrosancti Euangelij, sed ex eiusdem dissimili interpretatione simultatem ac iram seminauerit. Callidissimus enim ille serpens operam dedit, ut per malignum in Aquilone hominem, qui ex efferuescente inuidaque olla mortis prodijt, longe diuersum semē diuini uerbi, ac tranquilli pacatique Euangelij mentibus uestris infigere, atque ita uos a recta semita, qua patres maioresque uestri semper institere, in solū arenosum deduxit. Quanquam uos perinde ac fortes Christi milites in primis alacriter & neruose huic scelerum adhortatori opposuistis, fraudulentus tamen ille uerae nostrae religionis hostis, se tam miris modis trāsfigurauit, atque adeo ut specie recti prętextuque mellis, uobis non tantum improbas suas technas, uerum etiam amarum fel indiderit. In primis enim paucos e uestris hoc uenenū tabificum affecit, sed indies magis magisque refractis honestatis ac pietatis claustris & obstinaculis, in corda uestra uel uobis inscijs irrepsit. Vt uero me ad propositum recipiam, uos equidem ueluti esuriens propheta ille, de quo supra mentionem fecimus, ex illa ebullienti olla nescio quas delitias

Mat. 9
Act. 10.
1. Pet. 3.
Prouidus pastor.
Ezech. 34.
Benignæ oues.
Gal. 4.
Act. 2. et 4.
Technæ antiqui hostis.
Esa. 32
Apoc. 12
Gen. 3
Iob. 1. & 2.
Mat. 4
Hier. 1.
Mat. 7
2. Cor. 11.
Ouium subuersio.

litias

litias cupediasq; expectaſtis, ut inde laute, ſuauiter ſatiaremini. Nihil tamē aliud in illa quàm amara, coloquintis cocta eſt. Ita ſpe ueſtra fruſtrati, uel inuiti nihil aliud inibi coctū eſſe, q̄ mortem, dephendiſtis. Quemadmodū enim filij prophetarū exclamauerunt ad Heliſęū prophetam in libris Regū, dicentes, Mors in olla uir dei: ita opus eſt, ut & uos illud icē fateamini. Ego uero uos (ut erat ex officio fidi uigilis ac non indiligentis cuſtodis) in tēpore admonui & adhortatus ſum, ego inquā uos adhortatus ſum pro uirili mea, ne unicuiq; ſpiritui crederetis, ſed ut eoſdē prius probaretis potius, nūquid ex deo ſint. Ego quoq; uobis concionatus ſum, non eſſe tutū, atq; e re ueſtrarum animarū, uel tranſuerſum digitū ab Eccleſia, quæ ſupra ſolidiſſimā petram ędificata eſt, recedere. Quid? le uitatis ne argumentū hoc eſt, deſultorie ut ueluti arundinis inſtar, hinc inde quis leuiſſimo uētulo moueremini? Multi tamē ueſtrū aures q̄dem (proh dolor) habuiſtis, ſed nihil audiuiſtis, adeo ut et de uobis uideatur dixiſſe propheta: Oculos habent, & non uident, Aures habent, & non audiunt. Mihi em̄ idem contigit, quod Eſaiæ, pphetæ, q; uobis (ut multi mihi retulerunt) placentia grataq; prædicare deberem, ueluti Lutherus ac eius aſſeclæ. At uos ne uerbū quidem de pœnitentia, de ueſtibus Niniuitarū, ac de luctu Dauid acceptare uoluiſtis, adeo ut pro certo habeam, uos æque ac omnes mortales (quid enim aliud eſt illa pertinax ueſtra opinio, q̄ pręſentiſſima mors?) nouitate ac gratis nuncijs, ſed nō uero Euangelio oblectari. Quid q; etiam Pauli uerbis adhortatus ſum, ne uos ita procliuiter a uarijs leuibuſq; ac peregrinis doctoribus circumueniri ſineretis. Verum enimuero prophetia illa Paulina ad Timotheū efficax reddita eſt, nempe olim tempus fore, cum ipſi ſalutiferā ſanamq; doctrinā ac inſtitutionē ferre nō uolent, ſed ſecundū eorum libidinem ſibi præceptores eligent, de quibus illis aures pruriunt: aures enim a ueritate declinabunt. Non uero me priuatum commodum ad idem pręſtandū cōmouit, ſed tantummodo amor, quem habeo & in Chriſtū & in pximum meū. Attamen pſeudoprophetæ primas obtinuere, neq; cōmunis noſter patronus Stephanus ſuam exiſtimationē retinere potuit, ſed eueſtigio lapidatio in eum facta eſt. Quanq̄ ego Chriſti dicto audiens, puluerem a pedibus excutere ac abſtergere, ueluti Paulus in ſynagoga, ueſtimenta mea ſuper ſanguinem ueſtrum proijcere poſſem, atq; adeo multis modis iniuriam, quæ mihi per factitium & ruſticanæ ſeditionis non minimum auctorem ueſtrum concionatorem contigit (ille enim per alienam ianuam in ouile meæ fidei commiſſum, neſcio quo peſtilentico iure uſus, ingreſſus eſt) miſſam facere bene ſciuerim. Nolui tamen pro mea modeſtia quicquam, etiamſi eorum malignitate dignum, committere. Septimus enim ab hinc agitur annus, cum ſemper obticui, neq; audacter aliquid deſignare uolui, ſed omnia (quemadmodum uobis conſtat) patienter deuoraui, iniuriamq; quo iure, quaq; iniuria mihi illatā, ſub ſpe ueſtræ emendationis, æquiſſimo animo pertuli. Si quis enim eſt dilecti in Chriſto, qui multis benigne facere, paucos uero lædere cupit,

Marginal notes: 4. Reg. 4 — Admonitio paſtoris. — 1. Ioan. 4 — Mat. 16 — Mat. 11 — Luc. 7 — Pſal. 115 — Eſa. 30. — Mat. 3 & 4 — Reprehenſio omnium de Lutheriſmo. — Ione 3. — Pſal. 6 — Heb. 13. — 2. Tim. 4. — Mat. 10 — Act. 13. — Ioan. 10

in hijs ego ꝓfiteor meum nomen. Interim tamen nescio qua spe erectus, fore tempus, quo se res ad bonam frugem reciperet, ac Christianā in me beneuolentiā recta (quod dicitur) reputaretis uia. Quis dubitaret enim, uos longius ac diutius a uera Euangelij luce obnubilari? Sat eñ diaboli cis insidijs datū, sat indultū humanis uoluptatibus est. Pręter hęc non sine maximo dolore percipio, quod uos etiam non attenta ad me uestra legatione, quam ob hanc causam allegeratis, ut opinionē uestram intelligerem, pniciosissimorū hominum, Carolstadij, Oecolampadij, & Zuinglij ac aliorm Ozitarum, ac Capharnaitarum, peruersas persuasiones de sacrosancto Christi sanguine & corpore, q̄d Ecclesia Eucharistiæ sacramentū adpellat, non tantum acceptasse, uerūetiam ueluti dulce uenenum aliquod (proh dolor) imbibisse. Nihilominus tamē, quod uos arcam domini omnipotentis in Philistęorū manus traderetis, & idolon istud Dagon, quem Zuinglij pistoritiū adpello panem, pro uero ac non dubitato Christi corpore ac sanguine assumeretis, Quare pro eo indoleo ualde. Quis enim uos unq̄ animasq; uestras in tam Antichristicū Sophisticumq;, ac transfiguratum hominum genus pręcipitasse credidisset, aliamq; & traditionē & interpretationem perspicuæ narrationis Sanctorū, Euangelistarū, Matthęi, Marci, Lucæ, & Pauli apostoli mentibus uestris imbuere arbitratus fuisset? Cum uero primus eorū, qui tribulos filicesq;, aliaq; id genus hæreticarū seminationū apud uos sparserunt, atq; adeo a principe tenebrarū intempesta nocte & in tenebris immiserunt, ac supseminauerunt, Martinū Lutherū arbitror, qui paulatim nunc in uiam ueritatis reuerti, ac ea nunc demū recinere, quæ uos multis ab hinc annis a me ex uero Euangelio auidissime audiuistis, merito sane animis uestris pressius cogitare debetis, Periculum enim non modicum fuerit, si uos in posterum a Deo redemptore nostro ad Chaldæos ac Babylonios (etiamnum enim uestræ nouæ persuasionis nullum extat certū documentum) desciueritis in turrim cum forti illo Nemroth diutius ędificare uolueritis, Deum Opt. Max. dignis pœnis afficere, ac angelū ueluti aduersus Sennacherib amandare, atq; adeo temeritatē in suam sacrosanctam fœderis arcam non minus, q̄ in Oza impie perpetrare non sinere. Proinde ego ac Ionas uos uolui iterum atq; iterum monitos, semperq; monendos, ut tandem aliquando in animos uestros reuocaretis, quanta sint schismata inter illos recentes Christianę religionis labefactores. Neq; adhuc (quod maximū est eorū improbitatis argumentum) de summa fidei suę cōueniant. Ob id uelitis cū Paulo squamas ab oculis uestris detergere, ac plane accurate (Prudentes enim in alijs uideri uultis) in eos animaduertere, qui discordias ac offensiones, prætextu Euangelicæ doctrinæ, in re Christiana adornant ac perpetrant. Quæ (malum) enim est hæc uestra persuasio, quam technis uestrorum concionatorum circumuenti, imbibistis? Nunquid potius esset eam spe æternæ salutis ὡμετα σπηγῆς, liceat eñ mihi sic loqui, fugere, relinquereque? Vestri enim illi egregij prædicatores, alijq; eiusdem ordinis homines, quid

Reprehensio de Zuinglia na secta. — *Recantatio Lutheri.* — *Matth. 13* — *Hier. 20* — *Daniel. 14.* — *Gen. 10. 11* — *4. Reg. 19* — *2. Para. 32* — *2. Reg. 6* — *Ione 3.* — *Exhortatio ad resiliēdum à sectis.* — *Act. 9* — *1. Cor. 1*

quid non spe lucelli authoritatisq;, quam apud uos non uulgarem habere uolunt, uentrisq; ingluuiei gratis non faciunt, aut facere audent? Illi equidem uobis Aegyptiorum oleo uestras aures delinunt, ac os subli- *Phil. 3.* nunt, dum gratis apud uos concionibus in sacerdotalem dignitatem, aliaq; qua non uirulentia inuehuntur? Interim tamen simplicia ac ignara tanti ueneni hominum corda lenta tabe conficiuntur, ut facile uoluntas ac institutum nedum regressus adpareat. Porro ego uos iterum paterne adhortor & moneo, ut perpensa Lutheri reuersione ac resipiscentia, a Zuuinglij desultoria leuitate (quam saepius ac publice scriptis meis no- *Zuuinglij leuitas.* taui, neq; etiam tantum iota quidem respondere aut potest, aut audet) uelitis hinc iam nefandarum haeresium obliuisci, ac in uiam Catholicae ueritatis redire. Verum enim est, uos etiam simili poenitentia ductum iri, ob tam nescio quam fictitiam ac uanam (ne quid aliud addam grauius) religionem, ac superstitionem potius. Quocirca dandū esse censeo deo, *Matth. 21* quod Deo in primis attinet, postea uero Caesari. Demum si ego uos meliores redditos esse, ac paulatim ad pristinam religionem reuerti sensero, semper & ubiq; operam dabo, ut amicitia mea tam in spiritualibus q̄ humanis uobis adpareat non uulgaris. Neminem enim uestrum infiáciari credo, q; omnes in uestro municipio, aeque ac par fuit, si quempiam mea opera uti contigit, honorifice ac humaniter acceperim. Postremo in spem adducor fore, ut hunc meum libellum, uobis dedicatum, pro Christiana benignitate aequi boniq; faciatis. Pragae in Bohemia, die xxij. Iulij, Anno M. D. XXVIII.

QVOMODO POENITENTIAE AGENDAE SINT. CAP. I.

M. LVTHERVS.



INTER caetera egregia reperimus in scripturis multa, *Rom. 3. & 5* quae quidē de fide per quam iustificari debemus, disserunt in concionibus, non tamen sufficienter indicant, qua ratione ad ueram fidem perueniēdum sit. In primis enim scrupulum in animis Christianorum relinquunt, quo non bene excusso, nemo quisquam intelligere potest, quid nam reipsa fides sit, uel nominetur. Nam Christus Lucae ulti- *Luc. 24* mo, iubet, praedicandum esse suo nomine poenitentiam, ac peccatorum remissionem.

DOCTOR IOANNES FABRI.

Hoc etenim de te tuisq; asseclis querebamur iam inde a duodecim fe- *Vide Minotaurū Coclei* re annis. Vos enim tantummodo simpliciter nudam, & unicam illam fidem docuistis praedicastisq;, ob quam rem rude & iners uulgus, proh dolor ab omni metu ac cultu diuino, bona conscientia, amore proximi sui, bonis operibus, ac penitus (ut paucis comprehendam) ab omni Christiano decoro et honestate excidit. Quis em̄, bone uir, in causa et in

culpa est,ut tot miseri insontesq; homines ad unũ oẽs quasi internecina clade occiderentur,in illo tumultu rusticano,quẽ quis alius, q̃ tu excitauit? Nonne tu primus excitasti subditos, ut potestatẽ omnem delerent? Quis etiam magis reus esse potest, q̃ tu,tu inq̃ Luthere, ut ꝙ Ioannes Baptista in sua camelina ueste ob pœnitentiam prædicatam,in carcerem

Mat.3 coniiceretur,capitisq; exinde plecteretur? Demum quis minus extra no-

Mar.1. xam est te, ꝙ saluator ac dominus noster Iesus Christus in sacrosancto

Luc.3 sui corporis & sanguinis mysterio(quod Ecclesia Eucharistię sacramen

Matth.14 tum adpellat)ita nefandis modis ac maliciose ab impiis ac Antichristicis hominibus,Occolampadio,Carolstadio,ac Zuuinglio,eorumq; simili bus ludificaretur,& plane cũ purpurea chlamyde, uel si quid potest esse magis probrosum,ad Pilatũ remitteretur? Postremo quis pœnitentem ac lugentẽ Petrũ,qui statim ab ascensione domini pœnitentiã Hierosoly

Luc.23 mis prędicauit,alius in uincula coniecit q̃ tu,perinde ac Herodes? Quare

Act.12. non Herodianus cum tua Catharinola nonna saltatrice Herodiade tan

Mat.14. tum,sed me Hercle ipsissimus in Christi fidem religionemq; Christianã

Luc.9 ac pœnitentiã Herodes extitisti. Scis eñ mi Luthere,Herodem esse uer-

Herodes. sutũ ac uersipellem,quasi tu dicas,inconstantẽ & leuiculũ hominẽ: adeo enim pellem tuam retroactis ab hinc annis non una uice mutasti, ut leopardo multicolori,q̃ Luthero similior uideri possis. Hoc tibi dictũ de incõstanti tua doctrina uersutiisq; ac uersipellibus tuis moribus esse uelim. Ad hęc haud dubie dominus noster te uoluit designari, cũ Herodi nun

Luc.18. ciauit: Vos inq̃ debetis istę uulpeculæ dicere,&c. Multis eñ annis te in cauo monasterii tui abdidisti,ac sub cucullà S. Augustini,de qua D. Am

In sermone de baptismo August. brosius in sermone suo ultimo fecit uerba, clanculũ tantisper occuluisti, dum aptũ debacchationibus tuis tempus reperisti, uineamq; domini ex insidiis adoriri ac deuastare,operam dedisti. Huiusmodi enim statim in

Cant.1.& 2. diuinis canticis,sicut ab Ezechiele sceleris notatus es,incepisti. Porro qs

Ezech.17.18 Samson uulpes tuas,qui tecum uulpinantur,connecterit, etiamnũ mihi

Iud.15. parũ constat. Nihilominus pro certo habes,atq; etiã uigili tua conscientia fateri cogeris,ꝙ tu quibusdã uulpinis astutiis perinde ac Archilochi uulpes illa,de qua D. Basilius Magnus mentionẽ facit, pernitiosam tuã doctrinã in popellũ rerum nouarum studiosissimũ,effuderis. Ab initio eñ simpliciter,& sine fuco uiam affectasti,ut processu tẽporis omnibus fucũ facere posses. Pertendere enim tibi opiniones hęreticas tuas sane in procliui fuit,cũ popularibus hominibus iugũ Domini, quod pœniten-

Iugum domini pœnitentia tiam adpello,dempsisti. Nudam eñ & mortuam fidem tantũ, non bonis operibus circũuallatam miseræ plebeculæ ob oculos posuisti. Hinc fit,ut illa,exterminatis bonis opationibus,nescio quid credere uideatur. Hinc q̃q; est illa Helena,hinc illud bellum atrocissimũ nascitur, ob quã duodecim ferè annis Troiam illam male feriatã obsidemus, tam anceps eñ prælium ab æuo Ariouisti Germanorũ regis nunq̃ habuimus,dum Ecclesiam,quæ supra petram extructa est,propugnamus obtinemusq;. Socios aũt habemus omnes Ecclesiasticos illos doctores, qui nobiscum

faciunt

faciunt, utpote, Basiliũ in solitudine, Benedictũ in cauernis, Bernardum in cella Cistercieñ. ac ut Paulus astipulatur, omnes Christi fideles in mõtibus ac antris &c. ac impẽdio magis Niniuitarũ saccum ferimus, ac pœnitentiã agimus. Heb. 11. Ione 3. & Luce 11. Stant pro nobis etiam illi primõres, Christus saluator noster, Ioannes, Petrus & Paulus, qui fundamentũ ac thema nostræ fidei pœnitentiã agere arbitrati sunt. Nam etiam tunc, cum Christus in terris erat, discipuli pœnitentiam agendam prædicare iussi sunt, atq; adeo, sicuti & tu astipularis, Christus sic postremo absoluit illos, ut in orbe terrarũ pœnitentiã passim publicarent populo. Quatuor primarij prædicatores. Mat. 3. & 4. Mar. 1 Act. 22. Adde hijs etiã, q̃ tu in tua resolutione τὸ μετανοεῖτε nescio quot uarijs modis extulisti: nunc enim resipiscite, nunc uero transmentamini, sane lepido uerbo transtulisti. Quid uero in uernacula & barbara illa interpretatione? nũquid paulõ fœlicius? Non me Hercle, reddidisti eñ sic: Besſert euch. Quanq̃ ultimo Lucæ, ac in alijs multis locis in tuo idiomate, Pœnitentiam agite, iterũ pro eo ac debuit uersum sit. Luc. 24. Propterea iudicauimus te a uera dei semita deuiasse, atq; non leuissimo argumento coniecturã facimus, cur pœnitẽtia penes te ac tuos tot annos abstrusa & sepulta pene fuerit. Cũ uero nunc aperte uides, miserã plebeculam in Saxoniæ principatu penitus perinde ac ætate Caroli Magni Rom. Imperatoris in aliq̃t locis a fide excidisse, tandem aliquando perditas oues Christianitati aggregare ut possis, neruos extendis tuos, non tamen penitus malignitatẽ tuã reliquisti: etiamnum eñ altera manu panem ac piscẽ ostentas, altera uero lapidem ac serpentem latenter minitaris. Luc. 15 Proinde minime laudandus es, qui uno pede nostrũ solum adtingas, altero uero adhuc uestigia Chaldæorũ insistas. Quid eñ est ex Ægypto ad littus maris rubri uenisse? Sed illud non uelle transfretare, aut altero pede ãrcam Noe insistere, Ecclesiam hic intelligi uolo, altero uero diluuiũ et cataclysmũ contingere. Si uero mi Luthere sanis consilijs obtemperare uoles, ad exemplar Loth properare te iubeo (uidetur eñ Genius tibi quoq; allegatus, ut resipiscas, ac pœnitentiã agas) relinquenda tibi Sodoma illa execrata ciuitas, fuge hinc quantũ potes, irretortis, ut prouerbio fertur, oculis, trans caput iace illas tuas portentosas hæreses, nec respexeris ueluti uxor Loth. 1. Pet. 3. Gene. 10 Illius uerũ gradiri gradus, hic te uelim, ne ad uomitũ redeas, tum tũ poteris aratrũ domini hoc est pœnitentiam uere in agrũ eius ferre. Ne uero longũ faciam, quid refert morbi partẽ curare, ni etiam omnino ab eius tentationibus penitus absolutus sis? Si eñ in una aliqua hæresi pseueraueris, perinde est ac si oẽs haberes. Faxit nunc deus opt. max. ne nimis sit sera tua, si qua est, resipiscentia, quam te ut Rabinũ in Israel præmeditatũ fuisse, non solum decuit, uerum maxima ex re Christianorũ profuit. Non enim cum illo insipiente dicendũ est, NON PVTABAM, fore, ut ex uirulentissima mea seminatione tot pericula orirentur. LVTHERVS.

Multi id tpis tantum de remissione peccatorũ, et nihil, aut certe parũ de pœnitentia disserũt, cũ sine pœnitẽtia peccatorũ remissio fieri nõ possit, certe remissio delictorũ absq; iniũctiõe pœnitẽtiæ intelligi nõ potest.

DOCTOR FABRI.

Lutheri conciones & libri nil nisi fidem crepant.

Ita me Hercle mi Luthere, multi enim, ne dicam pene omnes tuæ farinæ concionatores, decem fere iam annos, aut ultra, nihil aliud crepaverunt, aut docuerunt, q̄ unicam fidem, quàm illi in ore quidem passim circumtulerunt, reipsa uero, qui fidei fructus est, nihil omnino præstarunt: atq; ita quasi unica fides nos iustificaret, ac saluos redderet. Illi enim egregij Ecclesiastæ pulchre uidentur sibi rerum suarum satagere, si publice, qua non insania ac immodestia in bona opera debacchati fuerint. Quis uero eius Tragœdiæ autor ac caput extitit, q̄ tu? Tu equidem in quinto articulo tuæ assertionis tres partes potissimum pœnitentiæ e medio tulisti: in xv. quoq; articulo sic eos instituisti, qui sacrosanctæ Eucharistiæ synaxim facturi sunt, ut ne pœnitudine delictorum ducantur, neq; ea confessione humili profiteantur, uerum tantum credendum ac fidendum esse præcepisti. Accedit superioribus, q; plus q̄ centies in scriptis tuis reperitur, unicam fidem nudam & solam sufficere ad iustificationē.

Rom. 3. *M. Lutheri adulteratio scripturarū*

Quamobrem textum tertio ad Romanos capite, adulterina interpretatione cęno peius obscurasti, cum quatuor illa uerba, durch den eynigen glauben, quæ neq; in Gręco, neq; Latino exemplari reperiuntur, inseruisti, neq; Paulus unquam somniauit, oppido enim q̄ bene sibi constitit ratio bonorum operum, tantum tamen assumere tibi, ut puram Pauli scripturam inuertere, ac locupletare pro tui Martis exagitato furore, non dubitaris. Perinde enim est, ac longe maius, q̄ literas & signa adulterare. Neq; eo loci solum Paulus tibi cessit, ut certe non cessit. Dignum enim pro hoc sceleris crimine Deus Opt. Max. a te supplicium sumet.

Galat. 5.

In Epistola ad Galatas quoq; quid nugarum ingessisti, cap. v. cum pro uentosissimo tuo ingenio illud, Fidesq; operatur per charitatē, inuerteris, ac tua uernacula interpretatione sic reddideris, Die liebe die durch den glauben thettig ist. Quasi dixisses, Charitas quæ per fidem efficax est. Hic te mihi respondere iubeo, quis te hoc docuerit, aut a quo id faciendi copiam habeas, ut pro tua libidine res sacras ita nefarie attrectes, inuertas, & adulteres aliorsum ac scriptura sentit, uel obtorto collo in tuam sententiā trahas. Hinc est, cur te monium ac solariū adpellauimus, cum omnia unico fidei nomine metiaris, tū nos a te Papistæ, Antichristi, trunci, stipites adpellati, & nescio quibus alijs conuitijs lacessiti sumus, cum rustici, sutores, atq; sartores tui discipuli, nos non tantum uerbis incessuerunt, uerumetiam furcis, fustibus, formis, scalpris, ac similijs, atq; cum toto sui artificij adparatu adorti fuerunt, nos in certamen uocauerunt, non aliter, ac si illis id negocij datum esset, ut ipsi rem Christianam restituerent. O tempora, o mores hominū, et ad turbas procliuitatem, quorum omnium, tu inq̄ omnium, ut Philosophus ait, causa mouens extitisti. Si enim pœnitentiæ actionem missam fecisses, quemadmodum Christus ac sui discipuli uoluere, res nunquam eo loci deducta fuisset, ut tam damnose peccaretis. Peccauistis autem ita, ut nisi multis pœnitentijs abolere non possetis.

LVTHERVS. Si uero remissio peccatorum prædicatur sine pœnitentia, consequitur quod semidoctum uulgus arbitratur se iam remissionem eorundem cōsequutum esse: hinc fit, ut securi ac audaces reddantur. Quod certe maior error ac peccatū est, quam unquam antehac fuit. Et certe periculum est, ut Christus ait, Matthæi xij. ne posteriora sint primis peiora.

D. IOAN. FABRI. Meministi etiamnū mi Luthere, quam despectui habueris diuinum illum Hieronymum, illum doctissimū trilinguem scriptorem, quod ille in Epistola aduersus Iouinianū, pœnitentiam alteram tabulā à naufragio adpellarit. Nūc uero ipsemet reuerteris in uiam, faciens perinde, ac uētosa arundo in solitudine, Matthæi xi. Atque id certe laudi tibi ducendū arbitror, quod tandem aliquando te ad meliorem frugem receperis æque ac ille filius abdicatus. Verum omnino rem meliore uia tecū reputa, ne medius sathanæ, mediusque Christi fies. Non enim satis esse credito, uisum recuperasse, uerum & mutum & auribus captum nihilominus manere. Non spes est bonæ ualetudinis, cum te febris reliquerit, uerum Carcionomata detineāt. Etiamsi quoque plebeculam iterū ad pium pœnitentiæ opus ac diuinum cultum reducas, non te rerum tuarum satis egisse, in animū inducas tuum, adhęrescunt enim adhuc tibi leprę notabiles quædam squamulæ, quæ minus ferendæ sunt, Sed de illis suo loco abunde differemus. Hac autem in re non minus tibi fidei do, ac Esaiæ, Hieremiæ & Ezechieli, alijsque prophetis, quod arbitratus es, fore populum (quemadmodū multis nunc annis non sine maximo meo dolore uidimus) dei ac religionis non timentem. Pœnitentia enim dempta, quid nos morigeros, pacatos, piosque reddat, non uideo. Atqui tu bone uir eius rei fons eras, tu inquam operam dedisti, ut Christiana religio labefaceretur. Propterea fit mihi significatio non uulgaris, si religionē in Saxonia stare posse credidisses, atque si gratiosissimus dominus meus Dominus Elector subditos suos sine metu religionis, & præcipue sine pœnitentia regere potuisset, te nunquam illam lustrationem adornasse ac instituisse. Si enim ab uno quouis in Saxoniæ principatu, qui tuo instinctu fretus, timorem dei ac pœnitentiam abiecisset, per singula capita tantum unū florenum habere posses, credo te maximum aduersus Turcas exercitū conscribere posse, ac alere. Si uero præcepta tua, quæ illi usque sarta tecta, quod dicitur, habuerunt, fructuosa ac bona fuissent, par fuit, ut inde meliores, non peiores redderentur. Nō enim abs re Christus loquutus est, ex fructibus eorum cognoscetis eos, &c. Mat. 7

De adulteratione scripturarum per M. Lutherum. CAP. II.

M. LVTHERVS.

PRoinde nos Parochos admonuimus ac instituimus, ut Euangelium quemadmodum debent totum prædicarent, neque portionem aliquam separatim ab alia. Deus enim Opt. Max. Deute. iiij. loquitur, quod uerbis suis neque quicquam addendum, neque demendum sit.

IO. FABRI. Si unquam hæretici Euangeliū minutatim ac in particulā cōcisum usurparunt, tu ac illi tui egregij cōcionatores fecerunt, neq; sine fraude. Nam ad propugnandas uestras portentosas hæreses, quibus nō undecunq; hinc inde collectis periculis usi estis, quæ uero minus uobiscum facientia reperistis, saltuatim ea ueluti Panthera multiformis percurristis ac transiliuistis. Quid totos dies clamas, ac doces, nil esse diuinis uerbis subtrahendum, uel addendum, cum tuipse hoc apertissime feceris? facere enim alijs medicinam uolens, ipse grauissimo morbo tentaris. Nam nouum Testamentum plus quàm sexcentis locis tua illa barbara translatione deprauatū reddidisti, quædam quę non huc spectabant inserendo, quædam uero pro libidine excerpendo, quæ suo iure stare potuissent. Cuius rei in primis Græco Latinoq; exemplari palam conuinci potes. Cæterum proprietates tuæ uernaculæ translationis ipsemet nō obseruasti, Quoniam innumeris in locis possem tibi in os exprobrare, q aliter atq; aliter ac diuersis modis sæpe idem uocabulum in tuis illis uirulentissimis libellis extuleris, quàm postmodum in ipso Testamento. Quæ malum enim est illa uersantis tua inconstantia, quæ nihil intentatum ac inconcussum relinquit? Quid fidei scriptionibus tuis liuidissimis habendum, cum nullibi tibi constes? Memoriam muscis forsan similem habes, aut Thracensibus, qui anteaquam ad quinarium numerum ascendunt, priora ex memoria euanescunt. Adde supradictis, quòd rudi ac inepto populo legendum proponis Testamentum a te barbare uersum, quod omnibus mendis carere ꝓculdubio animo obfirmasti. Mendacia enim, hem mendas dicere uolui, inibi tuas cæcutientes oculi tui non perspiciunt. Tu equidem arbitraris, ac palam profers, omnes fures, prædones, sicarios ac asinos Archadicos esse, quicunq; ante te id transtulerint, aut transferre tentarint. Nunquid tu solum spiritum habes? non credis etiam alios, spiritum dei, utpote Confessores, Ecclesiasticos Doctores ac Martyres habuisse? Sed age tu, Testamentum a te uernaculo idiomate ęgre ac misere donatum solum credis aureis literis exscribendum, deniq; sericis uoluminibus imponendū, eius fibulas auro ac gemmis decorandas, umbilicos ac cornua margaritis cohonestanda. Quid uero, si aperitur, aliud cōtinet, q̄ inanem ornatū, uenenū, atq; legentibus ipsam mortē? est em̄ adulterinū, ac sibijpsi nō cōsentaneū. Quamobrē in maioribus mihi obseruandissimus rex Vngariæ & Bohemiæ Ferdinandus nō iniuria edicto cauit, ut omnia cōburerentur, ac ne uspiā posthac in regionis suę ditione, aut Cęsareę Maiestati subiectis publicarētur lege rēturq;, acerrime uetuit. Pestilētiores em̄ sunt multo tuę illę trāslationes q̄ libri idolothytarū in Epheso, nam plus periculi crearunt, q̄ grando & calamitas in Ægypto. Quid uero, ut rē ipsam pressius excutiam, isti tuæ trāslationi p̄mij ac honoris debetur, cū ipse ei incōstantissima illa leuitate tā multa deroges, q̄ a me meiq; similibus nunq̄ possit. Ostendam aūt hic tibi unum atq; alterū errorem obiter, et quasi aliud agens, non enim tantum ocij a grauioribus curis datur, ut alias tuas ineptias ꝑlegere possim.

Luc. 4.

Ferdinandus.

Paucis

Paucis uero diebus longe uberius uolumen uidebis, in quo omnes, sed quid omnes? quis enim comprehendere possit errores tuos? luculentissime complectar. Nunc ad propositum potius. Paulinis uerbis hic te circumueniri mihi liceat: quemadmodum enim ille gentium Doctor legũ perito scribit, mutato nomine de te dici arbitreris tu. Spem ponis in legem, ac ubiq; iactas te dei omnipotentis nomine. Credis etiam eius uoluntatem te scire, cum lege sis instructus. Prædicas ea, quæ bona sunt, & mala sunt. Sumis tibi etiam tantum, ut tibi persuadeas esse dux cæcorũ, lucerna ambulantium in tenebris, moderator desipientium, ac doctor simplicium, alios tamen instituere eniteris, cum ipse omnium priorũ uitio expers non sis. Declamas enim publice, nõn esse furandum, & tu furtum committis: non esse mechandum, & tu mecharis, ut cum maxime abhorres idola, ac Deo sacrata surripis. Demum gloriaris te quoq; in lege domini, cum transgressor eius sis. Porro scribis in ultimo libro, quẽ cõtra iuratos tuos sodales, Zuuingliũ, Occolampadium, ac Carolstadium publicasti, standum esse potissimũ ab illis libris, quos proximis quatuor aut quinq; annis ędidisti. Quomodo uero mi Luthere cæteri tui libri (iam enim agitur duodecimus annus, ex quo peruersis tuis traditionibus Christianos ueluti præsentissimo ueneno inficere & conficere instituisti. Sextodecimo enim conclusiones tuas primum non electus indulgentiarum commissarius ędidisti) quomodo mi Luthere habendi sunt? nunquid reprobandi an reijciendi, quasi non subacta cogitatione scripsisses, aut certe ita, ut illis inimicitias denũciares, quod tam splendido officio te non præfecissent? Ah ah, bene intelligo animi tui malignitatem. Atqui ante septem annos regi Angliæ scripsisti, te certum scire, ꝙ doctrinę tuę sint datæ tibi desuper, rem q̃q; sic fieri oportere, ueluti diuina prouidentia. Quid autem nos tandem ad eos libros remittis, quos ante per proximum quadriennium, aut quinquennium fere effudisti? Quo uero numero alij habẽdi sunt, quos antehac nõ pręmeditatus congessisti? Vbi nam locorum illi sunt, qui per hos edocti, bellum principibus indicere, optima quæq; sursum deorsum uersus, rerum nouarũ studio miscere ausi sunt, ac ob id omnes ad internitionem fusi sunt? Vbi alij, qui ante hunc tumultum deciderunt? Proinde mi Luthere depone istum superbum ac fastidiosum animum, constringe iterum eum in Sathanæ cathenas. Cum enim denuo pœnitentiam prædicas, obuolue te Niniuitarũ sacco, indue te camelina pelle Ioannis, ac uilloso pœnitentiũ habitu, consperge lachrymarũ tuarum aqua, irriga lectum tuũ, sicut David, lachrymis. Surge intempesta nocte ad matutinas preces arbitror, sicut antea multis annis fecisti, præceptis Psalmographi institutus. Confide quoq; in cinerem, ac ad deum uociferare, ut tibi ingentia tua delicta quæ designasti, non sine maxima omnium Christi fidelium iactura condonet, ac misericordiam indulgeat. Hoc fac, & uiues.

Roma.2. · Ione 3. · Mat.11. · Marc.1 · Psal.6 · Psal.118

Quõd Lutherus ipsemet ea perpetrauerit, quæ nunc ab alijs caueri uult. CAP. III.

M.Luthe-

M. LVTHERVS.

Moderni quoq; prædicatores Papam obiurgant, q̄ ille multa scripturæ ac uerbo dei addiderit: quod proh dolor uerum est. Ipsi uero cum non pœnitentiam prædicant, magnam portionem ab Euangelio abstrahunt.

IOANNES FABRI.

Tu etiam unus ex illorum conuitiatorum numero existis: tu etenim hæc omnia primus in uulgus ambiguum sparsisti, nescio quibus classicis castrensibus non Euangelicis usus, etiamnum tamen rem neq; acu, neq; digito attigisti. Tu inquam decretum quod ius Canonicum appellatur, in uestra officina publice concremasti. Nam quo facilius id posses, multa in Ecclesiasticorum inuidiam, qua nunc parte flagramus, ut quum maxima temeritate ac pro tuo arbitratu confinxisti. Cum autem id uere ac potenter probassem, obticuisti, ueluti res hęc ad te nō pertineret. Quod si uero res ipsa sic se habet, ut asseclæ tui multa uiolenter a dei uerbo defringant pro eorum libitu, subsequitur eius rei autorem te fuisse, quippe qui taliter informaueris. Etiamsi & nos, qui ueteris indubitatæ fidei studiosi sumus, quoq; fidem & laudauerimus, & prædicauerimus, ac multos cohcionandi in formam hanc libellos ędiderimus, nihilominus tamen rude uulgus pœnitentiæ iniunctione salutari continuimus, non equidem nostris uerbis, sed authoritate sacrosancti Euangelij, in scripturis liquido deprehendimus. Quòd si quis legi ueteri obnoxius peccauerat, temere iurauerat, ac aliud quidpiam graue commiserat, ille pœnitentiam agere coactus fuit. Nam dominus noster per Hieremiam prophetam conqueritur, q̄ pertinax populus pœnitentiam agere nolit, quamdiu etiam dominus expectauerit. Idem enim etiam Paulus Romanis ob oculos ponit, ac Hieremias in Threnis quoq; testatur. Quid, q̄ dominus noster peccatoris rem eo loci constituit, ut si pœnitentiā operetur, se quoq; facilem ac propitium eius commissis pollicéatur? Ezechiel etiam hijs cancellis circūscribit pœnitentiā, Si peccator reuersus fuerit a commissis, deum quoq; peccatorum non meminisse uelle. In primis uero cū uerus propheta, qui est dominus dominantium Iesus Christus noster, & lumen, quod totum mundum illustrauit, in terras uenit, tum esse pœnitentia cœpit, tamen Ioannes Baptista pręcursor domini pœnitentiam prædicauit. Posthac Christus etiam prædicare discipulos tum primum ad concionandum amandatis, ut idem facerent, instituere, nempe ut ab initio ueluti Christianæ fidei argumentum pœnitentia existeret. Quanq̄ saluator noster paucis principio cœperit pœnitentiam prędicare, profitetur se tamen peccatores ad pœnitentiam conuocare, ac ibidem laudat Niniuitas, q̄ illi Ionę preceptis edocti, pœnitentiam operati fuerint. Ad hæc cœlestes angeli ex hoc maximum gaudium capiunt, si quis peccator ad deum reuertitur, ac delictorū pœnitudine ducitur. Obiurgat autem Capharnaitas, quod illi idem non faciant. Discipuli quoq; quasi per manus a saluatore nostro prædicandam pœnitentiam acceperunt. Quemadmodum

[Margin notes: Leuit. 5. Hierem. 8. Roma. 2. Tren. 2. Ezech. 12. Hier. 18. Deut. 18. Matth. 21. Apoca. 19. Ioan. primo. Matth. 3. 4. Marc. 6. Luce. 5. Matth. 9. Luce. 15. Matth. 11. Apoc. 2. & 3.]

admodum enim ille reliquerat, sic isti denuo cœperunt docere, ut homines malefactorum pœniteat, nam Ioannes eam in Pathmo publicauit, alijq; Apostoli ubiq; gentium. Hinc præceptum illud per Apostolos, ac illis æquales, & ætate proximos, ad patres & maiores peruenit, hoc fonte deriuatum, in hanc usq; ætatem fluxit, sanctéq; obseruatum fuit. Tu uero, ac tua, si dijs placet, ualde deuota cohors, pœnitentiæ operationem, perinde ac canes Nilum gustantes, perfugistis, ac non solum ex memoria, uel ex animo hominum delere adnixi estis, resq; uobis hæc bene sub manus successit, quando populus procliuis est, uel suopte ingenio ad libertatem carnis, Pœnitentia enim prius ueluti quibusdam uinculis a peccatis coërcebatur. Nonne comperisti, mi Luthere, Lucę ultimo, q; redemptor noster discipulis suis commiserit, ut per uniuersum orbem suo nomine pœnitentiam docerent, ac remissionem peccatorum prædicarent? Tu uero interea temporis pœnitentiam in tenebras abdere, ac terrę ueluti talpam cæcutientem infodere conatus es. Verum cum nunc uideas religionem ex eo collapsam, populum non dicto amplius audientem, ac plane Christianum τὸ πρῶτον, ruinam ac interitum non solum minari, sed ex maxima parte longe lateq;, ac si fractus illapsus esset orbis, uitium fecisse, ipse pœnitentia ductus, pœnitentiam per te & exterminatam ueluti ab exilio reducere operam das. Ecque, malum, ista tua iactatio inflata, superbia, ac diabolica arrogantia, qui spiritum Dei uenisse super te aiebas? Neque tamen ille nescio quis spiritus tibi planum fecit fore, ut res Christiana uenenatissima tua seminatione pessundaretur. Quãdo te arbitraris deo Opt. Maximo pro illa nefaria doctrina tua, qua non solum seruum erga herum, clientem aduersus patronũ, magistrum in discipulum, uerum etiam colonos contra principes ac reges concitasti, sat pœnarum dare posse? Atqui nunc ueluti cruentus prędo reuerteris a strage humana, pœnitentiamq; tuam, quam e medio sustuleras, tecumq; fers, oranti similis, ut eam per te miseris modis acceptam suæ dignitati, suoq; loco restitueremus, Quod certe, quantum ad me attinet, facturum me recipio: at ea lege, ut tu quoq; in cinere ac camelinis pellibus, pœnitentiam pro tot tuis cõmissis opereris tantisper, dum te non pœniteat, ac pro tanta peccatorum mole parum uideatur. Postremo id me tua uice commouet, quòd in eo libro, quem aduersus Zuuinglium ac Oecolampadium publicasti, ipse fateris, neminem quenquam, qui hæresium autor, ac hæreticorum magister extiterit, posse ad bonam frugem redire, neq; ullum ullo unquam tempore se ad bonam mentem recepisse, affirmas. Quamobrem periculum est, te quoq;, ex cuius officina tot portentosæ hæreses, ueluti ex equo Troiano prodierint, occupauitq;, horresco referens, iam fere totam illam Germaniam, posse ad ueros indubitatos Christi fideles a tua indurata opinione resilire. Quamuis spero confore, ut deus tibi det meliorem mentem.

De uetito carnium esu feria sexta, ac in Quadragesima. CAP. IIII.

 Luth

LVTHERVS.

INterim loquantur de edendis carnibus, atque alijs leuiusculis rebus, quæ etiam non prætereunda sunt silentio, suo tempore ob tyrannos, qui Christianam libertatem opprimere conantur. Quid uero hic aliud est, q̃ quod Christus dicit Matthęi xxiij. Muscã colant, ac camelum deglutiunt.

IOAN. FABRI. Tu scis quadraginta illis esurialibus diebus, alijsq; temporibus, ab omnibus Christianis per totum Christianum orbem iam inde ab ætate Apostolorum carnes non esas. Nam etiamnũ quoq; schismatici illicitis diebus carnibus abstinent, quod etiam uere Christiani sub coelo Germanico longe lateque sancte iuxta ac pie obseruabamus. Quamobrem uero mi Luthere celebre hoc opus conuellisti? cum neq; perniciosum, neq; malum fuerit? Verum ipse denuo nũc non tantum nostram, uerum etiam totius Ecclesiæ doctrinam approbas. Quare prius obseruationem illam inconcussam stare non permisisti,

1. Cor. 8 atq; adeo si alia nulla causa fuisset, q̃ quòd Paulus sic nos admonet, Ille enim, si cibus quo uescebatur, offendisset fratrem suum, ob id perpetuo hoc cibi genere abstinere uelle, dixit. Christianum enim est, aliquandiu pro tempore carnibus abstinere, ne uideamur in hac re brutis animalibus, q̃ hominibus magis similes, quæ citra delectum quæq; deuorant, atq; ea etiam aliquando, quæ eorum ualetudini incommodant. Proinde longe satius fuisset, te nunquam id plebi persuasisse, Verum enim

Gen. 3 uero bene facis, laudibus enĩ ob id dignus uideris, q; æque ac Adam ille, culpam in Euam transferas, illa uero in serpentem. Abi propere, laua

Num. 22 manus, ut Pilatus, ut culpa elapsus esse uidearis. Quanquam paruo in discrimine ponerem, etiamsi asinus Balaam uerbũ ac uoluntatem Domini erudiret, eloqueretur.

Mat. 3. et 23 LVTHERVS. Itaq; eos admonuimus, ut diligenter, speciq; populum ad poenitentiam uocarent, ad poenitentiam inquam, ac commissorũ dolorem, & terrorẽ iudicij diuini, atq; adeo ne bonam ac potissimã poenitentiæ portionẽ relinquant indictam. Nam ambo Christus ac Ioannes acrius obiugarunt Pharisæos, propter eorum superstitiosam simulationem ac hypocrisim, q̃ communes peccatores. Proinde prædicatores populum poenitentia obstringerẽ, si quicq; graue commisit, Si uero simulata quædam sanctitas inesse uidebitur, longe acrius obiurgare debent. Quamuis quidam arbitrentur, nil esse docendũ, quod antecedat fidem, Docendũ inquam, ne aduersarij nostri dicant, nos reuocare doctrinas nostras, Nihilominus tamen uidendũ est, q; poenitentia, ac lex etiam ad fidẽ spectent. Principio enim credendum est, q; deus sit, qui minetur, imperet, ac terreat, &c. Et hoc quidem ad ineptum uulgus pertineat. Et istæ portiones fidei sub nomine poenitentiæ permaneant. Sed legem ac timorem illis proponatis etiã, ut facilius distinguere, ac intelligere fidem Christi queant, quam Apostoli iustificantem, quòd iustificet, ac peccata deleat, adpellarunt, Fides uero ex poenitentia & lege non idẽ facit.

Hinc

Hinc est, cur populus in isto uerbo, credere, aberrat, ac inutiles quęstiones sibi confingit.

IOAN. FABRI. Nimis sero ut Phryges sapis, mi Luthere, Si pererrares totum mundum, ueluti Apostoli fecerunt, ac ad poenitentiam uocares, tũ rem alicuius & momenti & emolumenti esse arbitrarer: aliter eñ quid tua Palinodia perficere possit apud rude & ineptum uulgus, non uideo. Quanquam filius perditionis in Euangelio, fletus Petri, & preces latronis in cruce possint te forsitan etiam ad thronum gratiæ perducere. Tu uero adeo duræ ceruicis es, ut uix resipiscere possis, Cor tuum enim indurauit Dominus, sicuti Pharaonis, quod nemo homo emolliri potest. Luc. 22 Exod. 10

De Decalogo præceptorum Domini, qui per Philippum Melanchthonem perperam doctus fuit. CAP. V.

LVTHERVS.

Debent etiam prædicatores decem præcepta sæpe ac diligenter prædicare, ac ea etiam interpretari, ac declarare, Neq; solum præcepta, uerum etiam poenas, quibus Deus, si non obseruarint, eos afficiet, Deinde exemplis quoq; confirmare debent, quod Deus sæpe in tempore transgressores puniuit, ac ueluti angeli Abraham dixerint, Gene. xviij. quod deus uellet Sodomam punire coelesti igne, nempe comburere. Sciebant autem illi certum, q; Abraham ea posteris suis reuelaret, ut discerent timere deum. Ad hæc debent publice scelera quædam notare præ alijs, utpote inuidiam, odium, adulterium, ac ebrietatem, Ac populo etiam opera ostendere, quibus poenis Deus olim hæc uitia puniuerit, ac si non uellent relinquere huiuscemodi scelera, quod longe grauiores post hoc sæculum poenas reperturi essent, &c. Num. 15 Gen. 18. et 19

IOAN. FABRI. Si ego rusticus in Saxonia fuissem id temporis, cum Philippus cum suo æquali Luthero lustrationem habuit, ac ad me uenissent, ego me Hercle canes domesticos in eos iritassem, hijs uerbis illis obuians: Aspice tu Melanchthon, ac tu Luthere, quo tandẽ nos abducis, quod os, aut quæ tibi frons est, ut ad me uenire, ac bene longo sermone de operibus bonis disputare ausis? Cum tamen prius in tuis locis communibus, ac alijs lucubrationibus aliter ac longe diuersius scripseris, nempe quod tantum credere debeam. Quid mihi nunc loqueris de decem præceptis, cum apud Christianos esse tantum nouem prius affirmaueris? Nam in ueteri Testamento etiamsi decem sint in tabulis Mosi, dixisti tamen esse easdem tabulas antiquatas, ac fractas, atq; ita, ut in nouo Testamento plus nouem non sint, ac reperiantur. Si uero postmodum mihi dixisset: Dies Solis est tibi seruandus, ac colendus debita reuerentia. Confestim ego illi, Vbi nam sunt scripturæ? autoritates profer. Si uero ille, ita Lutherum constituisse, respondisset, procul dubio sic eum dimisissem: Mi Melanchthon, posteaquam ex Ioannis Apocalypsi didici, ac iam inde ab ætate Apostolorum, sic usurpari comperi, Melãchthon tantũ nouem præcepta seruat. Apoc. 1

nec non parentum meorum institutione accepi, Sabbatum ueluti diem Dominicum solita reuerentia obseruabo, nec me impedient pristinae uestrae traditiones ac retractationes illae, quas circumfertis, neque in alijs quoq; ab communis Ecclesiae decreto uel latum unguem, quantum uires meae ferent, discedam. In posterum quoq; tuas ac praeceptoris tui Lutheri doctrinas morte praesenti peius timebo. Quid tu hic Luthere? Nunquid arbitraris hoc salubre emplastrum ad illius hominis uulnera,
Lucae 10. quae inter Hierosolymam ac Hiericho acceperat, futurum fuisse?

De uaria ac inconstanti Lutheri doctrina. CAP. VI.

LVTHERVS.



Vamobrem populus ad timorem dei ac ad poenitentiam prouocari quantum potest, debet, nec non securum hoc ac audax uiuendi institutum ab eis caueatur.

D. IOAN. FABRI. Si ita sensisses ac docuisses mi Luthere, per id
Disputatio Lipsiana. 1519. temporis, cum Lipsiae cum D. Eckio disputaueras, nunquam tanta hominũ clades in Germania facta fuisset. Scis eñ hanc disputationẽ ob id omniũ maxime institutã, ut ibi de timore dei, poenitentia, alijsq; bonis operibus conuenirentur, Quid tu uero ibi? Metum dei et contritionem
Gen. 11. uel attritionem non respuisti, uerumetiam exterminasti e Republica tua haeretica. Nunc autem (tanta est rerum uicissitudo) inconstantiae tuae specimen praebuisti, cum ad nos a Babylonica tua captiuitate, ueluti Sinon ille Troianus peruenisti. In ore multorum est, te legione Sathanarum obsessum esse, ut quotidie uel in singulos dies quilibet noui aliquid sibi cõfingat. Hinc fit, ut scripta tua male cõsarta discrepent διὰ πασῶν. Econtra alij fatentur, quòd illa atra auis, quam tibi ante aliquot annos Liechtenbergius scapulis adpinxit, ita te diuersum trahat, adeo, ut quid scribas, ac mediteris, ne ipse quidem sentias. Mea uero sententia uideris esse memoria nulla, ingenio hebeti, ac animo procliui ad iurgia ac rixas. Quicquid enim scribis, obliuione profunda captus, in posterum non meministi, adeo ut mihi tam euanidae memoriae neque lectae, neque scriptae, neque pictae usquam in mentem uenerit, aut uenire possit. An non eius prouerbij, quod scire te maxime retulit, meministi, Mendacem oportet esse memorem? Profecto enim, ut uerum fatear, nullus liber ex tuis extat, uel maxima diligentia ab hinc annis decem conscriptus, quem nõ ipse, sicut et Oecolampadius, ad puluerẽ usq; concrematum esse uelis. Quo tandem res, responde mi Luthere, euentura est, cum aperte contra Euangelium opiniones tuae sint, cum omnes ueteres ęque ac nouos autores despicatos habeas, & quod maximum est, cum contra iuratos tuos comprędones, Zuuinglium, Oecolampadium, Capitonem ac alios eiusdem notae homines ingentes irae tibi sunt? Quanquam Zuuinglius de te scripserit, neminem unquam tam uerum Christi militem a multis annis extitisse, qui idem in rem Christianitatis praestitisset.

Ille

Ille autem rursus tibi capitaliter infensus est, appellasti enim tu quoq; eum uentosum nebulonem. Hic ne boni uiri, Euangelij nostri fructus est, qui uos inuicem exulceratos reddit, ac tumultus, conuitia, periurationes tantum operatur? Hæc ne fides uestra, quam unicam habere uultis? Hæc ne Christiana charitas, quam in triuijs passim iactatis? Ego me Hercle nihil hic Christiano, uel ne Ethnico quidem homine dignum reperio. Nullus tamen Tragœdiarum uestrarum finis adparet, imò magis magisq; turpiter uos datis cum illa uestra inconstantia ac leuitate histrionica ac scurrili. Mirum mihi me Hercle mi Luthere uidetur, q populus in Saxonia adeo aberrauit, ut quid credat, certo nesciat. Si tamē pressius mecum repeto, facile id exputare possum, nempe in procliui id esse, cum hæresium autor in errore uersetur, ut & discipuli hallucinentur. Perinde enim tibi contingit, ac illis, qui agrestes sectantur capreas, usq; eo em̄ aliquando ascendunt, ut tuto se non amplius recipere possint.

LVTHERVS. Propterea Paulus scribit ad Rom. iij. Per legem uenimus in cognitionem peccatorum. Peccata autem agnoscere, nihil aliud est, q̄ uera pœnitentia. Ad hæc opus est ac utile, ut concionis pars etiam de fide aliquid habeat, ita ut quilibet doleat, ac peccatorum suorum pœnitentiam agat, credat, ac fidat in deum, nec sibi peccata suis meritis, sed Christi uoluntate remitti speret. Cum uero penitus ac exterrita conscientia pacem, spem, ac gaudiū perceperit, audiens sibi peccata per Christum non proprijs meritis remitti, per fidem eorum deo iustificabitur.

IO. FABRI. Dijs sint gratiæ, q iterum in uiam redieris, prius enim hoc dictum semper de ueteri lege & alio uersus, quam in hanc partem abstraxisti, negare hoc, aut tergiuersari hic etiamsi rumparis non potes. Rom. 3. Per legē fit cognitio peccati.

De metu Dei populo prædicando. CAP. VII.

M. LVTHERVS.

Debent quoq; populum diligenter & accurate admonere, q ista fides stare non possit sine principali ac uera pœnitentia, pauore coram deo, quemadmodum scriptum est, c. x. Psalmo, & Ecclesiastici primo, Principium sapientiæ est timor Domini. Esaias etiā cap. ult. quem aspicit dn̄s, q̄ timens ac pœnitens cor? Hæc omnia sæpius repeti debent, ne homines falsam sibi persuasionem inducant, ac arbitrentur se credere, cū nihil minus faciant. Hijs bene cohæret, ut ostendatur, q tantum in fide esse possint illi, qui ueram pœnitētiam habeant, Cæterum quòd fides sine hijs sit tantum picturata, Vera enim fides in deo spem & gaudium adfert. Vbi enim timor ac pœnitentia non est, nunquam gaudium & spes esse potest, quemadmodū Christus ait Matthęi xi. Pauperibus Euangelium prædicabitur. Primariæ autem nostræ fidei portiones hæc duæ, pœnitentia ac fides, per quas consequimur peccatorum remissionem ac iustificationem apud deum, Ambæ enim in nobis crescere ac augeri debent.

D. IOAN. FABRI. In primis maxima me tenet admiratio, cur in rem præsentem adducas Ecclesiasticum, cum tamen hunc librum ueluti apo- Eccle. 1

cryphum è Republica tua iamdudum cieciſti, quamuis ab Eccleſia fue-rit approbatus. Cum uero nunc melioris ſententiæ ſis, ac recipias hunc librum ueluti locupletem, qui à principio de timore Domini loquitur, æquum eſt certe, ut eiuſdem caput decimumquintum quoq; approbes de libero arbitrio, ac in alijs compluribus locis ſcripturã non ita pro tuo arbitratu traducas. Nunc uero quæſo dic mihi, nunquid omnes dei ac Eccleſiæ traditiones aliorſum ſpectarunt, quàm ad dei cultum ac timorem. Cum Deus Opt. Max. per Moſen ac alios eundem timorem ubiq; lo-

Deut. 4 1.Reg.12. corum adduxerit, ac docuerit. Nam Deuteronomij quarto, uniuerſum populum conuocauit, dicens, deum eſſe timendum. Multa præterea in Biblijs reperiuntur, ad dei tantum timorem ſpectantia. Id ætatis enim quàm res proſpere ſucceſſerint, omnibus uel mediocriter in hijs libris

Exod.1 uerſatis ſatis ſuperq; conſtat. Hoc adparet ex Hebam, quæ noluit iuxta Pharaonis imperata, timens deum, infantes Iſraeliticos perimere. Sic

Thobiæ.1 Iob 28 Pſal. 110 quoq; in Thobia, Simone, Iob, ac alijs. Ita etiam Dauid, ac filius ſuus Salomon, concludunt, quòd principium ſit ſapientiæ timor domini. Hoc enim præceptum manſit iam inde ab ætate Adam ac Abel, ad tempora Ioannis & Chriſti, atq; adeo uſq; huc, donec per te ſublatum fuit apud nos quoq;. Tu enim cum libertate ac carnali ſpiritu ac peruerſo quidem tuo iudicio in lucem protuliſti abſconditam Chriſtianam ac ſanctam li-

Rom. 8 bertatem, Tu inquam, adulterina nota affeciſti Paulum, hoc eſt, iterum induiſti ſpiritum ſeruitutis cũ timore, quaſi ille ſic Timotheũ inſtituiſſet.

2.Tim.1 Hinc populares homines in timorem dei obiecerunt, cum lumen aſpectus noſtri extinctum, ac lampades euerſæ ſunt ardentes. Quod te fe-

Oſeæ 14 ciſſe, inficias ire non potes, proinde Hieruſalem Hieruſalem conuertere ad dominum deum tuum.

De bonis operibus, quę Lutherus deſpexit, quiq; ruſticos ſcriptis ſuis tumultuoſis contra principes ad prę-lium uocauerit. CAP. VIII.

M. LVTHERVS.

Tertia pars Chriſtianæ uitæ eſt, bona operari, utpote caſtũ eſſe, proximum diligere, eum adiuuare, non mentiri, non fallere, non furari, non occidere, non uindictæ cupidum eſſe, non propria ui ulciſci, &c. Propterea altera uice, ſemperq; Decalogus præceptorum Domini doceri debet, in quo omnia bona opera comprehenduntur.

D. IOAN. FABRI. Si te eo loci uenire contingeret, ubi doctrinæ tuæ non ſolum pudorem, ſed omnem bonam conſcientiam corruperunt, ac diceres, Chriſtianæ uitæ bonam particulam eſſe opera bona, quid te reſponſi accepturum credis? Mea ſententia, nihil aliud, q̃ quòd fidem uni-

Mat. 21 Mar.11 Diſcipuli Lutheri. cam ac ſolam ſufficere illi meæ aſſeclæ crederent. Sat eſt enim, ficum tantum uiridem, nec uero fructus ferre. Præterea dicerent illi tui LXXII. diſcipuli, te docuiſſe, unumquodq; bonum opus eſſe peccatum mortale, ac nunquid illos in Monaſticum habitum reducere uelles, iterum cu-

cullam

cullam induens, te interrogabunt. Nolumus, procul dubio inquient, inutilis est enim nobis, contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis. Quid tibi fiet rogo? Si hoc ausis, illi certe tui Epicurei de grege porci pedibus ac calcis te insultarent. Si quoque apud illos uel uerbum de castitate faceres, absque dubio caput tibi in Nicolaitarum conuenticulis, id est eorum schola colaphis ac fustibus tuber redderent, te enim non ita scripsisse (ut res sese ipsa habet) constanter affirmarent. Scripsisti autem, nullam duodecimum annum egressam, castam esse posse. Tu maritis commolitores allegasti quoque, tu unicuique duas sorores in matrimonium dedisti. Nec dissimile hijs est, quod tot uirginum deo sacratarum domicilijs uastitatem ac interitum attulisti. Si enim hæc omnia, ut certe facis, coram in re præsente sutore tuo existente, de quo sæpius mentionem honorificam fecisti, recineres ac reuocares, non mihi fit ambiguum, quin ille te nisi bene dedolatum, formisque petitum, non dimissurus sit. Venio ad Anabaptistas, hominum genus perniciosum. Quid illos tibi exprobraturos arbitraris eorum cauillationibus nefarijs instructos? Nihil aliud certe, quam hoc, Animo præsenti cogita, & expende tergiuersator nequissime, cur nunc uindictæ cupidus esse, ac ulcisci uetas, cum tamen libri tui nihil aliud redoleant, quam iras, minas, uindictas, ac conuitia. Si enim hæc demerentur, bona pars, imò pene totum perderent reliquum, adeo ubique tantum ex conuitijs amarulentis ac iocis procacibus constant egregij illi tui labores. Quid aliud, inquient, crepat iste liber, quem post conuentum Noribergen. effudisti, quam in principes non ferendas iniurias? Scribis enim, Non opus est oculis, uel asinus hoc facile perspiceret, quam illi cæcutiant, ac stupidi sint, Turpe & absurdum est, quod Cæsar, & Rom. Imperij principes ita aperte nugas agant. At longe turpius illud est, quod uno eodemque tempore contraria edicta publicant. Ad hæc Deus, ut satis mihi constat, noluit rem me habere cum prudentibus, uerum in fatis est, me a Germanicis bestijs occisum iri, non aliter huic cæde destinatum, ac si me lupi ac syluestres apri dilaniarent. Item postremo rogo omnes ueros Christi fideles, ut ipsi mea causa Deum orent, ut nos a talibus miseris exoculatis principibus, quibus nos haud dubie ipse in furore ac ira puniuit, liberet, ac missos faciat, Imo ne aduersus Turcas moueamus, aut auxilium præstemus, cum ipse Turca decies sapientior, ac melior sit nostris principibus. Quid enim talibus fatuis aduersus Turcam succedere posset ex benignitate diuina, cum nemo magis tentet ac despiciat Deum, quàm illi? Porro in libro, quem de rusticis scripsisti, hæc sunt: Districtus gladius uobis super ceruice pendet, attamen uos arbitramini, ita sellæ fortiter insidere, ut facile deijci non possitis. Quandoquidem enim uos huius iræ Dei causæ existitis, non dubito, quin ab hac immunes sitis futuri. Signa in coelo, ac miracula in terris portendunt uestrum interitum ac perniciem. Ego enim uobis dictum esse uelim, boni domini, quod Deus ita uelit, ne debeamus aut uelimus diutius uestram Tyrannidem ferre, ac deuorare.

Sap. 2

Porci Epicurei.

Nicolaitæ hæretici, de quibus Apoc. 2

Anabaptistæ.

Lutheri conuitia in principes.

Vos equidem mutari in aliam ſententiam opus eſt, uos inquam uerbo diuino locum dare oportet. Quòd ſi hæc omnia non efficient præſentes ruſtici, ab alijs certe non omittetur, etiamſi omnes illi a uobis ad internitionem uſq; fundantur, non tamen fuſi ſunt. Deus enim alios in uos excitabit, uult enim uos perire, et certe perietis. Non ſunt iſti ruſtici, chari Domini, qui uobis contrarij ſunt, Deus ipſe uobis contrarius eſt, uult enim inuiſere tyrannidē. Demum in alio libro, quē contra ruſticos ſcripſiſti, tibi plane diſſentis. Nolo inquis, principibus uetando eſſe, quo minus ruſticos puniant fundantq;, cum ſe prius benignos obtulerint de bono et ęquo, Etiamſi Euangeliū non ferunt, ſuo iure tamen hoc facere poſſunt, Quoniā ruſtici non amplius pro Euangelio pugnant, ſed aperte infidi, perfidi, periuri, nō dicto audientes, ſeditioſi, latrones, ſicarij, ac non timentes deum, eſſe cœperunt. Item alibi in eodem libro: Itaq; principes confidenter impreſſionē in eos facere debent, ac cum bona ac conſulta conſcientia fundere, occidere, dum quiſq; ſe mouere poteſt: præiudicium enim eſt, ruſticos eſſe malis conſcientijs, ac rem perperam gerere. Quicunq; uero e ruſticorū illorum numero ob hanc cauſam fuſus fuerit, corpore atq; anima in perpetuum diabolicæ peccati obnoxius erit. Principes uero bona conſcientia, ac bono iure facere poſſunt. Item tam mirabilis temporis nunc ſtatus eſt, ut principes cęde ac ſanguinis effuſione æternam ſalutem emereri poſſint, atq; adeo longe facilius, q̄ alij precibus ac orationibus ſuis. Quamobrem dilecti domini audite, hic propugnate, auxilium prǫſtate, miſeremini, miſeriæ populum cœſim punctimq; quilibet qui potis eſt, feriat. Si in hac pugna oppetieris, bene tibi erit, fœliciorem interitum nunquam conſequi poteris. Ecce Luthere, hæc atq; alia, quæ temporis ſpacio excluſus, adducere nolui: hæc inquam ſunt, quæ tibi in illa tua uiſitatione in os obijci poſſunt. Hæc tibi pauperes uiduæ ac miſeri pupilli occiſorū ruſticorū exprobrare reipſa queant, tu enim eos ad internitionem funditus duxiſti, illi nouiſſimo die in extremo iudicio te cædis ac eorum miſeri interitus arceſſent. Nūquid arbitraris ſanguinem Abel ſuper te non uociferaturum?

Rom. 14. Tu es, qui alienū iudicas ſeruū

Gen. 4

LVTHERVS. Iubete eos ad eam rem bona operari, ut non tam in commodum proximi, quàm q deus ita præcepit, cedant, Placent enim deo bona opera, ſed ita illi minus faciant, non diſpliceant, ut Micheæ ſexto ſcriptum eſt, O homo oſtendam tibi, quæ bona ſunt, & quæ deus à te requirit, nempe facere iuſtitiam, æquitati ſtudere, proximo bene uelle, & in timore coram deo ambulare. Primum præceptum Dei docet eum timere, Deus enim minatur illis, qui eum non timent. Deus etiam docet ſibi credere, in eum confidere, Pollicetur enim timentibus ſe, benigne facere, ob eam rem, q bona ſperent de eo ſibi euentura. Eſaias eē ſcribit, cui aſtipulatur Paulus i. Corinth. ij. Quod nullus oculus uidit, neq; auris audiuit, neq; ullius cor cogitauit, q deus eos deſtituerit, qui eum amant. Secundum præceptum docet, ne abutamur nomine diuino, hoc eſt, bene nomen domini uſurpare, eum inuocare in omnibus aduerſis,

Mat. 25

Eſa. 64

uersis, spiritalibus uel carnalibus, quemadmodum ipsemet præcepit in Psalmo xlix, Inuoca me in tempore necessitatum, ego eripiam te, tu autem laudabis me. In eodem Psalmo dicit dominus hoc esse rectum seruitium, quo sibi seruire possimus, si eum inuocemus, ac oremus, ut nos adiuuet, ac ob id sibi gratias & laudes dicamus ob sua beneficia. Mihi enim dicit dominus, tu debes me laudare. Item qui gratias offert, laudat me, quod ego usus sim, & ostendam illi fœlicitatem dei.

D. IOAN. FABRI. Si ita prius docuisses, mi Luthere, corporis atque animi uiribus tecum fecisse me persuasum habeas uelim. Si enim abusus Ecclesiasticos ac sacerdotes tantum attigisses, acerrimum opinionis tuæ ꝓpugnatorē me prǽstassem. Cum primū uero cœpisti a ueritate omniū ueterum ac Christianarum traditionum recedere, scilicet oppugnare Ecclesiæ mysteria, quæ sacramenta adpellamus, matrimonium conspurcare, neminem quenquam Sanctorum ab ascensu dominico esse in cœlis, asserere, atque alias huiusmodi notæ hæreses sexcentas prius sopitas, excitare, ac nouas pro libidine tua confingere, pro eo ac Christianum hominem par est, grauatim tuli: quin aduersus te pro fide Catholica in posterum omnes animi neruos extendam, quod me adhuc fecisse, nemini obscurum esse arbitror. Tu inquam iampridem prǽdicasti, bona opera esse nihili, perniciosa, ac peccata mortalia. Iam uero ediuerso nec quicquam audaculis illis tuis inculcare per æqua & iniqua adniteris. Doctrinæ enim tuæ non usque eo aridis illis allijs, cepis ac cucurbitis in Ægypto dissimiles sunt, &c. Num. 12

De ueris Christianis precibus, quas Lutherus pro nihilo duxit. CAP. IX.

LVTHERVS.

HOc in loco Parochi etiam debent populum adhortari ad preces, est enim huius legis adimpletio, orare, hoc est, Deum pro auxilio in omnibus aduersis implorare. Debent etiam plebem informare, ut intelligant, quid, quomodo, & quatenus orandum sit.

IOAN. FABRI. En iterum ad arcam reuerteris, non enim te clam est, quòd tu precationes eodem ordine habuisti, ac si Ethnicæ imprecationes ac diræ essent, ea ratione scilicet ductus, omnia fieri oportere, Proinde nullis precibus ac inuocationibus caueri posse. Hijs bene cohæret opinio asseclarum tuarū, qui ob eam rem preces ab eorum Republica excluserunt, quòd Christus semel exorasset omnia, quasi uero hominibus pro eorum salute deum inuocare non liceat, Qua causa orationes, preces, ac piæ rogationes e Germanico cœlo sublatę sunt, & cum puluere quidem, ut Plautus ait. Tuipse enim, ut ingenue fatear, si quis modo candor animi tui reliquus est, cogeris, Nam conscientia omniū splendidum hoc tuum facinus constrictum esse uides, Pauci enim multis ab hinc annis tuis perniciosissimis institutionibus edocti, uel unam atque alteram orationem Dominicam deo obtulere. Cum em̄ ꝑsuasionis

Mat.6 Catholicæ gratia Ergoram ad disputandum cum Oecolampadio (in
Lucæ 11. et 15 cuius domo certe exiguus splendet ignis, ut Græcorum prouerbium habet) uenissem, nullus sui ordinis unquam uel hiscere uisus est ad orandum. Ecquid uero hoc cum Euangelio, quod uestrum esse uultis tantum, consentiat, uestrum sit iudicium. Sed de hac re paucis diebus te per libellum huic rei destinatum, certiorem reddam.

LVTHERVS. In primis debent concionatores docere, quomodo deus ut oremus præceperit, Nam quemadmodum peccatum capitale est, occidere, ita nihil à deo precibus petere ac orare.

IOAN. FABRI. Ita me Deus amet, maximam occidendi ansam præbuisti, præterquam quod omnibus pene sceleribus fenestram aperueris, neque etiamsi ullum pudorem tanta temeritas tibi reliqui fecit, inficiari potes. Omnia quæcunque huc usque contra fidem orthodoxam docuisti uel scripsisti, etiamnum (cum infectum reddere nescimus) æquo animo ferre uellemus, si tu tantum districtum in ouile Christi ensem in uaginam recondere uelles, nunquam tamen desistes, nisi denuo sanguis super talos
Lutheri prophetia. tuos effluet. Ita enim scripsisti ad Germanicum tuum Abel, quod ex inuidia res hæc principium sumpserit, neque aliter, quam ex inuidia finiri posse, nusquam posse meliore loco fore rem, quam cum in sanguine ad genua usque ambula-
Mat.5 bimus. Forsitan hæc decerpsisti ex Euangelio Matthæi de colapho, pallio, ac mille passibus, &c.

LVTHERVS. Quo magis enim petemus, tanto magis dabit. De Magdalena enim sic dixit, Lucæ vij: Propterea multa sibi remittuntur, quod multa credidit ac sperauit.

IOAN. FABRI. Eo loci scripturam adulteratam reddidisti, prius enim tu tua barbara translatione ita reddidisti. Propterea multa sibi remittuntur peccata, multum enim amauit.

LVTHERVS. Quamobrem plebani, ut uocant, sic informare debent, ut ad preces fidem spectare intelligant, quod deus nos exaudire uelit, ut Iacobus dicit, cap. i. Orat in fide, & non ambiguus est.

IOAN. FABRI. Deo omnipotenti sint gratiæ, quod tandem aliquan-
In præfatione noui Testamenti. do Iacobi Epistola desijt esse straminea, uerum aurea, ac ex chalybe conflata esse cœpit. Prius enim scripsisti, eam esse nullius precij ac momenti, & ut tuis uerbis utar, stramineam adpellasti. Quandoquidem uero eam sic abiecisti, ac aperte contra Pauli doctrinam facere affirmasti, mirum & me Hercle mirum uidetur, cur eam nunc pro testimonio adducas. Proinde cætera quoque, quæ de confessione, unctione, ac alijs bonis operibus (ceu multis ab hinc annis, iam inde ab Apostolorum patrumque nos-
Iacob.5 strorum memoria obseruatum fuit) scribit, missa facere uelis oro.

De seruandis diebus festis, quanquam hij non in scripturis comprehenduntur. CAP. X.

LVTHERVS.


TErtium præceptum iubet dies festos sanctificandos, quanquam deus externas illas feriationes non præceperit, Quemadmodum Iudæis

Iudæis, ne illis diebus quicquam manuali opera exerceemus, nihilominus tamen obseruandi sunt et hij dies, ut audiamus uerbū dei, ac populus statum conueniendi tempus habeat.

IOAN. FABRI. Tertium hoc præceptū ambigue interpętaris, uel ex ueteri, uel nouo Testamento. Si em̄ ad uetus refers, dies Solis tibi in horologij morē remouendus est, ac suspendendus, Sabbatū enim Iudæorū hoc die celebratur. Sin uero ad nouū spectare uis, testimonio Euangelicę scripturæ fidem nobis facere debes. Quod si probare nescies, cantilenam ex Lutheri schola ꝓtulisti. Quicquid enim non aperte ac expresse in Euangelio habetur multis in locis, ueluti humanum, confictitium, ac inutile existimas, ac ludificaris. Quomodo igitur diem festum hunc constitues, scripturæ tibicinibus non suffultus? in synagoga enim uel phrontisterio tuo scripturas tantopere flagitant. Quamobrem negare nō potes (perinde ac de baptismo puerorū, qui iam inde a mille annis, ac ętate Apostolorum fere usurpatus fuit) quin eadem lege & dies Solis sanctificandus est. Verum non tantū hic dies, ac si scriptis inautoratus esset, sed per usitatā ordinationē obseruandus est, neq; ullis modis antiquari ac transmitti debet. Postremo reipsa nunc cōperis, primas tuas traditiones parū fructuosas, ob idq; sero quidē statū Reip. collapsum redintegrare das operam. Prius em̄ in ęditis per te libellis consuluisti, ut a prandio in diebus festis atq; adeo in sacrosancto illi Christianorum Sabbato laboribus ꝓphanis operam locare debeamus. Vt uero per seruos ac ancillas conductitias nuncium tibi remitti intellexisti, paulatim ad Ecclesiasticam obseruationē iterum oculum ac animum adiecisti: ita enim studijs diuersis existis, ut merito anceps ac uarius Lycurgus adpellari possis. Exod. 20 Deut. 5 Esaiæ 38.

De imꝓba Lutheri disputatione ad populū. CAP. XI. LVT.

NOn opus est, subtilius apud populum disserere de meritis, an hoc deus propter opera nostra det.

IO. FABRI. Multis, ut credam, nominibus inducor, nullum librum magis argutum ac Sophisticum abhinc centum annis in lucē prodijsse, q̄ hunc, quem aduersus Zuuinglium dedisti. Plures enim fallacię ac strophæ, neq; in Elenchis Aristotelicis, neq; usquam alibi, in Petro Hispano, Bricot, Tartareto, ac Marsilio continentur. Tu uero es ille, qui primum rude uulgus argutis dissertionibus induxisti. Satis superq; nobis fuissent duo libri Sancti Augustini, quibus fidem ac bona opera, nec non remissionē peccatorum ac merita nobis proponit. Nam quicquid semel chartis illeuisti, continuo (quod & ex usu tuo fuit) populo spectandum præbuisti. Quilibet enim temulentus in circo conclusit cum sui similibus, ubi nam, ac in quo gurgustio ac taberna uellent inter pocula Euangelium tuum eructare. Tu uero in pergula clanculum auscultasti, ac ueluti hiena uocem composuisti, simulac uultum ne Lutherus esse agnosceretis, maximāq; hinc uoluptatē cœpisti, q; nulla amplius mētio neq; de Cypriano, neq; Chrysostom. Nazianzeno, Hilario, Hierony. Gregorio, Ambrosio & Augustino fieret, sed de unico Luthero,

quasi

quasi ille nobis scribendo restituisset rem, ac eius Euangelicis traditioni-
bus, si dijs placet, Christianæ fidei rationes niterentur. Falleris mi Luthe
re extra iocum, diuersum enim nobis contigit ex tua peruersissima do-
ctrina. Quid enim ꝓfeceris ac promoueris, sole meridiano nunc clarius
Luc.1 uidere poteris, canticum enim illud D. Mariæ uerum est: Deposuit po-
tentes de sede, & exaltauit humiles. Imò ille dispersit superbos mente
1.Reg.17 cordis sui. Tu enim principio ueluti alter Goliath Philistęus cum ferrea
hasta in arenam descendisti, omnibus qui non tecum facerent, mortem
intentans, Ego uero instar Dauidis fundarius progrediens, impegi tibi
lapidem in perfrictam tuam frontem, ut pronus in terram caderes, atq;
adeo te proprio gladio iugulo, hoc est, tua doctrina mendacem te red-
do, ut illud Matthęi etiam impleretur: Ex sermone tuo iustificaberis,
Mat.12. atq; etiam condemnaberis.

De periculosa Lutheri disputatione in bona opera. CAP. XII.

LVTHERVS.



Ræter hæc omnia uociferantur quidam, bona opera nihil me-
reri apud deum, adeo ut longe satius fuisset, ut homines ad bo
na operanda compellerentur, q̄ ut acres illæ dissertiones obser
Exod.13 uarentur. Verum enim est, ꝙ deus propter promissionem suam magis
q̄ propter opera nostra benigne nobis facit: Opera tamen bona, sicuti
deus præcepit, sic fieri opus est.

IO. FABRI. Semper ita mi Luthere animatus fui, sed Islebius tuus
Ioan. Islebius Agricola. Spiræ in me nescio quid scripsit, cum ita publice in concione sensissem.
Omnia enim in unicam fidem bonus ille uir ponebat. Cum enim ego
Luc.7 Euangelium de D. Magdalena ad amorem ac bonorum operum ratio
nem interpretatus fuissem, perperam sentire me existimauit. Nunc uero
comperio, ꝙ ego quidem tuo iudicio non ab causa decidi, uerum litem
ac rem ipsam, de qua disceptamus, obtinui. Ad te uenio Luthere, si tu in
primis argutas illas disputationes missas fecisses, quas ut alij a te sic edo-
Catharinus. ęti omittant, Sero nunc quidem caues. Scis enim cum Catharino, Lato-
Latomus. mo, ac alijs disputando nunq̄ exputare potuisti, quod nunc tua uolun-
tate coactus, ut ille ait, agnoscis, ac liberaliter fateris, nunq̄ plebecula ru-
dis ac inepta eo erroris uenisset. Nemo enim homo e tuis extendit am-
Exod.17 plius brachia sua cum Mose, tundit pectus cum publicano, aut clamat
Luc.14. ad Christum propitiatorem, ueluti latro in cruce, non deniq; supplex
Act.7 ad genua prouoluitur, ueluti Stephanus ac Paulus, aliiq; innumeri: sed
Ephe.3 ita sibi persuasit, instinctu tuo, quodlibet bonum opus esse peccatū mor
tale. Te uero eius mali caput esse, multis rationibus probare possem, nisi
breuitati simul ac meæ modestiæ studerem. Interim tamen a te hoc sum-
ma animi mei solicitudine cōtendo aduelis ea consyderare Pauli uerba,
Epistola ad Rom. cap. iij. ad quod commentatus fueris, si tu id tempo-
ris æque ac nunc scripsisses esse tam bonum, iustum, ac honestum popu-
lum, ut astipulor ego quoq;, in centum annis nil opus fuisset alijs tuis
posterioribus scriptis. Atqui temerarius Monachus eras, audaciolus,

perinde

perinde ac si uinũ in te non bene deferbuisset, quod biberas. Plus æquo turpiter te dedisti, liceat enim mihi comparare te urso, qui luctatur tam diu, dum cathenam disrumpit, tandem sine delectu in omnes præcipiti furore fertur.

De peruersa iuuentutis educatione ac temeritate, ex Lutheri scriptis primum orta. CAP. XIII.

LVTHERVS.

IVuentus nullo unquam tempore magis audax fuit, q̃ nunc, sicuti omnibus planum est: neque audit parentes, neq; honorem eis habet. Hinc absq; dubio multæ plagæ, bella, seditiones ac alia mala in orbe terrarum orta sunt.

IOAN. FABRI. Hoc tam uere loquutus es, ac si angelus e cœlis ueniens, dixisset. Quis uero eius rei alius est fons, præter te? Tu enim magister eius improbitatis ac inobedientiæ extitisti. Proinde illi tui discipuli studuerunt, ut etiam magistrum superarent, aut me Hercle æquarent. Consydera sodes mi Luthere, quid a principio gesseris, q̃ tumultuosus, ac ueluti Cataphractus cum æquali tuo Hutteno impressionem feceris. Quid enim primum aliud in Dialogis uestris, q̃ uirus, conuitia, pestes, ac sesquipedalia uerba iactastis? Hic uester exercitus claris fustibus, furcis obarmatus erat, tanquam Iudæi in horto cum capto Christo illuderent. Tum Monachi sunt in exilium acti, uirgines deo sacræ, matrimonij inuolucro turpiter stupratæ sunt, ac nos denique sacrifici miseris modis accepti fuimus. Insigne enim nostræ religionis, rasuram arbitror, crinibus obduci iussisti, perinde ac si piaculare esset, sic incedere, ac sacerdotalem habitum penitus aboleri. Sed age mi Luthere, quære ex maioribus nostris, ac ipso Euangelio, nunquid tam ridicule, turpiter, obscœne, ac malitiose actum fuerit nobis, cum primum Euangelium doceri ac plantari cœperit. Proculdubio longe aliter reperies, ipse enim per te scis inconstantem illam tuam doctrinam nullius emolumenti esse. Proinde in uiam redi, ac deum Opt. Max. suppliciter ora, ut tibi hæc omnia condonet.

Hulderichus Huttenus.

De quarto præcepto, parentes, seniores, ac presbyteros esse honorandos. CAP. XIIII.

LVTHERVS.

AD hoc præceptum etiam spectat, ut maiores natu ueneremur, ac presbyteros, qui nobis dei uerbum docendo inseruiunt. Isti eñ ueri uerbi diuini ministri sunt, et per illos, ut Paulus scribit, prima ad Timoth. v. consequimur intellectum sacræ scripturæ. Seniores, qui bene nobis patrocinantur, duplici honore afficiendi sunt: præcipue uero, qui sese offerunt in uerbo ac doctrina.

IOANNES FABRI.

Hij non solum ad docendum ac prædicandum, uerumetiam ad dispensandum Sacramenta, aliasq; res sacras præfecti ac constituti sunt. Cohors uero tua inanis neminem presbyterum honorandum censet,

nisi eum, qui tuis perniciosissimis opinionibus sit imbutus, utpote qui carnibus non suo tempore uescatur, Pontificem proscindat conuitijs, ędes sacras demoliatur, donaria sublegat, imagines deijciat, ac plane nihil aliud quam seditiones classica publice in concione canat. Hæc enim si
Gen.37 non fecerit, perinde ac Ioseph a fratribus despicatur, ac ludibrio habetur. Aspice uero nunc labefactam nostram religionem tua authoritate, tu enim miseros sacerdotes de gradu deturbasti, tu dignitatem ademisti, tu honorem, quem eis nunc demum haberi uis, primum abiecisti.
Luc.6 Aspice nunc iterum uicissitudinem, ipsi te nunc cum tuis uenenatissimis doctrinis in exilium agent, ipsi asseclas tuos exterminabunt. Eadem em̃ mensura, qua tu eis mensus es, tibi metietur, & pœna suum tenet autorem.

De seditiosis traditionibus Lutheri aduersus potestates tam sęculares, q̃ Ecclesiasticos. CAP. XV.

LVTHERVS.

POtestatibus obediendum est: Paulus enim ad Rom. xiij. tres partes enumerat, quæ ad principes ac potestatẽ pertinent. Primum census omnem exactionem tam pecunię, q̃ laborum corporalium feramus. Secundum, timor, hoc est ut omnes ex animo timeamus, etiamsi principes nostram inobedientiam punire non possint, scire tamen debemus, deum a nobis ob hanc rem pœnas sumpturum, ipse enim nobis eas proposuit. Proinde semper a Deo seditiones punitæ sunt.

IOAN. FABRI. Age uerò mi Luthere, uideamus nunquid tu (cum certo constet, subditos in dominos exacerbatos ac exulceratos esse) culpandus sis. Antea tamen tibi tria exempla protuli, nunc tibi eiusdem tenoris etiam tria ob oculos ponam. Tu enim scripsisti in tertio libro de rusticis in hanc sententiam: Nolo equidem sequentes tyrannos hic armare, neq; eorum infamiã me Hercle laudo. Audio enim quosdam delicatulos truculentos esse in miseram plebeculam. Adeo enim sunt audaces ac magnanimi, ut si ciuitatem Babylonicam cepissent. Non uero illę puniuntur seditiones, ac plebem meliusculam reddunt, uerum furiosum eorum animum explent, ac in populo efferatum animum mitigant, quem forsitan longo tempore tulere, id temporis primum sequire occasionem desumentes, uerum breui ab hijs desistent, quæ nunc perpetrantur. Ille enim qui supra nos est, statim ueniet, ac illos inuiset, ita ut non illis succedat, quemadmodum arbitrantur, neque adhuc ex eorum sententia successit. Ad hæc in Sermone, quem habuisti de destructione Hierusalem, ita sentis: Deus hanc improbitatem inultam non sinet, neque ita diu continet. Euangelium em̃ adeo locuples doctum est, ut clarius, ac fidelius ab ætate Apostolorum prædicari non potuisset. Proinde Germaniæ non sic abibit, quod certe doleo: solo enim æquabitur. Principes enim tantum hoc ui uiribusq; pertendere uolunt plus æquo, Deo Opt. Max. barbã uellicantes, qui eos bene depexos ac decõptos dabit.

Hijs non

Hijs non discrepant ea, quæ nuper in Epistolam regis Angliæ commentatus es in hunc modum: Nonne ego rarus eques sum? Nam ab hinc mille annis neminē talem uixisse arbitror. At quid ita? Audi, tecūq; cogita, iā tres Pontifices, tot Cardinales, Reges, Principes, Episcopi, Presbyteri, Monachi, ac alij primates, doctores, ac pene totius orbis in unicum Lutheri sanguinem ueluti latrones, sicarij, prædones, ac carnifices conspirarunt. Item quidnam ego in principum aulis despicatus ambio, ubi certo constat, Sathanam principem locum obtinere? Ego Sathanam & immerito suo iustificabo quidem, ac Christum apud eum offendam, quamobrem non iniuria id præmij ab eo fero. Age nunc Luthere, ac ab integro in principum atrijs Ioannem Baptistam quære, credo te Mat. 11
eum repertum iri, &c. Nunc age mi Luthere, ingenue fatearis, nunquid tu huiusmodi seditionū caput extiteris. Tu operam dedisti a principio, ut nemo homo, præter te, aut reciperetur, aut audiretur tantum. Nihil tamen aliud docuisti, q̄ inobedientiam, seditiones, tumultus, ac alia, quæ Christianitati grauiter incommodant. Neq; etiamnum ferocientem illum tuum animum, uel (ut tuis uerbis utar) spiritum deponis tu, scelus sceleri addis, tu uitia uitijs cumulas, adeo ut unum aliud tundat. Hinc mihi nō fit uulgaris significatio, te a Sathana potius, q̄ a deo allegatum, ambulas enim in tenebris, ueluti Lemures ac Lamiæ.

LVTHERVS. Vt Christus ait Matthæi xxvi. Qui gladio pugnabit, gladio peribit.

IOAN. FABRI. Barbara illa tua translatio in nouum Testamentum ita sonat: Qui gladium accipiet, per gladium peribit. Illud uero parum me commouet, ni etiam & hoc in os tibi inconstantiam tuam desultoriam exprobrare uoluissem.

De iure Cæsareo ac humanis constitutionibus. CAP. XVI.

LVTHERVS.

Sciendum est, q; uti ciuili iure possimus, proinde eius cognitio non est inutilis.

IOAN. FABRI. Iterum excidisti a memoria mi Luthere, non enim eorum meministi, quæ prius quo iure, qua iniuria tuis asseclis inculcaueras, Nempe quod dixisti, ius ciuile antiquandum ac abolendum esse, posse enim facile quenquam suo arbitratu iudicare uel de quacunq; causa, arbitratus es, ac scripsisti publice, & docuisti. Quantum uero ipse colligo, aliter ac melius a D. Hieronymo Schurff institutus es, nihilominus tamen læsæ Cæsareæ Maiestatis reus perageris, Nam quod ita eum madensack, adpellaueris, ac quod ille te non bona fide a Vuormatia dimiserit, &c. accusaris, turpiter te dedisti. Huc etiam accedit, quod omnes conclusiones, quæ per Romani Imperij principes confectæ sunt, in publico conuentu temere uis cōuellere ac ludificari. Proinde mi Luthere recipe te ad meliorem mentem, desine tandem sacra prophanis commiscere, absiste Cæsarem Catholicum ac sacrosancti Romani Im-

perij proceres ludos facere. Quàm enim, tecum in animũ descendere potes, grauatim ad contumeliã adciperet gratiosissimus dñs meus Elector, si ego aut alius quisquam eum ita cõuitijs nobilitaremus, ac ita per totũ orbem omnibus deridendum propinaremus? Quamobrem quod tibi

Mat. 7 tuisq; fieri non uis, alijs non feceris. Redde deo, quæ sua sunt, Cæsari,

Marci 12. quæ sunt Cæsaris, &c.

Luc. 20. LVTHERVS. Moses præcepit, quemadmodum indicant libri Exodi, Leuitici, Numeri ac Deuteronomij, decimas tantum sacerdotibus deberi, Nos uero decimas dare tenemur hijs, quibus potestas nostra dari ordinauit. Moses scribit, q; primogenitus, uel maior natu filius duas partes hæreditatis cernere possit. Nos uero debemus diuidere hæreditates nostro iure. Moses quoq; docet Exodi xxij. ut fures ita puniantur, ut partim duplum, partim quadruplum reddant.

IOAN. FABRI. Quid tibi fiet mi Luthere, q; ita quęcunq; scribis, ad adulationem ac palpationẽ dirigis. Pro certo habes, q; in noua lege decimas tantum (quemadmodum iam inde ab initio Ecclesiæ per Pontifices, Concilia ac alios constitutum est) Eccesiasticis pertinent, non

Decretalium lib. 3 enim (quod tibi planum scio) titulus de decimis in Cæsareo, sed in Canonico iure inuenitur. Ad hæc q; laici ac sęculares nunquam decimas recepere, q̃ tempore Lateranẽ. Concilij, cũ sic per incredulos actum esset.

Exod. 22. Num. 18 Quæ, malum, autem est illa tua uersutia, q; non plena, quod dicitur, manu iterum populo proponis, decimas esse ex deo, ac propterea hijs, qui deo præ alijs addicti sunt, attinere tantum? Præter hoc, q; parochiales decimas offerre debeant, quemadmodũ Abel, ac alij in ueteri Testamen

Gen. 4 ro fecere pro cultu ac uictu parochorum. Quòd uero interea temporis decimæ in manus sęcularium peruenerint, cõiectandum est, iussu La

Conciliũ Lateranense. teranensis Concilij ita factum esse, q; illi eorum sanguine, ac oblatione bonorum has adepti fuerint, Proinde non sunt illis recipiendę. Verũ sic

1. Reg. 2. et 4 ambabus sellis insidere, ac instituere, quemadmodum Heli filium suum, non ex præceptis Euangelicis est. Quin rem ipsam edissere, nec id ætatis profectæ oleum in Ægyptum feras. Nosti ne, q; deus istorũ ossa disperget, qui hominum auribus seruiunt? Vt uero summatim dicam, nil tibi fidendum est, Tu enim ueterem obtines, neq; excutis unquam hanc opinionem, quam semel per æqua & iniqua informasti, Nempe in libro ad nobilitatem Germanicam sic scribis, Rem ex inuidia cœpisse, eamq; non aliter sopiri posse.

De antiquis ac prouintialibus constitutionibus. CAP. XVIII.

LVTHERVS.



Pud nos in huiuscemodi casibus iura prouintialia obseruari possunt: attamen pulchrum esset, ut cum delectu, neque ultra modum quicquam ageretur. Furta enim coërcenda sunt non nimis seuere, Sæpius enim usu uenit, ut leuissima quæq; furta perinde ac maxima puniantur.

D. Ioan.

D. IOAN. FABRI. Hic quidem non es Scotista. Scis enim Scotum suis scriptis uetare, ne quispiam suspendatur, sed ut conuersione ex autoritate legis Mosaicæ uiuat. Si nunc mi Luthere, sutor tuus tibi obuiam ueniret, quibus nam uerbis te cōpellaret? Hijs ego arbitror: O nefande Monache, ubi nam exprimitur in Euangelio, ut aliquis ob bona sæcularia necari possit? Atq; ita mea quidem sententia, te nisi bene dedolatum dimitteret. Scoti sententia Num. 22

LVTHERVS. Pacis seruandæ gratia ueteres consuetudines non sunt remouendæ, etiamsi sint graues.

IOAN. FABRI. Si ita sensisses ante sexennium, Germania pendere aliquot myriades aureorum deberet. Etiamnū enim multi boni ac simplices in rebus humanis existerent, quorum interitus tu, ita saluus sim, causa es ac caput. Quamobrem pœnitentiam, quam nunc demum recipis ac doces, merito exempli gratia proponere tibi, ac te sub crucē ac iugum domini dedere debes.

LVTHERVS. Maiores quoq; nostri, qui huiusmodi instituta tulerunt, compertum habuerunt, q̄ nostri homines ferocientes coërcendi sunt pœna.

IOAN. FABRI. Verum enimuero in Christiana illa tua libertate, in qua placentia dixisti, imò populo grauanti seueras institutiones placentulas pinsuisti, ut tibi alioquin leuiusculū deuincires, omnia ista procul ablegata sunt ultra Sauromatas ac oceanum glacialem, tu enim cuilibet ad suam libidinem uelificatus ēs, tu unicuiq; puluinum adornasti, in quē pro suo arbitratu incumberet. Debuisses uero libertatem Christianam ita docuisse, ut ad fructum ac utilitatem Christianitatis uergeret. Res autem huc adducta est, ut quilibet uestrorum ex Euangelio ad suum commodum decerpat, ac seligat. Quotusquisq; enim est, qui non secum faciens silentio prætereat? Exod. 30

LVTHERVS. Item omnibus potestatibus, non tam Christianis, q̄ Ethnicis obediendum est.

IOAN. FABRI. Quid autem te commouit, ut Cæsarem post consurrectionē principum a conuentu Imperiali, in quodam tuo classico adeo deriseris, ut non dubitaris de illo uulgatum illud ferre, ut ad gentiles ac agnatos deduceretur? Quid causæ fuit, cur deum precibus tuis obtunderes, ut principibus nostris meliorem mentem daret? Tum paulo post Ianum tuum aperuisti, hinc furor, ira, rabies, discordia, ipsæq; harpyiæ, ac furiæ infernales eruperunt, ac totum Christianum (dij meliora) orbem fere occuparunt.

LVTHERVS. Hoc propterea scripsi, q̄ esse quosdam uideo, qui contra communem prouinciarum ordinationem de censibus, uel decimis, de plectendis ac suspendendis furibus, ac alijs consimilibus uociferantur: ex parte enim seditio ante biennium orta hinc est. Isti uero nebulones, qui ita clamant, perinde ac seditiosi puniri debent. Hic rode digitos, ac caput scabe mi Luthere.

IOAN. FABRI. Amabo te mi Luthere, noli hic tergiuersari, noli in-

quam culpam in neminē alium transferre, q̄ ad te. Vis ut tibi adducam noctuam, quę dicat, tu tu fecisti, tu opam dedisti, tu tu culpa es, ut tot innocentes mactarentur quasi ad carnificinam? Si tibi non facio fidem, libros, doctrinas ac sermones reuolue, quæ ędidisti in publicum, hic procul dubio nihil aliud, quàm seditiones, tumultus, obscuras susfurationes, conuenticula, conspirationes obuia habebis, extare enim egregios illos tuos labores, ac etiamnum mentibus hominum pene recentes inhęrescere credo. Quōd enim coloni decimas grauatim ac ęgre reddunt, tu equidem authoritatem fecisti. Quōd etiam sæculares tantopere Ecclesiasticorum bonis inhient, negare non potes, quin per te factum sit: Hic enim Euangelij tui cardo uertitur, quod à te doctum est, ut Ecclesiarum bona diripiantur, ac in priuatam commoditatem uertantur, possessoribus legitimis exterminatis, ac in exilium actis. Compluribus enim in Germania locis, ex sacratis templis prophana latronum gurgustia, ac sordidas institorum tabernas reddidisti.

Esaiæ 56. Luc. 19

De censibus exoluendis. CAP. XIX.

LVTHERVS.

Census persoluēdos præcipit Lutherus.



Hoc in loco debent homines commoneri, ut census quos debent fideliter exoluant, etiamsi quidam contractus non admodum tolerabiles sint: omnibus tamen quod debetur, reddendum est, propter fidem suam ac obedientiam, qua principibus obnoxij sunt, ut communis prouinciæ concordia seruari possit. Quid enim aliud est, census ac debita nō uelle reddere, q̄ abiurare depositum, aperteq; & prædari, ac latrocinia exercere?

IOANNES FABRI.

Extra omne dubium alicui è tuorum numero de hordeo (ut Plautus ait) demptum, est, quōd coloni census abnegarunt, tuis monitis freti, aliter enim non ita scriberes, etiamsi res ipsa ita se habeat. Quid uero causæ est mi Luthere, cũ ius Canonicum combusseris, ac Scholasticos derideas, ut nunc de contractibus mentionem facias, qui fieri potest, ut scire possis, qui nam contractus mali, uel boni, aut æqui, uel iniqui sint? Imo est ne uspiam in Euangelio nomen contractus expressum? Desine mi Luthere, ne exulcereris tuos mercatores, quibus imponendis per fœnus, ac relegendis pecunijs institutiones tuæ multum commodantur. Antea enim eorum negociationes ac mercimoniorũ contractus ex concilijs ac traditionibus patrum nostrorum intra modum ac normam accipere coacti sunt. In censibus enim ac interesse, etc. perpeti ac ferre quasdam regulas de usuris astringebantur, tum in confessionibus ac mortis articulo, cum illis de lucro cessatis, damno emergēti dimidio iusti precij etiam actum fuit. Quamprimum uero hæc fugata sunt, ac ex hominum piorum corde deleta, eorum negociationes in uado esse cœperunt, tum miserum populum ita miseris modis acceperunt egregij illi Euangelij uenditatores, ut uix quispiam satrapa eorũ indicaturas ferre potuisset,

In mercatores.

nedum

nedum quispiam seruiliter opifex. Sed hijs hactenus, Fore enim tempus commodius mihi arbitror, quo illorum nequitias, suis, ut aiunt, coloribus depingam. Caeterum mi Luthere, fac iterum te sic a Cerdone tuo adoriri, καὶ βυρσοδεψικῶς μαλάττει, ut Aristophanes ait. Quid ne hic Luthere iuramenti commonefacis, cum prius edixeris, hominem Christianum iureiurando obstringi non debere? Quousque tandem nos ludos facis? Cur me ad census reddendos compellis? Vnde Euangelium, ubi scriptura, ut quotannis de centum florenis quinque reddere debeam? Forsitan Lucae. Sed non sexto capite. Quid tu hic cerdoni tuo? Vides enim, quantopere tibi intendat. Forsitan ita, aliter enim me Hercle non poteris: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. *Cerdo Germanicus.*

LVTHERVS.

Quemadmodum prima ad Corinthios undecimo capite scriptum est, Si plagam a deo acceperimus, corrigimur, ne in mundo condemnemur.

IOAN. FABRI. Quid iterum Orthodoxi exemplaris oblitus es mi Luthere? Non enim in memoria habes, quomodo in tua uernacula translatione uerteris, Si iudicamur per Dominum corrigimur, ne una cum mundo condemnemur. Vides quam bene tibi constes, quam paruo momento hinc inde hallucineris, etiam in tam familiari dicto, quod tibi semper in ore est.

LVTHERVS.

Itaque Petrus in prima sua Epistola, capite ultimo scribit, quod Diabolus circumambulet quemadmodum leo rugiens, cupiens aliquem dilaniare. Quamobrem nos semper in timore dei esse debemus, uigilantes ac orantes, ut Deus nos regat ac custodiat. Hoc enim uerum est fidei exercitium, certare precibus cum huiusmodi captatoribus. Nam Christus Lucae xxij. ait: Estote uigiles in omne tempus, ac oretis, &c.

IOAN. FABRI.

Hic equidem mentionem facis de dilaniatore leone, cum in uernacula tua translatione aliter, utpote de deuoratore dicas, quae non bene consentiunt, adeo ineptiarum tuarum obliuiosus existis.

LVTHERVS.

Hanc institutionem parochis proposuimus, ac eos admonuimus, ut praecipuas illas portiones rectę ac Christianę uitę, quas enumerauimus, nempe poenitentiam, fidem ac bona opera expresse ac fideliter ad populum referatur: alia uero multa intermittere, quae miserum uulgus non intelligit. *Praecipuae partes Christianae fidei.*

IOAN. FABRI. Non admodum hic inique sentis, sed uix posteris tuis recantationibus populum commouere, ut redeat in uiam, Allegandi enim sunt discipuli tui aliorsum quoque, ubi bonae operationes, ac poenitentia penitus interciderunt, ut ea iterum pro maiorum nostrorum pia obseruatione constituantur. Tu ipse quoque

 (si facti

(si facti te non poenitet) obire prouincias aliquas debes, quas credis persuasionem tuam imbuisse, ut eam excutiant, ac melius sentiant. Sed me Hercle, arbitror te nimis sero uenturũ, uulgus enim tantum sibi assumit, ut sibi inducat, plus in Euangelio uersatum esse, quàm Augustinum ac te, &c.

Opinio uulgi

De Christiano Baptismate. CAP. XX.

LVTHERVS.

Baptismus perinde obseruari debet, ac hactenus cõsuetum est, Nempe, ut infantes sacro lauacro abluantur, Quandoquidem Baptisma nil aliud designat, q̃ circumcisionem, Pueri uero circumcisi fuerunt, Consequitur ꝙ etiam pro Euangelica institutione baptisentur.

Gen. 17 Leuit. 12

IOAN. FABRI. Culpam non subterfugis, In causa enim es, ꝙ perniciosissimi illi homines, quos Anabaptistas adpellant, adeo radices egerũt. Mutasti eñ in Babylonica tua captiuitate, quod scis, formam Christiani ac ueri baptismi, aliasq; complures ansas dedisti perfido huic hominum generi, Anaptistas arbitror, quo hæresim suam grauissimam pestilentissimamq; uenditare posset. Quid tu illis circumcisionem obijcis, ꝙ in eius locum apud Christianos Baptismus successerit? Nescio uero, quid tibi illi respondeant, unde scriptura, unde scriptura? Aiunt enim, (quod negare nemo potest) circumcisionem tantum ad masculos spectasse, non uero ad foeminas, proinde masculi solum, non aũt mulieres, baptisandi forent. Quanq̃ ego & tu cõtra illos scripserimus ac p̃dicauerimus, arbitror tamẽ, nos uix fortius argumentũ habere, præter hoc, q̃d Origenes ac alij scribunt, Infantium baptismum iam inde ab ętate Apostolorum institutum, ac usitatum a Christianitate fuisse. Dici enim non potest, quantum mihi arrideat, quòd tu etiam hoc properare ac fundamentum hic ponere uidearis. Si enim ante decennium mi Luthere hoc pro tam Achilleo (ut Platonice loquar) argumento habuisses in infantium baptismate, nũquam res eo loci adducta fuisset, ut illi miseri Euangelium, ac Apostolorum patrumq; nostrorum decreta ita turpiter spreuissent, ac floccipenderent: tu enim ipse asseris, baptismum infantium plus q̃ mille annis obseruatum fuisse. Proinde idem religioni habendũ arbitraris, si nunc pro furiosorũ hominũ istorum libidine antiquetur, ac aboleatur. Ego uero (ut intelligas, quorsum spectet hæc mea Socratica inductio) ostendi, quod dies Paschatis, Solis quod Sabbatum est Christianum, quadragesimale ieiunium, extrema unctio, Ad hæc uetitis temporibus abstinere a carnibus, orare pro defunctis animabus, apud Christianos non tantum a mille annis, uerũ statim a temporibus Apostolorum inductum ac obseruatum fuit. Neq; ob id facile ab consuetudine recedere uolui, nihilominus per te ita despicati fuimus, ut Papistarum, non uero Christianorum nomine dignaremur. Atqui nunc ipse te paulatim recipis ab istis tuis exagitatis ac furiosis persuasionibus, quo nomine deo sint gratiæ. Verum quoq; Missæ sacrificium, quod a mille annis

Locis adnotatis supra.

Origenes homil. 4. super Iesum Naue.

nis sic ordinatum fuit, etiam inconcussum permanere uelis.

LVTHERVS. Populus etiam suo loco ac tempore admoneri debet, cum prædicatur de sacramentis.

IOAN. FABRI. Recte & hoc facis loco, & longe melius, q̄ quum de hac re ad regem Angliæ scripsisti, Aiebas enim, nullibi sacramentum ea significatione in Biblijs repertum iri, qua nos Ecclesiastici uteremur, neque extra unum habere uoluisti.

LVTHERVS. De Chrismate, seu unctione non est certandũ, uerum em̃ Chrisma, quo nos Christiani obungimur a deo, est spiritus sanctus. Ita enim legitur apud Esaiam, ac in Epistola Pauli ad Ephesios. Esa. 61

IOAN. FABRI. Non te latere arbitror, ꝙ etiam Chrisma statim ab ætate Apostolorum in Ecclesia Christiana obtineri cœpit. Quid uero causæ est, ꝙ eum rejcere, ac deturbare cupis, cum satis constet, discipulos etiam tum cum Christus uiueret, unxisse, proinde nemini dubiũ esse potest, quin inde ad nos peruenerit celebris ista obseruatio? Ephe. 1 Marc. 6

De uero corpore ac sanguine Christi in sacrosancto Eucharistiæ sacramento. CAP. XXI.

LVTHERVS.

DE uero corpore ac sanguine Iesu Christi saluatoris nostri populo hij tres articuli proponi debent. Primo, ut credant in pane uerum corpus Christi, & in uino uerum sanguinem Christi esse. Ita enim uerba Christi in Matthæo, Marco ac Luca habentur: Hoc est corpus meum, bibite ex illo, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis in remissionem peccatorum effundetur.

IOAN. FABRI. Quòd in pane uerum corpus Christi, ac in uino sanguis uerus sit, omnes qui orthodoxæ fidei sumus sectatores, indubie credimus: hoc tamen tibi non concedimus, ꝙ hic sit ac maneat panis ac uinum, Nullibi enim obuiũ habebis, neq; in Matthæo, Marco, neq; Luca, aut Paulo, ut hoc probare possis. Lucas enim, quemadmodum & tu adducis, dicit, ꝙ Christus dominus noster primo uinum porrexerit, hæc subjciens: Dico enim uobis, ꝙ non bibam de generatione uitis, donec regnum dei ueniet. Si uero uinum subsequutum est, ut tu dicis, tum figura ueteris Testamenti non adimpleta est, neq; Christus promissa fecit. Quamobrem ego sic ago, cum hic uerbi diuini efficacia sit, ac operetur, Ego enim principem locum Christo saluatori concedo, ac ei primas defero, & ꝙ panis assurgat, locumq; Christo præbeat, pro certo habeo. Mat. 26 Marc. 14 Luc. 22 1. Cor. 11

LVTHERVS. Paulus quoq; scribit in prima ad Corinthios, capite undecimo, Panem quem frangimus, esse partitionem corporis Christi.

IOAN. FABRI. Sanctus Paulus sic loquitur: Panem quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Tu uero aliter in barbara tua translatione, ac pro tui impulsu animi uertisti, oblitus tamen es, adeo nulla memoria præditus existis. Sed age fac ita eum de pane loqui, non tamen panis est, Sæpe enim scriptura rem non perinde ac est, 1. Cor. 10

sed ut

Regula scripturæ. Exod. 4 Ioan. 2 sed ut fuerit, significat ac denotat. Ita etiam agitur cum uirga Mosis, quæ nunc serpens erat, Ita in Chana Galileæ aqua adpellatur, cum iam bonũ uinum esset, Proinde panis pistoritius hic subintelligitur.

De ueterum doctrinis, num publicandæ sint, an concionandæ. CAP. XXII.

LVTHERVS.

Hilarius Pictauorũ Episcopus lib. 8. PArochi debent etiam ea legere, quæ ueteres scripserunt, quo facilius ac melius ipsi percipere, ac alios instituere possint. Hilarius enim scribit in octauo libro de sancta trinitate, non esse cuiquam dubitandum, ꝙ uerum corpus ac sanguis Christi sit, cum Christus ipsemet sic dixerit.

IO. FABRI. Hoc erat ante multos annos mihi in uotis, ut Hilarium aliosqꝫ Ecclesiasticos doctores abs te aliquo numero haberi intelligerẽ. Tu autem eorum dignitati illusisti, tu eos abiecisti in lacunas, tu eorum authoritatem infregisti, tu pedibus insultasti, conculcastiqꝫ. Quasi uero solum te spiritus sanctus illustrasset. Proinde certum scio, ꝙ illi sancti patres coram deo de te parum dextre sentire possint, male enim abs te audierunt. Quid, ꝙ etiam multis in locis eorum libros (non tamen adeo nequiter, ut Oecolampadius) inuertisti, ac adulterasti. Hijs etiam consentaneum est, ꝙ multa ex hijs excerpsisti, quæ postmodum tibi assignasti, atqꝫ ita, ut eos sua laude defraudaueris. Postremo, ut summatim dicam, adeo eos traduxisti passim, ut tuis libris, præcipue uero in assertionibus, ut inter parochos tuos (gaudeo enim mihi ualde) nunc Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Hilarium, Cyrillũ, Theophilum, Theophylactũ, Damascenũ, Bulgariũ, Ambrosium, Gregorium, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Tertullianũ, Irenæum, Ignatiũ, Dionysium, Clementẽ, aliosqꝫ iterum legere cœperunt: hac eñ re omnium maxime uidentur e Pharaonica illa seruitute in terram sanctam uenisse, ita eñ uerũ lac ac mel doctrinæ ex eorũ scriptis haurire potuerint. Nam tuæ traditiones nil aliud, q̃ uenenum, uirus, fel amarũ redolent ac sapiunt, ignem spirant, atqꝫ ut breuibus concludã, ipsam mortem in olla ex Aquilone feruescentem ebullierunt. In illis autem procul dubio reperient, ꝙ tu cum tua ementita superstitione multis parasangis ab eorum pręceptis ac institutionibus relinquaris. Præterea quod illi pręstantissimi scriptores lõgo cœli ac regionis interuallo dissiti, unanimiter tamen, & de maximis quidem nostræ orthodoxæ persuasionis articulis, conuenerint, senserint, reipsa, si bene excusserint, offendent ac reperient.

LVTHERVS. Ita uero cogitandum est, quod tantum miraculũ non fit meritis sacerdotis, sed ob eam rem, quod Christus sic præcepit ac uoluit, ut corpus suum coram præsens adsit, cum fit communio. Nam & sol quoqꝫ exoritur, non quod nos ita mereamur, sed ꝙ deus sic a principio ordinarit.

IOAN. FABRI. Quanquam hic recte sentias, Oecolampadius tamen

men tibi hoc non concesserit. Cum uero prius docuisti, quemlibet hominem Christianū, mulieres etiam posse Episcopali ac sacerdotio munere fungi: ac in consecrando longe aliter, q̄ nunc sentiebas, Gloria uero deo sit in excelsis, ꝙ in tam multis articulis iterum nobiscum facias. Confirma hoc deus, quod operatus es in nobis.

De uenerabili cōmunione sacrosancti sacramenti. CAP. XXIII.

LVTHERVS.

HÆc omnia debent q̄ fidelissime populo præponi, ad uitanda peccata. Sunt quoq; ad timorem dei, pœnitentiam, ac bonitatem alliciendi. Quamobrem illi quoq; ad sacramentū admitti non debent, qui apertis peccatis, adulterio scilicet & ebrietate, ac similibus iacent, neq; ab hijs absistunt.

IO. FABRI. Deo omnipotenti sint gratiæ, ꝙ particula tantum de Bulla cœnę domini iterū in lucē redijt. Scis Luthere, ꝙ ego ac alij omnes parochi per totum Germanicū orbem, in die Palmarū aliquot articulos ꝓ concione aptorū peccatorū ad populū ꝓposuimus, eosdēq; ex Paulo alijsq; scriptoribus correximus ac obiurgauimus, ne ad sacramentū adspirarēt, nisi egissent pœnitentiā. Habes q̄q; cōpertū, q̄modo homicidæ ac ꝓstitutę mulieres inductę fuerint ad remissionē peccatorū, & q̄modo exēpla in eos ędita sint, cū publica pœnitētia per manū Episcopi eis oblata est. Hęc etem̄ cōsuetudo ab ętate Apostolorū ad nos ꝑuenit, quā tu annos iam duodecim nescio quo abdidisti. Nunquid mi Luthere satius fuisset, templū dei antea ædificatū, missum fecisse, quam nunc demū tot animarum myriadibus misere perditis, ad hunc constituendū, animum adijcere? Consydera uero mi Luthere, an erigere possis, quod semel euulsisti. Vides enim, ꝙ nedum fidem, uerumetiam autoritatem ac dignitatem apud tuos sectatores, scis quos uelim, ꝑdideris, atq; adeo etiamsi nil me peius oderint, ob Catholicam fidem, eiusq; acerrimam ꝓpugnationem, possem tamen per totam Germaniā circumagi undiq; longe tutius, q̄ si tu tantum in ditionē naturalis tui domini Christiani ac generosi domini Comitis de Mansfelt uenires. Quidnam accipe uelis, ac id temporis Turegum ad elatū illum tuum discipulū Zuuinglium, quē nebulonem adpellas, concedere? Credo certe, non Persarum diuitias. Procul dubio enim uirgis ad palum cędereris. Nam ille bonus pastor similibus modis te acciperet, ac D. Balthasarem: adeo enim inuidus ac iracundus est Heluetius, ut pariter cum alijs sic egerit.

Bulla Cœnæ domini.

Rom. 1
Gal. 5

Comes de Mansfelt.

Quòd prius sacerdoti confitendum sit. CAP. XXIIII.

LVTHERVS.

AD secundum, nemo ad Sacramenti communionem admitti debet, nisi prius parochum suum conuenerit, Ille enim audire debet, an bene sit de sacramento instructus, ac si in alijs consilio suo uti possit.

D. IOAN. FABRI. Nunc dimittis seruum tuum domine, secundū uerbum tuum in pace, Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum, quod Luc. 2

præparasti ante faciem omnium populorum. Nunc,inquam,libenter extremum spiritum claudam meum, cum tamdiu uixi, dum pœnitentiam, timorem dei,ac sacerdotalem confessionem iterum in medium protuleris. Quanquam uenenum non bene ex ore tuo dilueris,restat adhuc bona pars,quam esse optarim etiam abiectam. Nam auricularis illa confessio etiamnum in prioribus labijs hæret, quam uelim ut etiam expueres:da autem operam,ut primo quoq; tempore fiat. Vt uero ad propositum redeam, nemo quisquam (ut recte arbitraris) ad sacramentũ admitti debet,nisi prius a suo parocho institutus sit. Hoc autem fieri debet occulte, ac non in propatulo,nec ita,ut decem uel uiginti nebulones temulenti secundum tuam traditionem conueniant, iuuenem quempiam parochum , qui eos absoluat, ac inde ad sacrosanctum Christianorum Manna ueluti porcos in uolutabrum dimittantur. Redi in uiam mi Luthere,quam prius præposuisti, nempe ad maximum Ecclesiæ thesaurũ, pœnitentiam arbitror. Aliter enim magis Oecolampadius, q̃ Lutherus uideris,scis enim,quid de hac re scripserit. Præterea quoq; fertur, te esse Ioannis Huss discipulum.

Confessio magnus thesaurus Ecclesiæ.

LVTHERVS. Post hæc docendum est, ꝙ tantum illi bene præparati ad Sacramentum sint,qui ueram suorum peccatorum pœnitentiam habent,ad hæc pauidas conscientias gerant:nam crudi ac metus Christiani expertes ad hoc accedere non debent.

IOAN. FABRI. Hæc forsitan docuit te D. Hieronymus municeps meus,ex Decreto ac decretalibus,Cap. Omnis utriusq; sexus de pœnitentia ac remissione. Innocentius autem tertius sic ei indidit. Antea enim in sexcentis locis aliter sensisti.

LVTHERVS. Scriptum enim est in prima ad Corinth.cap.xi. Hoc facite,ac q̃ sæpe facitis,in mei mentionem facite.

IOAN. FABRI. Si ego in uerbis essem digladiator,perinde ac Lutherus, merito meo dicere possem, mi Luthere , hoc non est in Paulo scri-
1.Cor.11 ptum : Das thut / so offt jrs thut. Paulus autem hijs utitur uerbis: So offt jrs trinckendt. Cum uero etiam sanctum nostrum tu oppressisti,ac iam contra Canonem sentis,in quo hæc habentur: Hoc quoties cunq; feceritis, Condonab[illegible]tur te hoc delicto.

Quænam in communione consyderanda sint. CAP. XXV.

LVTHERVS.



Ortem Christi tantũ consyderare, non solũ spectat ad historiã prædicandam, uerum etiam ob illam tremiscere debemus, ꝙ deus tantam iram ostendit contra peccata, ut proprium filium
Rom.8 suum ob hanc rem morti dederit. Nullus enim angelus, nullus Sanctus contra peccata satisfacere quiuit, Verum Christus, qui & ipse deus est, sese obtulit &c. O q̃ grauis pœna sup eos ueniet, qui existimant peccata tam leuia,cum deus adeo magna existimauerit.

Lutheri passio. IOAN. FABRI .Meministi ne etiamnũ mi Luthere,quamnam passionem ante octo annos prædicaueris? Gaudendum enim tibi , non flendum

dum censes. Hinc omnis pietas in illa magna septimana, quam uocant, excidit. Nam ita me deus saluum faciat, in hac re plurimum deliquisti, quod populum adeo ab omni pietate ac deuotione deploratione que corporis Christi in hoc sancto tempore abalienaueris. Scis etiam, quod exultauerint ac tripudiarint præ quadam inerti lætitia per id temporis, quod Christus eos ab omni mortis periculo liberauerit: quasi uero ille ideo pro peccatis nostris satisfecisset, ut nos tantū delitijs ac humanis uoluptatibus uacaremus. Nunc uero mi Luthere absiste, nec omitte hunc errorē, quem inseuisti in cordibus, delere ac iterum eradicare.

LVTHERVS. Ad hæc hominum animi non tantum ipsa communione sacramenti, uerumetiam per uerba, quæ ad hoc spectant, ad credendum commonefieri ac excitari debent. Nam in illis uerbis deus pollicetur remissionē peccatorum, Hoc est scilicet corpus meum, quod pro uobis tradetur. Item, hic est calix noui testamenti, hoc est, nouæ promissionis, nempe iustificationis, uitæ ac salutis sempiternę, in sanguine meo, qui pro multis effundetur in peccatorum remissionem. Mat.26 Mar.14 Luc.22

IOAN. FABRI. Mi Luthere grauatim fers, si quisquam tuis doctrinis contrarius est, Quomodo uero non hic te obiurgem, qui errorē ac schisma unum super aliud inferas? Ego crediderim facile, te uerba sacramenti plus quam millies aliter atque aliter reddidisse, Nūquam tamen etiamnum scopum attigisti, Hic enim loqueris, quod dixerit: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Verū in tua translatione Lucę xv. sic infers: Das ist mein leib/der für euch gegeben wirt. In ultimo uero libro cœnę domini, Das ist mein leib/der für euch gegeben. Erras autem, cū dicis: Hic est calix noui Testamenti, Nam neque Matthæus, neque Marcus, neque Lucas, aut Paulus ponit Testamentū in genitiuo. Quòd uero ipse quoque dixeris, hoc Testamentū in nominatiuo, testari possum cum tua translatione. Forsitan autē sic ex nostro Canone accepisti, proinde tibi indulgendum censeo. Quamobrem si non uis nos esse ueros ac germanos Euangelicæ messis messores tantum, quęso sine nos cum Moabitis spicilegium post demessas fruges facere in agro Boos, Si enī in thesaurum templi Hierosolymitani tantum ponere non possumus, ueluti principes, uolumus tamen cum uidua paupere duo æra minuta immittere. Ruth 2. & 3. Luc.21

De sacramento pœnitentiæ. CAP. XXVI.

LVTHERVS.

Pœnitentia etiam sacramento annumeratur, ideo quod omnia sacramenta pœnitentiam designent, Præterea ob alias causas, quas in præsenti recensere non est necesse.

IOAN. FABRI. Ego ex tuis uerbis conijcio, quod pœnitentia is est lapis, quem operarij reiecerunt, ille tamen factus est lapis angularis, Prius enim non tantum sacramenta ac pœnitentiā, uerumetiam, quod minus ferri debet, ipsum sacramenti nomen abiecisti ac exterminasti. Ita enim libri tui Babylonicę captiuitatis ostendūt, Nunc uero tandem aliquan- Psal.117 1.Pet.2

do in tua egregia illa uisitatione recinis, ac pœnitentiam reducis ad sacramentum hac ratione, quod omnia sacraměta pœnitentiã significant. Quandoquidem uero iterum Sophista redditus es, scire debes communem illam regulam in philosophia, quod de duobus bina, de tribus omnia dicantur, Cũ uero de omnibus dicitur, nõ pauciora esse possunt, quam tria. Quid uero uanissime ac hęreticissime Monache septem sacraměta e medio tulisti? Quid nunc doces in tua illa uisitatione, quod matrimonium non sit sacramentũ? Quid postmodũ tantum ad tria leuiter dilapsus es? Imo, ut uerius loquar, ad semitria ac duo, ac tandẽ, quod me maxime conturbat, ad unum etiam sacramentum peruenisti, Postremo nullum obseruare uoluisti. Arbitraris ne nos adeo esse obliuiosos, ut non etiamnum in memoria habeamus, quomodo in nos debacchatus sis? Coacti enim sumus, furori tuo locum dare aliquandiu, ex Ouidio edocti: Dum furor in cursu est, currenti cede furori. Perinde ac sanctus ille pater ac doctor Athanasius Episcopus Alexandrinus ab Arrianis uexatus, sex annis se in lacum Cisternæ contulit, ubi & Psalmum de trinitate exarauit. Nunc autem ex obscuro crepsimus, ueluti Ioannes ex solitudine, dictu riqꝫ sumus Herodi ac Herodiadi tuæ ueritatem, Proinde accinge te, cogeris enim uillicationis tuæ rationem reddere: proponemus enim tibi Babylonicam tuam turrim diuersarum doctrinarum, ac nullius certę opinionis. Velim tamen mi Luthere ex te expiscari, quænã alię rationes ac causæ essent, quas etiam de sacramento enumerare uis.

Lutherus sophista.

Athanasius Episcopus Alexandrinus sex annis latuit in lacu Cisternæ, ubi Psalmum de S. trinitate, Quicũqꝫ uult saluus esse, congessit. Eusebius li. x histo. Eccles. cap. 18.

Quod uera fides sine pœnitentia ac cordis contritione esse non potest. CAP. XXVII.

LVTHERVS.

Supra ostendimus, quod necesse sit, pœnitentiam prædicare, ac metus expertem populum corrigere, qui ita certe ex peruerso fidei intellectu fit, Multi enim sunt, qui cum audiuerunt, si crederent, omnia eis peccata esse abolita, fingunt sibi quandam fidem, ac arbitrantur se esse puros. Hinc temeritas ac securitas fidem suam desumit. Nam illa carnalis securitas longe peior est, quam omnia peccata, quæ antehac fuerunt.

D. IOAN. FABRI. Nos etiam ab ineunte ætate audiuimus, quod pœnitentia docenda ac prædicanda sit, ac quod dei non metuens uulgus corripi debeat. Quid uero tu designasti transfuga Iouiniane? Quid ferocienti equo frenum ita relaxasti, ut quocunqꝫ se in uiam dare potuerit, discipuli quoqꝫ illi tui, qui ex phrontisterio tuo prodierunt, sine omni metu ac reuerentia dei totum orbem Christianum infecerũt? Non autem aliter, ac eos instituisti, docuerunt, sed ne latum unguem quidem a tuis traditionibus discesserunt. Verum enimuero nolo tibi plus hic intendere, quam par est, Non enim parum abes in hoc puncto a regno dei.

Mat. 3. & 4.

LVTHERVS Quamobrem semper si de fide prædicatur, uulgus instituti debet, ubinam fides esse possit, ac quomodo ad eam perueniatur.

Vera

Vera fides enim esse non potest, ubi non est uera pœnitentia, ac uerus timor ac pauor coram deo.

D. IOAN. FABRI. Hæc certe ab hinc decem annis pro concione tua nō audita sunt. Discipuli enim tui interim dū de fide totos dies concionati, maximam fidei portionē reliquerunt, nempe pœnitentiam, ac metum dei, imo ne mentionem quidem fecerunt, sed penitus abiecerunt. Si enim quisquam de acri ac strenuo Christi iudicio uerba fecisset, ipsi in qualibet ciuitate uel oppido tantas dedissent turbas, multi enim inter illos, ne dicam omnes, Barrabam potius, q̄ Christum sequuntur, ut facile sedari non potuissent. Quæ tamen omnia a patribus nostris ex gratia dei omissa fuerunt: ipsi enim non seditiosos homines, sed pacatos sacerdotes plus q̄ ab annis M. D. Ecclesiæ præfecerunt. *Præcipua fidei portiones* *Luc.23.*

LVTHERVS. Deus enim apud Ezechielem sic loquitur, cap. iij. Si prædicator peccata eorum non corrigit, quos docet, q̄ ipse uelit illorū animas ab eius manibus reposcere. Hoc enim iudicium deus de prædicatoribus contulit, qui populum quidem bene consolantur, ac multa de fide ac peccatorum remissione loquuntur, ac differunt: sed de pœnitentia, timore dei, ac eiusdem iudicio ne mentionem quidem faciunt.

IOAN. FABRI. Denuo mi Luthere, in rotas Ezechielis impegisti, qui eadē sententia, cap. iij. ac xxxiij. loqtur. Sed tertio sic: Fili hominis speculatorē dedi te domui Israel, ut audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Si, dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertantur a uia sua impia, & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur. Sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & a uia sua impia, tu autem animam tuam liberasti. Sic uero xxxiij. Si speculator uiderit gladium uenientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, ueneritq; gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, audies ergo ex ore meo sermonē annūciabis eis ex me, &c. *Ezech.1. de rotis.*

Quando de abusibus uere ac recte sit prædicandum. CAP. XXVIII.

LVTHERVS.

SVper hæc aliaq; hijs similia sitæ fuerunt ueræ ac bonæ Indulgentiæ. Nam in qualibet indulgentia ac remissione duo comphenduntur, anima & crumena. Crumena, scilicet in indulgentijs q̄q; docuerunt pœnitentiam ac remissionem, Nam bona pars indulgentiarum, ac uerus annus Iubilæus hæc fuerunt. Quonam uero gentiū peruenerunt uestes auro illitæ tu? super hoc sub cruce sortem duxisti, ac penitus furcæ gladiatoriæ lusisti. Proinde anima interea temporis furcis gladiatoribus inambulauit, propter crumenam, in qua olim pecuniæ indulgentijs acceptæ, ac ex eadem expensæ fuerunt, Non in hunc usum, ut immanissimus Christiani nominis hostis auerteretur, sed in nescio *Iubilæus.* *Ioan.19*

quos luxus erogatę fuerint. Contra hos, inquã, abusus scripsisse te oportuit solum, quemadmodum D. Augustinus in xij. fecit. Non tamen propterea dignitates ac officia, in quibus perpetrati fuerunt, abolenda sunt.
Mat.13. Perinde enim fecisse debebas, ac Christus iubet, ut propter zizanias bo
Mat.21. num quoq; triticum euellere non debeamus. Christus quoq; abusum in templo uendendi & emendi per flagellum correxit, Non tamen illos
Mar.11 xxiiii. mille cantores, ac xxxii. Leuitas expulit, ac eiecit, neq; pro
Luc.19
Ioan.2 pterea templum ipsum demolitus est, aut arcam, tabernaculum, & uas
De cantoribus et Leuiticis. æreum corrupit, ac diffregit. Ipse etiam reperit adulteram, sed ob id non totum matrimonialē statum antiquauit, uerū mirifice eũ absoluit, ueluti
1.Paral.6.15 attestatur Euangeliũ. Porro quot maledicentiæ ac iræ in Episcopos ac
Neemiæ 11. sacerdotes profectæ sunt? Nihilominus tamē dominus noster saluator,
3.Esd.5 sic populum ac discipulos suos Matthęi xxiij. instituit, in Mosis cathedra sederunt scribæ & Pharisæi: quicquid autem uobis præceperint, hoc facite, hoc facite, inquam, sed secundum eorum opera non facite, ipsi enim dicunt, sed non faciunt, alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo ea non attingunt. Etiamsi quoq;, ut ad te redeam, tu ac alij Monachi peruersi ac maleuoli fueritis, non tamen ob hanc rem omnia Monasteria ab sæcularibus principibus assignari ut sua debent. Ego quoq; eiusmodi animi ac sententiæ sum, quæ non multũ ab Euangelio dissentit, Dico enim, q Christus noluerit propter unum tantum proditorem ac nebulonem cœtum Apostolorũ abijcere ac abolere. Accedit huc, q cæteri Aposto
Ioan.6.& 12 li quoq; propter Ananiam, Symonem, Alexandrum, ac Hymenęum,
1.Tim.12 aliosq; nunquam in animum induxerunt, uelle se officio ac fide abdicare. Quid, q tempore Hieronymi ob noxam unius peccatricis Susannæ, quæ uirgo deo sacra fuerat, non omnia Cœnobia deleta sunt? Ad hæc circa Bethleem unius Arrij culpa ideo nõ omnis sacerdotum religio la
Gen.18. befacta fuit. An nescis, q si deus decem tantum probos homines in Sodoma reperisset, uoluisse huic ciuitati parcere, ac benignitatē ac gratiam impartiri? Ita tu quoq; tot grauissimis exemplis instructus, facere debuisses, ut non propter maculas aliquas ac notas Christianorum, ac Ecclesiasticorum membrorum, uel sęculariũ, ita ac tantopere sęuires, ac in illa debacchareris. Nunquid ne arbitraris, q et ego meiq; similes multa quidem scribere haberemus, quæ primates ac alios sæculares pertingere possint? Non enim sunt admodum puri, ac a peccatis uacui, atq; adeo illi præcipue, quibus tu palpum obtrudis, quiq; e locis sacratis, utpote, Monasterijs, templis, ac alijs, stabula alta ferarum reddiderunt. Nolu
Rom.14. 15 mus tamen modestiæ ac prudentiæ fines prætergredi, quæ nos Paulus edocuit, Admonemus uero in fide infirmos ac uacillantes, illis etiã mansuetudinem spiritus ac pœnitentiam timoremq; dei proponemus, non perinde ac illi uitiligatores ac scurrę facientes, qui in quēpiam ueluti de curru conuitia iaciunt. Quamobrem bene Esaiæ prophetæ maledictio in te quadrat: Vę tibi qui uituperas, &c.

De uera

De uera pœnitentia, ac carnis mortificatione.. CAP. XXIX.

LVTHERVS.



Ales concionatores etiam reprehendit Hieremias, cap. vij. dicens, illis non esse credendum, qui clament, Pacem, pacem, Cũ tamen deus iratus, ac non uera pax sit.

IOAN. FABRI. Ita tu quidem fecisti Luthere: uociferatus enim es ab annis hinc duodecim, non esse ieiunandum, nec orandum, ꝙ a Christo satis ieiunatum ac oratum sit, Imo ꝙ ipse summatim pro nobis satis fecerit, quasi pax quidem esset, ut propheta ait. Verum perinde nobis illusisti, ac Iudas, qui saluatori prætextu amicitiæ, osculum maleuolentię dedit, ac eum interea temporis prodidit.

LVTHERVS. Ergo uera pœnitentia nihil aliud est, q̃ gemina cordis contritio ac dolor super peccata sua, ac ex animo terrefieri ob dei iram ac iudiciũ: hoc enim est pœnitere, ac peccata agnoscere. Item carnis mortificatio etiam pręcipuè pœnitentia adpellatur, adeo multis ac uarijs nominibus scriptura eam adpellat.

IOAN. FABRI. Eo loci sic loqueris, quemadmodum Caiphas cum suo uaticinio, Nescis enim, quid scribas, cum spiritus tibi manus dirigat, ut scribens manus apud Danielem prophetam infertur, antea enim nunquam hanc opinionem habuisti in scriptis ac dictis tuis. Quantumcunq; enim nos clamauerimus, Paulum docuisse mortificationem carnis non tam ad Romanos, q̃ ad Corinthios ac Colossenses, atq; adeo, ꝙ ipse corpus suum castigauerit, ac in seruitutem redegerit, sæpenumero demonstrauimus, Verũ surdis fabellam narrauimus, cum ꝓposuimus illis delicatulis ac Venereis nepotulis, ꝙ omnes maiores nostri a corporeis ac terrenis uoluptatibus, quoad eius fieri potuit, abstinuerint. Illi autẽ tui, quid dicam? sectatores perinde ac confictitium ac humanum repudiarunt, cum tamen ipsi nil neq; dicere, neq; facere pensi habeant. Tu enim eos sic sentire uoluisti, ipseq; in hac sententia uel imperterritus a quoq̃ Catholico perstitisti usq; huc. Tunc corpus uel sua sponte iners, ac quodam ueterno ac socordia captum, noluit amplius ieiunare, ad matutinas preces surgere, ac alia consueta perpetrare, sed perinde ac sus in uolutabro, maleq; olenti ceno iacuit, non amplius rationi ueluti aurigæ obediens, ac morigerum. Hæc omnia scelera per te quidem hominũ resides ac desidiosos animos occuparunt, atq; adeo ut sibi persuadeant, Christum sua morte nos non tantum a peccatis, uerum etiam omnibus periculis ac tentationibus liberasse. Hac, inquã, fenestra patefacta, Eberhardus ex ordine S. Francisci, F. Brunco ex Carthusia, P. Stephanus ex S. Benedicti antro, F. Nicolaus ex solitudine, ac deniq; F. Bernardus ex Cistertio profugerunt, ac sese summa cum animi solicitudine in pedes dederunt. Qua ratione carnis attentationibus nil magis gratum facere potuissent.

Rom. 8
2. Cor. 6
Colos. 3

LVTHERVS. Pueri ac infantes instituendi sunt ad serperastrum, rudes uero, ut intelligant, quid sit pœnitentia, communi omnium consensu

edoceri debent. Corrigi debent quoque ebrietas, impudicitia, inuidia, odium, auaritia, mendacium, ac alia huiuscemodi: populus ad pœnitentiam prouocetur, ac metu iræ ac iudicij dei a peccando absterreatur.

IOAN. FABRI. Hoc etenim mihi arridet etiam: nam præ omnibus mendacia caueri debent. Poëtastri enim tui, ac tu quoque tam multa in Euangelium ingessistis, q̃ nunq̃ etiam adhuc uiuentibus Apostolis ac discipulis Christi perpetrata fuerunt. Nil enim intentatum ac inconcussum reliquistis, quo uestris fictionibus ac commentis, phaleratis persuasionibus miserum uulgus uobis deuinciretis. Ad hæc credo absq; omni dubio, q hos decem annos perpetuos plus mendaciorum in Germanica natione per te tuiq; similes accreuit, q̃ antea ullo unq̃ sæculo.

De confessione secreta. CAP. XXX.

LVTHERVS.

Pontificalis confessio non est demandata, nempe ut omnia peccata recenseantur: quod fieri non potest, quemadmodum in Psalmo xix. Quis attendit multitudinem? munda me a secretis. Quamobrem populus admonendus est multis de causis ad confitendum, præcipue uero propter ebrietatem, in qua re consilio indiget, hæc enim eum ut cum maxime impedit.

IOAN. FABRI. Auricularis, ac quam uocant sacerdotiam, confessio, iam inde ab ætate Apostolorum in Ecclesia uniuersali durauit, ea lege, ut quilibet omnia peccata, quæ in memoria habeat, in primis Deo ac eius uicario sacerdoti confiteatur: nam de hijs, quorũ oblitus est, communiter se obtulit. Tu uero tam multis annis cum confessione lusisti, ut eam multis exosam reddideris, Quanquam interdum magnum thesaurum adpellaueris in Ecclesia, neq; ex eadem tollendam, sicuti Oecolampadius docuit, consuluisti. Verũ quomodo interea temporis dum tu ita in nos destomacharis, actum esse cũ pœnitentia, contritione cordis, metu dei arbitraris? Nihil enim horum apud uos, ac ne uestigium quidem extat. Coniectari enim non possum, an ab aliquot annis tu quoq; confessus sacerdoti fueris, nisi semel aut iterum in angulo in morem Iudæorum ad orientem aspexeris.

LVTHERVS. Nemo quoq; ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum admittendus est, nisi qui prius parochum super hac re consuluerit, nunquid aptus ac dignus ad hoc esse possit. Paulus enim scribit, q illi in culpa sint corporis & sanguinis Christi, qui indigne ac irreuerenter accipiunt.

IOAN. FABRI. Hæc omnia prius pie iuxta ac diligenter in Ecclesia obseruata sunt, quam tu uexasti miris modis. An uero tam in procliui tibi sit, templum dei ædificare, ac demolitus es, libenter quidem uidero. Spero enim confore, ut opus sit diligentiore ac maiore uisitatione. Nam quilibet posset unius horæ spacio ciuitatem igne aut alia re delere, quam non multis temporibus restituere posset.

LVTHERVS. Itaq; hij non solum iuramentum dehonorant, qui indigne

digne adcipiunt, uerumetiam hij quoq;, qui dedita opera negligenter porrigunt. Communis enim populus ex consuetudine ad sacramentum adcurrit, neq; scit in quem usum, aut quorsum spectet.

IOAN. FABRI. Anteaquam tu prodijsti, plane ordinate ac bene constituimus super hijs rebus, ut quęnam uitatu uel petitu digna essent, sciremus. Tu uero cum tuo nebulonum manipulo, aciem nostram ex insidijs male infregisti.

LVTHERVS. Qui uero hæc nesciuerit, ad sacramentum adspirare non ausit: populus tamen hac auscultatione pręmissa, ad confitendum quoq; commoueri debet, ut errores ac conscientiarum scrupuli eximantur, speq; erigantur, ac contritione cordis ac pœnitentia, si absolutionē peccatorum subodorati fuerint.

IOAN. FABRI. Bene quidem egisses, si maturius tuos uisitatores, ut prouinciam obirēt suam amandasses: credo enim nunc nimis sero fieri, ac post festū, quod dici solet. Libenter tamen uidebo, si hoc pertendere possis, quod in animum induxisti tuū, cum uicini proximi tui male de te existiment: arbitrati enim sunt, non opus fore in posterum confessione, neq; census ac decimas esse reddendas putauerunt, aliter enim eis doctrinæ tuæ nō tam suaues ac gratæ fuissent, Proinde teipsum quoq; in exilium agent. Quid enim aliud mercedis pro tuo phalarismo expectasti?

LVTHERVS. Satisfactio pro peccatis non sunt opera nostra, Christus enim solus pro peccatis nostris satisfecit.

IOAN. FABRI. Tu antea Luthere multa de satisfactione hinc inde scripsisti, quasi illa esset a Scholasticis excogitata, ac conficta. Scis autem, ꝗ sanctos ac doctos illos homines iniuria affeceris, quam olim tecum expostulabunt. Tertullianus enim ac Cyprianus, qui ante M. CC. annos uixerunt, satisfactionis mentionem faciunt plus ꝗ̄ centies, atq; de eadem æque ac Scholastici loquuti sunt.

LVTHERVS. Velim parochos hic esse commonitos, ut ipsi porro maiore diligentia ac cura cæteros instruere possint de necessarijs articulis, Nempe Christiana pœnitentia, ut supra, fide, bonis operibus, metu dei, ac precibus, atque adeo, ne populus deum conuitijs ac periurijs lacessat: uerum parentibus honorem habeat, liberos quoq; honeste tollat, potestatem reuereatur, nec odio aut inuidia quenquam prosequatur, deniq; neminem lædat, aut interficiat, caste ac morate in matrimonio uiuat, nec aliena cupiat, uel furetur, postremo ne inebrietur, mentiatur, neminem uituperet, &c̄.

D. IOAN. FABRI. Hic uere Christus resurrexit a mortuis, qui longo ab hinc tempore sepultus ac abditus fuit, Deo sit laus & gloria in perpetuum, Amen.

LVTHERVS. Debet quoq; populus erudiri, ut de istis Ecclesiasticis ordinationibus discrete loquatur. Sunt enim quædam ceremoniæ institutæ, pacis ac ordinationis causa, ut ait sanctus Paulus, i. ad Corint. cap. xiiij. ꝗ omnia in Ecclesia ordinate fiant.

D. IOAN. FABRI. Et hoc fuerat nostrum quoq; consilium, ita patrũ nostrorum memoria obseruatum fuit, usq; dum tua cum efferuescente olla ex Aquilone prodijt uersutia.

De ferijs secundum laudatam consuetudinem obseruandis. CAP. XXXI.

LVTHERVS.

Proinde dies festi, utpute dies solis, qui Christianorum sabbatum est, alij secundum cuiuscunq; parochi consuetudinem obseruentur: debent enim quędam tempora, quibus populi conuenire possint ad audiendum uerbum dei, constitui.

IOAN. FABRI. Quòd tot feriæ a maioribus nostris non institutæ, receptæ fuerint, nunquam probaui. Quare in Ratisponeñ. reformatione operam dedi, inter alia quæ hic acta fuere, ut quædam festa loco mouerentur, non tamen ita, ut tu cœperas, q̃ sabbatum nostrum, ac alia festa abolerentur, Displicuit enim hoc semper mihi, & præcipue q̃ has ferias, quæ retroactis mille annis in Ecclesia ordinatæ fuerunt, conuellere adnixus es.

LVTHERVS. Parochi quoq; non debent rixari ob id, si quispiam feriaretur, alter uero non. Quilibet autem pacate ex sua consuetudine uiuat, non tamen q̃ omnes feriationes antiquare uelit. Bonũ quoq; esset, ut omnes unanimiter feriaremur Sabbato nostro, die Annunciationis, Visitationis, & Purificationis beatæ Mariæ uirginis. Item S. Ioannis Baptistæ, Michaëlis, Apostolorum diebus, Magdalenæ, nisi hæc festa penitus obliterata fuerint, neq; amplius commode restitui possint. Præ omnibus tamen obseruari debet, Natalis Domini, dies Circumcisionis, Epiphanię, Pascha, Ascensio, & Penthecostes.

De assumptione beatæ Mariæ uirginis.

D. IOAN. FABRI. Hoc loco festum D. Michaëlis recenses, interea uero temporis Assumptionis beatæ Mariæ uirginis diem festum omittis. Credo enim te etiamnum in ueteri tua opinione ac hæresi persistere, Nempe q̃ deipera uirgo non in cœlis sit, uerum dormiat corpore atq; anima, usq; dum dies nouissimus uenerit: aut ea ratione potius, q̃ nulla de morte beatæ Mariæ uirginis in Euangelio fiat mentio, quasi ideo in cœlum non uenerit, ac etiamnum nescio ubi terrarum filij sui dilectissimi iudicium moretur. Quid causæ est mi Luthere, q̃ strennuum illum militem ac martyrem S. Stephanum, ex illorum, quos enumerasti, numero remouisti? Quid S. Laurentium, aliosq;, quorum festa iam inde M. C C. annis pie obseruata fuerunt? Cum tamen in illo libello, quem de sacrificio Missæ inscripsisti, plures sanctorum ferias esse retinendas censeres. Verum enimuero mi Luthere, quid est, cur D. Michaëlis diem ita obseruari cupis, cum tamen respectum dierum haberi nolis? Quomodo mi Luthere ex Euangelio testari poteris, q̃ ille in Gargaris adparuerit? Imo potius quomodo Magdalenæ festum ex Marsilia, ac alia id generis sexcenta discipulis tuis persuadere poteris? Discipulos tuos hic nomino, apud me enim, aliosq; orthodoxos, non opus est multis probationibus,

bus, nostra enim sponte, ut credamus, inducimur, credimus enim Ecclesiae, alijsque spectatae fidei historijs, etiamsi non in Biblijs contineantur.

LVTHERVS. Nō possunt oēs Euāgelij partes una uice doceri, quamobrem eiusmodi doctrinae in annum diuisae sunt, ueluti in scholis una die Virgilius, altera Homerus profitetur. Ad haec in septimana ante Pascha debent consuetae feriae obseruari, in quibus Passio domini praedicetur, Non uero necesse est, antiquas illas consuetudines mutari ac alienari.

IOAN. FABRI. Si haec docuisses antea M. Luthere, non tot farcimina ac porcellos absumpsissemus, quos tui discipuli in sancta illa Hebdomada deglutierunt, ac ingurgitauerunt, Raro enim Passionis dominicae sibi in mentem uenit.

LVTHERVS. Paulus enim ait in prima ad Corinth. cap. xiij. Si enim ego fidem haberem, ut montes dissecare possem, non uero diligerem, nihil est.

IOAN. FABRI. Ab integro M. Luthere, Pauli exemplar falsum reddidisti, tu enim uerbum omisisti: Si omnem em̄, inquit, fidem haberem. Hęc & multa alia omnia pro tuo arbitratu tu omisisti, quasi uero huc non spectarent. 1. Cor. 13

De Latino & uernaculo Missae sacrificio. CAP. XXXII.

LVTHERVS.

QVidam Latine, quidam uero Germanice Missas celebrant, quę nos paruo in discrimine ponimus: attamen utile ac bonum uidetur, ut ibi uernaculae Missae habeantur, ubi populus maxima ex parte Latinae linguae expers est.

IOAN. FABRI. Age uade dic haec Argentineñ. ac Franckfordianis, ac alijs similibus.

LVTHERVS. In magnis illis festiuitatibus, Natalis scilicet dominici, Ascensionis, Penthecostes ac alijs pariter, non inutile uidetur, si quędam cantilenę Latinę ex scripturis decerptae, decantarentur: absurdum enim est, semper eandē cantilenam recinere. Etiamsi quidam uernaculas componāt cantiones, nemo tamen sibi tantum assumat, sine singulari gratia.

IOAN. FABRI. Tu prius poëtas prouocasti, ut hymnos componerent, ac illos reiecisti, quos a mille annis Ecclesia pie obseruauit, cum tamen per totam Christianitatem, ac omnes regiones Ecclesiasticos certo illos usurpari, compertum habeas, Proinde bene potuisses cum Ecclesię decretis ac obseruationibus stetisse, noluisti tamen. Ea es em̄ arrogantia ac humanae gloriolae cupiditate praeditus, ut ad nouum quendam Pontificatum obrepere tibi proposueris, nulla alia ratione, q̄ ut publice feratur, Lutherum quendam desertorē ordinis haec designasse. Perinde enim tibi immortalitatem affectare uoluisti, ac ille, qui templū Ephesiae Dianae inflammauit, ac incendit.

De honorificatione ac inuocatione Sanctorum. CAP. XXXIII.

Lutherus

LVTHERVS.

QVamuis nunc ſæpe dictum fuerit, quaſdam feriationes eſſe cuſtodiendas, ob id ut populus hoc tempore diſcere ac edoceri poſſit: nolumus tamen, hoc ſpectare ad ſanctorũ inuocationẽ, aut honorem. Nam Chriſtus ſolus eſt mediator ac aduocatus, quemadmodũ Ioannes in Epiſtola, ac Paulus ad Rom. viij. docet.

D. IO. FABRI. Bene tibi conſtare arbitror, ꝙ in decalogi præceptorum domini enarratione, inuocationem ſanctorum ex ſacris literis probaueris, Pighardos enim propterea hæreticiſmi inſimulaſti, ꝙ non ita ſentiant. Ad hæc paucis ab hinc annis ſcripſiſti de moriente homine, ꝙ unuſquiſꝗ debeat inuocare Mariam uirginem, ſuum bonum Genium, ac ipſos quoꝗ Apoſtolos, &c. Quid uero nũc hoc controuerſum facis?

LVTHERVS Hac autem re bene & recte ſanctis honos habetur, ꝙ ſciamus eos nobis ueluti ſpeculum ac exemplar diuinæ gratiæ ac miſericordiæ eſſe propoſitos. Nam Petrus, Paulus, ac alij, noſtræ carnis, ſanguinis, ac fragilitatis, ex diuina benignitate per fidem iuſtificati ſunt.

IOAN. FABRI. Quid de Petro hic, cum neſcias, ubi mortuus ſit, Romæ ne, an alibi terrarum? Imo quoꝗ dubites, ubinam locorum Paulus extremum clauſerit diem, ea enim ſolummodo credis, quæ in Biblijs habentur: alia uero floccipendis, ac ne huius quidẽ facis. Quod dicis eos eſſe ſaluos, aſtipulor, ac credo. In ſermone autem de homine opulento, eos nondum eſſe ſaluos aſſeruiſti. Quæ, malum, ergo eſt illa tua deſultoria leuitas, quæ nuſquam ſibi conſtat, ac conſentit?

LVTHERVS. Sanctorum honorificatio etiam in hoc ſita eſt, ꝙ nos in fide ac bonis operibus exerceamus, ac creſcamus, Quemadmodum ab illis factum audiuimus, ac quotidie uidimus.

IOAN. FABRI. Ne uiuam, ſi non libenter me in officina tua aliquo in angulum abdere uelim, ut audire poſſem, quid diſcipuli tui te ita docente dicturi eſſent. Ego crediderim te ab ordinum deſertoribus Monachis cum ſandalijs ac cucullis ita circumueniri, ut facile cũ illis pro tua leuitate in alia omnia ires.

LVTHERVS. Quamobrem homines exemplis ſanctorum ad fidem ac bona opera excitari debent, ut ad Hebræos ſcriptum eſt, cap. xiij. in memoriam reuocare ueſtros maiores, qui uobis uerbum dei prædicauerunt, quorum euentum conſyderate, ac ſequimini eorum fidem.

IOAN. FABRI. Si ea reſpicimus, quæ S. Auguſtinus ac Ambroſius in ſanctorũ feſtis docuerunt, eadem pariter reperimus, Tu autẽ hæc exterminaſti ex tua illa egregia Repub. quam tibijpſi confinxiſti, ob eam rem maxime, ꝙ in Euangelio non contineantur. Nam cum in Euangelicis ſcriptis non ſtatim obuium habuiſti de morte S. Thomæ ac Bartholomæi Apoſtolorum, recta ab Eccleſia uniuerſali diſceſſiſti, ac eorũ feſtiuitates aboleuiſti. Quanꝗ multorũ aliorũ patrũ D. Hieronymus, utpote Antonij, Malchi, &c. in libro, quem huic rei nominatim dedit, honorificam mentionem cum ſumma meritorũ ſuorum erga ſanctam ac Ca-

tholicam

tholicam Ecclesiam testificatione fecerit, induci tamen nullis rationibus ac persuaderi potuisti.

De causis matrimonialibus, ac gradibus consanguinitatis ac affinitatis. CAP. XXXIIII.

LVTHERVS.

PArochi in matrimonialibus causis ac gradibus, qui ad affinitatem ac huiusmodi spectant, caute ac prudenter agere ac docere debent. Nam, ut Paulus nos ad Galatas docet, non licet ex Christiana libertate quemlibet suam libidinem ac curiositatem hic experiri ac explere, uerum potius debet bona ac libera conscientia uiuere, ad commodandum proximo suo.

IOAN. FABRI. Scire uelim ex te mi Luthere, quid, quomodo, aut quatenus agerent egregij illi tui parochi, si gradus consanguinitatis aut affinitatis populo proponerent, nũquid ex ueteri uel nouo Testamento illos obseruari liceret per illos? Si autem eos ad uetus instrumentum relegas, Leuitici cap. xviij. dicas mihi uelim, ubi nam tibi in Euangelio noui Testamenti copia detur, ut hæc perpetrare possis? Cum uero uideris cum xviij. capitulo Leuitici facere, uelim te quoq; ad sequentia ac priora respectum habere. Nam quemadmodum Moses loquutus est, hæc sunt iudicia ac ceremoniæ dei, ita etiam de alijs multis comparibus pręceptis postea loquitur. Ergo ne Moses nunc demum in mediũ prodijt tuo instinctu ac authoritate motus? Nunquid iam cogimur secundũ tuas doctrinas iugum ferre, quod Petrus maiores nostros ferre non potuisse attestatur? Sin autem ad nouum Testamentum te recipis, dic quęso, an expresse ac planè hic multos reperias gradus interdictos? Non, ita ita me dij bene ament. Hoc tamen forsan offendere poteris, ꝙ Herodem non docuerit, ut fratris sui uxorem retineret, ac ꝙ uicissim quidam Corinthius haberet suam nouercam. Quo uero nunc tendes in alijs gradibus, aliorsum neq̃ ad Concilia, Ecclesiasticas ordinationes, aut ius Pontificium, aut certe hoc dabis, ꝙ pater filiam, filia fratrem ducere possit, &c. Idcirco cogeris, uelis nolis (etiamsi prius spreueris, ac concremaueris ius Canonicum) te ex cinere ueluti Phoenicem recreare ac reficere, & tandem parochos tuos ex quarto Decretalium edocere, aut, mea sententia, delectum in rebus ad matrimonium spectantibus habere non poterint. Marc. 6 1. Cor. 5

Quòd causæ matrimoniales ad Episcopos, ac non sęculares iudices ac cancellarias adtineant. CAP. XXXV.

LVTHERVS.

SI autẽ parochi in tantis casibus nõ experti fuerint, debent alios doctos consulere, aut hoc negociũ ad G. D. M. officiales ac Cancellariam, quemadmodum in mandatis habent, referre.

IOAN. FABRI. Vbi nam apud doctos consiliũ captare debent, cũ uos estis in hac re discordes? Hinc uero sunt illę lachrymæ, ꝙ authoritatem Episcopalem suo officio defraudas, ac ad Cancellariam referri iubes.

Nunquid

Nunqd nos non persentiscere credis tuam sordidam illam auaritiam, ac ꝓpriꝫ cõmodi studium? Tu enim non Christi, sed potius cistæ hic rationem habes. Sed agē dic mihi Luthere ex Euangelio, ubi nam contineatur hoc, quod iubes, in Saxonicam Cancellariam causas matrimoniales deferri debere? Videris enim tibi esse prudentior uniuersali Ecclesia, quę nominatim Episcopis id negocij dedit. Sed me Hercle fallit te tua opinio, Nam perspectum habemus, te id potius adulatione, q̃ reipsa Saxonico tribuisse cancellario, a quo nescio quid lucri ac mercedis emungere potes, ac sperare. Archiepiscopi enim, ac Episcopi, qui iam inde ab ętate Caroli Magni in Saxoniæ principatu, & longius, huic negocio pręfecti fuerant, ab eorũ authoritate, ui, cõtra omne ius ac fas, imo contra edictũ Cęsareum ac Imperialis conuentus decisionem deiecti ac deturbati sunt.

3. Reg. 21 Cæterum tu facis perinde ac Achab atq; Iesabel, cum uides, ꝙ Nabot Iezraẽlita bene instructam uineam habeat, quæ domui tuæ sit proxima, ex qua uiridarium reddere possis, Adornas enim Belialicas tuas qui falsum testimonium, in ius Canonicum, ac Pontificias constitutiones dicant, imo in Concilia ac Episcopos, ut lapidibus conficiantur. Ego uero certo crediderim, breuibus tecum pacisci posse ex parte Euangelij, si mõstrantias, calices, gemmas ac lapides preciosos penitus inuolasses, Deus tamen Opt. Max. hoc tibi sic abire non sinet, uerum similibus te

Leuit. 10 afficiet supplicijs ac pœnis, ut antea Nadab, Abyhu, Chore, Datan atq;

Num. 16 Abyron. Porro te iterũ obtestor per Euangelicam ueritatẽ, uelis mihi tantum unum Iota ostendere in Euangelio, ubi iubeatur huiusmodi causas ad sęculares Cancellarias referri debere: uerum nunquam facere hoc poteris. Quanquam ego tibi nõ tam ex ueteri, q̃ nouo Testamento depromere possum, quòd huiusmodi res ad Episcopos ac sacerdotes, uel presbyteros attineant: nisi Paulum ac Timotheum, aliosq; Ephesios Episcopos, Cancellarios fuisse pro impudenti tuo ore asseras, ac affirmes.

De hominum libero arbitrio. CAP. XXXVI.

LVTHERVS.

Homo habet propria sua potestate liberum arbitrium, externa opera facere, uel omittere, per legem ac pœnam diductus. Quamobrem etiam sæcularem probitatẽ & opera bona exercere potest, proprio motu a deo sibi ad hoc dato. Paulus enim nominat iustitiam carnis, hoc est, quæ caro, aut homo propria sua uoluntate facit. Si ergo homo ex proprijs uiribus operatur aliquid, iustam habet opinionem ac libertatem quandam bona facere, ac mala uitare.

IOAN. FABRI. Tu adeo prius despicatũ habuisti liberũ arbitrium, ut etiam non dubitaueris dicere, nomẽ esse recens, nouũ, ac confictitiũ, Quomodo in doctissimũ uirum Erasmum Roterodamũ debacchatus fueris, etiamnum meminimus. Cum uero nunc in uiam redis, deo ne gratias agere debemus? Nunquam enim eius opinionis fuimus, ut diceremus cum hæreticis, nos posse aliquid citra gratiam diuinam. Nam repe-

rimus

rimus quod deus culpam in Adam transtulit, quod uxoris suæ uocem Gene.3.
exaudisset, ac mandatũ trãsgressus fuisset. Ad hęc quod ad Cain dixit, tu Gene.4.
si benefeceris, e uestigio accipies mercedem: si uero male, de repente prę
foribus erit peccatum. Cum uero hæc in animis hominum relicta est (si
cuti legimus quod filij dei elegerinţ filias hominum, Loth uero regio- Gene.6.13.
nem prope Iordanẽ, Ad hæc quod populo Israëlitico tam sæpe dictum
fuerit, si uolueris, si audieris, si feceris, si custodieris etiam, nam huiusce-
modi loquutionibus scripturæ scatent, atq; plus q̃ sexcentis reperitur lo
cis) argumentũ est quod deus omni populo Israël liberũ arbitriũ dede-
rit, nam reperimus quod in lib. Deutero. xxx. populum bis alloquitur:
Ego hodierno die tibi proposui bonũ & malũ, uitam ac mortẽ, benedi-
ctionem ac maledictionẽ, proinde elige uitam quã uiuis tu ac filius tuus.
Non autem tantũ uetus testamentũ huiusmodi dictis refertũ est, uerum
etiam in nouo Testamento habemus multa, quæ pro nobis faciunt, scili
cet Mat. xix. Si uis ingredi uitam, serua hæc præcepta, Atq; alibi quoq;,
Hierusalem Hierusalẽ, quoties ego uolui congregare filios tuos, quem-
admodum gallina pullos sub alas, tu autem noluisti, Atq; alia huiusce-
modi sunt multa. Hoc tamen unicũ satisfacere nobis deberet, Mar. xiiij.
cum dicit saluator noster, Pauperes semper habebitis, quibus si uultis be
nefacere potestis. Quocirca immerito suo liberum arbitriũ e medio au-
ferre conatus es, Alibi tñ longe pressius hanc iniuriã expostulabo tecũ,
cũ ipse etiã maxima ex parte priori tuæ opinioni uidearis esse dissimilis.

De Christiana libertate CAP. XXXVII.

LVTHERVS.

SVnt qui adeo inepte ac citra omnem delectum loquuntur de Christiana libertate, ut populus arbitretur adeo esse se liberũ, ut non potestatibus subesse cogatur, ut non census ac debita persoluere debeat. Altera pars opinatur Christianam libertatem nihil aliud esse, quam non cõfiteri, uesci carnibus, nunquam ieiunare, ac id genus similia. Istæ absurdæ populi persuasiones, debent per prędicatores emendari ac castigari, ne hæc libertas ad peius & temeritatem uergat.

IOAN. FABRI. Si ita prius docuisses, nunq̃ tecum super hac re unicum uerbum commutassem, Ita tamen disconuenit inter te & me, quod non tantum meos ac aliorum Ecclesiasticorũ errores attigisti, ita em̃ cœperas, sed quod paulatim maximos ac grauissimos quoq; nostrę fidei articulos conuellere conatus es: nempe sacramentũ reijcere adorsus es, Matrimoniũ rem sacrã, hoc est sacramentũ esse negasti, nunq̃ em̃ quicquam magis hęreticũ mihi in mentẽ uenit, q̃ illa tua Antichristica primę ad Corinth. cap. vij. interpretatio. Cum primũ em̃ scripturas adulterare qua non dicendi libertate in omnes quiritari portentosas hęreses, ueluti Cerberũ ab inferis reducere cœpisti, nolui in hac cõspiratione esse. Nam tu equidẽ operam dedisti, ut animũ tuũ in nouis seditionibus concitandis expleres. Primo em̃ in rusticano tumulto, deinde in Imperio multos Cæsari infensos ac exulceratos reddidisti, ut interea tẽporis dum tu ita debaccharis, Turca ueniret (eius. n. fugitiuus Ioan. es) ac nos internecina

In Cap. Bab.

Lutheri commentum in Epist. Pauli.

Mecha ciuitas ubi Mahumetes sepultus est. quadam clade perderet, te uero solū in Bascham uel Tesquam eligeret in Mecha.

LVTHERVS Reliqua pars est Christianę libertatis, quod Christus nō astringit nos Ceremonijs, ordinationibus iudicij, ac legi Mosaicę, Verū quod Christiani possint uti iudicijs cuilibet regioni conuenientibus, utpote Saxones Saxonicis, Ro. uero Romanis.

Zuinglij reg. IOAN. FABRI. Hic Zuinglij regula non habet locū, qui ait: Si in nouo Test. aliquid reperiri non potest, ꝙ debeat in uet. quæri. Et tibi q̃q mi Luthere non admodū bene cecidit in libello tuo quē de gradib. affinitatis scripsisti: relinquendus. n. tibi Leuiticus fuit in gradib. uetitis. Quod uero prius Germanicā nobilitatem instituisti, quēlibet pro suo arbitratu iudicare posse ac debere, nō minus q̃ superius a scopo lōge lateq; D. Schurff. aberras. Habendę aūt hoc nomine D. Hieronymo Schurff sunt gratiæ, quod illo in uiam reduxerit. Scriptionibus. n. tuis pene omnes Iureconsultorum scholas deleuisti, Post uiginti uel triginta annos Imperialis Cameræ iudices, defunctis iam omnib. undiq; Iureconsultis ac Pragmaticis qui in aulis principum de Iure responderunt, gratias tibi hoc nomine non uulgares agent. Hac autem ratione perspicitur, Lutherum quoq; errasse, & pene totum mundum subduxisse nequiter & misere.

De mendacijs ac inordinationibus Lutheri, contra statum Matrimonialem. CAP. XXXVIII.

LVTHERVS.



Acto. 5. Q Vædam quæ non sine peccatis seruari possunt, utpote cōstitutiones humanæ, per quas matrimonium interdictum est, reijci debent, Deo enim magis q̃ hominibus est obtemperandum.

IOAN. FABRI. Obsecro te Martine Luthere, dic mihi uelim, qua fronte ausis culpam Eccle. ac Iuri pont. tribuere, quod interdicant Matrimonio, Cum tñ ab hijs usq; adeo matrimonium celebretur, ac in precio ac dignitate habeat̃. Nam hęretici, quos Tatianos adpellāt ab Eccle. ob eam rem diris deuoti sunt, quod Matrimonio interdicere conati fuerunt, Proinde non est cur ita apud te malitiose cōstituas. Quod aūt hęs Nuptię sint uetitę, quę se uirginitati dederūt, ac cum Paulo uiduę manēt, Paulū equidē incusa, Is tibi ꝓculdubio respōsum dabit, Scribit. n. sic: Adolescentiores aūt uiduas deuita, Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere uolunt, habentes damnationem. Præterea hoc non est usq; adeo recens, nam D. Hierony. ante M. CC. annos, talia uota monasterialia castis uirginibus contribuit, Per Aphricam em̃ Europā ac Asiā sic obseruata fuerunt. Nil hic me impediet impudens hoc dictum, quod ais uirginē uiginti annos natam reperiri nullibi posse. Quare miror, cur non Molossis Anglicis fueris e Germania exactus: sed forsitan mercedis etiamnū te manet, ni resipueris. Nā hoc non tantū uirgin. probrosum fuerat in Monasterio cōstitutis, Verūetiam Electoribus princ. ac nobilib. plane dedecus esset, ꝙ eorū matres non uirgines, uerū magis lcuiusculæ mulieres fuerint, Atq; ita ut summatim dicam consequeretur, quod omnium matres, quæ ante annū XX. nō nupsissent, essent (prę fandus em̃ hic est

Tatiani sub M. Antonio & Anicero Papa floruerunt, anno 175.
1. Cor. 7.
1. Timot. 5.

hic est honos)meretrices,nosq; spurij ac nothi essemus. Proh dedecus, proh scelus, crimen,miror enim cur sol te tam diu aspicere possit, aspexit enim nihil unquam te turpius ac scelestius,miror cur terra te non dehiscat ac deuoret. Si ego simile cõmisissem, oẽs proculdubio opifices,sutores,calcearij, sartores,ueteramentarij ac alij id genus ꝓceres in me insurrexissent. Tu,inq̃,Luthere in culpa es, ut nemo quisq̃ amplius uxori ac filiab.suis credere possit,nõ strenuus miles, nõ mercator,imo nec pauperculus uiator,uxori ac liberis domi lana uictũ quęritantibus fidere potest, etiãsi sint Lucretiæ in Liuio ac Susannę apud Danielẽ,longe pudicitia pręstantiores. Sed omnia peccata Sodomę ac Samarię tuo tergo imminẽt: tu fers ac de hijs rationẽ reddere cogeberis. Cæterũ amabo te mi Luthere hoc mihi edissere,nunqd aliã uxorẽ(cũ non solũ Monachus ac Diaconus sacerdos,uerũetiam episcopus ac põtifex sis)si illã quam nunc habes extuleris,contra Pauli ad Tit. ac Timo. uoluntatẽ superinducere possis. Nã si aliã acceperis,nõ eris eps unius uxoris:sin uero nõ scortator eris, ut prius fuisti ac etiamnũ es (uelim hic mihi ueniã dari,q̃d adeo turpibus ac obscœnis uerbis tibi paulisper in officinã tuã impressionẽ fecerim,nam zelus domus tuę cõmedit me) lubẽs tñ uidero, quõ Pauli uerba intelligere uelis. Exitus acta ꝓbat, Age quęso abde te iterũ in cellã tuã.

Dan.13. Tit.1. 1.Timot.3. Psal.66. Ioan.2. Ouid.in epist.

De ieiunijs ac septem horis Canonicis CAP. XXXIX.

LVTHERVS.


QVæ ordinationes ob eam rem sunt constitutę, ut gratiã impetraremus pro peccatis nostris, Sunt aũt huiusmodi constituta Ieiunia,feria sexta non uesci carnibus, orare septem horas Canonicas. Hæc aũt aperte cõtra deum sunt,quare rejcienda sunt. Paulus enim adpellat satanę doctrinas huiuscemodi constitutiones,si eo animo fiunt, ut credamus fauorem nos hinc impetrare posse a deo,aut quod necessarię sint apud deum ad impetrandam gratiam. 1.Timo.4.

IOAN. FABRI. Ego uere aio Luthere, quod ab ætate Apostolorũ obseruatũ fuit,carnibus abstinere in quadragesimali Ieiunio ac feria sexta. Si.n.peccatũ esset,ut tu asseris,maior ac melior Christianitatis pars in damnationẽ uenisset. Quid uero mi Luthere præmij accipere uelis,ac ea in Hungaria,Polonia,Bohemia,imo Moscouia quoq; docere ac prædicare? Cęterũ septẽ horas absoluere in singulos dies,tuipse docuisti ex Dauide,Psal.cxi j. Ego septies tibi dñe in die laudes dixi. Pręter hæc quoq; sic facere ab ętate Damasi ac Basilij magni, iam inde a mille annis aut ultra Presbyteri consueuerũt. Proinde satius fuisset te hoc missum fecisse. Tu autem uelis ex animo omnia esse interturbata ac corrupta,Satanas enim non potest ferre miserum Iob cum suis filijs quietũ ac tranquillum.

De inhumana Turcarũ immanitate ac eorundẽ impressionibus.

CAP. XL. LVTHERVS.


QVidam concionatores etiã quiritant apud populum temere, ne Turcæ obuium eatur, quod uindicta Christianis interdicta sit, Quę certe conditiones sunt seditiosæ ac intolerabiles.

IOAN. FABRI. Si.n.hęc seditiosa ac concitatoria est traditio,Turcę bel

lũ non esse inferẽdũ, tu eius caput ac fons extitisti, comptũ.n. habes te do cuisse ac scripsisse, Turcę non esse refragãdũ, Nam cũ Leo pont. max. te ob eam rẽ castigasset in bulla, confestim scripsisti librũ, quẽ assertionũ ad pellas, in cuius artic. xxxv. sic ais: Turcis repugnare, dco est repugnare q peccata nostra per illos corrigit. Ad hęc ais, te hãc, ppositionẽ uelle, pbare, maxime hijs duab. rebus: Primo, ꝙ Turca magis magisq́ confortet, Christianitas uero inclinet ac decrescat: Secũdo, ꝙ non multas aduersus illũ obtinemus uictorias, Hinc populus rudis sibi q̃q; psuasit, potius ma nẽdũ esse sub Turcę ditione, q̃ Christian. princ. quippe q subditis suis nõ tã multũ negocij facessat. Quare certe maximopere delinquit subductus tuis traditionib. ac doctrinis. Certũ.n. est ex relatu multorũ fidorꝝ homi nũ ac dñorum qui gratiosiss. meo dño Hungariæ & Boëmię Regi, eiusdemq́ spectatiss. cõsiliarijs, quod Turcæ ac Christiani uirilis sexus qui in collinetijs moranẽ per singula capita pendere coganẽ in annos singulos duos supra trigĩta asperos (ita.n. eorũ numos adpellãt) Isti aũt trigintaduo asperi reddũt quatuor & quadraginta numos Hũgaricos, ex qb. nostri crucigeri proueniũt quadraginta & duo nũmi, Hoc uero Tributũ non tam Turcę q̃ Iudęi circumcisi ac Christiani persoluũt, uocanẽ aũt eorũ lingua Charina. Præterca est alius census annuus, quẽ Christiani tantũ in Armenia, Razia, Gręcia, Vulgaria, ac alibi q̃q; exoluere coguntur, Nã denuo singuli uiri uigintiquinq; asperos tribuũt, de qualibet.n. porta domus uel horti paterfamilias annuatim aspe rũ dare debet ac tenetur. Si uero Christianus fuerit, quatuor dare astringiẽ. Si filius uel filia moritur, parẽtes uel hęredes eorũ numerare cogunẽ uiginti asperos. Postremo si mulier uterũ fert, cogitur de puero etiamnũ in uentre materno existente exoluere decẽ asperos. De omnibus frumentis, tritico, siligine, farre, milio, auena, fabis, pisis, lentibus, lino ac cepis, nec non septimam ac decimam bonorum partem: septimam quidem præfecto quem uocant Thymarnyck eorum lingua: Decimam autem Baschæ pendere coguntur. Si Turcarum Imperator expeditionem adornat pro arbitratu suo, Tauros, uitulos, arietes, capras, oues e suis accipit. Quid? quod si Turca apud hominem Christianum hospitio acceptus fuerit, ille omnia quæ ad esum tam suum quam equorum spectant, quasi suo Iure sibi uendicat. Imo quod maxime dolendum est, si Christianus ille habuerit pulchram uxorculam, filiam, consanguineam uel aliam sexus fœminei, ui ad stuprum rapit, hospite etiam si refragatus fuerit uerberibus ac plagis affecto. Demum Turca habet suos emissarios, quibus id negocium datur, ut tributim per singulas domos, eundi agendi copiam habeant, ac quoslibet ad duodecimum uel circiter uenientes iuuenes impune adcipiant, Vt manuarijs operibus scire edoceantur, ac deinde in stipatorum numerum quos Ianizeros adpellant allegantur, bellicis enim ac Castrensibus deinde rebus edocti Cæsarem quoquo gentiũ comitantur. Postremo quicunq; homo Christianus cũ Turca grauius certauerit, cogitur aut circumcidi aut recta in ignem ire. Quo fit ut Christiani magna

Turci tributa

Asper.

Charina.

Thymarnyck

Ianizeri.

ani magna ex parte mirabilibus commentis ac Tyrannide a fide nostra ad Mahumeticam superstitionem adigantur. Quamobrem tu Luthere temere ac impie docuisti, quod Turcis resistendū noluisti, sed lustratores illi tui rem in meliorem locum constituerunt, q̄ tu antea uoluisti. Respectum igitur habeas ad ea quæ prius scripsisti, ac ueluti in speculo contemplare, q̄ æque illa quæ nunc sentis cum ijs consentiant. Prius em̄ cum contra deū ueluti gigantē arbitratus es pugnare, qui Turcis resistere anniteretur, nunc uero ais seditiosam esse doctrinā eorū qui refragari Turcis non uolunt. Soleo tamen nihilominus mecū mirari, qua ratione fiat, cum alij seditiosi in Saxonia puniantur, tu aūt qui omniū seditionum autor es, ac quasi Gracchus, huiusmodi pœnis non sis obnoxius.

De Lutherana hæresi ac Tyrannide contra orthodoxos.

CAP. XLI. LVTHERVS.

Aiunt quidam etiam fidem non esse gladio confirmandā, uerum quod more Christi ac Apostolorum omnia perpeti debeamus &c. Ob id scire debemus q̧ quilibet qui sine imperio est, pro se quantum potest pati ac sufferre debet, neq̧ repugnare, quoniā nec Christus qui nullum regimen ac Imperiū habuit, uim repulsauit, neq̧ uoluit. Ita enim Ioan. vi, legimus, quod a Iudęis in regem eligi recusauerit. Potestas autem suos ab iniusta uiolentia uindicare debet, siue hoc fiat fidei aut alterius rei gratia. IOAN. FABRI.

Tu ac tua cohors impura mirabili in nos ueteris ac indubitatæ fidei studiosos strategemate usi estis, Nam a principio in publicis concionibus acclamastis, fidem esse liberam, neminem quenq̄ adigi ac ad quiduis credendum cogi debere, adiecto etiam hoc Epiphonemate, Bonum esse in Turcia manere, ubi nullus credere astringatur, aut in Mahumeticam superstitionem iurare. In hijs uero partibus ubi persuasiones tuæ uirosæ radices egerunt, quo iure, qua iniuria miseri circumueniri cœperunt, ac neruose uiolenterq̧ perpulsi sunt uestris prędicationib. adiurare, etiā manibus pedibusq̧ refragātes, Si enim perstare quispiam cœpit, perinde ac hæreticus a uobis est conuitijs insuper lacessitus petulantissimis. Ad hęc si quisquam ante quadraginta annos munere senatorio apud uos functus est, honeste ac probe uitam agens, noluit uero uobiscum nunc in alia omnia ire, officio ac dignitate se abdicare coactus est, Imo multi passim, non solum de dignitatis gradu deturbati sunt, ucrumetiam ab aris atq̧ focis patrijs bonis ac ædibus omnibus plane exuistis. Quotus q̧sq̧ em̄ nunc est Monachorū, qui (si ordinis desertor non fuit) a uobis nō fuerit eliminatus? Quo pauperculas moniales abegistis, quo Catholicos sacerdotes atq̧ alios quoq̧ cuiuscunq̧ fortunæ ac conditionis homines, qui non uobiscū turpiter fecerunt, exterminastis? Quid autē etiamnum consilij captatis, ut nos qui uestris doctrinis oppedimus, cū Ecclesiæ uniuersalis institutis remanentes, uel ui ac uiribus ad uos rapiatis? Quanquam hactenus nullum tale specimen uestræ fidei ędidistis, quod nos allicere debeat, Videmus enim uos male consarctis gra[illegible]ijs ui

cissim διὲς διὰ πασῶν dissidere ac discrepare. Deus autem adhuc uiuit ac regnat, nos propugnat ac defendit a uestris plus q̃ Turcicis insultibus, il-
Iob 27. le uestras in nos conspirationes incassum euenire sinet. Hinc uero facile
Hiere. 16. 23 deprehenditur sectas uestras esse nihili, quod uos non inuicem estis constantes, Illi enim qui ut cum maxime tecum facere uidebantur, nunc te nil magis peiusq; oderunt, Quanquam habeas aliquos adhuc in propugnando sacramẽto socios, aduersarij tñ credunt in uenerabili hoc mysterio nõ Christum, sed tantũ panẽ pistoriciũ esse. Quibus omnibus con-
Lutherus cõtra seipsum. sideratis ac perpensis tecum cogites uelim, q̃ bene doctrinę tuæ successerint, quodq; nemo ad fidem adigi debet. Carolstadiũ equidẽ capitis arcendum iussisti, quod ille primus a tuis opinionibus discessisset, Ita quoque reliqui sectatores tui, id est nouarum sectarũ autores, ad nos gladiatorio quod dicitur animo uiam affectarunt, ab initio enim rem simpliciter proposuerunt, ut facilius populo fucum facerent, tandẽ eo rem deducere cœperunt, ut nisi numero maiores fuissemus in Orthodoxa fide, ui uiribusq; in eorum opinionem nos abstraxissent, aut solum uertere coëgissent. Proinde cogita hic cum animo tuo, ecquis alius q̃ tu illorũ omniũ autor ac caput fuerit. Quid multis adeo es dubius & uacillãs, ac si Labyrintho esses quodam? Si enim ad priora respectum habes, sequentia te fugiunt ac latent.

Quod Turcę resistendum sit ac contra illum diuinum auxilium implorandum. CAP. XLII.

LVTHERVS.

POsteaquam uero potestates benefacta laudare ac mala corrigere debent, ut scribit Paulus ad Roma. xiij. ac I. Petri ij. continetur, debẽt quoq; illos punire, qui cultus diuinos, bonas prouintiales constitutiones, iustitiam, ac iudicia e medio auferre uolunt, Quamobrem obnoxij sumus repugnare Turcis qui non solum illa uerumetiam regiones nostras, domos uiolẽter accepere, uxores ac nostras filias dehonestare nituntur, Atq; adeo ut postea ne illi quidem etiam securi uiuere possint qui reliqui facti neq; liberos ad mores bonos ac uirtutes amplexandas educare possint.

IOAN. FABRI. Quandoquidem nunc per te non stat, quo minus Turcis repugnemus, procliuior tibi ad familiaritatẽ ac amicitiam sum, Si in cæteris quoq; nil inter nos disconueniret, fore crederem nos in gratiam omnibus modis redituros, Velim tamẽ tibi hoc ex me dictum esse quo facilius me perciperes, ac opinionem meam perspectam haberes. Pontifices olim, Cęsares ac principes prętextu expeditionis in Turcas susceptæ maximam pecuniarum uim collegerunt, quam in alios usus ne dicam luxus nescio quos conuerterunt, Quam rem pro eo ac debui sane nunquam laudaui: Quod autem populi ad præscriptum istarum indul-
Indulgentiæ. gentiarum peccata confessi fuerint & pœnitentiam egerint, improbare nequaquam possum. Quid eñ nunc non esset faciendum, ut deum nobis propitiũ redderemus, cum tam necessum sit? Quæ non supplicationes, quæ

nes,quę non pompæ Ecclesiasticę,quæ non preces ac orationes habēdę sunt,quo uictoriā habere possimus? Vidimus enim,inq̄ uidimus,immanissimum Christianitatis hostem protelandorum regni ac Imperij sui finiū auidissimum nobis supra caput,uidemus uniuersa Hungaria in potestatē redacta,Croatia deuastata, in Austriam,Stiriam ac alias prouintias animum adiecisse.Nolo autem hic longior esse,ne dicar Turcis potius quam tibi nequitias suas exprobrasse.Vt autem contra nostræ fidei hostes deum precemur,non tantum ex ueteri uerumetiam nouo Testamento liquet.Tuq; ipsum nunc demum doces, cum pene de nostris fortunis actum est. Vsq; adeo autem om̄es tuę persuasionis homines ab omni metu dei ac bonis operibus exciderunt, ut pauci reperiantur, qui digitulum nedum manus in coelum erigant, Nam etiamsi cētum uniuersis annis poenitentiā ac bonorū operationem doceres,neminem quenq̄ e tuis illis egregijs sectatoribus reuocare ad hęc posses:adeo tu in tota fere Christianitate turbas ac securitatē quandā excitasti. Si uero etiamnum res eodē loci esset,quo nobis maiores nostri reliquerunt,non dubiū est, quin nunc una omnes opera processionibus & stationibus ut adpellant alijsq; deum a nobis propter peccata nostra alienatum iterum placarent ac gratiosum redderent. Confiterētur enim in primis deo ac eius uicario sacerdoti poenitentiamq; propter delicta haberent, ac tandem manus adiutrices porrigerent aduersus Turcarum ferociam compescendam ac coërcendā. Tu aūt Martine Luthere uulgus ita instituisti,ut ei nil sit potius quam proximum suum abigere, exterminare, bonis suis inhiare ac tandem inuolare libertatemque quæ audacia apud illos est in omnibus exercere.Hi sunt fructus Euangelij tui,quos Paulus ad Galatas graphice depingit,Opera carnis,inquit,sunt,Adulteriū,fornicationes,impuritas,luxuria,idololatria,incātationes,inimicitię,rixę, zelotypia,iracūdia, discordia,odiū,latrocinia,ebrietas,ingurgitationes ac alia huiuscemodi.

Processiones & Stationes.

Galat.5

Lutherani Euangelij fructus.

LVTHERVS. Pręcipue autem potestates bellare debent,ut iura sua ac constitutiones in prouincijs suis obtinere possint, Ne posteri immoderatam uitam degant, longe enim tolerabilius esset homini probo ac honesto,liberos suos in conspectu mori,quam ut Turcicis moribus uiuere cogerentur. Turci enim honestatem neq; habent neq; curant habere, Qui uiribus æditiores sunt,accipiūt pauperculis uxores,liberos ac res secundum eorum libidinem,Ad hęc pro nihilo habent Matrimonium, ducunt mulieres ac iterum ab eis diuertunt, liberos suos uendunt. Hi enim mores nihil aliud sunt quam mera latrocinia, quæ Hungari experti sunt & attestantur.

IOAN. FABRI Si hæc omnia uulgo imaginatus fuisses prius, non adeo impium ac tumultuosum iam inde a decem annis fuisset, imo nec Turcas ita summis uotis petijsset, Ad hæc non tam plures radijs districti penderent, non tot capitis poenam subijssent, non denique nefandis modis circumuenti ac necati fuissent cumplurimi.

De antiquis Ceremonijs in Ecclesia seruandis.

CAP. XLIII.

LVTHERVS.

Porro cum passim in multis locis antiquae Ceremoniae antiquatae sint, neque in Ecclesijs canitur amplius, neque legitur, sic autem ut sequitur fieri in sacris aedibus ac scholis ac praecipue in hijs locis, ubi hominum est maxima frequētia, utpote ciuitatibus, oppidis, in posterum conclusum est & decretum.

IOAN. FABRI. Quod Ceremoniae celebres ex Ecclesijs uestris fuerint eiectae, tu quidē operam summa animi solicitudine dedisti, Docuisti enim nihili esse exteriores ceremonias, imo potius idololatriā ac assentationē adpellasti, Quasi plane ridiculū ac inane esset in orationibus pronum ad dei genua prouolui aut inflexis genib. aut manibus pectinatim iūctis ac in coelum sublatis tonsis pectoribus passim ulnis ita deum uelle commouere, Pharisaeos quoque id fecisse ac Christianis non licere dixisti. Quamobrem cōmune uulgus non tantū ab hijs ceremonijs, uerumetiam ab omnibus orationibus ac pijs preculis, quibus nobis deū deuincimus ac ab ira reflectimus, longe lateque recessit. Vt autem quibusdam ueluti digito demōstrarem antiquas Ceremonias, q per te a uera semita ad regnum coeleste retracti aberrarunt hactenus, paulo prolixior esse uolo. Ea uero non tam ex ueteri Testamento quam etiam nouo excerpam, nempe quomodo saluator noster Iesus Christus in multis locis Apostolos instituat, ac quomodo illi quasdam externas Ceremonias usurparint. Si enim sic in rem praesentem adduxero ac comprobauero, quemadmodum re uera fieri potest, in procliui sectatores tui percipere poterint causas & rationes cur & ipsi quoque Ceremonias illas illaesas ac sartas tectas, ueluti hactenus in Ecclesijs consueuit, sinant. &c.

Ceremoniae in orando. *Matth. 7*

DE ORATIONIBVS.

Principium autem nostrum sit a precibus. Quod Christus Iesus saluator noster sępius orauerit, apud omnes in confesso esse arbitror, Nam solus in mōte, in solitudine, apud Iordanem, ac in monte Olиueti, ac in alijs locis orauit. Quod autem inter orandum in genua prociderit ac patrem orauerit, ex Euāgelicis scriptis liquet. Inflectio enim genuum in ueteri quoque Testamento obseruata fuit. Sic geniculatus est quinquagenarius coram Helia, ne ignis descēdens de coelo deuoraret eum. Ita etiam Solomon genua inflexit ac manus suas coram omni populo extēdit, orans deum dominum coeli ac terrarum. Sic pariter Esdras scidit tunicam ac pallium suum, euellit capillos capitis ac suae barbę propter populum Israeliticū, ac in sacrificio uespertino inflexit genua sua & expandit manus suas ad dominum deum suum. Congruum superioribus est quod quidam in Euangelio ad genua domini miser iacuit ac pro filio suo lunatico orauit. Eodem modo Simon Petrus, sanctus Stephanus & alij fecerunt, Ita Petrus cum reperit mortuam Dorcadem ac uiduas flētes, in genua lapsus est ac orauit, ipsamque Thabitam (quę Dorcas in-

Lucę 22 *Mihi incuruabitur omne genu. Esaie 45* *4. Reg. 4* *2. Paral. 6* *1. Esd. 9. Sacrificium uespertinum.* *Matth. 17* *Actu. 9*

tas interpretatur) a morte suscitauit ac recreauit. Praeterea consimiles Actuum 9
geniculationes reperimus in multis alijs locis, utpote in Paulo, ex quo Philip. 2
id Ecclesia uniuersalis didicit, ut nõ tantum genua cordis ut Manasse fe-
cit (quae humilitas est) sed & externa ac corporalia flecteremus. Nam
Paulus ipse fatetur, qui electũ uas dei est, quod genua flectat ad patrem Pauli geniculatio.
domini nostri Iesu Christi. Ad hęc docet, quod in nomine domini flecti
debeat omne genu, terrestrium, coelestium ac infernorum. Ephes. 3

Superioribus cõsentaneum est, quod in precationibus non tantum
flexa genua, uerum etiam proni in faciem procidimus. Ita autem CHRI-
STVS Saluator noster in monte Oliueti fecit, Ita quoque Abraam Genes. 17
quum DEVS secum colloqueretur, Pariter cum gloria domini popu-
lo Israëlitico adparuisset, omnes in faciem sese inclinarũt, nec minus Mo- Numer. 14
ses & Aaron, corã multitudine populi Israël. Huc accedit quod legimus Tobiae 12
maiorẽ & minorẽ natu Tobiã tres perpetuas horas in faciem prostra-
tos dominum benedixisse. Nam & Iudith cum ostendisset Holofernis Iudith. 13
caput detruncatum, Achior pronus in faciem prolapsus est, ad eius pe-
des iacuit ac eam adorauit. Demum cum dominus noster IESVS Matth. 17
CHRISTVS in monte Thabor se transfigurasset, duo discipuli tan
tisper prostrati in faciem iacuere, dum dominus eos attigit ac excitauit.
Ecclesia Catholica in orationibus obseruat quosdam externos affectus Ioan. 17
ac gestus, cum sublatis manibus, pansis brachijs, orat, rogat, clamat ac
ingemiscit ad DEVM. Hijsce uero Ceremonijs non utitur absq; rati-
onibus & scripturae & exemplorum. Constat enim populum Israëliti- Exod. 17
cum cum in Raphadim contra Amalechitas pugnauit, Mosen sublatis
manibus DEVM orasse, atq; sic uictoriam obtinuisse. Ita quoq; Salo- 1. Regum 8
mon genua sua posuit in terrã ac manus in coelũ extendit benedicens po
pulũ Israël. Populus uero cũ Esdras aperuisset librum ac coram eo coepe 2. Esd. 3
rat legere praecepta domini, extendit pronus brachia sua geniculansq;
DEVM adorauit. Idem CHRISTVS in ascensione sua ad coelos fe Lucae 24
cit, sustulit enim manus suas ac eos benedixit. Quamobrem scribit Pau-
lus in prima ad Timotheum capite ij. se uelle ut uiri orent, ac ubique
manus puras ad DEVM erigant sine iracundia ac contentione, Simili-
ter & mulieres in honestis & pudicis uestibus. Attestantur quoq; sacrae
literae quod sępissime quidam proni in terram prociderunt, ut in Leuit.
cap. ix. Quod populus dominum laudauit ac in faciem concidit. Ita uter Tob. 12
que Tobias, iunior ac senior in terra proni postquam Raphaël angelus
decesserat tres uniuersas horas iacuit, Ita Achior conspecto capite Ho- Iudicum 13
lofernis ueluti Gorgonis e uestigio in terram ore procidit, Ita discipuli Matth. 17
cum CHRISTVM transfiguratum uidissent in monte Thabor, Ita Marc. 9
dominus ipse cum orasset in monte Oliueti, Ita leprosus qui ex Samaria Lucae 9 Matth. 26
erat, uidens sese esse sanum, ut gratus rediret, ante dominum in faciem
prolapsus gratias ei egit, Ita Publicanus in templo concussit pectus ac Lucae 18
DEVM inuocat sic: DEVS propitius esto mihi peccatori, Ita Deus propitius esto mihi peccatori.
quidam sub cruce tonsis pectoribus eum implorarunt, Lucae xxiij.

Durat

Durat apud nos quidam mos Ceremonialis, quem Ecclesia ac presbyteri obseruant apud Sacramentum altaris, quando conceptis uerbis consecrationem pronunciant ac benedicant extensis brachijs in coelum. Iste tamen mos non contra Euangelicam historiam facit, Scriptum enim est Ioannis xi. quod Iesus redemptor noster cum excitasset ac recreasset Lazarũ iam mortuũ patri iam gratias egisse sublatis in coelũ oculis, Sic etiã constat cum fecisse in coena, Sic cum Ioannis xvij. pro reuelatione orauit, Sic etiã cum quinq; pisces ac duos panes ordeaceos multiplicauit, in

Marci 6 coelum aspexit, nec minus cum lunaticum ac surdum Marci vij. liberos ab corũ passionibus reddidit, sursum coelũ contẽplatus est. Verũ enimuero res est admiratione digna, quod quum Christus saluator noster unico uerbo imo cogitatione unica potuisset ægrotos sanare ac a pos-

Actuum 5 sessis dæmonia expellere (nam Petrus paucis, ac multi umbra corũ mul-

Ioan. 4 tos morbis leuarunt, ipseque Iesus Christus Reguli filium in Caphar-

Matth. 8 naum febri laborantem liberauit, etiam magno ab illo interuallo distans) cur maluerit tamen quibusdam Ceremonijs uti. Ferunt enim scripturæ de eo, quod extensa manu tetigerit leprosum, atque ita eun-

Matth. 9 dem sanauerit. Sic quoque liquet Petri socrum a febri ereptam fuisse, cum porrecta manu eam attigerat, Similiter Iairi Centurionis filiam manibus contigit, ac illa iam mortua reuixit. Perinde ac etiam duos cæcos oculorum uisu donauit cum eos contrectauit, aliosque duos rursus in itinere cum eos contigit oculis captos uidere reddidit. Porro in patria sua quibusdam manus imposuit, ac illi statim salutem ac sanitatem nacti sunt. Quid ergo hæretici suggillant in Ecclesia consuetam manuum impositionem quam a Christo ueluti hæreditariam accepimus? Nam dominus eam etiam discipulos suos docuit, cum eos ad prędicandum Euangelium uniuerso orbi amandauit. Ipsi, inquit, imponent manus suas super ægrotos, ac illi sanabuntur, Marci ultimo. Præterea non fuit peruersæ fidei uersum, cum mulier quæ per duo-

Marci 6 decim annos profluuium uentris passa fuerat, ad dominum transijt per multam turbam, ac uestem eius contigit, Imo nec cum infirmum pa-

Matth. 14 ralyticum attulerant ut tantum fimbriam uestimenti contigeret, Nam quicunque uestem illius contigerunt, a morborum molestijs liberati sunt, & illi etiam qui immundis spiritibus grauati erant, ut Lucas scribit, Atq; adeo populus hoc maxime studuit, ut eius uestimentum attingere posset, Nam potẽtia ac efficacia ab eo procedens omnes sanos red-

Actuum 19 didit. Ita Paulus sudarium suum misit ad infirmos ac lunaticos, ut

Marci 7 eo contacto, sanarentur, ac sanati sunt ac liberati a peruersis dæmonijs. Quis ergo est qui non admiretur, si inueniet dominum prope mare Ga-

ibidem. lilæum, prope populum inserentem homini manus suas in aures & expuens eius linguam sibi contigit, in coelum aspiciens ac ingemiscens

Ibidem. cum liberet, Pariterque cum prope in Bethsaida usque in proximam uillam cæcum manu duxisset, ac in eum expuit manumq; imposuit, rogans nunquid uideret, Cum uero sese uidere dixisset, denuo sibi manus

imposuit

impoſuit.Imo longe magis admiretur quiſpiam,ſi Ceremonias illas uideret,quas dominus in nato cęco uſurpauit,cum in terram expuit ac ſaliua terra madefacta in illius oculos obleuit,dimittens illum ad piſcinam Siloah, ille uero cum abluiſſet ſeſe, uidere cœpit. Ita anteaquam mulier illa adulterij eſt abſoluta,bis Ieſus ſeruator noſter ſe inclinauit humi ac quædam conſcribillauit in terram.Hæc omnia potuiſſent ſine omnibus externis cooperationibus perfici, Domino tamē ſic placuit qui alijs multis Ceremonijs quoq; uſus eſt,Vtpote cum in cœlum aſcendit, ſublatis manibus Apoſtolos ac diſcipulos benedixit. Huiuſcemodi quoq; Ceremonijs fregit panem, ac a cœna diſcipulis pedes lauit,exuens ſe ac ſuccingēs aquamq; in peluim effundēs linteoq; pedes lotorū abſtergēs, Perfectis uero hijs omnibus iterum conſedit. Poſtremo hijs conſimile eſt quod egit cum paralytico, ac Petro,Lazaroque cum eum a mortuis ſuſcitaret.Similiter cum prędicauit pœnitentiam, Niniuitarum cilitium ac cineres non aſpernatus eſt. Quamobrem admiratione dignum eſt maxima cur tu tuiq; ſectatores illas Ceremonias quas in honorē Dei Opt. Maxlmi ac ſacroſancti Euchariſtiæ myſterij hactenus celebrauimus,adeo reiecerūt,ac aſpernati ſunt:cum tamen & Chriſtus hos honores ſibi fieri paſſus ſit, Legimus enim in Euangelio, quod quum mulier bene olentis unguenti perfuſione dñi pedes unxiſſet, ac lachrymis abluiſſet, capilliſq; abſterſiſſet,eum non ęgre tuliſſe, ſed facinus hoc ut pium prædicaſſe. Rurſus ſcripturæ commendant Nicodemum ac Ioſeph ab Arimathia, quod dominum noſtrum ſeruatorem in Syndone ac alijs preciofis linteaminibus inuoluerint ac recens exciſo ſepulchro compoſuerint ac ferme myrrhæ ac aloës centrum coëmerint. Ad hæc ſcriptum eſt de tribus Marijs quæ ante lucem dominū ungere uolebant.Et quanquam huius mundi Chriſtus ſeruator noſter rex eſſe noluerit, permiſit tamen ut diſcipuli ueſtimenta inſternerent ac eum imponerent aſino,& quod populus ramos ac ſurculos ab arboribus defringeret, ac ſibi proſterneret,pueri oſanna iterarent. Ne uero lōgum faciam, poſſem enim totum diem conſumere in recenſendis huiuſcemodi Ceremonijs,ad alia hijs ferme ſimilia me confero. Cæterum idem ſaluator noſter diſcipulos ſuos inſtituit, q̄ puluerem a pedibus eorum abſtergere debeant, ubi aliqua ciuitas eis auſcultare non uelit, Iuſſit quoq; cum etiamnum corporaliter apud illos eſſet,ut ęgrotos oleo obungerent,Ad hęc ut lumbos pręcingerent ſuos ac lucernas in manibus gererent ac tenerēt uoluit.Quanquam & hoc ſpiritualiter poſſit intelligi. Eſt autem ex Eſaia cap. xx. Hieremia i.& xij.& iiij.Regum i. ab Helia,& iij.Regū xviij.ac alijs locis deſumptum. Ita cum eos dimiſit in uniuerſum orbem,mentionem fecit peræ,baculi,ac ſalutationis per pacem, ac alia, quæ nunc bene longa oratione planum feci,nunc ad alia digredior.

[Margin notes: Ioan.9 — Luce 24 — Matth.26 — Marc.14 — Matth.9 — 1.Cor.11 — Ioan.13 — Marc.2 — Ione 3 — Ceremonie Christo exhibite. — Luce 7 — Ioan.12 — Matth.27 — Marc.15 — Luce23 — Ioan 19 — Matth.8 — Luce19 — Marc.6 — Luce 12 — Hierem.4]

Quid in

Quid in Ecclesia canendum uel legendum sit.

CAP. XLIIII.

LVTHERVS.



Scilicet in primis possunt mane singulis diebus tres Psalmi cantari, an Latini uel Germanici sint, nil refert.

IOAN. FABRI. Quod Psalmi in Ecclesijs canuntur, nil est nouum, uerum iam inde ab ętate Apostolorum ac D. Damasi ac Hieronymi temporibus Psalterium totum in hebdomadas diuisum fuit, ita ut presbyteri semper singulis septimanis totum Psalterium, nisi dies festi intercidissent cũ alijs pijs preculis euoluere debuerint, & hoc feriæ Psalmorum effecerunt, ut ad nocturnum semper duodecim Psalmi præter laudes a quolibet sacerdote, uel lecti, uel cantati sint. Tu uero & hunc ritum euertere conatus es, cum Psalterium humanarum miseriarum quasi speculum tuis obliquis ac male detortis glossematibus ceno peius colleuisti. Nam anteaquam unam quinquagenam absoluisti, tam tibi dissimilis uideris in tuis interpretationib. ut qui maxime, adeo ut ne amplius quidem scribere ausus fueris, Ex diametro enim Cythara tua multum ab hoc Psalterio discordauit & dissonuit, corda sæpius aberras eadem, omnia enim disconueniunt, perinde ac lupi & ouiculæ fiduculæ dissonant.

Nocturna tenet duodecim Psalmos.

Quinquagena continet Psalmos 50

LVTHERVS. Hijs diebus in quibus non conciones fiunt, potest per concionatorem lectio quædam legi, utpote, Matthæus, Lucas, prima Epistola. S. Ioannis, & ambæ Petri, & S. Iacobi.

IOAN. FABRI. Qui fit autem cur non etiam Ioannes ac Marcus legi debeant? Nonne & illi Euangelistæ quoq; sunt? Quid uero tibi prius in mentem uenit, quod Iacobi Epistolam exegisti, nunc autem iterum accipias?

In præfatione noui Test.

LVTHERVS. Aliquas sancti Pauli Epistolas, ut sunt ambæ ad Timotheum, una ad Titum, ad Ephesios ac Colossenses.

IOAN. FABRI. Vbi relictæ sunt Epistolæ ad Romanos, ac Galatas, in quam tu nescio quæ commenta uerius quam commentaria effudisti? Credo te nunc horum pœnitere, Adeo enim nihil in hijs est quod merito a doctis commendari possit. Vt uero totus Christianus orbis ac tui Saxonici uisitatores præcipue intelligant, quod libros tuos quoque legerimus, ac melius in memoria teneamus, age in medium adferam iudicium tuum de libris noui Testamenti, quod in præfatione uernaculæ tuæ translationis in nouum Testamentum præfixisti in hæc uerba: Quandoquidem Ioannes non multum CHRISTI facta attigit, sed tantum suos sermones ac conciones descripsit, rursus uero alij Euangelistę multum de factis ac operibus suis scribunt, parum uero de prædicationibus, Ioannis Euangeliũ, unicum est tenerum, purum ac principale Euangelium ac alijs tribus longe præferendum. Ita quoq; Pauli ac Petri Epistolæ longe lateque excellunt tria Euangelia Matthæi Marci & Lucæ. Et ut summatim dicam, Ioannis Euangelium ac prima

Lutheri præfatio in Euangelistas.

prima ſua Epiſtola, S. Pauli Epiſtolæ, ad Romanos, Galatas ac Epheſios, ac Petri prima, Chriſtum prædicant, ac oſtendunt omnia, quę ſcitu digna, & cognitu utilia ſunt, etiamſi nullum alium librum unquam audires, uel uideres. Proinde Iacobi Epiſtola plane ſtraminea eſt, ſi ad alias conferatur, Nihil enim Euangelicæ artis ac ſaporis in ſe continet. Sed de hac re longe fuſius in alia Epiſtola, ſeu præfatione. Hæc tua uerba ſunt Martine Luthere, quæ te uelim paulo preſſius diſpicere, prius enim omnia retuliſti ad Ioannis Euangelium ueluti principale ac primarium: nunc uero in illa tua uiſitatione plane nugarũ tuarum oblitus illud omiſiſti ac prætерijſti. Prius in præfatione tua noui Teſtamenti in commendanda Pauli Epiſtola ad Romanos, tantum non duodecim paginas ſcribendo conſumpſiſti: nunc eandem tacito conſenſu obliteras, ac ex Saxonum tuorum animis delere cupis. Ita ad Galatas Epiſtolam laudibus euexiſti, nunc plane non amplius meminiſti. Proh pudor, quas tenebras, quas nugas, quas tergiuerſationes, quas impoſturas rudi populo, ac nouarũ rerum ſtudio ſemper ęſtuanti, offundere nondũ ceſſas. Prius equidem primam tantum Petri Epiſtolam commendaſti, nunc ambas legendas cenſes. Quid, quod Sancti Iacobi Epiſtolam nullam Euangelicam artem habere, ac rationem prius aſſeruiſti, nunc eandem multis Epiſtolis Pauli, Ioannis ac aliorum omiſſis, publice legendam arbitraris, atq; repetendam, ſi in legendi orbem redacta fuerit, ac a principio legendam? Quòd ſi nunc excutere uelim præfationem tuam, quam de Biblicis libris legendis nominatim inſcripſiſti, deos immortales, q̃ diuerſas & nuſquam ſibi conſtantes reperire poſſim opiniones. Sed de hijs hactenus.

LVTHERVS. Et ſi hæc abſoluta fuerint, denuo reuocanda ſunt a principio ac repetenda. Lector autem debet populum adhortari ad orationem Dominicam dicendam pro communi neceſſitate, pręſertim ſi quid tunc uſu ueniet, pro pace ſcilicet, uictu, ac præcipue pro gratia diuina, ut nos regat & cuſtodiat.

IOAN. FABRI. Quęſo Martine Luthere, cur non permiſiſti libros noui Teſtamenti eo ordine legi, quo Iudęi ſuum Thorach, ſiue Pentateuchum in Sydrach diuiſerunt, adeo ut ſingulis Sabbatis unum Sydrach legant, ac per annum ita totum Pentateuchũ abſoluant. Cur nõ potius primitiuæ Eccleſiæ morẽ obſeruaſti, quæ ſacerdotes ac ſacris initiatos ita inſtituit, ut q̃libet presbyter ꝓpe omnes noui ac ueteris Teſtamenti libros perorarет unius anni ſpacio? Quòd de precatione Dominica ais, tecum facio ac tibi aſſentior. Nolim tamen, ut ſecundum tuam interpretationem oraretur, eſt enim quatuor in locis fœde deprauata. Cur autem angelica ſalutatio omittenda ſit, neſcio, plurimum enim refert, ut ibi Chriſti incarnationis, gratiæ ac miſericordiæ ob peccata noſtra admonear. Ad hæc Mariam deiperam uirginem non ita ſaluto, ut tu, Salue gratioſa, ſed gratia plena, quod melius ad copiam Græcorum exprimendam ualet, χαῖρε κεχαριτωμένη.

Angelicam ſalutationem Lutherani cõtemnunt.
Luc.1
Pſal.36.75.

MARTINVS LVTHERVS. Posthac potest tota Ecclesia Germanicam aliquam cantilenam canere, deinde prædicator Collectam legere debet.

Lutheranorũ Ecclesiastica cantio.

IOAN. FABRI. Recte tibi fecisse uideris, ꝙ Ecclesiasticas cantiones, quę ante M.C C. annos institutæ fuerunt, exegisti, ac nescio quos tuorum uersificationum rythmos ac nęnias in medium protulisti. Nunquid enim Martine Luthere quilibet indoctissimus sacrificulus in tua synagoga Ecclesiasticos ordines constituere potest? Nihil profecto aliud mihi respondere poteris, q̃ rem ita sese habere. Si autem quilibet sicuti tu, res nouas in Ecclesia dei moliri uellet, fieri non potest, quin amplius ἐκκλησία, sed nescio quod impiorum conciliabulum dici possit. Nonne satius fuisset, hanc camerinam nõ mouisse, hæc sacra non attrectasse? Impendent em̃ tibi multa ex hac re mala, quæ iuxta Esaiæ dictũ nunc non præmeditaris. Si enim generale Concilium cogetur, ab omnibus neglectæ fidei Christianis insimulabuntur tui Saxones, q̃s ita egregie induxisti, ac etiamnũ inducere nõ cessas, ut sese homines esse amplius non agnoscant. Etenim in die illo uiri Bohemi quanq̃ multis in locis sub utraque specie communicant, uobis pręcedent, sicuti Niniuitæ Iudæis, Nondum enim penitus a ritu ac ceremonijs Ecclesiasticis recesserunt. Cæterum doces esse Collectas docendas hoc in loco non male equidẽ. Sed sine quæso inueteratas ac consuetas Ecclesiæ Collectas permanere.

Bohemi Lutheranis meliores.

LVTHERVS. Vesperi bonum esset, quod tres Psalmi Latini & non uernaculi canerentur, propter scholasticos, ne linguam Latinam dediscerent.

IOAN. FABRI. Longe melius fuisset, si Lutherus sartas tectas uesperas esse uoluisset, ac obseruasset nõ tres, sed quinq; Psalmos. Imo quoq; optimum fuisset, si scholarum authoritatem non ita comminuisset, non lupanaria, non Sodoma adpellasset. Tanta enim doctorum hominum paucis annis futura est annona carissima, ut uix credibile sit. Tunc plane erimus exteris derisui, quos nũc nostris quoq; ineptijs iritamus ac prouocamus. In hoc pistrinũ, non scholam, nos Lutherus induxit, qui eos magistros creauit, qui uix discipuli esse possent. Sed age Luthere, omnibus uiribus enitere, ut Gymnasiorum dignitatem constituas, oppido enim q̃ opus est.

Scholæ per M. Lutherũ dirutæ.

LVTHERVS. Deinde puras Antiphonas, hymnos, ac responsoria, ac lectionem quoq; uernaculam ex primo libro Mosi aliquem legere deceret, ex libro Iudicum ac Regum quoq;.

IOAN. FABRI. Amabo mi Luthere, si nihil amplius erat, quod in Vesperis corrigeres, hoc quoq; bene inconcussum relinqueres, Sed insolentia ac noua semper tibi placuere, proinde facis quod te decuit.

LVTHERVS. Post lectiones prædicatores iubere debent, ut populus orationem Dominicam peroret.

Hiero. Orationi lectio, lectioni succedat oratio.

IOAN. FABRI. Sed tu Luthere, in tuo nouo Testamento cum nostra oratione non conuenis in omnibus.

Lutherus

LVTHERVS. Tandem poſſet cani Magnificat, uel Te deum laudamus, uel Benedictus, uel Quicunqꝫ uult ſaluus eſſe, uel aliæ puræ preces.

IOAN. FABRI. Hoc eam ob rem facis, quod uulgus erraſſe ueteres orthodoxos ſacerdotes dicat, ac tecũ ſentiat, q̃a omnia peruertis ac mutas quadrata rotundis, Prius ẽm Te deum laudamus tantum in matutinis precibus cantabamus: Sanctiſſimus autem Pontifex M. Lutherus approbat id faciendum eſſe in ueſperis. Hic equidem eſt ille ſanctulus, qui uiuendi ac canendi rationem ſacerdotibus præſcribit. Ita quoqꝫ illi Benedictus cantico Zachariæ abutuntur, inducunt enim neſcio quod ὑστερόπρωτερον, ac rerum peruerſitatem. Similiter cum ueteres ac orthodoxi patres, Quicunqꝫ, Pſalmum Athanaſij in Primis cecinerint, tu ueluti nouus uiſitator ac Eccleſiæ reſtaurator, ad ueſperas, id eſt, ad extrema reſeruas. Hoc uero uelim mihi dicas Luthere, cur Benedictus ac Magnificat ingeras, Angelicam autem ſalutationem prorſus reijcias, cum tamen eadem prope res ſit?

Canticũ Ambroſij ac Auguſtini, Te deum laudamus.

Quicũqꝫ, eſt Pſalmus Athanaſij Epiſcopi Alexandrini, quem Treueris cõpoſuit.

Luc. 1

LVTHERVS. Vt iuuentus etiam literas ſacras addiſcat, ac teneat.

IOAN. FABRI. Si tibi obtemperaremus, nemo quiſquam, Te deũ laudamus, uel Quodcunqꝫ, canere poſſet, Non ẽm hæ cantilenæ in ſcripturis deprehenduntur, uerum eas ſancti patres ac Doctores, quos tu reſpuis, Ambroſius, Auguſtinus ac Athanaſius compoſuerunt. Verum age iamdudum nil agis cum tuis peſſimis inſtitutionibus.

LVTHERVS. Poſtea poſſet tota Eccleſia uernaculam cantilenã quandam canere, ac in fine presbyter legere Collectam.

IOAN. FABRI. Deo ſit gratia, ꝙ iterum in medium presbyterorũ authoritas prodijt, ꝙ Collectæ reuocatæ ſunt, &c̃.

LVTHERVS. In paruis uillis, ubi non ſunt ſcholæ, non neceſſum eſt, ut quotidie cantetur, Bonum tamen ac utile eſſet, ſi ante conciones aliquid caneretur.

IOAN. FABRI. Si autem ruſtici tibi in os dicturi forent, Nolumus canere, Vbi enim ſcriptum eſt? Quid illis reſponſi dares, quęſo?

LVTHERVS. In ſeptimana tantum debent fieri conciones die Martis, & feria ſexta.

IOAN. FABRI. Hæc ſcita referenda ſunt in tabulas Decretalium, aut in extrauagantia, nam in Euangelio non eſt ſcriptum.

Quid in Eccleſia prædicandum ſit. CAP. XLV.

LVTHERVS.

PArochi quoqꝫ debent operam dare, ut utiles ac non perplexos libros prædicandos deſumant, Ita fiet, ut fides ita prædicetur, ac ad ueram pœnitentiam, iudicium & timorem dei, ac bona opera dirigatur, nec negligatur. Nam ſine pœnitentia neqꝫ credere, neqꝫ fidem percipere poſſumus.

IOAN. FABRI. Si antea ita & ſenſiſſes, & docuiſſes, multæ arces etiamnum ſtarent, nec Eccleſiæ ita eſſent deſolatæ ac demolitę.

LVTHERVS Feria sexta mane & uesperi prædicandum est: mane Euangelium, post meridiem censemus anteaquam familiares ac famuli & iuuentus in templum uenerint, magis magisque esse concionanda decem præcepta, ac articulos fidei, & orationem Dominicam.

Humanus ordo in omni natione necessarius.

IOAN. FABRI. Et hæc quidem mandata hominum sunt, quæ tu sarta tecta esse uis, Quicquid autem uniuersalis Ecclesia constituit, tu reijcis, ac humanas nęnias esse censes. Vides autem nunc Martine Luthere, quod absque humanis institutionibus Ecclesia neque ordinari, neque defendi potest.

LVTHERVS. Decem præcepta ideo, quod uulgus ad timorem Dei compellatur.

IOAN. FABRI. Tu autem prius asseruisti, decem præcepta esse abolita iamdudum, pręcipue uero tertium exegisti ac exibilasti.

Mat. 6
Luc. 11

LVTHERVS. Deinde autem orationem Dominicam, ut homines sciant, quid petant, aut quid orent.

Vualdenses.

IOAN. FABRI. Facete tu uero orationem Dominicam accepisti, In duobus enim uersibus quater corrupisti. Ad hæc unus ex Vualdensibus es, qui salutationem angelicam nunquam orant, aut recitant.

LVTHERVS. Si autem die dominica decem præcepta, oratio dominica ac Symbolum prædicata fuerint ordine unū secundum aliud, tum de matrimonio ac sacramentis Baptismi ac Eucharistiæ accurate prædicatores agere debent.

In captiuitate Babylonica.

IOAN. FABRI. Tu Luthere omnia sacramenta turpiter ablegasti, Si idem ego facerē, quibus me uerbis acciperes? Credo te dignis, me uero indignis. Tu me falso insimulasti, me aduersus matrimonium magnū opus scripsisse, nam ego οὐδ᾽ ὄναρ id cogitaui unquam.

LVTHERVS. Concionatores quoque debent ab omnibus conuitijs cauere ac abstinere, In communi autem uitia reprehendere debent, quæ audiunt, non autem ea, quę non audiunt, de Pontifice scilicet ac Episcopis similiter.

D. IOAN. FABRI. Profecto ad credendum inducor, si id discipuli tui præstare uelint, quod paulo pressius concionibus ac libris incumberent, ac immorarentur. Nam usque huc nihil aliud pro concione egerunt, quam ut conuitia & scommata in Ecclesiæ capita, δυσμῆς ἐπ᾽ ἄμαξης euomerent.

LVTHERVS. In festiuis diebus, ut in Natiuitate domini, die Circumcisionis, Epiphaniæ, in Paschate, Ascensionis, Pentecostes, ac alijs, ut hactenus obseruatum est, parochi a prandio de festis concionari debent.

IOAN. FABRI. Hic non amplius cum Pighardis sentis, sed ad meliorem mentem redijsti. Quid causæ uero dices, cur non a principio rem illam inconcussam siueris? Forsitan quod peruersus ac malignus spiritus ita uoluit. Festa enim hæc a mille & quadringentis annis instituta fuerunt.

Quomodo

Quomodo feriæ ac magna septimana colenda sit. CAP. XLVI.

LVTHERVS.

Debent quoque hæc festa, Natiuitatis domini, Circūcisionis, triū regum, Paschatis, ac Ascensionis, Pentecostes, obseruari.

IOAN. FABRI. Prius autem docuisti, agricolas bene & impune opus facere hijsce diebus posse.

LVTHERVS. In magna uero septimana, feriam quintam ac sextam, cum in hijs passio Domini nostri prędicatur, feriari eodem modo quo supra debemus.

IOAN. FABRI. Hoc in loco tibi non obtempabunt, qui aliquandiu hactenus porcellos, capones, ac capita uitulina comederunt. Sed interrogabunt te, Ecquo loco in Euangelio de hijs rebus aliqd repereris? Intelligis autem ne etiamnum, te malitiose egisse, quod Ecclesiasticum ordinē ita conuulsisti?

LVTHERVS. Sunt quidam inepti, rudes ac barbari, qui huiuscemodi ferijs refragantur, quod certe non est condonandum. Eam autem ob rem hæ ferię institutæ sunt, quod cum populum omnem scripturam eodem tempore docere non possimus, statis temporibus portiones selectas scripturæ huic proponamus, Quemadmodum fit in scholis, uno die Virgilius, altero Cicero prælegitur.

D. IOAN. FABRI. Plus certe q̄ millies uociferatus es, Euangelium ita clarum esse ac apertum, ut iam quoque aniculæ ad colum cantillent, & sint hac in re longe peritiores, q̄ nostri Doctores in gymnasijs publicis. Hæc sunt atque alia similia, quibus tu ferme totum Christianum orbem infecisti. Cæterum simile de Virgilio ac Cicerone sic accipio, ut a Melanchthone profectum, cuius uirtutibus hic parcere uolo, quamuis sint quibusdam criminibus obnubilatæ, in quæ tu bonum iuuenem olim sic abduxisti. Si enim ille tuus logodędalus non esset, nescio quid præstare posses.

LVTHERVS. Cum autem absurdum sit, semper easdem cantilenas canere, bonum esset, ut in maioribus festis, Latinos introitus, Gloria in excelsis deo, Halleluia, ac puras Sequentias, Sanctus, Agnus dei, parochi canerent.

IOAN. FABRI. An nescis, Ecclesiasticas cantiones esse pulchras, ac affectibus Christianis plenas, ut sępius sancti patres nostri hijs acquieuerint lachrymis, cum audirent? Negare enim non potes, quod S. Gregorius ac Ambrosius in Mediolanen. Ecclesia, tales cantiunculas composuerint, quæ ne latum unguem quidem a Biblicis Euangelicisque scripturis discordant. Proinde nihil est, quod tu, uel tui discipuli cauillari possint.

LVTHERVS. Cæterum in die Dominica missum facimus, quicquid quilibet bonus parochus ceremoniarum usurpauerit. Attamen melius esset, quod populus ad Synaxim sacrosanctæ Eucharistiæ commoneretur.

IOAN. FABRI. Imo Martine Luthere, satius fuisset, quod antea missas fecisses has ceremonias, quam quod nunc iterum restituere conaris.

LVTHERVS. Ad hæc nemo ad communionem sancti mysterij corporis Christi admitti debet, quam qui prius fuerit auditus ac interrogatus. Ita fiet, ut corpori Christi non fiat contumelia, ut supra ostendimus.

IOAN. FABRI. Nunc bene subodoror, quid uelis, Per te enim nunc etiam bene licebit cõmunicare tantum sub una specie, Mentionem hic enim tantũ facis de corpore Christi. Sed hęc anteaquam Lutherus & Theognis nasceretur, omnibus constabant, ut in auriculari confessione populus ad reuerenter adcipiendum Eucharistiæ sacramentum commoneretur.

Quomodo Missæ celebrandæ sint. CAP. XLVII.

LVTHERVS.

Præterea uarij gestus, qui fiunt in Missa, quoad in æqualem ac meliorem modum dirigantur, neminem debent commouere ad offendiculum, cum & alia sint sub Pontificatu longe iniquiora, quæ in omnibus ferẽ collegijs perpetrantur. Ad hæc tres quatuorue Missæ aliquando canuntur cum maxima uociferatione, neminẽ tamen quenquam commouerunt, aut etiamnum mouent.

2.Reg.8 D. IOAN. FABRI. Scis te id admisisse, de quo in libris Regum lo-
2.Reg.20 quitur, quicunque uolebat, sacris initiatus est, uel sacerdos factus est: nam quilibet pro suo arbitratu proprium Canonem composuit & confinxit. Ita Zuuinglius sane pulchrum Canonem de uero corpore ac Christi sanguine composuit: uerum ille nescio in quam spongiam incubuit. Nam interim dum Canonem commentabatur, a sacramento Eucharistiæ penitus excidit. Pariter & Oecolampadius, Brenzius, ac alij ab eorum institutis exciderunt primi. Quotusquisque enim nunc non indoctissimus reperitur, qui proprium sibi Canonem confingat? Vbinam autem illi Canonistę sunt, qui crucem domini abnegarunt? Nonne olim per totam Latinam Ecclesiam uniformis Canon tam crucibus, quam geniculationibus, ac conceptis uerbis obseruatus fuit? Quõ nũc ille peruenit a uobis exactus? Inficias enim ire non potes, quin si quis in remotissimo orbis recessu Britannia fuerit per aliquem festum diem, quin ille quoque sciuerit, quibus ritibus ac uerbis sacerdotes quoque in Hispania, Gallia, Polonia, Hungaria ac Italia uterentur, nempe similibus, nec ad unicam literam mutatis. Quamobrem nugas ais, contrarium enim tibi ipsi dicis.
Luc.16 Facile tamen coniecto, quid affectes, nempe inanem gloriolam, ut post
Iudicũ 16. sexcentos aut mille annos nouus Canon a Luthero compositus esse di-
1.Reg.5
1.Mach.10. catur. Vt autem luce meridiana clarius perspicias, quàm Dagon ille tu-
Forma Missandi per M. Lutherum edita. us coram Archa concidat, ostendam tibi ob oculos quendam tuum libellum, quẽ publicasti, Anno M. D. XXIIII. Titulus autem huius erat: Forma Missandi. In isto autem scribis, quomodo in posterum Euangelica Missa

lica Missa habenda sit, & aliæ nostræ antiquandæ ac reijciendæ sint? Quum autem libellum illum duorum quaternionum, ac præsentem Visitationem confero, nihil aliud reperio, quàm ex diametro pugnantia ac dissimilia. Primo asseris, uernacula lingua esse canendum, ut uulgus I.
quoque intelligere possit, Nunc uero contrarium doces, quod mihi non displicet. Secundo, uisum tibi est, ut omnia festa beatæ Mariæ uirgi- II.
nis, Apostolorum ac aliorum Sanctorum abolerentur, adeo ut etiam festa S. Crucis anathemate deuoueris, Nunc autem in illa uisitatione restituis, quæ prius deleueris. Ita enim miserum uulgus naso trahis, ut histriones ac scurræ bubalum uel ursum. Tertio, extreme damnasti Epi- III.
stolas ac Euangelia, quæ in annũ partita sunt ad bona opera, Nunc autem reuocas te, ac admissi insimulas teipsum. Quarto, quadragesimale IIII.
ieiuniũ, & magnam septimanam, ac præcipue feriam quintam ac sextam, non aliter colendam duxisti, ac alios dies, Nũc uero diuersum opinaris. Quinto scribis, in Missa neque Sequentias, nec quicquam prorsus esse V.
canendum, sed tantum, Grates nunc omnes. Iam hoc in loco tuæ egregiæ uisitationis aliter sentis, nam de Gradualibus, communionibus ac alijs contrarijs tuis opinionibus dicere supersedeo, multa enim mihi reseruo in hoc opus, ubi aliquot Myriades desultoriæ tuæ leuitatis reperies.

Quomodo mortui sepeliendi sint. CAP. XLVIII.

LVTHERVS.

Funera etiam honeste produci debent, ut unus sacellanus ac ædituus sequantur, ac populum quoque pro concione ad comitandum commoueant, ac prope sepulturam uernacula lingua uernaculæ cantiones cani debent.

IOAN. FABRI. Dijs sint gratiæ perennes, quod Capellani iterum prodierint, quod iterum homines sepeliendi sint, Multi enim tuæ asseclæ hominum cadauera ueluti asinorum, canibus proiecerunt. Imo laus deo sit in sæcula, quod mortuis non est insultandum, sed quod luctuosa illa cantilena canenda sit, Media uita, &c. Semper enim cogitaui fore, quòd uiduam in Naym, ac discipuli Ioannis, ac pij in Hierusalem cum Stephano aliam de sepultura opinionem allaturi essent. Non enim ita fiet, ut de Diogene Cynico ferunt scriptores, qui quum mortuus esset, fustem in manibus habuit, ut canes ac feras abigeret.

Luc. 7. Marc. 6 Mat. 14 Act. 7. Diogenes Cynicus Synopeus fuit. Lege Diogenẽ Laërtiũ de uitis philosophorũ lib. 6.

Quomodo mali mores ac scelera corrigenda sint. CAP. XLIX.

LVTHERVS.

Audimus quoque, quod pessime agitur cum puerperis ex quorundam concionibus, quæ statim ad labores ueluti feræ post partum adiguntur, nulla ratione habita partus ac dolorum. Hinc fit, quod multæ iterum in morbos reciderunt, quædam uero mortuæ sunt.

IOAN. FABRI. Hæc non tantum ſunt, quæ prædicatores tuæ fari- næ inſolentia in ſuggeſtu docuerunt, uerũ etiam alia longe maiora, quæ uix in Chiliadibus ac Myriadibus potius perſcribere poſſim.

LVTHERVS. Perinde agitur cum Chriſtiana libertate, ac ſi quis prin ceps agmen porcorum ſuæ menſæ adhibeat, qui cum non intelligant hunc honorem ac apparatum, facile omnia immundis morſibus conta- minant, ac ipſum dominum quoq; ac conuiuatorem ſordibus conſper- gunt. Ita uulgus non intelligit, quid ſit Chriſtiana libertas, facile abuti- tur. Ita enim etiam deus dehoneſtatur, boniq; mores ac omnis honeſtas negligitur.

IOAN. FABRI. Multi docti iuxta ac pij ante tuam ætatem uiri fuere, qui non tam reuerenter, q̃ docte ac exquiſite de longe maioribus rebus ſcripſerunt, q̃ tu: nemo tamen quiſquam tantus audaculus extitit, ac tu es, qui ita Chriſtianam libertatē populo deridendam propinauerit. Hinc uulgus cõmotum noluit amplius ſuperioritatem ac principum & dominorum ferre iugum, cenſus ac alia debita reddere noluit: tandē ni- hil aliud ſequutum eſt, q̃ cędes, ſtrages cruentæ, ac latrocinia & mortes, inhoneſtæ nugæ, proditiones, ac alia innumera, quorum tu caput es, neq; poteris unquam nõ fuiſſe tantorum malorum te authorē inficiari.

Ebrietas ac adulterium. LVTHERVS. Quicunq; aperta ſcelera ſæpius, ut ſunt adulterium, ebrietas, ac alia commiſerit, neq; commonitus abſiſtere uult, is non de- bet admitti ad ſacramentum Euchariſtiæ, Attamē ſæpius antea pręmo- neri ac corrigi tales debent. Quòd ſi dicto non audientes fuerint, tum *Excommunicatio.* demum ab Eccleſia excommunicandi ſunt.

IOAN. FABRI. Hæc Turegi impune prædicare non poſſes, atque alijs quoq; in locis, ubi ebrietas in tantas uires accreuit, ut naturalis iſti- us regionis princeps nullis ſupplicijs, nullis animaduerſionibus ac pœ- nis cauere poſſit. Huc te proficiſci uelim, ut illis hoc malum ueluti Ionas *Ion.2. & 3* propheta Niniuitis prædices ac corrigas.

De tinnitu campanarum & pulſionibus. CAP. L.

LVTHERVS.

NOn abſurdum eſſet, q; prædicatores tempore ęſtiuo populum commonerent, ſi tempeſtates orirentur, pulſari non ideo cam- panas, quaſi tinnitus ille tempeſtates abigeret, ut hactenus fal- ſo creditum eſt.

IOAN. FABRI. Hoc ego plus q̃ millies pro concione docui, nec du- bito, quin non alij quoq; idem fecerint, quando pulſum fuit ad pacem, q; omnes Chriſtiani pro publica pace orare debeant, Si uero ad Aue Maria, ut angelicæ ſalutationis commonefaceremur. Ita ſi contra tem- peſtates pulſum fuit, non aliam ob rem factum eſt, q̃ ut populus ſurge- ret, ac oraret pro frugibus, ac communi ac quotidiano uictu. Fecimus *3.Reg.17.18 Iacob.5* autem hæc exemplo Heliæ, ac aliorum patrum noſtrorum, qui nequa- quam abſq; ratione fecerunt.

LVTHERVS. Quanquam autem quidam opinentur, q; in honorem

beatæ Mariæ uirginis hęc fiant, hij debent sic institui quod in hoc sit obseruatum ut homines contra insidias ac mortem repentinam orent, quę plerunqꝫ nocte dieqꝫ nobis usu uenit ac contingere potest.

IOAN. FABRI. Ego uero credo te ita in animum tuum induxisse ut obstinate operam dare uelis quo honorem ac dignitatem Mariæ deiparę uirginis labefacias ac conuellas, Proinde in primis eiusdem intercessionem reiecisti, salutationem Angelicam adulterasti ac deprauasti. Tui quoqꝫ sectatores asseruerunt quod sit eiusdẽ sortis mulier ac alię, ac non solum in peccato originali concepta fuerit, uerum etiam ipsa quoque sit peccatrix ut aliæ omnes quasi uero tribadem adpellassent quoqꝫ & nescio quid de ea aliud dixissent. Tu quoque docuisti eam etiamnum non esse in cœlo. Cum uero nihil aliud quod in eius uituperium cedere possit reperias, hunc quoqꝫ honorem sibi adimere conaris. *Lutherus in sermone de purificatione Mariæ uirginis.*

LVTHERVS. Quemadmodum ueteres hymni ac cantilenæ completorij ac primæ ostendunt.

IOAN. FABRI DOCTOR. Si uetustissima queqꝫ non grata quadam uulgo nouitate antea uoluisses, non ita nunc laboraremus.

De pace prædicanda, ac cauendis discordijs.

CAP. LI.

LVTHERVS.



VVlgus quoqꝫ instituendum est, quam bona ac preciosa res sit pax, In bello enim pauperes uictum quærere nõ possunt, neque liberi honeste educari, uirgines ac matronę corrumpũtur, pessimæ quæqꝫ temeritates impune perpetrantur, non solum ab hostibus, uerumetiam a socijs. Leges ac iudicia inter arma silent. *Lis facit pauperes diuitias.*

IOAN. FABRI. Nos illos beatos credimus cum Christo qui pacifici fuerunt ac eosdẽ appellauimus filios Christi. Tu uero seditiosos agricolas Euãgelicos reddidisti. Nos clamauimus cum rege Dauid, Dissipa gentes, quæ bellum uolunt. Tu autem rusticorum institutum laudasti, ac illis classicum pręcinuisti, quanquam sero nimis receptui canere uolueris, cum iam de miseris istis actum erat. *Matth. 5* *Psalm. 67*

De nouis superintendentibus. CAP. LII.

LVTHERVS.

DE ordinationibus superintendentis. D. IOAN. FABRI.

En Lutherus conatur facere propriũ decretale, quapropter oportet eum propria officia constituere et officialibus propria officiorum nomina dare, quę in Euangelio non inuenit. Hoc autem eam ob causam fit: Ipsius uoluntas est, Archiepiscopos ac Episcopos oẽs depellere, et q̃d ipsi prius fecere, in Cancellariã trahere molitur. Quod si de archidiaconis ac archipresbyteris loqueret̃, uulgus statim de Bremensibus ac Misnẽsibus ac aliorum Episcoporũ archipresbyteris intelligeret, ut certe plus octingentis annis fuere ac per totũ Romanũ imperiũ seruata sunt, Quo uulgus existimaret ꝙ diaconi & alia huiuscemodi nomina sunt cõtra euãgeliũ, & eos supintẽdẽtes nominare cõueniebat. Ea ꝑpter *Archidiaconi Archipresbyteri.*

Luthero titulus a superintendentibus poni debet. Quis aũt est ipsius superintendentis superintendens? Quis custodiet ipsum custodẽ? Optime Luth. dicis de pace, & de ea docendũ ac prędicandũ cẽses, qua in re recte agis, Sed tu semp ac sine intermissione uis ui ac absq; iure Episcopis ac cęteris hominib. suũ abstrahere, et id q̃d ipsi habuere in possessione plus q̃ mille annis. Tu uis eos fugare quos non constituisti, uis messem accipere ubi nõ seminaueris. An putas q̃ ita qs se depelli patiatur? Quapropter abstineas et cogites, id quod tibi non uelis fieri, alteri quoq; non facias. Quis te id docuit quod sartoribus atq; sutoribus eam potestatem dares ut dei dona abrogarent, & ea quidem quæ ante mille annos ab Imperatoribus & regibus lata fuerãt? Vbi scriptum est quod tu contra auream bullam, cõmunem pacem, edicta Cæsaris ac Imperij, ex Monasterijs ac Ecclesijs equorum stabula facere possis uel debeas? Gentilium drj ut Valerius scribit hoc non passi fuissent, An putas quod deus omnipotens cœli ac terræ hoc pati possit aut uelit?

Lucæ 19

Valerius Ma. libro 1. cap. de neglect. religione.

De monasteriorum uastatione. CAP. LIII.

LVTHERVS.

Eiusmodi Parochus præesse debet reliquis presbyteris qui in eo territorio siue districtu sunt, siue sub monasterijs seu alijs Ecclesijs morentur, nobilium uel aliorum.

IOAN. FABRI. Optime mi Luthere doces hic quomodo presbyteri sub monasterijs ac tẽplis debeant superintendenti esse subiecti. Perlibẽter scirẽ ubi essent monasteria ac templa in districtu uisitationis, quæ tu iure quodam reliquisti. Etsi uero ea non uastaueris, attñ equorum stabula, publica armaria ex hijs fecisti. Hic ꝑculdubio uis ut stabularij tyrones sint subiecti superintendenti, nam alias neq; monasteria neq; corũ incolæ apud te pacem habent, nec non alias pauperum Monachorum ingens est multitudo, quos tu profligasti, ad me in Bohemiam ac alia loca uenientes. Præterea ex proprio tuo monasterio œnopolium fecisti, sedes iniquus in utramq; partem, cum tuo Euangelio erga nos presbyteros, Nam id pro tua utilitate interpretari soles, ac in tuam crumenam, quo multum tum lactis tum etiam lanę accipias, Nihil aliud est, nam si sacrarum ædium ac religiosorum bona haberes, tunc Euangelio optime esset consultum. Hic latet anguis in herba, hoc est summarium totius Euangelij tui.

Ioannes Zisca Hussitarum capitaneus.

Lutherus ex Argo Zisca factus.

Lutheri Monasteriũ Oenopoliũ factũ

Hemistichion Maronis ex 3. Egloga

Quod spirituales causæ ad Episcopum spectent.

CAP. LIIII.

LVTHERVS.

Etiam diligentem habere animaduersionem conuenit, ut in supradictis parochijs recte ac Christiano more doceatur, et uerbum dei, et Euangelium pure ac fideliter prædicetur & ut hominibus sacramenta prout Christus instituit recte administrentur.

IOAN. FABRI. Quod si sacramenta missa fecisses, et ut olim fuere, iam multum tædij ac laboris nobis adimeretur.

LVTHERVS. Quod si autem ipse ab hac re nō abstineret, neq; omitteret & precipue ad excitādam falsam doctrinam ac seditionem, tunc superintendens absq; ulla mora officiali illud patefacere debet, qui tū hoc obtinet, ac nostrum gratiosum electorem huius rei certiorem reddere, quo sua benignitas huic rei aliquando prouidere possit.

IOAN. FABRI. Non te latet non solum iura Canonica uerum etiam Cæsarū leges perhibere, has causas ad unumquemq; Episcoporum pertinere, et hoc plus minus mille annis seruatum fuisse per totum Christianum Imperium. Præterea scis Paulum Timotheo uiam, modum ac ordinem dedisse, quomodo & quibus modis ipse contra clericum actionem instituere deberet, et quod hoc in præsentia duorum uel trium testiū fieri debeat et cōueniat. Ex quo intelligi datur, etiam tempore Pauli Timotheum & ipsum Paulum potestatem iudicandi sacerdotes habuisse, nec quenquam aliū. Porro scis quomodo magnanimus ac uere Christianus Cesar Constantinus Niciæ nihil de presbyterorū ac Episcoporū causis iudicare uoluit: quin potius illis hāc dedit potestatem, & hoc ante ducētos mille annos consuetū fuit, ut ambo Theodosij, Martianus, Valentianus, Gratianus, Iustinianus, Carolus Magnus, Lotarij, Ottones, Henrici, Friderici, Conradi ac alij Christiani principes seruarūt, debebas gratiosiss. meo dño & electori hoc prælegere, neq; ita ei consulere ut Iudas, proculdubio sua Gratiosiss. dominatio hoc in posterum caueret, ac summa in lætitia uiueret, ut cæteri illius gn̄is electores olim uixere. Sed adhuc semel tuam prophetiam cōprobes necessum est, ubi ais, eam causam ex inuidia ortam, eamq; inuidia finiri debere, neq; rebus consultum esse, usq; dum ita committatur cædes, ut in sanguine ad media usq; genua ambulemus, & hic tandem cachinnum mouebis ac lætus eris.

1. Timot. 5

Constantinus Magnus 38. Roman. Imp.

Per Lutherum scholas fuisse neglectas. CAP. LV.

LVTHERVS.

PRædicatores etiā debēt uulgus adhortari ut eorum liberos ad scholas relegent, quo homines educentur, qui ad docendū sint idonei & uel in Ecclesia uel alias homines alios regere possint.

D. IOAN. FABRI. Optime profecto in nostra Germania tale tyrociniū erat institutū, et dñs quemadmodū Magdalenę nobis in pretextu cuiusdam uineatoris cōparuit: sed tum ueniebat frendens ille aper e Vitenberga, qui arbores ac floriferas herbas omnium artium, ac trium linguarum una cum ramusculis radicitus extirpauit, & quod alij plātando præstitere, ipse funditus euertit longe maiorem incommodum q̄ aper Herculis tempore inferens. Nam mi Luthere, quod scholæ neglectę fuere, nemini alio q̄ tibi culpam esse imputandam censeo, et post quinquaginta annos tibi demū gratia dicetur, quod Asinariam Plauti nobis Germanis instituisti, cumq; doctorū penuria erit, tum omnes te deierabunt.

Ioan. 20

Asinaria Plauti.

LVTHERVS. Nam aliqui putant satis esse prædicatorem posse uernaculam linguam legere. Eorum autem opinio malitiosa & abijcienda est.

IOAN. FABRI. Quod si nos a quouis homine, qui illius opinionis

fuit aut

fuit,aut adhuc eſt,tantum unicum ducatum haberemus,abſq; difficulta te cum Turca in multos annos poſſemus confligere.Quid rogo tu acciperes,& hoc capitulum in aliquibus ciuitatibus prædicares uulgo?

LVTHERVS. Nam qui alios docere uult ac debet, eũ magnam exercitationem & præcipue ſingularem quandam eruditionem habere neceſſum eſt,ad eamq; aſſequendam & diu & a cunabulis diſcere oportet.

IOAN. FABRI. Vide mi Luthere,aliquot tuarũ mulierum ſeipſas perſuaderunt,ſe in tribus concionibus in Euangelio doctiores fuiſſe factas, quam uel Hieronymus, Auguſtinus ac alij Eccleſiaſtici doctores unq̃ fuerint, & quanq̃ nos ſatis anxie conquerimur, & cum Hieronymo probamus omnem artem ac doctrinam prius eſſe diſcendam anteaquã quis ſit doctus.Sed quid tu agis? Omnes Chriſtianos doctores contemnis,atq; ita falſa opinione te perſuades,te multo hijs omnibus doctiorem eſſe. Eapropter ſcribis in eo libro de ſeruo arbitrio,inter omnes doctores nullum ineptius interpretaſſe ſcripturam quam Origenem ac Hieronymum.Præterea ais Hieronymum in ſcriptura nõ rectam cognitionem nec operam adhibuiſſe,atq; concludis, Hieronymum potius æternam pœnam quam cœlum meruiſſe.Iam in tua ſchola ſunt quaterni prędicatores,qui ſubito magiſtri exiliere, anteaquam ſcholares fuerunt.

Quaterni prædicatores

LVTHERVS. Quapropter ſeniores propter deum immortalem debent liberos ad ſcholam inſtituere eoſq; deo Opt.Max.ita pręparare ut & ipſi alijs prodeſſe poſſint.

IOAN. FABRI. Eorum ingens eſt multitudo qui aiunt, hoc capitulum a Philippo Melanchthone ac doctore Schurff fuiſſe elucubratũ, eamq; ob cauſam: Vident eñ profligatos Monachos diſcere deſijſſe, ac perpaucos ſcholares habere, Timẽt igitur mox eo uenturũ, ut etiã ipſimet ruſtici fiant, & cogantur ceruiſiam facere, quemadmodum D. Carolſtat.Sed ambobus uere condoleo,quod ad talẽ phalariſmũ uenerũt.

D. Carolſtat.

De cenſibus ac ſuſtentatione ſacerdotum.

CAP. LVI.

LVTHERVS.

Leuit. 27 Nume. 18 1.Corin.9 Qui altari deſeruiunt, cum altari participant.

DEus Opt.Max.Leuitas in lege Moſi cũ decima ſuſtẽtauit,Sed in Euangelio nullibi præceptum uel ſcriptum eſt de decima presbyteris danda,ſed ſcriptum eſt ut eis nutrimenta ac neceſſaria uitæ porrigantur.Sed & Chriſtus ipſe Matthæi ac Lucæ decimo præcipit unumquemq; mercenarium ſua mercede dignum eſſe.

IOAN. FABRI. Conſultius multo erat,hunc articulum omiſſum eſſe,timendum enim ne non nouam quandam parturiat ſeditionem. Sed etiam prudentibus hominibus aliquando aliquid ſtultũ obuenit. Quid ſi ruſticus ita dicat: Vos uiſitatores docetis me ut mundanis dominis dem decimam,ubi nam hoc in Euangelio ſcriptum eſt uel etiam in legibus Cæſarianis?Et deinde decimarum principium ad ſpirituales,non ſolum ex ſpiritualibus uerumetiam ex dei præcepto ac iuſtitia probaret, inueniret proculdubio in principio Eccleſię plus q̃ octingẽtis annis nullos ſæculares

los sęculares decimam accepisse, usq; ad Concilium Lateranense, ex quo intelligitur, hunc articulum nihil ualere, quin potius ad propriam utilitatem positum.

Conciliū Lateranense.

LVTHERVS. Etsi mundus Dei uoluntatem ac præceptum contemnit, & clericis, quibus debet, non dat: Deus tamen Optimus Maximus eorum sacerdotum, qui recte docent, nunquam obliuiscetur, sed ijs semper suppeditabit uictum, ut eis promisit.

IOAN. FABRI. Agis hic quemadmodum ille prædo cum Eremita: Ille enim omnia ipsius accipiebat, referens ei subinde illud Abrahæ dictum, Dominus prouidebit. Ita & tu quoq; presbyteris omnia accipis, solum ut tibi bene sit, neq; quicquam desit. Cur non tuipse hanc seruas regulam, atq; miseris illis parochis suas concedis decimas, ut etiā habeant, unde uiuant, & ut Paulus docuit, hospitales esse possint? An nescis, qd Impator dicat l. digna uox. C. de legibus? Palliū ipsis iamdudum abstulisti, iam tunicam, mox plane eos despoliabis. Deus succurrat ijs parochis, qui se hoc ordine sustentare coguntur. Proculdubio pauperibus parū de eleemosyna porrigetur, Plerunq; in uilibus uenient uestibus: tu uero e cōtra in sumptuosis ac si in regis aula esses, incedes. Sed tu Zuuingli ac Oecolampadi, ac alij sacrarū ædiū prædones bene agitis. Vos accipitis nobis miseris presbyteris nostra uitę alimenta, ac docetis, Primū quęrite regnum Dei: At uos quęritis in primis Monstrantias ac calices sacrarū ædiū, ducitis pulchras uxores, quę incedunt aureis catenulis, anulis, ac sericis uestibus, ut et despata tua Monialis in tuis nuptijs se depingi uoluit. Sed nec ullū defectū habetis: solū nos cogimur ex Euangelio quandam habere animaduersionem auicularum cœli, ac terræ florū. Proponitis nobis Lazarum, Alexium intra scalam sedentem, ac Antonium, Malchum, Hilarionē, ac alios patres in deserto. Sed dicam breuiter, quid sit, Id quod non dei nomine incipitur, bonum finem nunq̄ sortitur: id quod & hoc loco usu ueniet.

Gen. 22 — Rom. 12 — Hebr. 13 — Luc. 12. — Lutheranarū mulierum uestitus. — Bracteata est sententia. — Bohetius de consol. philo. lib. 3. pros. 9

LVTHERVS. Quàm benigniter etiā multę alię artes ex dei uoluntate sumptibus sustententur, quotidie cernimus. Nam ita scriptum est Ecclesiastici xxxviij. A deo omnis est medicina, & a rege accipiet donum.

IOAN. FABRI. Est dictū ex libro Ecclesiastico, quod prius omnino condemnabas, & iam iterum in eandē & pristinam sententiam concedis. Sed opinor, cogeris facultati Medicorū hac in re morem gerere.

Quales linguæ in scholis docendæ sint. CAP. LVII.

LVTHERVS.

IN primis pædagogos operam ac diligentiam adhibere conuenit, ut pueros solum Latinam linguam doceant, non uernaculam, uel Græcam, aut Hebraicā, ut hactenus aliqui facere consueuere, miseros liberos hac uarietate onerantes, quæ non solum infructuosa, sed & perniciosa ac improba est, Videmus enim tales præceptores non puerorum utilitatem considerare, quin potius pro ipsorum ingenio ac uoluptate tot linguas docendas suscipere.

D. IOAN. FABRI. Rectam ſequeris uiam ac tramitem, Sed mi Luthere cōſidera etiam, quomodo huc uſq; euenerit. Equidē non acciperes magnū auri pondus, & hæc aliquibus in locis doceres. Nam uulgus Latinam linguā ita deſpectui habet, tanq̃ eſſet quędam dei contemptio. Et hic multa haberem, quæ cōtra te dicerem, & in primis, quomodo te geſſeris, quid ſcripſeris, cum academias diremiſti. Non ēm inficias is, quo modo publice ſcripſeris, academias eſſe lupanaria, Sodoma & Gomorra, & multa alia ad contemptū academiarū, ac doctorum hominū, adeo ut neminem quidē magiſtrum dici uolebas, hoc uſus argumento, unicū
Mat.23 Marc.6 et ſolū eſſe magiſtrū Ieſum Christum, Quemadmodū etiam neminē patrem, ſolum enim unicum eſſe patrem, et eum in cœlo. Iam uero cōmiſſo manifeſto errore ipſe digitis deprehendis, tuam doctrinam nihil eſſe, nihilq; ualere. An non multo melius eſſet omittere, q̃ demum iterum inſtituere, ac ad ueterem Eccleſiam accedere, & quemadmodū illa perditiſſima ſimia in die omnia dirimere, ac Eccleſiam plane ignominioſam inſtituere? Nam cum uideas neceſſitatē te urgere, ac quodammodo cogere, ut nouam ex Euangelio inſtituas Eccleſiam, optime mi cucullate, quid hic debent cogitare aut facere Christiani, qui aliquam in ſe habent probitatem, dum uident, ac ſecundū tuam doctrinam diſcunt, q̄ abſq; Eccleſiarum ordinatione parum poſſint, ac Christiana uita abſque ordine nunq̃ fuit? Proculdubio in multis locis facient, quemadmodum ego me ſemper cum noſtra religione, & adhuc, geſſi.

De ieiunio quadrageſimali. CAP. LVIII.



CVm iam ſciam atque didicerim, q̃modo Chryſoſtomus Antiochiæ ac Conſtantinopoli, Hieronymus Bethleem, Auguſtinus Hipponę in Aphrica, Ambroſius Mediolani in Lombardia, Gregorius Romæ, ac alij innumeri Christiani doctores aliqui ante noningentos annos, quidam ante M. CC. annos Carniſpriuium quadraginta dierum prædicarunt, atque etiam operati ſunt, & hac ratione
Mat.4 Mar.1 Luc.4 ad nos et te uſq; peruenerit, Quanq̃ Christus aliàs non facit mentionem q̃ eum quadraginta dies ieiunaſſe, attamē ego ab hac re nunq̃ decedam,
Nazaræi & Motēſes ſunt heretici. & in primis ob hoc, dum inuenio non ſolum Christianos, ſed & Nazaręos, Motenſes, ac alios ſchiſmaticos hanc in toto terrarū orbe ſeruaſſe. Et mi Luthere, quonam modo hac in parte ægre feres, q̄ ego ſanctum
Ignatius 4. Epiſtola ad Philipp. Epiſcopum ac martyrem Ignatium, qui S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus fuit, antepono tibi, qui ſanctus martyr ante M. CCCC. annos Philadelphis, Carniſpriuium quadraginta dierum & docuit & mandauit?

Paſcha non ſecundū Iudæorū inſtitutū obſeruandū. CAP. LIX.



VErum etiam eſt, te in tua illa uiſitatione de die Paſchali quędam inſtituiſſe, eum ſcilicet eſſe ſeruandū: & recte. Sed mi Luthere, q̄ ſi illum firmare deberes ex ſcriptura noui Teſtamenti, eum nimirum eſſe ſeruandum ſecundum cœnam domini, hic q̃ frigide ſentires, Nam nullam hic haberes ſcripturam. Quin potius, ut in Christiana

libertate tua docuisti, scriptura Pauli secundum tuum, non nostrum intellectũ maximopere contra te esset pugnatura, nam tu unum diem pro alio seruas. Et tu non es tam magnificus ac sanctus, q̃ tu propria tua uoluntate festum constituere ausis, Nam & tu homo es, & deberes orare, Miserere mei deus, &c. Quod si scripturam non potes adducere, sequitur, te fateri oportere me uerum dicere, et meis uerbis testimonium dare cogeris, ante tempora duodecim Apostolorũ Pascha fuisse seruatum, & quiuis Christianus id ipsum lege seruare debuit, & coactus fuit. Hoc testatur non solum Hieronymus in Ezechielem cap. xlvi. aliisq; locis, ut scis, sed et mos ac consuetudo totius Christiani orbis, Hocq; scripsit ante c. XIIII. annos ferme Tertullianus, & totidem etiam Ignatius sanctus martyr. Et si uelles hæc confutare, scis quod eam ob causam maximus ille Imperator Constantinus scripsit, quomodo in quatuor mundi partibus Paschæ festum seruetur, Romæ, in Italia, Aphrica, Ægypto, Hispania, Gallia, Libia, Hellade, Asia, Ponto, Galatia, Cilicia. Præterea te non præterit, in principio Ecclesiæ causa Paschalis festi quandã discordiam atq; conflictum inter Orientalem ac Latinam Ecclesiam fuisse ortum: non eam ob causam, q̃ Pascha non deberet celebrari, quin potius, quo die hæc festa pagi deberent, Et q̃ Policrates Episcopus Ephes. intulit, nam ipse & ipsius seruant hoc festum, Quemadmodum Philippus Hierapoli sepultus, Ioãnes dilectus discipulus, Policarpus de Smyrna, Traseas de Emenia, Sagaris, qui Leodicia sepultus est, Papirius & Melito, qui Sardis sepultus est, & ita cæteri ipsius Episcopi seruauere. De illo Paschali festo scribit etiam Clemens de Alexandria, nec nõ S. Victor xiij. Papa et martyr. Et q̃modo Policarpus discipulus S. Ioannis ob hoc festũ Romam sub Antonino Pio Imperatore et Papa Aniceto uenerit, non huius instituti iam est loqui. Quapropter cum tu non institueris primus hoc festum, sed potius fateare necesse est, duodecim Apostolos ac eorum posteros hoc docuisse ac seruasse, quid, malum, te mouit, quod ante decem annos Pascha non peregeris, imo abieceris? Quod si id iterum institueris, aut huius rei scripturam adduces, aut ordinem duodecim Apostolorum ac Christianorum seruabis, Nunquam autem in ęternum potes scriptura ꝓbare ex nouo Testamento, eapropter hoc penes Ecclesiasticam ordinationem, quam tu corrupisti, cõstitit. Et quemadmodum de festo Paschali hic dico, ita etiam de cæteris diebus festis dico, ut Pentecostes, quem etiam non aliter probare potes, q̃ duodecim Apostolos eum seruasse, Nisi uelis Paulũ adducere, qui die Pentecostes Hierosolymam festinare uoluit.

Ignatius Epistola 6. ad Smyrnenses: Nemo præter Episcopũ aliquid agat eorũ, quæ ad Ecclesiam pertinent.

Hiero. Stridonen. in Ezechiel. cap. 46

Tertullianus.

Lib. 9. Tripartitæ hist. cap. 35.

Vixit tempore Seueri, quo Narcissus floruit Hierosolymis.

Antoninus Imperator.

Pentecostes.

Act. 20

Diem Solis semper apud Christianos fuisse sanctificatum. CAP. LX.


Vemadmodum hic tibi occurro cum Paschali festo, ita etiam de die Dominico assero, quem in tua Visitatione sanctificandũ asseris. Quod si autẽ diem Dominicum sanctificare debemus,

Dies Dñica.

 esset

esset æquum, secundum tuam sententiam ac regulam, nos huius rei scripturam adferre. Huius autem rei nullum plane habes testimonium, quam de facie Ioannis die Dominico in Apocalypsi. Hunc autem librum (tacendo de illo, quod Hirengus, Iustinus, Melito, & Primasius, ac alij similes tempore duodecim Apostolorum super hunc librū scripserint, & Ioannis Euangelistæ esse nō inficias iuere) scribis neq; pro Apostolico neq; ꝓphetico haberi posse: eiusq; rei multas adducis rationes, atq; ita concludis, tuum spiritū non posse uersari in hoc libro neq; etiam magni facias. Quapropter tu ꝓculdubio diem Dominicā bis et quinquagies in anno celebrandā ex Apocalypsi nō didicisti. Tuus eñ spiritus cū Apocalypsis spiritu ac libro conuenire nequaquam uult, ac potest. Equidē non es Simon, nec Petrus, uel Cæphas, q posssis nobis talem condere legem aliquot & tot dierum, etiam Apostolorum, de quibus tu maiorem partem ex Euangelio ꝓbare non potes, quonam uenerint, aut quo modo mortui sint. Eapropter si tu unà cum Zuuinglio adhuc ita uehementer ac grauiter Hieronymum contemnitis, nobiscum fateri conuenit uos, diem Dominicam a Sabbato unam diem esse sepositam, ratione resurrectionis Christi. Præterea fateamini oportet, diem Dominicam a tempore duodecim Apostolorum ad nos peruenisse, & quanq̄ hoc præceptum non in antiquis tabulis ac lapidibus inscriptum, aut literis in Euangelio scriptum sit, tamen recte in corda Christianorū inscriptum. Ob eam causam tot cōciones Ambrosij ac Augustini ante mille ducentos annos die Dominica habitæ fuere. Ideo non solum Augustinus, sed & sanctus martyr Ignatius scribit diem Dominicam in honorē ac gloriam resurrectionis Domini institutam esse, ac eam quoq; ob causam celebrari: & docet hoc non solum Magnesianos, uerumetiam Philadelphos. Origenes q̄q; Adamantius meminit Dominici diei, ut ferme omnes Christiani doctores eum descripserunt ac celebrarunt. Et de Constantino Magno legimus, eum hoc die nulli mundanæ rei operam dedisse, sed solum precationibus, ac alijs religiosis officijs uacasse. Ea autem omnia non ex manifesto & scripto dei præcepto, sed potius communi consuetudine duodecim Apostolorum ita celebrata sunt.

Apoc. cap. 1 · *Nomina authorū super Ioan. Apolypsim scribentium.* · *Augustinus.* · *Ignatius Epistola 2. ad Magnesianos* · *Homilia 7. in Exodum.* · *Tripartita historia lib. 1. cap. 9*

De Assumptione Mariæ uirginis. CAP. LXI.

ET quemadmodum ego hic de Paschali ac Pentecostes festo ex die Dominica refero, ita etiam se habet cum Assumptione uirginis Mariæ, quam quidem tu antidicomarita omisisti, ac si adhuc non mortua, nec etiam coelos ascenderit. Quanquam non solum Augustinus & Hieronymus ante tot centum annos, sed & Dionysius de diuinis nominibus cap. iij. huius ascensionis meminit: attamen tu matri ac puræ uirgini Mariæ coelum conclusisti.

Lutherus & sui asseclæ antidicomariani · *Dionysius de diuinis nominibus, cap. 2*

De uotis Monasticis ac uirginum uelationibus. CAP. LXII.

Quemad-


Vemadmodum uero hic de Ecclesiæ ordinatione in medium induxi,ita uerũ est,& tu scis, quod de uotis Monasticis ac initiatione uirginum ac mortuorum Vigilijs,ac alijs multis rebus satis compertum habemus, id ad nos ac nostros maiores, non solum a tempore duodecim Apostolorũ uenisse,sed & Apostolos ipsos id obseruasse.Ita uelauit,quod nos initiationem dicimus, Paulus uirginẽ Teclam,Clemens Domicillam, ac quod sancti martyres Nereus ac Achilleus consuluere, Matthęus Iphigeniam in Perside, ut non solum Tertullianus, qui adhuc Apostolorum ætate fuit,sed & Faustus Christianæ nostrę fidei acerrimus hostis testatur.Et huius rei argumentũ est S. Marcus in Alexandria, qui uirorũ ac fœminarũ Monasteria condidit, ut Eusebius, Philo & Hieronymus scribunt. Si tu autem relegeris historiam duodecim Apostolorum, inuenies Philippi quatuor uirgines, & quod Philippus S.Diaconus,unus ex septem,quatuor filias uirgines habuerit,quarum unam in Epheso,alias uero in Hyerapoli sepultas,ex Hieronymo disces in lib. de uiris illustribus. Et de huiuscemodi rebus haberem multa,quæ contra te adducere possem: sed id, deo uolente,in alio libro,de ueritatibus extra Bibliam, contra te agere institui.

Vota Monastica q̃ diu seruata fuerint.

Act. 21

PERORATIO AC OFFICIOSA ADMONITIO
ad perfectam conuersionem.

E Apropter mi Luthere, sequere maiorum uestigia, ac id serua, quod omnes Christiani a tempore Apostolorum seruauere, q̃d certe non minus ac si scriptum sit,seruandum est. Tu scis,ꝙ firmissimum tuum argumentum contra Anabaptistas fuit,ubi dicebas, Si puerorum baptismus nihil esset, sequeretur, nullam Christianam uitam mille uel plus annis fuisse, Certum enim esse,quod tempore duodecim Apostolorum pueri baptisati fuerint in tota Ecclesia.Hic non dici posse,Ecclesiam tam diu errasse. Quod si aũt hoc a te fit in baptismate, cur non etiam uota Monastica, sacrificiũ Missæ, ac alia in eo ordine, quo sunt,finis,quæ omnia a tempore Apostolorum ad nos usq; peruenisse scis?Hoc a patribus ac maioribus tuis certior fias,et inuenies me rectam uiã sequi.Et secundũ tuam hanc regulã nec uis,nec potes concedere, aut pati,Ecclesiã a saluatore nostro Christo tam longo tẽpore fuisse desertam. Eam ob causam oro te per deum immortalem ac dominum nostrum Iesum Christum, uelis in sententiam omnium Christianorum concedere,ac apud sacrosanctam illam religionem te continere,quæ a duodecim Apostolis ad nos usq; in toto terrarum orbe seruata fuit,
Hoc fac,& uiues.
Amen.
Fiat, fiat.

Deut. 32

ASSERTIO VERITATIS ET PRAESENTIAE CORPORIS ET SANGVINIS D. nostri Iesu Christi, in Sacramento altaris: Contra Casparum Schuuenckfelder Slesitam.

AD HEBR. XIII.

Fratres, doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DVCI DOMINO FRIDERICHO, PRINCIPI SLESIAE, Duci in Lignitz, &c. Ioannes Fabri Doctor gratiam & pacem à Deo patre, & domino Iesu Christo, precatur.



EX plerisque literis, Illustrissime Princeps, alijsque haud dubijs argumentis comperi, quantum amoris desiderijque animo tuo conceperis in scripturam sanctam, qua nobis uerbū dei, ipsiusque uis, tum & inuincibilis, constans, ac perpetua uoluntas constare liquido solent. Quem equidem animi tui affectum quotquot uocatione diuina fidei agnitionem consequuti sunt, merito commendare debent. Quoniam uerbum Dei thesaurus est absconditus, unde nobis uarias preciosissimarum rerum gemmas depromere licet: Idque ipsum, sicut Dauid confessus est, lucerna pedum nostrorum habetur, & est, quæ etiam ad lucem ueram in mundi huius tenebris lucet, simulatque uiam ostendit, qua ex Ægypti densissimis illis tenebris, per mare rubrum, perque iuga montium deserti, non aliter atque olim beneficio columnæ ardentis, sub Mose cum filijs Israël actum est, in terram sanctam, quæ melle fluit & lacte, tuto nos recipere possumus. Est plane dei uerbum tale, cui ex æquo non ualent res utcunque preciosissimæ amplissimi orbis terrarum cōparari, Hæ nanque omnes caducæ ac corruptibiles sunt: uerbum uero dei nunq̄ interiturū est, sicut etiam Esaias contestatus est, dicens: Aruit fœnū, & cecidit flos, Verbum aūt domini manet in ęternum. Et propterea ipse, qui ab æterno uerbum est, ait: Cœlum & terra peribunt, uerba autem mea non transibunt.

Verbum dei omnibus rebus præferendum. Mat. 13 Psal. 118 Exod. 13 Esa. 40 Mat. 24 Psal. 118

Etsi uero huiusmodi thesaurus præstet, ut nullius æstimatione metiri, aut diuitijs dignis comparari possit, plurimis tamen scripturæ locis fide dignissimis admonemur, ut diligenter animaduertamus, ne fraus aliqua fiat, ut pro argento abiectissima æris scoria, & pro auro cuprum cōmutetur, Ne & uinum nostrum aqua misceatur, Sed ut uerbum Domini ab his tantum, qui ministerium eius a Christo consequuti sunt, hoc modo, quo Paulus Timotheum instituit, administretur, & recte tractetur ac doceatur, Imo, ut apertius dicam, annitendum seduloque curandū est, ne

Heretici deprauant scripturas. Esa. 1

est, ne a pseudoprophetis adulteretur, aut falsi crimine cõtaminetur uerbum. Quod tum fit, si aliter exponatur, uiolenterq́ꝫ trahatur aliorsum, q̃ communis & concors catholicorum sensus (qui spiritus sancti beneficio, patrum uigilijs, opera, diligentiaq́ꝫ probatus est) ferat. Nam si id contingat, uerissimum est, quod Esaiæ uaticinio memoriæ proditum reperitur, dum uinum aqua mixtum conqueritur, Quod & diuus Paulus concinne in scripturę castitatem cõmissum adulterium uocat. 1.Timot.4. 2.Tim.2 2.Cor.4 Esa.1

Cæterum ubi genuinus ille sensus, germana & communis omnium interpretatio scripturæ quærenda sit, aut a quibus postulanda (quandoquidem non de scriptura, sed de sensu scripturæ plerunq́ꝫ cõtrouertitur, quem sane unũ unius Dei, unius Christi, uniusq́ꝫ Ecclesię esse oportet) consignatissime idẽ Paulus, plenus spiritu & ueritate, ciuis ille Tharsensis, & uas electionis nobilissimum, iamdudum edocuit ex ijs, quæ raptus in tertium cœlum priuata uisione acceperat, in quibus nos breuissime sacrosanctæ Ecclesiæ committere iubet, Quam & unice dignatus est hoc nomine, quòd illa sit domus Dei, columna & firmamentum ueritatis, tum & unius Christi capitis sui corpus exhibendum sine macula & ruga, &(quod omniũ maximum est) uera & unica sponsa, columba, & amica. Quod eo factum est consilio, ut cum in locum scripturæ incideremus, neq́ꝫ statim ueritas ipsius uitio nostro constare possit, nihilq́ꝫ reliquum sit, q̃ ut in uarias animi nostri monstruosas sententias coacti, nunquam nobiscum satis conuenire ualeamus, ne quis suo fidat aut innitatur capiti & prudentiæ, sed ad Ecclesię ꝑpetuam cõstantemq́ꝫ ueritatem confugiamus, postulaturi inde securitatem. Quam ob causam eadem rite catholica appellatur. Genuinus scripturæ sensus ab Ecclesia petendus est. Act.9 2.Cor.12 1.Tim.3 Ephes.5 Cant.6

Neq́ꝫ uero citra grandem rationẽ, tantum authoritatis tribuit Apostolus Ecclesiæ, Siquidem certo sibi constitit, Christum pollicitum esse illi non modo spiritũ sanctum, sed & seipsum, Ita ut his rectoribus atq́ꝫ ducibus nunq̃ destitueretur, sed perpetuo horum beneficijs atq́ꝫ administratione gauderet. Manifesta sunt huius ꝓmissionis testimonia Christi dicentis: Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus usq́ꝫ ad consummationemq́ꝫ sęculi. Nouit insuꝑ Ecclesiam sponsam esse dicatã Christo sponso suo indiuiduam, cuius cõuersatione ꝑpetuo uteretur, neq́ꝫ unquam metuendum esset, ne instar uiduæ sponsa orbata sola sederet. Nec latuit illũ, Ecclesiam eam ipsam esse, quæ a Christo supra firmissimam petram ędificata, adamantis naturam firmitate superet, ut undiq́ꝫ fluctibus impetu irrũpentibus, immobilis maneat, & neutiquam super arenam fundata, mox corruat, Unde firmamentum ueritatis recte cognominatur. Cur tantũ authoritatis tribuit Ecclesiæ Paulus. Ioan.14 Mat.ult. Luc.5. Ioan.3 Mat.16. 1.Tim.3

Proinde fit, ut non satis integrum aut tutum sit, neq́ꝫ conueniat, ut quisq̃ nostrum, qui fide Christum induimus, & in mortem domini baptisati sumus, aliunde scripturæ sensum, q̃ ab Ecclesia exigat, quæ ob id Paradisus dici consueuit, ꝙ totius mundi ager fluminibus quatuor, summa fertilitate rigari soleat. Gen.2

Si qui itaque uiam regiam non ingressi, proficiscuntur, sed latibula,

Oues errãtes privatas uias obſcuraſq; inquirunt,longius ſeipſos a grege ſubducũt,in ſaxoſis montibus oberrantes,oues Chriſti perditæ,necdum reductę, in ſcripturis nuncupantur, Quæ erroris ſui cauſam nemini iuſtius, q̃ ſibimet adſcribere poſſunt & debent. Ipſę nanq; ſunt,quæ ſeipſas ſeducunt a uia ueritatis. Quarum profecto numerus (proh dolor) hoc calamitoſo tempore haud exiguus exiſtit, & multis iam ſæculis prauorum ingeniorum ſtudio adauctus locupletatuſq; eſt.

Falſus hæreticorum prætextus de uerbo dei. Sic nanq; Arrius, Eunomius,Photinus,Pelagius, Manichęus,Valentinus, Ebion, atq; id genus alij hæretici ſemper iactare auſi fuerunt temere, pro ſe ſcripturam militare, ſeq; apertum domini uerbum habere, cum nihil unquam longius ab ipſis abfuerit, Adeo nemo ipſorum repertus eſt unquam,qui hoc clamore communi(quem hodie quoq; q̃ plurimi prætexunt ſuis ineptijs,dicentes, Euangelion, Euangelion)in cõuenticulis publiciſq; locis non auſus ſit obſtrepere. Neq; enim quicq̃ aptius inuenire potuerunt,ad concitandos uulgi animos ad maiorẽ impuritatem impietatemq;, q̃ hunc diuini uerbi prætextum. Sed interim nihil eſt uel in traditione,uel in eorum uitæ moribus, quod ex Euangelio dimanet,aut cum Euangelica uita cõmune quidpiam habere poſſit.

Iuſta hæreticorũ dãnatio Quare nunquam pro ouibus Chriſti, ſed uerius pro lupis rapacibus, uulpibuſq; callidiſſimis, aut faſcinatoribus,ſupplantatoribus,damnatiſq; hæreticis ſemper habiti fuerunt, & ſic merito declarati. Neq; fruſtra id factum arbitrandũ eſt,quoniam ſcripturam germana ſua ueritate denudarunt, defraudarunt, & ſuffuſis nebulis in ſuam impietatem detorſerunt:reuera degeneres filij Eccleſiæ, officij ſui in matrẽ non modo obliti,uirtutis maternæ neglexerunt ęmulationẽ,uerumetiam q̃quo pacto potuerunt,aduerſus eam machinati ſunt. Taceo quod lac Euangelicę doctrinę,quo germanũ ſcripturę ſenſum ſugere ardenti animi deſiderio cõcupiuerunt,in uenenũ uertere non erubuerunt. Verũ pulchre hac unica nota diſcernit illos deus nothos a legitimis filijs.Haud ſecus fecerunt diui Petri tempore cumplurimi, qui Pauli Epiſtolas auſi fuerunt
2.Pet.3 in ſuam ipſorũ perniciem detorquere, deprauare & corrumpere,Quẽadmodum in Epiſtola ſua teſtatus eſt manifeſte ipſemet Petrus.

Nouæ hæreſes. Licet itaq; iam multis ſæculis Chriſti Eccleſia, abſq; huiuſmodi falſarijs ac impijs ſcripturæ tortoribus uiolatoribuſq; cum magna ſalutis noſtræ fruge ac commoditate tuta quieuerit,ac uigere tuto potuerit:tamen noſtra hac (proh dolor)ætate tandem rurſus prodierunt aliquot
Iud.15. Sampſonis uulpes. nocentiſſimi per Sampſonis uulpes præfigurati,qui tum ſua aſtutia freti,tum infeſtiſſimi hoſtis noſtri diaboli inſidijs inſtructi, uineam domini Engaddi & Zorek non per oſtium,ſed furtim ingreſſi, inſtar aprorum de ſylua erũpentium, deuaſtare audent: Qui etſi caudis arctiſſime colligati ſint, capitibus tamen longiſſime diſtant.Quiſq; enim ſua pertinacia fretus,aliò ſuum animum confert, neq; quicq̃ commune habere poteſt,quantumuis uno hæreſeos fulcro innixi, unoq; caudarũ nexu iuncti ſint.

Quod

Quod nimirum indies magis magisq; hisce oculis cernimus, atque certo usu comperimus, quo scilicet pacto pseudoprophetæ atq; pseudoapostoli huiusmodi, postquam a communi fide, religione & interpretatione scripturarum catholica semel defecerunt, diuersis impietatis studijs sacra prophanent, dum sua quenquam impellit impietas & libido, ut impune arbitrentur omnia licere quæ libet ac lubet. Ille cœlum atq; diuos in sinu dei quiescentes, alter purgatoriū, iste Christi sanctiones sacratissimo ore suo nobis demandatas, adeoq; sacramēta ipsa penitus abolere ausus, Is Christum aggredi, atq; illum sua potentia & maiestate, quam cum patre & spiritu sancto communē habet, destituere non est ueritus. Simulq; alter uirginem Mariam impudentissimis calumnijs persequutus est. Ita nempe nouarum & inauditarum hæresium authores sese aduersus Ecclesiæ catholicæ ueram diuinamq; scripturarum interpretationem opponere, & apertos hostes sese declarare non sunt ueriti. Et interim etiam commenta quædam suis apta confictis nænijs excogitarunt. *Diuersitas opinionū inter hæreticos nouos.*

Quod & in tantam libertatem, ne dicam licentiam, intra paucos dies tractum est, ut neq; nephas fuerit cuiuis rancidæ, sordidæ, temulentæ aniculæ cōminisci quicquid libuerit, & pro tenuitate suæ mentis in sacris uersari, eaque pro anilibus temere commutare fabulis, etiam prægrandes fidei & salutis nostræ materias pro sui ingenij paruitate interpretari, ac flectere in quamcunq; partem uelit. *Vetularū temeritas in scripturis.*

Vnde facile contingit, ut in plerisq; Germaniæ locis, non modo tot fidei genera, uel monstra ac portenta potius, prodierint, quot uel prouincias, uel urbes uillasque in illa inuenire & uidere possis. Nec multum abest, In unaquaque domo, ubi Lutheranismus præualuit, tot sectæ & fidei sententiæ sunt, quot in ea domo sunt homines. *Tot sensus, quot capita.*

Proinde quamuis illa fides Christi una atq; eadem sit, quæ prorsus nullis studijs hominum (instar tunicæ domini inconsutilis) patiatur se diuidi, nihilominus tamen discordes huiusmodi hæretici, quibus penitus nihil inuicem commune est, se pro Euangelij ministris, eiusq; solicitis obseruatoribus uenditare non erubescunt. Verum qualiacunq; tamen iactitant ac pollicentur, nihil huiuscemodi rerum ad uitam Christianam pertinentium præstant. *Vna fides Christi. Ioan. 19 1. Cor. 1*

Vestes quidem & dilatata phylacteria sua loquuntur illud Esaiæ & Dauidis testimonium: Verbum Domini manet in æternum. Quod tanto laudabilius esset, quanto cordis affectibus accommodaretur familiarius: At inanis est illa iactatio, & plane Sodomorum cæcitas. Si enim uerbum domini, perinde ut Paulus docuit, obseruarent, facile in æternum maneret, sibique simile esse responderetur ex omni parte, non aliter atque illa æterna perpetuaque uirtus diuina, quæ nunquam occidit, nunq̄ discordiæ uel dissimilitudinis conscia fieri solet. Quando igitur cum illis ita fieri consueuit, ut cum uerbi diuini interpretatione longissime dissentiant, et in nullo conueniant etiam inter se, nisi quod communi *Mat. 23 Esa. 40 Psal. 1. 18. Inanis hæreticorum iactatio de uerbo Domini.*

muni

muni odio tenentur aduersus Ecclesiam, necesse est, atque minime fallit, non esse uerbum dei, quod docere, quodque toties, tamque uarie inuertere hactenus infidelissimi interpretes soliti sunt.

Concordia catholicorū. Cum uero plurimum referat, & resp. Christiana necessario expostulet, ut in omnibus religionis articulis in uniuersum Christianis omnibus optime cōueniat, in primis tamen & maxime, quo fidei nostræ unitas seruetur, operęprecium est id obseruare in apertissimo domini uerbo & Christi ꝑmissis, traditionibus & institutis, ubi Christus ipse perpetuo pręsto est, & in summū, quod humano generi pręstare potuisset, beneficiū sese ingenue tradidit, Veluti est in uenerabili sacramento preciosissimi corporis & sanguinis sui, quę pro nobis tradidit, & in remissionem peccatorum in ara crucis effudit. Ita nanque ipsemet loquutus

Verba Christi de Eucharistia. est, nullo orationis fuco usus, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Et, hic est sanguis meus, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Etsi uno perpetuo tenore huius tam sacratissimæ certissimæque rei fides, religio, interpretatio, cōmunio, ac huiusmodi, quæ in hanc rem pręstare Christianos necesse est, summa cum unitate cōcordiaque omnium, extitit per uniuersum orbem, ab oriente usque ad occidentem, & a septentrione in meridiem, in omnium si-

Berengarius. mul qui Christo lucrati fuerant animis, solusque Berengarius aliquando temeritate ductus ausus fuerit Christi in hoc uerba inuertere: Tamen in Concilio generali non modo Romano, sed & Vercelleñ. ante annos CCCC. diuino uerbo uictus, impietatis damnatus, errorem propriū confitens reuocauit.

Neglecto tam nephario hominis casu, adhuc nostra ætate eiusdem temeritatis monstra in publicum aduersus celeberrimam clarissimorum Christi uerborum ueritatem prodire ausa fuerūt, Veluti Carolstadius,

Zuinglij & Oecolampadij hæresis. Zuuinglius, Oecolampadius, & plerique alij. Qui tam succincti atque clarissimi sermonis Christi ordinem ac ueritatem inuertere temere conati sunt, inque uaria suæ pertinaciæ sensa torquere cœperunt, obliti prioris eorum animi in ea re simul & ęstimationis. Nam Zuuinglius, breui, anteq̄ in hunc errorem incidit, temporis spacio, plus q̄ quadringentis suorum monumentorum locis, uerum corpus & sanguinem Christi in altaris sacramento confessus est. In quam rem Oecolampadius quoque priuatos aliquot libellos ędidit. Nunc uero diaboli furia obsessi, illius astutia in hanc perfidiam abducti sunt, ut cum aliter nequeant, Christi uerba sophisticissimis nebulis offundere, atque pro impietate perfidiaque eorum torquere cœperint. Tantus labor illis incubuit in uno uerbo substantiuo, EST, inuertendo, ut facile propulsatorum sophistarum, quos prior ætas tulit, ineptias omnes uincere queat.

Octo hæreses circa hæc uerba, Hoc est corpus meū. Vnde profecto factum est, ut inuertendi eorum studio, quo quisque altero sagacior uideri uult, in tam paucis Christi uerbis, quę ut compendio ita aperte quoque loquutus est, octo hæreses inuectæ sint hominum damnatissimorum, quę pro uarietate quoque sua parum cōmune habere

mutuo

mutuo possunt. Ille nanque hoc, alter uero est, alter autem corpus, alique aliter inuertere, inque uaria unius pene rei sensa trahere non uerentur, quisque pro opinione sua, quam stulte omnino concepit.

At quid preterea sathan, ille aduersarius noster, leo rugiens, quęrens quem deuoret, conatus est? Noua certe metamorphosi se in angelum lucis transfigurauit, Et cum e multis locis, ubi sedem statuere decreuerat, eiectus est, atque a multorum Christianorum, qui pietate uitæque innocentia probatissimi reperti sunt, cõmunione exclusus est: tamen ab instituta profectione desistere nondum statuit, sed tamdiu circumiuit terram, (sicuti & Iob illius recti ac timentis deum uiri tempore fecisse legitur) donec quosdam simplicitate deiectis animis homines in Slesia & ducatu uestro Lignitzensi reperit, quibus absque uerecundia solicitudineque imponeret. Perinde enim ac in Paradiso, & quod maius est, coram Christo, uerba diuina ausus est inuertere & prophanare: ita quoque facere minime timuit, neque importunum instituto suo fore arbitratus est, atque inuerso ordine Christi uerba legenda esse docuit. *Noua rursum heresis.* *1.Pet.5* *2.Cor.3* *Iob.1* *Gen.3*

Cuius nephandi atque inauditi erroris Casparum Schuuenckfelder primo instituit, persuasitque, ut nõ eo ordine, quo sua expressit uerba in nouissima coena dominus ac magister noster Christus, a nobis legenda, sed retrorsum recensenda sint. Nec hoc pacto, quo ipse dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Sed uersis & Iudaico more inuersis uerbis, Meum corpus est hoc, &, sanguis meus est, hic legenda esse censet. Ex quo spiritale quiddam, quod sola mentis cogitatione (non audeo dicere, stulta imaginatione) complecti potest, intelligeretur, Nempe hic nihil aliud esse, quam spiritale & phantasticum, ac tandem umbratile aliquid. *Autor noua heresis.* *Mat.26* *Luc.22.*

Quis uero unquam tam uesanos tamque cerebrosos homines fuisse comperit, qui usque adeo impudenter sese pro magistris unice uenditare in Israël ausi sint? Quasi ipsi soli requiescerent in lege, gloriantes in deo, cuius uoluntatem noscerent, Quasi & soli duces essent cæcorum, & lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, & magistri infantium: Cum tamen ignari sint catenæ illius & artium & uirtutum aureæ, & insuper similitudinis, quam uerbum cum inconsutili tunica Domini habere, res ipsa utrinque docet. Quemadmodum enim huiusmodi tunica neque partibus constat, neque in partes rursus, quas non habet, commode secari potest, aut diuidi: ita quoque uis uerbi est, ut præter ueritatis immodicam obscuritatem nunquam amputari queat, sed perpetuo cohæreat. *Reprehensio huius erroris* *Rom.2* *Ioan.19* *Inconsutilis tunica.*

Quantum autem referat, ut eo ordine Christi uerba recenseamus, ijsdemque sensibus, quibus ipse pronunciat, apud unumquenque esto iudicium, Siquidem aperte absque ulla uerborum rerumque obscuritate credentibus loquutus est in coena nouissima Christus, & dixit, Hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur, Hic est sanguis meus, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorũ. Quę certe uerba non in *Verba Christi quid significant.*

spiritualem

ſpirituale, mẽteq́ excogitatã rem inſtituta ſunt a Chriſto, uerũ magis in corporale, quæ ſenſibus noſtris aliquãdo adeoq́ oculis ſubiecta fuerat.

Error Manichæorum. Alioquin in Manichæorum impietatem incideremus, ſi Caſpari illius inuerſa, cæca, alienaq́ a ueritate interpretatio locum fidemq́ conſequeretur. Manichęi enim confeſſi ſunt aliquando, Chriſtum phantaſticum habuiſſe corpus, id quod ab inferis reſuſcitare, rudis & indoctus ille Caſparus nõ formidat. Errare item contingeret nõ mediocriter cum Luc.24 Apoſtolis adhuc rudibus, qui Chriſtum poſt reſurrectionẽ pro ſpiritu habebant, antequam ab ipſo edocti erant ueritatem, atq́ carnem et oſſa habere ſenſibus proprijs accipiebant.

Societas Caſpari cũ Zuuinglio. Verum cum hæc abominatio, quam aduerſus templum domini temere inſtituerunt, merito ab omnibus ſtatim explodenda fuiſſet, ut quę ſit huiuſmodi, a qua pij hominis animus non poſſit non abhorrere: adhuc tamen patella reperit dignum operculum, adulatorem inconſtantem Zuuinglium, cui ob hoc potiſſimum placere potuit, quod aduerſus ſacramenti uerbiq́ diuini amplitudinem, impietatis ſuę collega communis, aliquid euomuiſſet. Vnde & ſtatim ſuarum nugarum officinæ Caſparus in patriam impius. commiſit, atq́ in publicum Turegi dedit, quibus & ſuum calculũ adiecit, atq́ intolerabilem notam nunq̃ ſatis laudatæ Sleſitarum prouinciæ impingere auſus fuit calumniator nequiſſimus. Cum enim ille ſolus ſit cum aliquot complicibus, qui hanc hæreſim foueat, nihilominus tamen hanc toti prouinciæ falſo adſcribere, ipſum non puduit, Nam ſibi gratulari ſolet, q̃ uniuerſam Sleſiam ſuæ impietati conciliarit.

Sleſia. Cum uero maxima pars hominum in illa prouincia, penitus immunis ab huiuſmodi horrenda hæreſi, nullo pacto tantam calumniam ferre poſſit, Atq́ ut hij quoq́, qui hactenus a pręſtigijs Schuuenckfeldeto Act.9 ri obcæcati ſunt, ſemel ſquammas ab oculis excutere queant, & tua dominatio illuſtriſſima ſe tueri poſſit aduerſus ignitos ſerpentes, qui hac ætate, forſitan demerito noſtro, in nos impetum faciunt, &(ut ſummatim dicam) ne altius horum impietas radices figat, placuit nobis, eius erroris Sleſitas omnes admonere, eaq́ de re librum in publicum ędere, ut aliquando in lucẽ prodeat, quanta impoſtura hominũ animos in hanc ueſaniam impellat: nullius certe gloriæ cupiditate, ſed communis Reip. Chriſtianæ ratione perſuaſus & ductus.

Proinde hunc librum T. D. illuſtriſſimæ non potui non inſcribere, Quia arbitrabar non parum profuturum, ſi aduerſus horum mellita argumenta eam præmonerem, ne tam facile quouis uento errantium ſe commoueri, & a communis Eccleſiæ in uoluendis ſcripturis obſeruatione, diſrumpi concederet. Vnde ſibi ſuiſq́ præcipuam animarum ſalutem polliceri facile poterit, Licebitq́ magna cum commoditate & ſecuritate totius reipub. tuæq́ cõſcientiæ, diutius adminiſtrationi, quam diuinitus magna cũ celebritate a tuis maioribus clariſſimis illuſtriſſimiſq́ accepiſti, pęſſe. Bene uale Princeps clariſſime, & hoc meũ erga te tuoſq́ ſtudium boni, precor, conſule. Ex oppido Carinthiæ, ad S. Vitũ dicto.

ASSERTIO VERITATIS DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO, ADuersus nouum errorem Caspari Schuuenckfelderi Slesitae.



VANQVAM communis omnium saluator noster Iesus Christus suā in nos beneuolentiā multis uarijsq; sermonibus saepe testatus sit, quos aliquando Apostoli, interdum alij per ingenij sui tenuitatem, perque eorum diuinam Maiestatem atq; uim, quam a dei ore acceperant, intelligere nequiuerunt, Cuiusmodi est comparatio de semine, & huius generis permultae parabolae, Perinde quoq; sermo ille, quem in passionem futuram instituerat, dicens: Ecce ascendimus Hierosolymā, & consummabūtur omnia, quę scripta sunt per pphetas de filio hominis, Tradetur em̄ gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, et postq̄ flagellauerint, occident eum, ac die tertio resurget. Haec Christus. Sed Apostoli hunc de morte sua pphetantem non acceperunt. Inquit enim Euangelista: Et ipsi horū nihil intelligebant, & uerbū istud erat absconditū ab eis, nec intelligebant, quae dicebantur. Tamen statim ut pro nobis mortem subiturus erat, cū Apostolis considens in nouissima coena, omnē dicendi obscuritatem abiecit, atq; aptissime quae uoluit loquutus est, planis, proprijs perspicuisq; uerbis, quae nullius prsus aut tropi aut parabolę faciem prę se ferre recte uideri possint. Veluti & Apostoli ipsi sunt testati, ac spem quandam maiorē beneuolentiae suae inde recepere, dicentes: Ecce nunc aperte loqueris, nec puerbium ullum dicis, nunc scimus, quia scis omnia, nec opus est tibi, ut quis te interroget.

Christus nūc obscure, nunc aperte locutus est. *Luc. 8* *Mat. 13.* *Luc. 18.* *Ioan. 16*

Quamuis porro huiusmodi egregios sermones, qui argumēti magnitudine facile humanos sensus excederent, habuerit plurimos, quorū plerosque Ioannes ille intimus a secretis Christi, fidelissime reddidit in suo Euangelio: Tamen apertius nunq̄ loquutus est, q̄ cum simplici orationis ductu Eucharistiae sacramentū nobis commendat & instituit, quod iam abiens, ne quando nobis deesset, relicturus erat, dicens, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Quae uerba usq; adeo plana adeoque aperta sunt, ut illis nihil unq̄ apertius dici potuerit.

Apertissima uerba Christi de Eucharistia. *Ioan. 14. 15. 16. 17.*

Nihilominus tamen nostra aetate prodeunt, qui pro sua pertinacia, animiq; malignitate manifestum apertumq; Domini uerbum inuertere coeperunt, atq; adulterino sensu male reddere ausi sunt: quorum pleriq; pronomen, Hoc, arripiunt, atq; ita torquere conantur, ut retro se Christum monstrasse dicant, atq; rem prius minime uisam notamq; Apostolis suis indicasse, ac dixisse, hoc est corpus meum: hoc scilicet, quod ibi sedere uidetis, est corpus meum. Nonnulli uero existimant, q Christus hac dicendi consuetudine sophistam egerit, atq; dialecticis quibusdam perplexis nodis usus sit, quando dixit, Hoc est, quod idem sit, hoc significat. Alij autem, est, interpretari aeque importune solent, pro figurat, aut corpus pro figura corporis.

Varia inuersio uerborū Christi per hereticos.

Error huius Caspari.

Postremo uenit ille rudis & omniũ imperitissimus Schuuenckfelder, & quo se, uelut ille qui templum Dianæ incendit, ꝗꝗ immortalẽ faciat, ineptissime legit, Meum corpus est hoc. Insuper interrogatus, quid hoc? respondet spirituale quid. Et sic iuxta Manichęorum impietatem ex uero Christi corpore phantasticum facit.

Reprehensio huius erroris

Quæ res non immerito ab omnibus Christianis ꝙ longissime abesse debet, uel ob id maxime, ꝙ in primis præter domini uerbũ, illiusꝗ uim, a spurcissimis quibusdam sensu & ratione carentibus hominibus excogitata sit, Tum ꝙ nihil certius ex efficta illa expositione colligi possit, ꝙ Christum non eo honore, quo hactenus merito ueluti deum prosequuti sumus, dignum habendum esse, uerum longe inferiorem, & solum hominẽ humilis & umbratilis conditionis iudicandum, Sicut & Pharisæis impie uidebatur. Proinde nihil hac doctrina efficiunt aliud, ꝙ ut indies magis magisꝗ homines prioribus uitæ malis peiora addant, ex admissa illa & falso persuasa carnis indulgentia & libertate, ne dicam effreni licentia, & ꝙ perniciose scripturam tractare pro uniuscuiusꝗ libidine piũ sit, ueluti omnia ob oculos cernimus.

Inepta huius Caspari opinio.

Hac itaꝗ impietate seductus Terentianus ille Thraso Caspar ille Schuuenckfelder Slesita, qui sedẽ suam, ut Lucifer, ex Aquilone trãstulit, nimium arrogantia fretus, uerba Christi longe aliter ꝙ loquutus est, sensitꝗ, interpretari conatur, atꝗ inuerso ordine (in hoc Iudęos imitatus) legere instituit, pręter omnem dicendi scribendiꝗ consuetudinem. Dicit nanꝗ, cum Christus ait, Hoc est corpus meum, legendum esse retrogrado ordine, Meum corpus est hoc.

Zuinglius.

Et quo confirmaret, quæ tam temere inuerterat, Zuinglio ea ipsa somnia sua opere ꝗdam complexa transmisit, eo ꝙ suę farinæ damnatus & toties uictus hæreticus esset. Ille nanꝗ dudũ cœpat apud Tigurinos Heluetios non modo rerũ temporaliũ sacrorũ usui dedicatarũ insigni sacrilegio atꝗ ui quadã & iniuria ędes sacras spoliare, sed etiam (ꝗd longe uincit hoc sacrilegiũ) grandi impietatis suæ mole, inenarrabili ac incomparabili nos thesauro totius beneficentiæ diuinæ, in sacramento Eucharistię, maximo studio destituere, & pro cœlesti pane pistoriũ, in tam celeberrima fidei nostræ religione constituere.

Calumniæ Caspari contra nos.

At quo commódius faciliusꝗ Casparus ille se animis multorũ hominum ingereret, uide quæ tentarit. Primum asseruit nostram sententiam (quã hactenus cũ fidei puritate tutati sumus) in his uerbis sacramẽti Eucharistiæ, Hoc est corpus meum, pugnare aduersus omnẽ scripturarũ sententiam naturamꝗ, et fidei ꝓprietatem: Dein nostram illã sententiã de ueritate & ꝓ̃sentia corporis & sanguinis Christi, longissime abesse a ui uerbi diuini, a regno deniꝗ sacerdotioꝗ Christi, ab honore dei, & ab ordine et institutione cœnæ dñicæ, tandemꝗ et ab Ecclesiæ cõsuetudine. Cũ uero ꝑter omnẽ ueritatẽ inuerecunde hęc ab illo dicanť, et pene quicꝗd pro sua illa impietate ꝓbanda intulit, anilibus fabulis & uanis cõmentis plenũ atꝗ simillimũ sit, nã absꝗ scripturis excidisse cernimus,

Ideoꝗ

Ideocp ad manifestandam ueritatem in ædificationem piorũ hominum, iam iam adnitar ostendere, ut *Argumentũ huius libri.*

I. Pro aperto fideq; digno scripturæ sensu.

II. Pro uera fidei proprietate.

III. Pro conditione & natura uerbi diuini.

IIII. Pro summo sacratissimoq; Christi sacerdotio.

V. Pro honore & maiestate dei.

VI. Pro cœnæ dominicæ ordine ac institutione.

VII. Pro primitiuæ Ecclesiæ consuetudine.

Omnium simul hominum mentibus innotescat apertumque fiat, communem hunc Christianismi sensum, fidemq; ueri corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento, iam inde ab Apostolorum temporibus acceptam esse, ita q̃ uerissime credatur, post consecrationẽ, quæ per Christi uerba a sacerdote fit, sub speciebus panis & uini uerum corpus uerumq; sanguinem Christi realiter ac substantialiter existere. Quæ res adeo noua non est, ut, sicut dicere cœperam, hunc sensum atq; scripturæ intellectũ quasi per manus ab Apostolis traditũ per uniuersos martyres confessoresq;, & quotquot fide ,pbitateq; præ cæteris claruerũt, per uniuersum mundum accepimus. Quod & pene M.D. annos in animis hominum durauit, & hodie durat apud quosuis pios ac synceros catholicos. Ne igitur unq̃ ille p̃ter scripturam talis esse uideatur, qualẽ Lignicenses nõnulli prædicant, & falso iactitant, Age hoc pacto fidẽ facturi sumus. *Antiqua Catholicorum fides.*

Omnes certe receptæ fidei uinculo tenemur fidem præstare cunctis quæ per Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam, Paulumq; monumentis tradita sunt. Paulus enim inquit, omnẽ scripturam sanctam, quæ ex deo est, in nostrã doctrinam traditam esse, et ,prsus utilẽ, & diuinitus inspiratam. Uerũ Mattheus scribit ca. xxvi. Christũ panem accepisse, benedixisse et gratias egisse, fractũq; dedisse discipulis, ac planissimis aptissimisq; uerbis dixisse: Accipite & comedite, HOC EST CORPVS MEVM. Nam neutiquam dixisse legitur, Hoc est panis meus uel uester, sed, hoc est corpus meum. Dein quoq; accepto calice, actis gratijs, porrectoque discipulis dixisse, Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. *Sacræ scripturæ omnes credere tenemur* *Rom. 15*

Manifestis itaq; uerbis scriptura ait, ideo eos bibere iussos, quia sanguis esset non hircorum aut uitulorum ueteris Testamenti, sed q̃ sirus, & quidem noui Testamenti sanguis esset. Nec insuper asserit Euangelista uinum esse Noẽ uel alterius uinitoris opera aut manu cultum, uerũ refert Christum ore suo, omnis ueritatis fonte, contestatum & loquutũ esse, suum esse sanguinem, & quidem noui Testamenti, ipsum uidelicet, qui effusus sit in cruce pro multis, in remissionem peccatorum. *Probatio ex Euang. Mat.* *Gen. 9*

Quis ergo illius audaciam satis mirabitur, qui uesana temeritate & temeraria sua metamorphosi e sanguine uinum facere sibi uideri uelit? Oporteret nanq; hoc pacto uinum, & non sanguinem Christi in cruce pro nobis uniuersoq; mundo effusum esse. Neq; uere potuisset dicere

Heb.9 Hebręis diuus Paulus Apostolus, Christum suoipsius sanguine ingressum esse sancta sanctorum, non in sanguine uitulorum, &c. Secundus scripturæ locus est Marci Euangelistæ, qui simili ordine Dominicę cœnæ & actionē et institutionē descripsit his uerbis: Et māducantibus illis, accepit Iesus panē, & benedicēs fregit et dedit eis, et ait, sumite, HOC EST CORPVS MEVM. En rursus scripturā, dicentē, Hoc est corpus meū, Et nō uerso ordine, meū corpus est hoc, Quoniā si Christus unquam tali forma aut figura dicēdi usus fuisset, proculdubio quæsissent apostoli, quidnā rei esset, quod corpus suū diceret, Alioquin nāque frequētius cōsueuerūt interrogare quoties in recitādis parabolis uideretur illis obscurior esse, Vnde dixerūt, Edissere nobis parabolā hanc. Et proculdubio si dixisset, meū corpus est hoc, interrogassent & dixissent, Magister et dñe, quid sibi uult hoc? Hoc uero factum minime est, uerum statim acceperunt quæ locutus fuerat, Sequitur item: Et accepto calice gratias agēs, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, Et ait illis, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur. Hic certe nihil obscuritatis reperiri potest, uerū sicut aperte scriptura docet, ita sanguinem Christi adesse, hunc ipsum, qui pro multis effunderetur, iure credendum est.

Probatio ex Euang. Mar. Marc.14.

Mat.13.

Probatio ex Euang. Luc. Tertius scripturæ locus apud Lucam ca.xxij. in hūc modū legitur: Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur. Si igitur Christus spirituale corpus hac forma loquēdi exprimere aut significare uoluit, uelut Schuuenckfelder omniū indoctissimus docuit, fieri nō potuit, ut Christus uero corpore humano quod assumpsisse, et in quo uersatū fuisse eum in hoc mundo, uniuersa scriptura testatur, passus sit, sed & inane figmentū esse oporteret, quicquid partim Christus, suæ ipsius passionis uates, prędixerat, partim scriptura manifeste docet de guttis sanguineis, quę in agone pro humanę naturę uim prę crucis horrore exciderunt, de flagellatione, alapis, coronatione cruenta, cæterisque torturis & cruciatibus, quibus hunc indignis modis affectum prædicat tota Euangeliorū historia. Verū Christus inquit, Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur. Si in spirituali sensu corpus dictum fuisset, non nisi phantasticū corpus passum, & in ara crucis suspensum, & ex illius latere sanguinē et aquam nōn uere, sed imaginarie et pręstigiose effluxisse, liquido constaret. Quod cum falsissimū sit, adparet, quod incaute ac temere inciderit Casparus iste in damnatissimū Manichęorum errorem.

De calice uero quid Lucas inferat, auscultemus: Hic est calix, nouū Testamentū in meo sanguine, qui pro uobis effundetur. Ex quibus profecto Christi uerbis et Euangelistę scriptis manifestum plus satis etiam existit, in hoc calice hunc ipsum fuisse sanguinem Christi, qui pro nobis effusus est, ut Petrus & Paulus, & reliqui probatissimi de amarissima Christi passione scriptores attestantur. Non enim auro & argento, non lapidibus preciosis, sed precioso suo sanguine redemit nos dominus. Quanquam uero plus satis esset, unū aut alterū adduxisse locū ad testandā quācunque ueritatem, sicut post Mosen legislatorem Christus ipse affirmat, In ore duorum

1. Pet.1 Rom.5. Eph.1

Deut.19 Mat.18.

duorum uel trium testium stare omne uerbum: tamen adhuc unum ex diuo Paulo pro abundanti haud inualidum addemus testimoniũ, nam & is nomen Christi fidemq; gentibus annunciauit. Ille ergo cum Corinthios de fide et institutione huius sacramẽti doceret, palam profitetur se a domino accepisse, quod illis tradebat, his uerbis: Quoniam (inquit) dominus Iesus in ea nocte qua tradebatur, accepit panẽ, et gratias agens fregit & dixit, Accipite, & manducate, hoc meum est corpus, quod pro uobis tradetur, Hoc facite in meam commemorationem. Vbi clare scriptum est a tam electo uase dei magistro gentium, sacratissimum corpus dominicum præsens esse. Act.9 1.Cor.11

Quod si Casparus ille inuerso ordine uerborum diutius hanc uocũ seriem, Iudæos imitatus, legere pget, falletur prorsus phanaticus huius spiritus, atq; plane pro columba coruum suscipiet. Quoniã cum, ut cœpit, integram Christi orationem, quam Paulus dei instinctu præscripsit, inuertere sategerit, oportebit certe sic dicere, Tradetur pro uobis quod corpus meum est hoc. Quod tamen nulla linguæ proprietate, neque ulla Grammatices facultate tueri poterit. Quòd si in Græca lingua aliquando uersatus esset, apud Paulum qui scribit, Christum dixisse, Τοῦτο μοῦ ἐστι σῶμα, Id est, Hoc meũ est corpus, Vel si proprietatẽ linguæ diligentius perscrutari aut referre uolumus, quæ Romana aut uernacula nostra lingua nunq̃ satis pro dignitate exprimi poterit, est, Ac si dixisset: Hoc ipsum, q̃d scilicet in manibus meis teneo, est corpus meũ. Quod si omnino illi & perpetuo placet retrogrado ordine Christi uerba depromere, tentet id quæso in uerbis ad calicem positis. Et certe uelit nolit, sic leget ex Matthæo, Peccatorum in remissionem effundetur pro multis qui Testamenti noui meus sanguis eſt̃ est hoc, scilicet spiritualis, aut spirituale aliquid. Sed q̃ inepta, & a sensu cõmuni aliena sint hęc, iudicet, qui iudicandi ac discernendi uel modicam scintillam habet. Inepta uerborum Christi inuersio.

Quapropter longe ille Slesita Silomis aberrat sua illiterata temeritate, sibi falso ꝑsuadens, q̃d nusquã ex scripturis haberi potest, planeq; cæcus & dux cæcorum, uiam inuestigaturus, parietes in meridie palpitat, dum prophano ore effutire non uereτur, nihil in eum sensum, quo hactenus hoc sacramentum sumus dignati, in scripturis extare, Cum clarissime ex Matthęo, Marco, Luca & Paulo constet contrarium. Cui accedit, ꝙ impossibile est, Christianum hominem, quisquis ille fuerit, probitate uitæ menteq; saluus, hæc Christi uerba, quæ tam aperte protulit, aliter uel interp̃tari, uel animo suo concipere posse, q̃ a Christo prolata sunt, quibus ꝑsentiam corporis & sanguinis sui nobis in hoc sacramento sub speciebus panis & uini cõmendauit.

At uero nobis obstrepit, & temere asserere audet uere Schuuenckfeldius ille, scripturam nihil sibi consciam esse de aduentu Christi in pane, sed in carne solum. Vide quæso, quid non semel inhibita impietas nõ audeat. Hæc magna confidentia detortis scripturis intonat coram imperito populo, nec religioni, neq; fidei omni parcens, quo magni fiat, Ineptũ Caspari argumentum.

 Nec

Nec curat, quæ aperte Matthæi, Marci, Lucæ & Pauli testimonio constant. Sed respondeat rogo, Quare Christus cum hoc institueret sacramentum, discipulis dixerit, HOC FACITE, sicut Lucas atq; Paulus scribunt? Num iubentur artocoporum artem exercere, & panem pinsere? Quidq; præterea uocula illa, Quotiescunque feceritis, in Paulo ad Corinthios possit, atq; in se complectatur? Nam procul dubio noluit Christus hoc negocij genus tam serio discipulis committere, ut panem facerent, in fornace coctum, Iam enim pro legis institutione azymus, qui apponebatur, pistus erat absq; fermento, sicuti Exod. xij. scriptum est, Et quæ præterea ad celebrandum Pascha pertinebant, cuncta parata fuerant ministerio illorum, qui ad hoc a Christo, ut Pascha in cœnaculo facerent, præmissi erant. Facere itaq; iussit corpus & sanguinem suum, ui uerbi, quod ipse semel loquutus est, simulatq; instituit, ut nedum significatiuum sit, sed etiam omnipotenti assistente diuina uirtute effectiuum. Quod adeo apertum est, ut nulla peregrina ac adulterina interpretatione opus habeat, Quin ut palam innotuit, seipsum exponit Christus, quidnam corpus intelligat, aut de quo loquatur.

Hoc facite in meam commemorationem.

Qua in parte libenter quoq; Caspari regulam seruabimus, qua continuo præcipit, & nunq̃ nõ obstrepit, Nihil uerbo addendum, aut subtrahendum esse. Siquidem non aliter Christi uerba nos, qui catholicam tenemus ac tuemur fidẽ, interpretari audemus, atq; ex sacratissimo eius ore prodierunt, qui unico nutu uniuersum mundum condidit. Vnde suomet indicio quasi sorices pereunt miseri illi ac uesani homines, q; eadem sic præter omnem pietatem atq; uerecundiam inuertunt, lacerant, augent, torquent ac retorquent.

Deut. 4

Quinimo non satis est illis insana quadam cęcitate uerba hęc inuerso ordine legere, sed quod non minus damnabile est, addunt de suo confictas expositiones, ut, Meum corpus est hoc, id est (inquiunt) spirituale aliquid tantum. Vah, quis mirari satis potest? Ex quibus domini uerbis, aut ex quibusnam scripturæ locis hanc exponendi formam fulcire nituntur, cum ne iota quidem per omnem scripturam in eam sententiam reperiri queat: sed ex ꝓprij ingenij ruditate, ne dicam malicia, absq; scriptura depromptum, & solius impietatis eorum commentum esse constet, qui inermes uerbo diuino, aduersus communem Ecclesiæ fidem, pietatem ac deuotionem, se euersores fidei Christianę statuere audent?

Conficta uerborum Christi expositio.

In hoc itaq; ꝓcul & toto cœlo aberrat Casparus ille, q; sibi ꝑsuasum et exploratũ habet, tot Chiliades atq; Myriades Christianorum hactenus usq; in ꝑsentem diem adeo cæcos & stultos extitisse, ut absq; scripturis tanta pietate cõcordiaq; tam arduũ & magnũ atq; grandem fidei articulũ acceptauerint. Cuius ego rursus temeritatẽ nequeo mirari satis, quonam argumento in hanc ducatur opinionẽ, q; absq; scripturis hoc sacramentũ uenerabile tueamur: cum nullus Euangelistarũ existat, qui silentio ꝑtereat, & non omnẽ totius sacramenti uim atq; ordinẽ pro fide nostra cõtestetur. Frustra igitur longis ambagibus infert, quantum necesse sit, scri-

Calumnia de scripturis.

sit scripturis (quarum usus maximus facile est in rebus religionis nostrę) rem munire. Nemo eñ unq̃ debilius cōmentum in mediū ꝓtulit q̃ ipse, Cum nos nihil aliud, q̃ q̃d Christus ore suo ingenue instituit in fidem asserere Christianam conemur, Cuius plures discipulorū eius assertores habemus, cum ipse uicissim, q̃d de spirituali corpore adiecit, in nullum unq̃ Christianę pietatis ordinē, nullūq; eruditionis genus referre possit aut redigere. Nam ut de scripturis taceã, ne physica quidē aut metaphysica recipit hanc Chymeram, aut illos Tragelaphos, abhorrēdaq; monstra. Quod si in arenam uenerit, statim primo congressu a quouis etiam inexercitato pugili, imo amuso pastore aut carbonario, qui solū Ecclesię communibus armis munitus esset, uinceretur, atq; occumberet. Si enim Euangeliū uerso ordine legere pergeret, dicens, MEVM CORPVS EST HOC, atq; simplex ille rudisq; has cōmentationes audiens interrogaret, Quid nam hoc esset, Quod corpus esset: & rursus responderet, aliquid spirituale. An nō diceret bonus ille et simplex carbonarius, Num Christus alibi sua sic tam frigide interpretatus sit? Da (inquiet ꝓculdubio) demonstrandi. Quid ibi? An non faceret, ut Rabini ex Hester nono ca. Da sepher librum, ostende scripturam glossellæ tuæ, qua tam perfricta & inuerecunda fronte dicis spirituale dūtaxat esse & fuisse corpus, non corporale. An non hoc congressu uictus, omnibus destitutus armis, turpiter se dabit cum omnibus copijs suis? Nihil eñ scripturarum cōmode adducere potest unquam.

Casparus a quouis carbonario conuinci potest.

Ex quo facile consectariū est, hūc hominē sua impietate omnes alios, quos ulla ætas unq̃ certe haud parum multos tulit, hæreticos longe excellere & superare. Siquidē maior hæreticorū numerus & pars dūtaxat ex male intellecta scriptura in errores ꝓlapsi sunt & inciderunt. Quibus & in primis hoc curæ fuit, quo scripturis pro ingenij facultate detortis, hominum oculos fascinarent, Quemadmodū et ab Anabaptistis atque alijs hodie fieri cernimus. Verum solus ille noster Capharnaita nouus tantū sibi libertatis uendicat, ut æstimet impune sibi licere, in tam arduo fidei negocio, pro ingenij sui malignitate peruersa quiduis commentari absq; ullo scripturæ pręsidio, adminiculo, & adstipulatione. Atq; hæc non solum secum priuatim in angulis uoluit, sed in publico per uniuersam Slesiam quasi pro rostris proclamat, adeo temere, ut si quis rationē eius exigat, huic nihil scripturæ reddere posset.

Casparus hic nullam pro se scripturā contra nos habet

Nec interim temperat a conuitijs. Nam eius uitij nos omnes falso accusare præsumit, & ausu improbo toti Christianismo hanc iniustam calumniæ notam spargit, quod sacramentum hoc sine scripturis teneamus. Quasi Matthæi, Marci, Lucæ & Pauli, imo & Ioannis Euangelistæ monumenta nihil nisi fabulas aniles & figmenta Æsopi & Luciani complecterentur. In nos itaque prorsus inuerecunde mentiuntur, dum nos Christianos Catholicos incusant, quasi absque scripturis asserere ausi fuissemus præsentiam ꝓciosissimi corporis & sanguinis Christi in sacramēto altaris. Sicq; falso ꝑsuasit ille ueterator, nullū Apostolorū

Conuitia et calumnia Caspari.

in nostræ fidei sensum hoc sacramentum docuisse, Cum ita aperte ex/presserit Paulus, ut nihil manifestius haberi possit.

Probatio ex Paulo, de uero corpore Christi. 1.Cor.11

Cum em̄ indigne manducantes reos faciat corporis et sanguinis Christi, & iudicio dei obnoxios statuat, Vnde & plerosq; apud Corinthios ægrotare, sed & multos uita functos esse subinfert, argumentū ingēs nobis subministrat p̄sentię corporis & sanguinis Christi. Quis enim quęso crederet, eos tā acriter obiurgari, & tā grauiter peccare, fieriq; reos corporis & sanguinis dn̄i, qui minus digni panē pistoriū manducarent, aut uinum de uite biberent? Proinde minus nobis hoc genus belli nocere solet, q̄ improbi illius hominis philautia p̄tinaciaq; immoderata potest.

Hier.2

Sed q̄d moror? Satis liquet, interp̄tationē illius nihil esse q̄ nebulas turbinibus agitatas, cisternam ueterē, & lacus contritos, qui nequeunt continere aquas, simul & prorsus inanem Therſitæ Homerici loquacitatē, quæ nihil scripturæ sapiat, & quæ cito sit ruitura, Quoniam non supra

Mat.7

petram ueritatis diuinæ, sed supra harenam absq; fulcro ædificauit imprudens paterfamilias, ne quid durius in eum pro meritis dicam.

Argumentū de obiecto fidei.

Transeamus ad reliqua Caspari argumenta. Audet itaque ille præterea affirmare temere, nullū obiectum fidei esse corporale, sed spirituale tantum, diuinum & cœleste, Ideoq; merito cassari euacuariq; fidē nostram, quæ uerum Christi corporale corpus & sanguinem credat, ponat & ueneretur.

Solutio.

Quid nos ad hæc? Nempe sole clarius est, omnia illa nō modo absq; scripturis Casparum euomuisse, sed sophistica arte in fraudem Christianæ pietatis & labefactationem omnis pene fidei, eblacterasse hanc impiam & detestandam regulam. Nam si ea regula quasi fundamentū habens, locum aliquem meretur, concidit maior fidei nostræ portio.

Multa corporalia de Christo credimus. Mat.1.& 2 Luc.2

Credimus enim, & ex Euangelijs ita docemur, Christum in utero uirginis gestum fuisse nouem mensibus, & natum ex uirgine infantem, in præsepe pannis inuolutum esse in Bethleem, deinde a Magis adoratum, Posthac in Ægyptum ductum, & inde reuersum diuertisse in Nazareth, Ad hęc in templo duodecim annos natum, inter doctissimos sedentem scripturam contulisse, profectum in Nazareth, mare etiam nauigasse, & sicco pede transisse, ac si ambulasset secus littus, In naui etiam dormiuisse, in templo & monte non tam sermones q̄ orationes crebro habuisse, Ex aqua uinum, ex paucis panibus copiam ingentem fecisse, Lazarum a mortuis resuscitasse, Manum imposuisse super infirmos, Et alia pleraq; utriusq; naturæ officia hominibus p̄stitisse, certo docemur. Eiusq; fidei, quam his rebus omnibus adhibemus, obiectum corporalis res existit, & minime spiritualis, aut mentis quædam excogitata idea: Quam rem non philosophi solum, uerum quotquot in uniuerso mundo sunt homines ex plerisq; naturæ efficacibus argumentis confiteri coguntur.

Cæterum & Casparum non ignarum esse arbitramur illius, quod ad Philippenses cap.ij. diuus Paulus scriptum reliquit de Christo, ubi

asserit,

asserit, ipsum formam serui assumpsisse in similitudinem hominũ, & habitu inuentum esse ut hominem. Vnde sane constat, eum cõmunes nobiscum habuisse omnes humanæ infirmitatis conditiones (excepta peccati contagione) ueluti esuriem, sitim, & id genus multa alia, quemadmodum ipsemet de se testari sæpissime solet, qui & cum hominibus scripturæ testimonio conuersatus est. Quibus omnibus firmiter sine ulla hæsitatione fidem habemus, quantumuis corporale sit obiectum. *Christus formam serui assumpsit.* *Baruch 3.*

Proinde si impij illius hominis in sacris prophanisq; miscendis inuertendisq; regula fidẽ mereretur, & locũ inueniret, protinus fateri oporteret, Christum non communi eiusdem naturę cum nostro corpore coram Anna, Caipha, Herode & Pilato constitisse, neq; in cruce passum fuisse, Cum tamen unumquenq; nostrum, qui passionẽ illius mente uoluere meditariq; uoluerit, sibi obiectũ corporale ante mentis oculos constituere necesse sit, Videlicet crucis, alapæ, coronę spineæ, lanceæ militis, & huiusmodi aliarum rerũ, quibus Christus deus & homo sensibilibus torturis affectus est. Taceo resurrectionẽ a mortuis, & ascensionẽ in coelũ, ne in infinitũ currat oratio. Nam illa paucula satis superq; cõprobant longissime fallere Caspari regulam, quę cũ nullũ habeat scripturæ adminiculũ, minus etiam firmitatis stabilimentũ habere poterit. Cum igit̃ contrariũ illius ꝓ scripturę testimonio uerum esse uideamus, fieri neutiq̃ potest, quin quicqd ędificatũ fuerit sup hoc arenoso fundamento, mole sua corruere, atq; instar niuis autcerę fugiẽtis a facie ignis diffluere oporteat. *Impia et falsa Caspari regula.*

Quod uero Caspar ille intellectu suo minime consequi potest, quo modo, quaq; ratione fiat, ut sub specie panis sit totum illud Christi corpus, nemo miretur. Nam cum in tam apertis rebus fidei nostræ tam longe aberrare soleat, suumq; intellectum pro Pauli doctrina nolit captiuare in obsequium Christi, euenit illi, quod Thomæ olim incredulo ex Euangelica historia satis notum est. *Incredulitas Caspari.* *2. Cor. 10* *Ioan. 20*

Si insuper fides nostra tandem in hos terminos rediret, ꝙ nihil creditu dignum statueremus, nisi oculis uideri, manibus tractari, aut pedibus calcari possit, non possum suspicari, quid aliud futurum sit, q̃ ut simul omnia negemus, quæ in utroq; Testamento prodita sunt. Hem te appello, quisquis hæc audis, Qua ratione ex nihilo credes totius uniuersi creationem? Quomodo deprehendis, uirginem peperisse seruata integritate? Aut edissere nobis, quomodo ad inferos descenderit Christus. Non potes, Quoniam hac parte longe excedunt humani ingenij uires captumq;, Vnde credere illa, & non intelligere oportet. Inqt eñ Esaias ꝓpheta: Nisi credideritis, nõ intelligetis. Et Apostolus non dissimiliter, Accedentem ad dominum credere oportet. Et, per fidem, non per speciem ambulamus. *Multa supra sensum et intellectum credenda sunt.* *Esa. 7* *Heb. 11* *1. Cor. 13*

Nec ego dubito, quin Schuuenckfelder ipse, si quando inciderit in lectionẽ huius uerbi apud Ioannẽ, Et uerbum caro factum est, fidẽ solũmodo in hoc grandi mysterio, & nõ captũ suũ ꝑtendat, & illi in primis locũ det, cũ per naturę nostræ tenuitatẽ nõ liceat, neq; det animo cõseq, *Intellectus noster in obsequiũ Christi captiuus esse debet.*

quomodo

quomodo diuinitas cum humanitate in personæ unitate coniuncta sit inseparabiliter. Verum in huiusmodi rebus arduis, quæ nos longe superant, necesse est obfuscatum ingenij nostri acumen seruituti Christi captiuum adduci in obsequium, Alioquin enim fides nõ esset fides, sed scientia, Cum tamen contraria sint credere, intelligere, credere & ratiocinari. Vnde & apud Paulum legimus, ꝙ fides est substantia rerũ sperandarum, & argumentum non adparentium. *Heb. 11*

Verbis diuinis firmiter hbēdafides. Quibus manifeste docemur, id unice in arduis his articulis Christiano homini relictum esse, ut de uerbis domini minime dubitet, aut hæsitet. Si experimentum flagitas, fac periculum. Cum Mosis Pentateuchũ aggrederis, primum statim occurrit, deum breui sermonis contextu dixisse, Fiat lux, & facta est lux. An minus aliquid Christus cum hominibus conuersatus fecisse legitur, cum mortuos suscitauit, & ægrotos pristinæ ualetudini restituit? Sic enim ad Lazarum ait, Lazare ueni foras: atq; puellæ, Surge. Statim ad uerbum suum cõtigit illis benignitas, quæ nullis naturæ uiribus prçstari potuisset. *Gen. 1* *Ioan. 11.* *Mat. 9*

Quare hic quoq; Christi uerbis non minus fidei habiturus sum, quæ proprio quoq; ore locutus est, cum se nobis in memoriam perpetuam magna in nos benignitate sua dare placuerat in nouissima cœna, in huius sacramenti institutione, quo semper coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium. Neq; aliter credere phas est, atque ipse dixit, Parumq; me animo solicitum tenere solet, quo pacto ipse adsit, Satis superq; est me pendere ex uerbis ipsius ore prolatis nullo fuco, sicut per Euangelistas conscripta sunt, Et maxime ob hanc causam, ꝙ illius uirtutem atque potentiam nemo satis perscrutari, aut animo complecti possit.

In Eucharistia uerũ corpus Christi est. Vnde superest, fide compertum habere, ꝙ in sacramento adsit sua uoluntate, nulla uirtute humana. Neq; decet nos Thomæ infidelitatem imitari, & eam nobis communem facere: sed conuenit, quandoquidem beati dicuntur qui credunt & nõ uident, ingenue fateri, Christum corpus suum realiter & essentialiter discipulis suis in ultima cœna in cibum ad manducandũ dedisse, prout clarissima ipsius contestantur uerba, & ꝙ uere cum corpore post resurrectionem ijsdem apparuerit. Nec insuper patiamur ulla persuasione in animum adduci, ut cũ Casparo Schuuenckfelder spiritum hunc fuisse somniemus, quoniam carnem et ossa habuit, ueluti ipse quoq; oculis eorum cõmonstrauit. *Luc. 24*

Duo alia Casparii argumenta. Psal. 74 His porro nondum satiatus malis, Caspar diaboli primogenitus, declinat ex hoc in hoc, ex errore in errorem: & his omnibus præter omnẽ rationem duo adiungit alia argumenta, auditu horrenda, quorum primum huc euadit, Nullum Apostolorum, neq; Petrum neq; Paulũ unq̃ tradidisse ueram corporis Christi in hoc sacramento præsentiam. Alterum est, Nec quicquam in ueteri Testamento in eam rem scriptum inueniri.

Solutio. Quibus ego ex ordine respondebo, Et in primis mirari haud mediocriter

triter soleo, ꝙ qui ubiq; in sacris uersatus uideri gestiat, non conspicere queat, quæ Paulus de hac re Corinthijs scripsit, quos diligenter admonet, quo discrimine, quaq; præparatione & dignitate, tum & modestia, cœnam dominicam manducare oporteat, Ne iudiciũ manducent & bibant, & rei fiant corporis et sanguinis Christi. Ideoq; subdit ibi Paulus, Inter uos multi sunt infirmi, & dormiunt multi. Quod certe non ex pistorini panis indigna sumptione prouenit, sed quia non dijudicatur corpus domini ab alio uulgari cibo, & indigne acceditur. *1. Cor. 11*

Nec credendũ, ꝙ Apostolus hoc tam seuere extulisset, si de quotidiano pisto pane edendo ordinem Corinthijs dedisset, Verum quia de sacramento corporis domini loquitur, tanto maiorem eam mensam facit, quanto longius a cõmuni mensa distare docet. Multo maior est distantia inter mensam domini, & mensam dæmoniorum, q̃ sit inter cœlum & terram. *Qualis panis in Eucharistia.* *1. Cor. 10*

Quòd si etiam Paulus nihil prorsus de hoc tradidisset, satis foret nos duos Apostolos Matthæũ & Ioannẽ in testes aduocare, Similiter et duos discipulos Apostolorũ, duos inq̃ Euangelistas, Lucam & Marcum, qui suis monumentis cõmunẽ illam, quam quasi per manus q̃q; ab ipsis accepimus, fidem corporis & sanguinis Iesu Christi cõfirmare consueuerunt, Quibus eo plus fidei tribuendũ est, ꝙ duo priores cum domino in mensa cõsederunt, cõuiuę agni Paschalis typici et spiritualis, et institutionẽ Christi sensibus animoq; acceperunt, simulatq; porrectum panem et calicem corporis & sanguinis eius cũ primis manducauerunt. Alij uero a præceptoribus suis Petro & Paulo fidem edocti acceperunt, quã & Paulus se a domino accepisse, ad Corinthios scribẽs clara uoce testatur. *Alij testes nostræ ueritatis*

Alterũ fundamentũ, quo ille impiam suam doctrinã fulcire conatur. Perinde ac si quis nostrum cum Iudæis de partu atq; uirginitate Marię ꝑpetua disputare instituerit, cũ alter alma legat, alter haalma, Et quæ de clausa porta, id est, uirginis partu ꝓpheta Ezechiel aliquando uatidico ore ꝓfessus est, semp illis ridiculo esse solent: Ita quoq; cum Casparo fit. Nam etsi nos aliquoties partim prophetarum oraculis, partim figuris ueteris Testamenti, ueluti typo Mannæ de cœlo panis diuinitus missi in deserto (quod & Christus apud Ioannem inducit) sacramentum hoc confirmare soleamus, Casparo tamen nullius momenti uidentur. Et ne audire cogatur, obturat ille aures, perinde atq; aspis, quæ ad uocem sapienter incantantis caput recondit in terram. *Casparus Iudeis pertinacibus similis.* *Esa. 7* *Ezech. 44* *Exod. 16* *Ioan. 6* *Psal. 57*

Nec multũ abest a spiritu immundo, qui cum per dei potentiam uerbo uirtutis suę ejci debet, eos quos possidet, laniat, illosq; spumare facit, & plerunq; in ignem & aquam præcipitat, tandemq; ubi nullus amplius relinquitur locus, nec longius immorari permittitur, in porcos irruit, & in mare pernici motu currentes suffocat. Ita plane solet Casparus ille: Nam ex summa cæcitate uirtute uerbi diuini in spiritum turbinis actus, non uidet nec recordatur, quod uetus Testamentum solum umbra atque figura est noui, Et quod lucem & ueritatem ex nouo accepit. *Similis item spiritibus immundis.* *Mat. 9. et 17* *Heb. 10.* *Ioan. 1*

Lex enim per Mosen data est, Gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est. Mirū dictu, q̄ usq; in p̄sentem diē frequenti lectione sua non tantum consequutus est, ut compertum habere possit, qua ratione dicamus Christum anguem æneum esse in deserto per Mosen exaltatū, Et figuram long cum Christi resurrectione a mortuis conuenire.

Ioan.3. Luc.11 Mat.12.

Quod uero affirmare audet, nihil in nouo Testamento fide dignū esse, aut docendum, quod non in ueteri aut factum aut edoctum fuerit antea, temerarium magis est. At quæso respondeat mihi, cum quibus ueteris Testamenti figuris ascensio Christi in cœlos comprobanda sit, sicut & pleræque res noui Testamenti subsistunt. Et nihilominus tamē non ueretur audacter impudens dicere, quæ in nouo Testamento nobis credenda incumbunt, in ueteri Testamento sub figurarū umbris expressa esse, Quod nec uerū, nec necesse fore constat, sed satis est cōmuni quadam figura comprehensum esse. Nihil itaq; his suis argumentis facile facturus est.

Vetus Testa. umbra.

Expedito nunc primo puncto, atq; ostensa Caspari malignitate in uoluendis scripturis, qua circumuenire simplicem Christi gregem ouiū conatus est, atq; mentita pastoris uoce plerosq; delusit, Iam enim aliqu eius inuolutis nęnijs, atq; cum syncera scriptura collatis, quam suis commentis ꝓphanauerat, facile liquet, quibus delyramentis & uanis cogitationibus ille usus sit, capiendis rudium animis. Et certo constat Christū haud ullis alijs uerbis facile clarius suam pręsentiam corporis & sanguinis potuisse testari, neque aliter atq; ipse ore suo sacratissimo loquutus est, Euāgelistas posteritati tradidisse. Quibus accedit, q̄ sicut Corinthios Paulus instruxit, ita & in hunc usq; diem ingenue obseruatum & religiose creditum est in uniuerso orbe Christiano.

Nunc nobis pro ordine incumbit, ut inquiramus, num non seipsum Caspar procul a ueritate abducat, cum arbitretur, hactenus præter fidei naturam Christianos pręsentiam corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento credidisse. In primis uero ego rursum existimo, neminem tam rudem esse, qui ignoret ea quæ fides nostra religioq; expostulat, & quibus curis non modo Christus, sed & Paulus germanam & genuinam fidei naturam exprimere conatus fuerit, Cui ante omnia hoc tribuit, ut sit substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, ut sit firmitas stabilisq; securitas omnium eorum, quæ nec sensibus, nec humana ratione deprehendi possunt, & quæ repręsentet animo res creditas, quasi coram cernerentur.

Quid fides. Heb.11

Vnde facile colligi potest, eam non esse coram deo meritoriam fidē, quæ sensuum adminiculo addiscitur, aut certa demonstratione acquiritur, atq; sequitur, totum fidei euacuari meritum, ubi sensus aut humana ratio prębet experimentum. Nam beati prædicantur illi a Christo, qui non uidentes crediderunt. Quemadmodum nos firmiter credimus in unum deum (quem corporalibus oculis nunq̄ uidimus) creatorem cœli & terræ, cum eo temporis nec nati sumus, nec nos spectatores exhibuimus

Ioan.20 Fides sensus nostros excedit.

buimus: & in dominū Iesum Christū e uirgine natum, filiū hominis, orbi ꝓmissum Messiam, ac dei filium unigenitum, & hunc pro perdito in Adam mundo passum sub Pontio Pilato, mortuū & excitatum, in gloriam patris assumptum, futurum iudicem. Quæ omnia pene ante mille quingentos annos, & supra, peracta sunt. Sicut & præclaram & cōmunem omnium hominum resurrectionem a mortuis, suo tempore futuram credimus, quam nondum uiui attingere potuimus. In hunc nimirū modum ex susceptæ fidei officio et natura credere nos oportet, quęcūq; Christus uerbo suo factisq; cōplexus est, etiamsi nunq̄ oculis nostris obuersentur, nec cōsequi liceat, quando hæc aut alia dicta factaq; sint. Hæc illa summa ac præcipua fidei uis ac natura existit.

Proinde quamuis Christus omnia quæ instituit, fidei nostræ commiserit, & arctissimo credendi uinculo iniunxerit, sicut plerisq; noui Testamēti locis docemur, nihil tamen unq̄ instituit, in quo liberaliorē promptioreq; animi confidentiā atq; fidem desiderauerit a nobis, q̄ in hoc sacramento. Id quod nō modo Epistola Pauli ad Corinthios, uerūetiam aliquāto clarius in Euāgelio Ioannis sanctissima ad Capharnaitas Christi prædicatio docet, atq; cōmonstrat. Cōpertum est enim, illic Christū de instituendo sacramento prędixisse multa, atq; his uerbis illius mysterium expressisse, cum ait: Panis quē ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Quo dicto Iudæorum perfidiam acerrime in se concitauit Christus. Illi nanq; partim ex synagoga Capharnaitæ, partim & ex discipulis inuicem mutuo disceptabant certamine, quomodo hęc fieri possent, et quomodo carnem suam ad manducandū dare ualeat. Quod cum intellectu suo consequi minime ualerent, retrocesserunt, & sese ab illius consuetudine subduxerunt. Cuius hęc quidem potissima, imo unica ferme causa assignatur, quod hanc per omnia falsam regulam animo conceptam statuissent, Nihil scilicet credendum, nisi quod uiribus animæ corporalibus comprehendi posset, quodq; naturæ uiribus constaret. Ideoq; dubij inter se quæritabant, Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum? Durus hic est sermo, inquiunt, q́s potest illum capere?

Christi sermo de Eucharistiæ sacramento.

Ioan. 6

Horum Capharnaitarum non postremus est Caspar iste: nam nihil credere statuit, nisi corporalibus uiribus compertum sit. Et callide quidem, ne fallere uideatur nequissimus cauponator. Ecce in re tanti momenti prætendit fideī uim ac energiam, quasi fides de nulla alia re sit, q̄ quæ sensibus exposita existat.

Casparus Capharnaitis similis.

Veruntamen quemadmodum antea quoq; recensui, ex hoc necessario consequitur, ꝙ Christus non uere, sed spiritualiter aliquando sit circumcisus. At ne illi iniuriam facere iudicari possim, ab ipso uehementer scire desidero, cum in Euangelista Luca legat, Christum circumcisum fuisse octauo die, num in animo statuat, hanc circumcisionem non corporalibus oculis uisam, et corporalib. manibus factā fuisse. Item cū Christus de cruce sumptus est per Iosephū ab Arimathia, & Nicodemū, no-

Corporalia quędam de Christo credenda.

Luc. 2

uo ſepulchro dignatus,unctus,ſyndone mũda inuolutus, num ſpiritua- liter illa fieri oportuerit et facta ſint? Et an ꝓpterea fidei repugnet,quod nos eadem non cõſpeximus? Hic fateri cogeris aduerſus tuã,quam hacte nus tutatus es,ꝓfeſſionẽ,niſi cerebroſum te omnino oſtendere uelis,hęc omnia ita geſta fuiſſe,ut corporalibus oculis percipi potuerint. Nam ſta bat ad crucem Ieſu mater,ſtabat & illic diſcipulus,quem diligebat Ieſus. E cruce uoce corporali nõ ficta aut ſimulata loquutus eſt illis dominus, Vocem nõ ſpiritualem ꝓtulit clamans clamore ualido, ut inquit Apo- Heb.5 ſtolus. Quare non opus fuerit, quicquam cum Manichęis ſomniare de phantaſtico & imaginario & ideali quodam corpore Chriſti, Quoni- am ita factum eſſe,nolentes uolentes compellimur fateri ſcripturæ teſti- monio, & ipſiusmet Chriſti uerbis. Siquidem Chriſti uerba docent, ꝙ ipſe ſaluator noſter homo natus,qui ſecundũ naturam humanam uiſibi lemqꝫ paſſus eſt,et mortuus,reuixit,& ad coelos aſcendit. In hoc itaqꝫ ſa cramento corpus ſuũ,quod in cruce pependit,ſimul & per concomitan tiam animam ſuam cum diuinitate in cibum præbuit, & quotidie præ- bet,quamuis illud oculis noſtris radijsqꝫ uiſualibus,ſicuti eſt, conſequi minime poſſimus. Poterat quidem Magdalena ante reſurrectionẽ do- Mat. 26 minicum corpus contactum ſentire, dum illud precioſo unguento inun Ioan.20 xit.Similiter & Dydimus Thomas ante aſcenſionem domini manibus palpitauit,& uidit clauorum fixuram.

Fidei meritũ. Nobis tamen hic longe ſecius euenit, Nam inuiſibili modo pręſentẽ Chriſtum manducamus. Ex quo ſane fides noſtra gratiam dei uberio- rem nobis conciliat,& merita noſtra, quæ inde proficiſcuntur, ꝙ credi- mus,non uiſa,locupletiora reddit,quæ & potior fidei conditio ac natu- ra eſt,quam niſi quiſqꝫ firmiter fideliterqꝫ quoad uixerit, obſeruauerit, impius eſt, diaboli filius, neqꝫ quicquam commune habet cum Chri- ſto in regni æterni hæreditate. Qui enim non crediderit, ut apud Io- Ioan.3 annem Chriſtus ait, iam iudicatus eſt. Nec dubium eſt, quin qui ea in- fidelitate diabolo mancipatur, nulla induſtria euitare poſſit, ut non continuo ex uno errore in alterum prolabatur & incidat. Nam illi non fidit, qui noſtra eſt ueritas & uita, qui uiam facit, & per eam ducit omnes nos. Etſi uero in hanc rem perplura dicere poſſim, breuitatis tamen gratia, ſi unum adduxero locum, reliqua diligenti lectori man- dabo.

Fides noſtra de angelis. Mat.18. Apud Matthæum ſic concionatur Chriſtus: Angeli ſemper uident faciem patris mei, qui in coelis eſt. Ecce angeli quamuis minime ea ſint conditione,ut noſtris oculis,dum obuerſantur,conſpici queant,niſi ipſi Heb.1 Tob.9 Dan.9 nobis libere uidendi ſe copiam fecerint, ueluti Tobiæ,Danieli, alijſque obtigit,faciẽ tamen patris uidere,&(ut alibi eſt) hominibus miniſtrare dicuntur. Nec licet nobis in hoc ſæculo hoc humanis ſenſibus compre- hendere,quomodo uel angeli nobis aſſiſtant miniſtratorij ſpiritus, uel qua ratione ante faciem patris ſemper ſint & obuerſentur. Nihilomi-

nus tamen ea credere oportet, niſi ab Euangelio impie deficere uelimus.

Hinc conſtare poteſt, q̄ ille perdite ſuamet libidine aberret, cum de obiecto inuiſibilis & incomprehenſibilis fidei tam ſophiſtice blaterat. Quod ſi iam (ut deceret) amplius cœptæ rei inſiſteremus, in quibus ſci- licet conſiſteret beatitudo & ſanctorum fruitio, & num ſancti in cœlis 1.Cor.13 uiderent deum, ſicuti eſt, de facie ad faciem, non in ænigmate & ſpeculo, 1.Ioan.3 appareret longe manifeſtius error ille pro ſua amplitudine, Quando- quidem iuxta ipſius regulam, nemo Chriſti humanam naturam in cœlis uere uiſurus eſſet, certumqꝫ eſſet, Stephanum Chriſtum nunquam ui- Act.7 diſſe, Neqꝫ ullus poſthac relictus eſſet locus fidei articulo, ꝙ in ualle Io- Iohel.3. ſaphat nos receptis corporibus, filium hominis exacte uiſuri eſſemus Mat.16. uenientem in nubibus cœli, ſedentem pro tribunali ad iudicandum ui- 1.Cor.15. uos & mortuos.

Quoniã inquit, quicquid de Chriſto fieri credimus, id minime fieri Caſpari erro- oportere, niſi per corporale obiectum. Verũ ego uereor, ne dum Ca- nea Theolo- ſpar ille obiecto fidei corporali innititur, nondum parua naturalia (ut gia. uocant) apud Ariſtotelem didicerit. Subolet etiam, ꝙ parum olei in Metaphyſica aut Scholaſtica (taceo in ſyncera illa & ſolida) Theolo- gia inſumpſerit, Et ꝙ ſibi doctoris officium uendicet priuſquã ad pedes domini cum Maria Magdalena uerbum domini diſcipulus & pius au- ditor audierit. O rem merito dolendam, quod tam rudes idiotæqꝫ ho- mines cæmentarij fidem illam noſtram, quam cum ſumma morum reli- gioniſqꝫ pietate a maioribus per manus accepimus, dilaniare ac lacerare tam impune audeant, neqꝫ ceſſant.

Cæterum quàm ineptum etiam argumentum ſtatim inferat, auſcul- Aliud argu- temus. Nullibi, inquit, locorum Chriſtus eſt quærendus, niſi in cœlis mentum. apud patrem. Quid ais inſane? Quaſi diuina maieſtas ita finibus ſit cir- Solutio. cumcluſa, ut ſolum in cœlis uerſetur, atqꝫ non potius undiqꝫ ſedem ple- nitudinis magnitudiniſqꝫ occupet. An mentitur ꝓpheta, ꝙ dicit, Cum aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades? Videtur Pſal.138. ne tibi impune ſic licere quod lubet effutire? Audi quid dominus apud prophetam dicat: Ego cœlum & terram impleo, Et, cœlum mihi ſedes, Hiere.23. terra autem ſcabellum pedum meorum. Eſa.66.

Porro ſi diligenter perpendimus, quæ dicit blaſphemus homo ille, certum eſt, quod non ſolum Chriſtum ad dexteram dei patris cogit, ut ibi ſedẽ occupet, uerumetiam patrem in cœlis occluſum teneri affirmat. O cæcitatem hominis immodicam, O perfidiam incredulamqꝫ uipera- rum progeniem. Quamdiu tandem tolerandum eſt hoc malum? Iactas Mar.9. magnifica de uerbo diuino, quaſi ſolus uerbi dei propugnator eſſes, Et interim alterum fidei uerbum, quo omnipotentiam dei commendamus & merito credimus, euertere ſtudes. Si ſecundum fidem quam profiteris Omnipoten- ex parte deus omnipotens eſt, cur adimis illi eandem uirtutem? Cur tia Chriſti. non relinquis omnipotentiæ ſuæ, ut ſimul in diuerſis locis eſſe queat? Si potuit Chriſtus præter omnium hominum uires, intimos animi affe-

Mat. 9. ctus & secreto abstrusas cogitationes discipulorũ suorum Pharisęorũq́ experiri & cognoscere, etiãsi nemo ex illis ꝓderet lingua: Si uirtute ma=
Act. 2 gna ad infernũ & ima tartara descendit, & sua uirtute omnipotenti ex
Psal. 15. occluso & bene nedũ obsignato, sed & custodito monumẽto egressus e
Rom. 1 Mat. 28 mortuis reuixit, & mox multis in locis hominũ oculis apparuit: Si insuꝑ
Ioan. 20 clausis ianuis ad discipulos ingressus: Si deniq́ sua uirtute immensa cor=poraliter et uisibiliter e terra se recepit in ęthera, cœlosq́ ascẽdit, et simul captiuã captiuitatẽ duxit, patres ex lymbo ereptos et ab inferis eductos, magna angelorũ comitante caterua cœlesti monarchiæ eduxit & inue=xit: Si hæc aliaq́ aduersus inferorum portas fortissimus salutis liberta=tisque nostræ gigas, saluator & reparator efficere potuit, cur conatur Caspar ille cum suæ impiæ conspirationis socijs, Christo, cui nihil un=quam obstare potuit, manum suam tam potentem præcludere & ab=breuiare?

Quamuis autem iam multis ille circuitionibus absq́ scripturæ solida firmitate multa inutiliter intulerit, et sibi persuasissimũ habeat, nos tali in eum obseruatione usuros, quali olim auditores Pythagorę fuisse narran tur, ut quicq̃d ipse temere euomuerit, cõtinuo ꝓbemus, uulgatissimum illud Pythagoreorũ uerbũ iterantes, αὐτὸς ἔφα, ipse dixit: tamen in mentẽ uenit illi tandẽ parum hoc successurũ, quoniã non essemus leuiter cessuri persuasionibus eius siue probationibus, quę nihil aculei haberent. Qua=

Vanæ probationes Caspari. re magna cura committit ille nobis, primæ epistolæ canonicæ diui Petri primum caput legendum, quod clare suã contestetur sententiam. Post=quam autem illud uoluimus atq́ reuoluimus, haud possumus reperire, quid illius commenta confirmet, imo aduersus illum plus roboris licet nobis ex eodem principis Apostolorum loco uẽdicare. Nam Petrus eo loci diligenter commendat Ponti, Galatię, Capadocię, Asię, Bithynięq́ incolas Christo credentes, quod amarent atque diligerent Iesum Chri=stum, quẽ tamen nunq̃ uiderant, Cum ille e contra nihil sibi credendum putet, quod nõ oculis conspexerit atq́ manibus palpitauerit. At Petrus ut ibi uidere est, collocat omnem salutis rationem in eas res, quas nunq̃ uidimus. Quinimo quod plus est, docet ibidem, quod & angeli deside=rent in Christum ꝓspicere, quo scilicet pacto ipsum deus ex mortuis re=suscitauerit, & gloria donauerit. Quæ equidẽ non parum aduersum illũ militare, ex his discere possumus, quæ paulo ante ex illius libro induxi=mus, ubi omnia spiritualiter, nulloq́ corporis usu facta fuisse affirmat.

Fidei obiectũ. Ecce autem quæ subiungat. Scripsit, inquit, quidam magnæ autori=tatis in Psalmum quintũ, fidei nullum esse obiectum, q̃ deum. Quo sane uerbo nos erroris arguere sibi uidetur, q́ sacramentum credamus, et nõ deum. Quasi uero tales simus, qui in sacramento Eucharistiæ diuinitatẽ Christi ꝓcul ab humanitate segregemus. Sed frustra est hæc illius cura, Nam occupatur lubens suspitione mala, quæ a ueritate longe abest.

Argumẽtum Caspari. Cęterũ quo illius sententia clarius in lucẽ ꝓdiret, ita ratiocinatus est: Quandoquidẽ fides spiritualis est, & solũ deũ habet obiectũ, & non nisi

corde

corde spirituali comprehendi potest, quicquid credimus, spirituale est: ex quo consequens est, neq; sacramentum panis, neq; quodcunq; aliud extrinsecum obiectum ad fidem attinere.

Huic collationi respondeo breuiter, nos non inficias ire, quin fides ipsa sit gratia & donũ dei, & q diffundať in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui ubi uoluerit, pro suo nutu spirat: Verum q inde colligi possit, Quicquid ergo credo, solum spiritus aut spirituale est, nego per omnia. Quoniam credo infernum & infernales flammas non spirituales corporalibus qualitatibus subiectas. Credo praeterea, ex Maria uirgine Christum natum esse, non spiritualiter, sed corporaliter et essentialiter. Credo insup lancea militis Christi latus pfossum & apertũ esse, & eundem cruci clauis per manus ac pedes affixum, uitam finijsse, & nõ spirituali corpore, sed eo ipso, qd assumpsit in utero uirginis sanctissimę. Ita tandẽ credere possumus, q Christus uero & integro corpore sub sacramentalibus speciebus latitet, aut contineatur, atq; merito, quoniam αὐτὸς ἔφα, ipse dixit, qui uniuersum mũdũ creauit, eundemq; nutu omnipotenti fouet, regitq;. Fateor, si infimae sortis homo quispiam eadem loquutus esset, uix illi fidem daturus essem, Cum uero ille dixerit, qui nec falli, nec fallere potest, & qui uerbo caecis uisum restituit, & surdis auditum donauit, paralyticis pristinam ualetudinem recuperauit, lepra arrosos mundauit, daemonio obsessos liberauit, multaq; alia id genus supra humanae naturę uires pręstitit, eo quod omnipotens, Proin lubens ego illi fidem in hoc uerbo quoq; daturus sum, quod ait, Accipite & comedite, hoc est corpus meũ. Nec nos adeo stupidi, inertes & insani sumus, ut fidem huiusmodi in panem collocemus, Verum in id maxime, q ex ui uerbi, ex dei potentia illi indita sub speciebus sensibilibus continetur.

Solutio.
Rom.12
1.Cor.12
Ioan.3
Potentia uerborũ Christi.

Neq; nos huius sententiae iudicari uolumus, ut & panem pistorinum hic manere & subsistere affirmare uideamur, eo q ille in corpus Christi transubstantieť & immutetur: cedit enim natura creatori tanq̃ digniori. Credimus itaq;, quod neq; uidemus, neq; sentimus, Sed salutem tamen afferre potest, Nam nemo id uerbi dissimulare unquam potest, quod ad Thomam Christus dixit, Beati qui non uiderunt, et crediderunt. Properemus ad reliqua Caspari argumenta uana & reuera futilia, deniq; omnium impijssima.

Panis trãsubstantiatio.
Ioan.20

Quo autem amplius suae perfidiae aliquid praetexere possit, & multorum animos pręstigijs irretire queat, audet ille dicere, Petrum quoq; Matthaei xvi. cap. suae opinioni maxime calculũ adiecisse, Quoniam nihil eorum quae extrinsecus sensibus exposita patent, confessus sit, unde & dixisse legatur, Tu es Christus filius dei uiui, Et non, tu es uiuus dei filius. Ad quod ego respondeo, Petrum diuino munere inspiratum haec intulisse, Neq; illi uel a sanguine, uel carnali prudentia sapientiaq; tanti mysterij reuelationem condonatam esse, Sed a patre luminũ. Nam confessus est, non quem nunq̃ uiderat, sed eum qui ob oculos eius uersabatur, q nempe ipse Christus esset, Quo nomine Christi diuinitatẽ simul

Aliud argumentum Caspari.
Solutio.

 atq;

atq; humanitatem expressit illius quem oculis cernebat, cum quo secedebat in fines Cæsareæ Philippi, cum quo edebat & bibebat, quem & interrogantem audierat, Quem dicunt homines esse filium hominis?

Fides Petri de Christo. Quo in loco Christus fidei Petri uerū obiectum extitit, Id quod in contextu orationis apertius est, q̄ ut longa probatione indigeat. Nam Euangelista recenset Christum prohibuisse suis, ne dicerent; quod esset *Mat. 16* Iesus Christus, Neq; digito commonstrarent, neque ullum eius rei argumentum darent. Siquidem ipse aderat in assumpto corpore, quo ab hominibus qui secum uersabantur sensus indicio agnosci poterat, non tantum secundū hominem, sed ex certis argumentis diuinitatis secundū deū quoq;. Inde commotus Ioannes Baptista, ut in Christum uere credidit, ita & iuxta Iordanem digito mōstrauit, & dixit: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Vnde factum legitur, q; & ibidem homines uiderunt *Ioan. 1. Mat. 3* spiritum sanctum in columbę specie super eum descendentem. Sic Martha quoq; non diuinitatem eius tantum, sed etiam humanitatem, quæ sua quantitate qualitatibusque hominum sensibus subiacebat, confessa *Ioan. 11* est, cum dixit: Tu es Christus filius dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. Quæ sane celeberrima de Christo confessio aliter nunquam exponi potest (si cum genuina uerborum perspicuitate manere uolumus) q̄ quod dei filius, ex homine spiritu sancto authore homo natus, in hunc mundum uenerit, & quod omnes credere oporteat, quod a patre exierit secundum diuinitatem, simulatque formatus sit in utero Mariæ a spiritu sancto, secundum humanam naturam, quæ communi conditione cum nostra sensibus nostris pressurisq; subiecta fuerat. Cum quibus ita constitutum est, ut nisi ambas confiteamur eius naturas in unam personam inseparabiliter, & tamen sine confusione, unitas, salutis haud quaquam participes fieri possimus.

Cum itaq; Caspar Schuuenckfelder sueq; farinę alij iam rursum damnatissimam Manichęorum hæresim ex inferis in hunc mundum educere & inuehere conentur, fieri non potest, quin cū maxima salutis ipsorum aliorumq; iactura periculoq; illud eueniat.

Aliud rursus argumētum. Quod uero Caspar inferre solet, neminem ex scriptura aut uerbo externo consequi posse, quia parum aut nihil ad hanc faciant, Iterū atq; iterum satis mirari non possum. Nam si scripturis nihil adipiscemur, cur *Solutio. Mat. 16* Christus discipulos suos in uniuersum orbē Apostolos instituisset, simulatq; Marci ultimo commisisset, quo uerbum & Euangelium, quod ipse eos docuerat, annunciarent? Et cur in eum euentum longo ante *Psal. 18.* tempore respiciens propheta præcinuit: In omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terrę uerba eorum? Cur deniq; ait Ioannes: Hęc *Ioan. 20* autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius?

Fides ex auditu. Rom. 10 Cui & Paulus adstipulatur, cum ait: Fides ex auditu est, & corde creditur ad iustitiam. Et iterum: Et quomodo credent ei, quem non audierunt? Quo in loco Paulus pulcherrimum contexit ordinem, gradatim ascendens

ascendens, ut doceat, fidem esse ex auditu, & rursum, auditum uerbum ex prædicatione doceri. Porro scripturę quoq; in nostram eruditionem diuinitus datæ sunt nobis, ut per patientiam & consolationem earundem, inquit Paulus, spem habeamus. Quod si ad fidem Christi & Apostolorum uerbum nihil attulit opis, non possum ego coniectura assequi, qua alia ratione fides in Christum propagari aut diuulgari in hunc mundum potuisset. Verum quid tot scripturis opus est, cum facile nemo ex nostris reperiatur, qui non inter præcipuos errores hunc collocauerit, quod aiunt, scripturam atque uerbum nihil ad consequendam fidem facere? Rom. 15

Cæterum ut causam suam æquiorem faciat, multorumque oculos præstigijs deludat, ne temere uulgo hęc blacterasse uideri possit, citat ille Paulũ pro se ad Colos. iij. sed falsum sui erroris sumit prætextũ, peius etiam calumniam Paulo inferre non ueretur, cum ratiocinatur, Paulum ipsum docuisse, Christũ in coelis solum esse quęrendũ. Sed facit perinde atq; Lutherus, qui ut omniũ bonorum extingueret in animis hominum æstimationẽ & fiduciam, simul etiã cõtemptui & neglectui haberentur, eadem temeritate ausus est Paulum accusare, q scilicet ad Rom. iij. scripserit, sola nos fide saluos fieri, Quum hæc uocula sola, in qua non parum pro confirmandis nugis suis uirium situm esse arbitrabatur, neque in Græcis, neq; in Latinis exemplaribus nullibi sit, nec reperiatur, sed ipsius temeritate maleuolentiaq; pro euertenda orthodoxa religione adiecta sit. Ita quoq; Caspar impune sibi licere existimat, ut textui ad Colossenses inserat, solum. Quod nulla modestia potest, neq; unq̃ Paulus in animũ induxit: Id claret, si apud Paulum diligenter fontes argumentorum excutiamus. Falsa ex Paulo citatio.

Est autem sensus Pauli genuinus huiusmodi, q Colossensibus in fide constitutis prohibet, ne iam inde carnalibus sint dediti, neue in uitæ immunditia dei beneficentiam negligant. Dicit enim, si cõsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Quibus uerbis nemo conuincet Paulum dixisse, ut Christum solũ in coelis quasi in ergasculo inclusum, et clauo affixum quærerent, quemadmodũ infidelissime interpretatus est homo ille nullibi sibi constans. Siquidem mox in eodem cõtextu Epistolæ subiungit Apostolus, q Christus sit omnia in omnibus. Et ibidem exoptat, sermonẽ eius habitare in illis largissime cũ omni sapientia. In primo etiã cap. docuerat, Christũ esse imaginẽ dei inuisibilis, & primogenitum omnis creaturæ, Quoniã in ipso condita sint uniuersa in coelis et in terra uisibilia & inuisibilia. Quib. statim addit Apostolus: Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, et ipse est ante oẽs, et omnia in ipso cõstant. Et paulo post: ut sit in omnibus ipse primatũ tenens, qa in ipso cõplacuit omnẽ plenitudinem inhabitare. Hæc aũt ideo Paulus recensuit, ut illis cõmendaret eius maiestatẽ et omnipotentiã. Quod et Timotheo discipulo suo scripsit. Neq; ꝓphetarũ oracula tacuerũt Christum uerbũ omnipotens. Expositio Pauli Colo. 3 Sap. 8

Quã ꝓfecto omnipotentiã huius ętatis impudici nugatores, nephandi

Deus in pluribus est locis, Est enim ubiq;. Esa.66. haeretici atq; pseudoprophetę sua temeritate a Christo tollere nituntur, cum suis ingenij uiribus perfidia obfuscatis consequi nequeant, quo pacto coelum sedes sit dei, et terra scabellum pedum eius. Hinc mox in animum suum inducere uolunt, deum non plus q̃ uno in loco esse, sicq; manifeste pro naturae ductu diffitentur dei omnipotentiã. At quid quaeso hoc argumẽti genus est, quo colligis, Christus est in coelis, Ergo nõ potest nisi in uno contineri loco? Simili modo dicendum atq; confitendũ esset, Deus pater in coelis est, quemadmodum Christus in oratione sua, Matth. vi. & Luc. xi. ac plerisq; alijs, orandum & confitendum esse docuit, Igitur non potest in terra aut alio loco esse. Quod si huiusmodi impiae humanę rationis argutiae locum habebunt, quid reliquum erit, q̃ ut in multiplicium errorum praecipitium subito irruamus, quae hic referre perlongum esset, tum & infirmis in fide non mediocriter scandalosum, Vnde consulto omittenda censeo, ne demus occasionem perscrutandi altiora, q̃ quae nostris uiribus conueniant, sicq; in longe peiores impietates praecipitemur, Quando omnino scrutator maiestatis opprimitur a gloria. Prou.25.

Altiora te ne quaeras curiose. Eccl. 3 Quòd si iuxta principis Peripateticorũ doctrinam noster intellectus se habet ad manifestissima naturae, sicut oculus nycticoracis ad lumẽ solis, quomodo se, putas, habet intellectus noster ad supernaturalia, & ad eum, qui coeli terraeq;, imo totius naturae dominus est? Idcirco altiora supra nos curiose quaerenda non esse, recte docuit sapiens. Sed quid tanta circuitione opus est? Quicquid ille hactenus pro sua impietate citauit, hoc unum illud apud cordatos homines meretur & cõsequitur iudiciũ, quòd, quam Paulus ad Colossenses transmisit Epistolam, non modo non intellexit, uerum quod ad peruersum & sine conscientia hominem attinet, uidentem scientemq; falsi crimine textũ inuertisse, & corrupisse. Vnde non est operaeprecium tanta uti opera in uindicanda ueritate aduersus falsarium, Maxime cum contrarios locos ex Matthaeo, Marco, Luca & Paulo pro germana sua ueritate adduxerimus, quibus Christus ex sua ineffabili ac incomprehensibili potentia huiusmodi institutionem sacramenti sanciuit, & in memoriam sui perpetuam dedit, hac lege, ꝙ omnipotenti sua uirtute simul in multis locis nobiscum uersari uelit, in presbyterorum quidem manibus.

Omnipotens Christus. Mat.28 Colos.1 1.Tim.6 Exod.15 Apoc.19 Et haec illa est potentia, de qua iam iam in coelos ad patrem ascensurus uerba fecit, dicẽs: Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra. Cui Paulus quoq; adstipulatur, cum ait: Potestatem habet super thronos atq; dominationes, &c. Hinc fit etiam, quod & alibi dominus dominantium a Paulo cognominatur, et rex regum, & ille certe, apud quẽ unice omnis potestas collocata sit, & omnipotens, inquit, nomen eius, sanctus, omnipotens, qui erat, qui est, & qui uenturus est. Sed examinemus reliqua Schuuenckfelderi inania argumenta, quae accumulat.

Aliud Caspari argumentũ Ecce poterat suspicari, & non immerito, ꝙ parum adhuc his scripturae locis, quos huc usq; diligenti examine excussimus, ad ꝓpositam animi sui

mi sui sententiam impijssimã effecisset, quare ad aliam etiam scripturã diuertit, sed misere itidem tortã ac coactam, atque ideo infert ex Matthæo, Christum dixisse: Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Ex quo colligit, quod *Mat. 6* cum Christus admoneat, ut thesauros in cœlum cõgeramus, similiter & illuc mentis nostræ cogitatus figamus, non licere, ut in panem aut aliam quamcunque creaturam thesaurũ recondamus. Papæ, quàm inepta est hæc ar- *Solutio.* gumentandi ratio: quàm plane nullo loco apte cõstat? Nec ille totus desipit, qui huic uanæ & ieiunæ persuasioni auscultat, quique aliquid roboris illi inesse putat. Sed suo se ꝑdit inditio sathanas, qui friuolo hoc argumento persuadere frustra conatur, Christum mendacij arguere, quũ ille suo ipsius ore professus sit, HOC EST CORPVS MEVM. Et Paulus idipsum imitatus exemplo nobis commendauerit. Sicut enim Christus in nouissima cœna instituit, ita Paulus in Ecclesijs usus est, atque diligenter præscripsit. Et quemadmodũ accepit a domino, ita Corinthijs tradidit.

Verum quid mirum est, hunc tantas blasphemias cõmittere, cũ etiam *Casparus hic* ignoret, quidnam nos orthodoxæ fidei assertores credamus? Quoniam *ignorat fidẽ* cũ nos doceamus, prorsusque simplici uerbo, prorsus a fuco immuni, de *nostram.* sacramento mentionem facimus, credimusque in hoc Christum præsentem esse, arbitratur bonus ille uir, hanc nos profiteri fidem, ut cum Christus in presbyteri manibus adsit, æstimemus nos eum nusquam in cœlis amplius esse. Sed ignorat ille, quod malignam suam interpretationem abhorremus, et Christi uerbis ingenue fidem damus, simulque firmissime tenemus, eundem Christum in cœlis ipsum esse, qui & in presbyteri manibus facta consecratione in altari adesse non est dedignatus. Et rursus, qui in presbyteri manibus est, eundem ipsum & in cœlis esse. Idem itaque & hoc ipsum unum Christi corpus in cœlis est, itemque in terris.

Aberrat præterea longissime Caspar, quod de nobis præter omnẽ oc- *Duplices oculi nostri.* casionem eiusmodi suspitionem concepit, quod temere persuasus dicit, nos oculos nostros in panem modo uertere, ueluti in extraneum elementũ. Potest quidem uerum esse, ut his oculis, quos carni corporique adscribimus, nihil cernamus, quàm pleraque transubstantiati panis accidentia, uelu ti albedinem, figuram, rotunditatem, aliaque id genus, quæ oculis corporeis adparere solent: Tamen nihilominus infixi sunt oculi nostri cordis & spiritus in hoc dũtaxat, quod sub speciebus panis uinique latet, corpus uidelicet sanguisque Christi, quandoquidem panis suam substantiam exuit, id quod & uinum facit. Et hoc quidem ideo facimus, quia parati sumus, uerbis Christi absque controuersia fidem dare, cui non est impossibile omne uerbum, sicut ad Mariam uirginem Gabriel ille potens po- *Luc. 1.* tentis dei angelus dixit. Quin usque adeo uerborum illius obseruatores sumus, ut si minimum uerbum unquàm edidisset, quo pollicitus esset, se sub lapidis alicuius specie præsentẽ fore, quod perinde potuisset atque ex la- *Luc. 3* pidibus filios Abrahæ suscitare, ea certe in nobis pietas atque uerecundia *Mat. 3* inueniretur, ut nullius omnino mendacij, quibuscunque humanæ adinuentionis industriæque argutijs, ipsum arguere uellemus.

Tanta

Quanta debet esse fides nostra.

Tanta in nobis fides est, ut procul a nobis perpetuo abesse curaturi simus ea, quę superstitiosam plus æquo mysteriorum scripturæ inuestigandi cupiditatē in nobis ꝓuocant. Quin hęc uis est unica, atq; germana fidei ratio, ut ex impossibilibus possibilia faciat, Et tanti ponderis reperitur, ut si ad instar grani sinapis fides nobis fuerit, facile mōtes transferre possit. Quid opus est multis? Credēti omnia sunt possibilia. Id q̄d multorum & uirorum & fœminarum in scripturis docemur exemplis. Plurimis enim Christus dixit, quod fides eorū saluos eos fecerit. Quid uero quantūq; semper apud ueteres, qui religionē a Christo acceptam exorsi sunt, quātum etiam apud ueteris Testamenti patres, patriarchas atq; prophetas fides efficere atq; præstare potuerit, quantumuis ardua, præter naturę industriam, usumq; hominum cōmunem per illam facta sint, scriptura passim celebrat. In primis autē recensuit illa abunde Apostolus Paulus per integrum epistolę ad Hebręos caput undecimum, sed cum referre longum esset, committimus illud diligenti lectori.

Mat. 17. Marc. 9

Recapitulatio errorum Caspari.

Redeo ad Casparum, ut quas impias opiniones sibi falso persuaserit, & in quibus maxime aberrauerit, semel in unum fascem colligemus. Primum quod ait Christum in cœlis solum uersari, uidimus absq; scripturæ
I. ullius adminiculo, quæ fidem rei facere possit, ab eo dictum esse. Vnde nos qui alteram partem controuersiæ tuemur, rectissime mordicus tenemus, scripturis sanctis fulti, Christum uno eodemq; tempore aliquando in diuersis locis fuisse, atq; hodie esse, & facilime esse posse. Dein quod
II. existimauit nos tam inopes mentis, ut oculos nostros in panem, qui humana opera fuit pistus, figamus, longissime a uero abesse commonstratum est similiter. Nam falso induxit in animū, quo calumniaret. Licet autem ante consecrationem pro elemento recte habeamus, & quod uere panis sit ex farina & aqua coctus aut pistus, sine fermento dulcis & albus, ut fieri & esse consueuit: tamen facta consecratione adoramus ueneramurq; eum, cuius corpus & sanguis uere ac substantialiter sub uini
III. panisq; speciebus continetur. Tertio inuenimus hunc secum diffidere, nec ubiq; sibi similem, sed oblitum sui, repugnantia asserere. Siquidem aliquando fidem affirmat eorū esse, quæ nobis apparere, uel coram cerni non queant: Interdum uero tribuit fidei obiecta, quæ & cognosci, & uideri possint. Vnde quū sibi sua nō conueniant, neq; correspondeant, non uideo quomodo alijs fidem facere possit.

Rom. 9. Tit. 3.

Veruntamen simplicibus imposuisset facili opera, nisi nos hæc scripsissemus ad ipsorum ædificationem, quo ab huiusmodi doctrinæ monstris præmonerentur. Sed & hoc nō arroganter feci, sed bono zelo dei, quo ꝓdessem fratribus, pro quibus & anathema cum Paulo esse optauerim, potius q̄ perpeti possim ipsos imperitos sic a lupis rapacibus circumueniri. Fateor, destiti sæpe a proposito, ne scriberem, & ad hoc cohortabatur Pauli illa sententia: Hæreticum hominem post unam & secundam correptionē deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit ꝓprio iudicio condemnatus. Quod sane nunc mul

tis annis

tis annis experti sumus, tamen rursus aggressus laborem cogitaui, non quomodo hæreticum lucrifacerem, sed qua ratione multos a lapsu præseruarem.

Nouimus plerunq; operam & oleum perdidisse eos, qui ab instituto hęreticos reuocare adnisi sunt, nec deest hac nostra ętate huius rei miserabile spectaculum. Licet enim multos Lutheranorum ui uerbi inenarrabili a nobis conuictos erroris pristinæ restituerimus Ecclesiæ, qui data fide omnem in posterum hæresim abiurauerint: tamen uix paucos ex ijs fidem seruasse constat, sed pertinacia in perfidiam ducti redierunt, ueluti canis ad uomitum, & sus ad uolutabrum luti. Neminem etiam latere potest, qua inconstantia Lutherani suos interdum errores sponte confessi sint, atq; sui dissimiles esse non puduerit, Nec tamen ab errore etiam proprio iudicio uicti, suis euulgatis libris aut fateri, aut ad Ecclesiam redire uolunt. Relapsi pleriq; heretici. 2. Pet. 2

Quo fit, ut hæresis apud diuum Paulum commodissime comparetur perniciosissimo gangręnæ, uel, ut alij dicunt, cancri morbo, quo nullus est perniciosior uitæq; hominis infestior. Quamprimum enim unicam corporis partem occupauerit, atq; eam corrosam putredine corruperit, latius serpit, & continuo trahit synceram partem ꝓximam, donec tandem in eandem perniciem omnia rapiat, Nec finem facit, quin totū corpus uni contagioni & putrefactioni subiecerit. Heresis est sicut gangrena 2. Tim. 2

Haud equidē dissimile ingenium Schuuenckfeldero est illi, qui cum semel corrodendæ pietatis animum induxit, & se semel aduersus uerbū domini, ipsiusq; germanā ac genuinam expositionem ponere ausus fuit, ex uno in alium errorem prolabitur, donec nulla sit reliqua impietas, quam non imbibat, cuius exitus huc tendit, ut comburatur igni inextinguibili. Metuo ne huius mali initium promanet ex inflato spiritu, ut etiam uideatur esse aliquid, ut se apud posteros efficiat immortalē, & apud deum pessima morte mortalem, Quemadmodum ille Dianæ templum incendio uastabat. Alioquin enim tam temere de Christo commentari uix in animum induxisset, tacceo proloqui auderet, ꝙ uidelicet Christus in cœlis angustum locum occupet a dextris patris, perinde ac si ibi affixus esset. Ex quo compertum habere possumus, ipsum nondum secreta uerbi dei gustasse, nec multum e scripturis obliuioni tradere potuisse, cum etiam uix summis labijs degustauerit, Alioquin nanq; perpendisset nobiscum, quare in plerisq; scripturæ locis inueniamus, Christum stare in cœlis, sicut Stephanus tunc stantem se uidere dixit, & rursus in alijs locis eiusdem scripturæ, tum in Apostolorum symbolo, quo fidem nostram in formam quandam compendiariam congesserunt, hunc ipsum sedere legimus. Stulta Casparis superbia. Act. 7 Mar. ult.

Simili pacto ignorat, uel lubens etiam prçterit, nihil in hoc secum meditari solitus, cur Christus in plerisque locis ad dextram patris sedere dicatur, atque rursus in alijs a dexteris Dei patris. Ignorat præterea spiritum, quem Ezechiel in uoluendis rotis scripturæ occupatum esse Mat. 26 Mar. 16 Ephe. 1 Ezech. 1

uidit;

uidit: quare ſcriptura aliquando dicat, Chriſtum in cœlo eſſe, interdum autem in cœlis, ueluti plerunqꝫ Chriſtus de patre loquens teſtatur.

Nam ſpiritus ſanctus futurorum temporum haud ignarus, cõpertũ habuit, aliquando fore pſeudoprophetas atqꝫ iniquos ſcripturæ interpretes, qui ſibiipſis in animũ inducturi eſſent (ſicut Schuuenckfelder hac ætate noſtra facit) Chriſtum in uno cœlo duntaxat eſſe, eumqꝫ reliquos latere, neqꝫ in cœlis eſſe, ſed in priuato quodam cœli loco uerſari, ibiqꝫ extremum diem expectare oportere, haud ſecus atqꝫ ſathanam cathena uinctũ, ſicut Ioan. Apoc. xx. meminit, atqꝫ hunc non prius de hoc loco diſcedere fas eſſe, quam is dies nouiſſimus illuxerit. Nonne hæc eſt impia hominum cæcitas? Qui tamen ſe librum cum propheta non modo legiſſe, ſed deuoraſſe arbitrantur.

Falſa de Chriſti loco imaginatio.

Ezech. 3

Vnde manifeſto conſtat, quantum ille a ueritate aberret, cum ſcribit, noſtram fidẽ, quã hactenus in ſacramento docuimus, aduerſus omnem fidei rationem, naturam & conditionem pugnare, Cum nihil unquam illis fundamentis, quibus ſua ſomnia impia ſtabilire conatur, abſurdius longiuſqꝫ a germana fidei proprietate excogitari potuerit, quæ ſtatim omnibus tantam impietatẽ oſtentant, ut nihil reperiri facile poſſit, a quo magis pias mentes abhorrere deceat. Nam ſi probarẽtur neceſſitate quadam argumentorum, confiteri oporteret, Chriſtum non uere pro nobis traditum fuiſſe, ſuumqꝫ effuſum ſanguinem non uerum ſanguinem extitiſſe, ſicqꝫ res tandem eo deueniret, ꝙ cum quodam impietatis propugnatore, qui ſibi Schaffhuſæ uerbi miniſterium uendicauit, profiteremur, Chriſtum bene quidem mortuũ eſſe, ſed corporaliter non reſurrexiſſe rurſus a mortuis, aut in cœlos aſcendiſſe, quoniam corpus ſuũ perinde atqꝫ aliorum hominũ cadauera in monumento cõputruerit, & abſumptum ſit. Ita indies magis magiſqꝫ hæreſes huiuſmodi abhorrenda & abominanda quędam in publicum producunt, donec omnem fidem Chriſtianam e mentibus imperitæ multitudinis extirpauerint.

Calumnia & error Caſpari.

Turpiſſ. mus error de Chriſto.

Quarto infert docetqꝫ Caſpar, fidem noſtram in ſacramento Euchariſtiæ ideo reluctari uirtuti ac proprietati uerbi diuini, quia nos arbitremur, ꝙ ſi utamur his uerbis, quibus in cœna Chriſtus uſus legitur, tantam illis ineſſe uim ac uirtutem, ut ſub ſpecie panis corpus Chriſti fiat, & ſub ſpecie uini ſanguis, Quod longe abſit ab omni ueritate, quoniã uerba illa ſint externa, terrena, atqꝫ caduca, nihil obtineant uirium, ut quæ ne umbram perpetui uerbi dei referre poſſint. Hæc aliaqꝫ id genus multa longa loquacitate ad rapiendam in ſuam inſaniam imperitam multitudinem, producit calumniator ille, nullo unquam ſcripturæ loco adiutus. Et interim pulchre ſuam imperitiam prodit, ꝙ non modo ignorat uim uerbi, quod ipſe deus, ſed & hoc ipſum uerbum, quod a deo exijt, & nobis cõcreditũ eſt. Quo igitur ſtupiditas ſua omnibus patere poſſit, animus eſt, germanam uerbi proprietatem non ex nobis, ſed ex ſcripturæ penetralibus geſtiſqꝫ dei latius exprimere.

Calumnia Caſpari contra uerba conſecrationis.

Itaqꝫ neminem facile opinor eſſe, qui uſqꝫ adeo imperitus ſit, ut neſciat,

sciat, quod nihil unquam deus secum statuerit ac promiserit, quod non factum fuerit. Vnde & scriptura ait: Omnia quæ uoluit fecit. Sic & David in eandem sententiam binis locis confessus inquit: Ipse dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt. Quod & exemplis rerum gestarum Moses probat, mox in principio mundi cum scribit deum loquutum esse: Fiat lux, & facta est lux. Deinde, fiat firmamentũ, & factum est. Dixitque, cõgregentur aquæ, quę sub coelo sunt, & factum est ita. Item dixit, Germinet terra herbam uirentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum. Et factum est ita. Quibus addit dominus, Fiant luminaria in firmamento coeli, & diuidant diem ac noctem. Et factum est ita. Nam duo luminaria magna sol & luna prodierunt, quorum ille diei, hęc uero nocti præesset. Dixit insuper deus: Producant aquæ reptile animæ uiuentis & uolatile super terram, & sub firmamento coeli. Quod factum est, benedixitque, & multiplicata sunt. Ita quoque iuxta uerbũ suum creauit & fecit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.

Quanta est uis uerbi dei. *Sap. 7* *Psal. 32. 148.* *Gen. 1.*

Hoc nanque uerbum tantam uim in coelo & in terra possidet, ut perpetuo consistat natura rerum, sicut David ait, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quę faciunt uerbum eius. Quibus uerbis propheta innuit, quod sol, luna, coeli, planetæ, cæteræque stellæ ac elementa eodem ordine motibus ac uiribus manent, non nisi pro iussu uerboque dei, quemadmodum ab initio constituta sunt, & ut præcepto suo firmata sunt, ita quidem, ut perpetuo nunquam cessatura sint, nisi rursus uerbum domini fiat, quod in aduersum ordinem ea cogat, Sicut cum sole tempore Iosue atque Ezechiæ factum legitur, Nam alioquin firma & stabilia in uerbo perseuerant. Quod & David testatus est, dicens: Verbo domini coeli firmati sunt, & spiritu oris sui omnis uirtus eorum, congregans sicut utre aquas maris, & ponens in thesauris abyssos.

Verbo dei cõstant omnia. *Psal. 148.* *Iosu. 10.* *Esa. 38.* *Psal. 32.*

Hoc porro uerbo ductus est populus Israëliticus ex Ægypto per mare rubrum, ubi uirtute uerbi diuini ueluti murus steterunt aquę, non solum maris rubri, sed etiam Iordanis. Irrupit quoque petra, & adaquauit eos ueluti in abysso multa. Proinde uerbi uirtutem subinde etiam explicat hac eleganti comparatione Esaias, dum ait: Et quomodo descendit imber & nix de coelo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo, Non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunque uolui. Et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.

Num. 9. *Exod. 14* *Iosu. 4* *Psal. 77* *Eccl. 39* *Esa. 55.*

Quæ quidem uis uerbi in Iesu Christo domino nostro uiguit, atque totius uitæ exemplis claruit & fidem meruit certissimam, Qui nihil unquã loquutus est, quin factum fuerit, Nec quicquam uel præcepit, uel secum constituit, quod non per diuinam uoluntatem ac uirtutem uerborum suorum mature absolutum sit atque perfectum. Ita enim legimus, quod cum uentis imperasset, maris ęstus subito cõciderit, & solo uerbo mare tran-

Verba Christi uerissima & efficacissima. *Mat. 9. et 14*

Ioan.5 quillũ reddiderit, sed & paralytico dicit: Surge, tolle grabbatum tuum, uade in domum tuam. Qui dicto citius surrexit, & abijt in domũ suam.
Mar.5 Puellæ etiam, quæ iam obdormierat, ait: Puella surge. Et ipsa mox surrexit a mortuis. Deinde huic qui manum aridam habebat, Extende, in-
Mat.12. quit, manum tuam. Et extendit, & restituta est pristinæ sanitati. Simi-
Luc.8 li pacto mulierem, quæ fluxum sanguinis duodecim annos passa fue-
Ioan.11 rat, restituit. Lazarumq; a mortuis suscitauit. Haud alia ratione, q̃ uerbi
Mat.14 et 15 inęstimabili potentia factum est, q; panibus quinq; atque duobus pisci-
Ioan.6 bus multa milia hominum saturauit, & superfuit de fragmentis, ut duodecim sportas adimpleuerint: Manducantium aũt numerus fuit quinque milia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis. Quibus omnibus atque alijs non paucis exemplis liquido nobis comprobari potest incõparabilis uirtus uerbi diuini, q̃d ex ore eius perpetuæ ueritatis fonte aureo profluxit.

Verbis Christi maximus uirtus. Cum itaq; idem dominus pro summa in nos beneuolentia in nouissima cœna aperto ac manifesto uerbo suo corpus et sanguinem suum uere nobis tradiderit ad manducandũ, satis ad hoc uerbis perspicuis usus, HOC EST CORPVS MEVM, Hic est sanguis meus, mirari satis nõ possum, quæ sit Caspari temeritas, ut Christum hic mendacij accusare uelit, cum suum uerbum ubiq; tantam uirtutem exercuisse constet, ut cæcos
Mar.7 & mutos tactu manuum suarum ad unicum uerbulum Ephata uisu & loquutione audituq; donauerit, & Malcho præcisam auriculam instau-
Luc.22. Ioan.18. rauerit. Audi maius aliquid. Cum magna armatorum copia uenirent, ut Christum comprehenderent, & manus inijcerent, duobus dũtaxat uer-
Luc.6. bis, Ego sum, totam turbam solo prostrauit. Tum etiam uestibus illius tanta uis fuit, ut qui tetigerit, saluus factus sit. Quis igitur tandẽ in uerbo eius ambiget? Nemo reor, nisi impius, qui diffidit deo, fidemq; negligit perditissime.

Argumentũ. Dicis mihi, Etsi Christus hęc sua uirtute effecit, non tamen cõsequens est, eadem per sacerdotis pręstari posse. Hæc autem parum prudenter a
Solutio. te dicta sunt, & conueniret talem uirum oculatiorem esse, q̃ ut tam absurda effutiret. Perpende quęso, cuius hæc uerba sint, & unde uim suam obtineant, tum etiam, quibus commissa sint.

Quanta potestas Apostolis concessa. Et principio quidem nosse oportet, quantam potestatem, quàmq; uariam Christus discipulis suis commẽdauerit, postquam illos in Apostolos in uniuersum mũdum instituerat, quo Euangelium prædicarent. Inter alia nanq; expressit uirtutem, quam illis per fidem donaturus erat,
Mar.ult. dum concionarentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non nocebit eis: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Atq; hanc uirtutem Apostolos exercuisse, testatur non Lucæ solum historia, uerum etiam totus ubique mundus, quę satis fidei merentur, Nisi impius ille apostata oblitus sit, quam uim in sanandis ægris uel umbra Petri, Paulique
Act.5.et.19. sudarium præstiterint.

Illam

Illam uero pǒteſtatem nō modo diſcipulis duodecim poſt aſcenſionē ſuam in coelum tribuit, ſed & ante illius abitionem eo donante habuerunt in ejiciendis dęmonijs, curandis ægrotis, alijſq; officijs exercendis, quæ naturę uires excedunt; Veluti abunde Matthæus cap. x. recenſet. Quæ omnia huc redeunt, ut intelligamus homines hæc non ſuapte natura talia præſtare poſſe, ſed dei elargitione condonata eſſe, & quo uideamus, ꝙ Chriſto placuerit tantam poteſtatem donare ijs, qui prius piſcatores egiſſent, quiq; antea aliquoties aduerſus illū murmuraſſent, adeoq; conſtet, non hominum, ſed dei eſſe opus, miniſterium uero homini a deo eſſe commiſſum & concreditum. *Mar. 6* *Luc. 10.*

Cum itaq; (ut redeamus, unde digreſſi parumper eramus) Chriſtus apertis clariſq; uerbis Apoſtolis dixerit, Hoc facite, Iubens profecto doceri uellem, quare Apoſtoli eorūq; in huiuſmodi miniſterio ſucceſſores iuſſa hæc exequi non deberent, Maxime, cum compertum ſit, ꝙ ij, qui uerba pceptaq; dei obſeruauerint, nunquam erroris argui poſſint, ſed omnia foelicius conſequantur. Cuius rei exempla nobis præbent quatuor diſcipuli Chriſti, Simon ſcilicet Petrus & Andreas, Iacobus Zebedæi & Ioannes, qui ſtatim accepto uerbo domini, parentes, reſq; oēs familiares reliquerunt: quorum & alios recenſerem, niſi longior æquo uideri nolim, Nota eſt enim & Matthęi publicani uocatio, ut unum ex infinitis annumerem. *Poteſtas a Chriſto preſbyteris data.* *Mat. 4* *Mat. 9*

Quapropter mirari, ut ſæpe antea, nunq̄ deſino, quænam furia agitet Caſparum, ꝙ Eccleſię ſuiſq; miniſtris hoc ampliſſimum munus et Chriſti mandatum auferre conetur, quod tamē aptiſſimis uerbis dedit, dum infert: Hoc facite. Quod & Paulus repetit, & ingeminat uocem illam, Hoc facite, inquit. Et iterum, Hęc quotieſcunq; feceritis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. *Hoc facite.* *Mat. 26* *1. Cor. 11*

Sed rurſus occinit ille, Qui fieri poteſt, aut unde homini tanta contingeret poteſtas? Cui reſpondeo. Verbum domini in presbyteris operatur hanc uirtutem & grande illud myſterium: nec tribui debet aut poteſt ulla uis myſterio, ſine presbytero, quæ ſacramentū conficiat, tamen abſq; hoc ſacramentum fieri non poteſt. Quemadmodum enim dominus per Moſen, qui oratorem ſolummodo dei apud ſeniores plebemq; Iſraēl atq; regem Pharaonē geſſerat, magna ſtupendaq; miracula perfecit: Ita quoq; per Apoſtolos ſuos cęteroſq; uerbi ſacramentorumq; miniſtros magna & ingentia exequi uoluit. *Poteſtas preſbyterorū per uerbum dei.*

Cęterum per uniuerſam ſcripturam id in primis claret, ꝙ deus nunq̄ quicq̄ commiſerit alicui homini, quod non pręſtitum ſit. (Secus eſt de interminationibus & ꝑmiſſionibus cōditionatis, de q̄bus alio in loco) Ita em̄ præcepit Aaron, Tolle uirgam tuam, & projice eam coram Pharaone, & uertetur in colubrum. Quod cum feciſſet, uerſa eſt in colubrū. Rurſuſq; colubro arrepto ab Aaron, in uirgam reuerſus eſt. Dixit q̄q; dominus, ut egreſſus idem Aaron ſuper ripam fluminis, ſtaret in occur- *Miracula per Moſen & Aaron.* *Exod. 7*

ſum eius,ſimulatque uirga ſua aquam fluminis percuteret, hoc pacto in ſanguinem uerſum iri totum flumen, morituroſque piſces. Id quod factum eſt. Moſi quoq; inſuper præcepit,ut Aaroni diceret, quo uirgam tolleret,manumque ſuam extenderet ſuper fluuios & riuos & paludes, quo educeret ranas ſuper terram Ægypti. Quod ita factum eſſe,docet Exodus capite octauo. Et iterum ad Aaron loqui iuſſit Dominus, ut tenſa manu uirga percuteret puluerem terræ, quo cynifes in uniuerſa Ægypto fierent, Et factum eſt. Dixitque rurſus Dominus ad Moſen,ut Aaron extenderet manum ſuam in cœlum, quo grando fieret in uniuerſa terra Ægypti, quæ ſimul omnia depopularetur, & mixta igne, nec hominibus, nec iumentis parceret. Quod factum eſt ubique in Ægypto,præterquam in terra Geſſe, ubi erant filij Iſraël. Dixit præterea ad Moſen, ut extenderet manum ſuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam,quo deſcenderet ſuper terram,& deuoraret omnem herbam,

Exod.10 quæ reſidua erat grandini. Quod factum eſt. Dixit deinde ad Moſen, ut extenderet manum ſuam in cœlum, quo tenebræ terram occuparent, tantaque denſitate, quod palpari poſſent. Et factum eſt ita.

Exod.14. Iuſſit denique, ut Moſes uirgam eleuaret, & extenderet manum ſuam ſuper mare, & diuideret ipſum, ut graderentur filij Iſraël in medio maris per ſiccum. Et factum eſt. Nam aqua marina utrinque inſtar muri ſtetit,uſque dum uniuerſus exercitus filiorum Iſrael tuto tranſiuit. Qui

Exod.15. cum in Marath ueniſſet, inuenit tantã ſalſugine amaricatam aquam, ut ne uti quidem liceret. At Deus oſtendit Moſi lignum, quod cum in aquam immitteret, obdulcata eſt, Nam ita promiſerat Dominus uerbo ſuo.

Num.16 Sic & in uerbo Domini uirga Aaron floruit, Et alibi ignis quoque

4. Reg.1 de cœlo deſcendit. Aliaque innumera huiuſmodi præter communem conſuetudinem, præterq; naturæ uires inaudita facta leguntur. Atq; id eſt,in quo prophetæ ueluti in fulcrum oracula ſua poſuerunt. Sic em̃ plerunque exordiuntur: Factum eſt uerbum Domini ad me, dicens. Vel:Os domini loquutum eſt.Aut:Audite uerbum domini.Aut:Hæc dicit dominus,dominus deus exercituum.Quaſi dicerent: Quæ nos loquimur,aut ex corde noſtro depromimus,parum aut nihil ſunt: uerum quod deus loquutus, fieri oportebit.

Oracula prophetarũ uerbo domini firmata.

Vnde & Deus Hieremiam, quem in prophetam inſtituerat,

Hiere.1. cum id muneris recuſaret, ac impar ſuis uiribus exiſtimaret, deiectum humilitate ſecundo erexit, quo animum reciperet, dicens: Ne dicas, quia puer ſum, Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Similiter & Moſi: Ego (inquit) ero in ore tuo, & in ore fratris tui Aaron.

Exod.4 Ac ſi dixiſſet: Verbum meum adeo ueritate & uirtute uiget, ut quicquid ego tibi ad dicendum commiſero, hoc tuo ore libere profeſeres. Nam fidem rerum geſtarum exemplis acquirent non minorem, quàm ſi ego ipſe loquutus fuerim, Quoniam non tuus ſermo eſt, ſed

mandatum

mandatum meum, quod ego præcipio, & quod ego promitto atque prædico.

Hoc modo dixit & Christus ad discipulos suos: Qui uos audit, me audit: Et qui uos spernit, me spernit. Necp id silentio prætereundũ esse puto, qp Iesus filius Naue uerbo suo sine iussu dei fecit stare solem & lunam. Heliasq; uerbo cadere fecit ignem de cœlo. Taceo quæ per reliqs dei uiros sanctos miraculose per uerba facta sunt. Huc pertinet, quod et Paulus nos seruos Christi nominat, atq; dispensatores mysteriorum dei appellat. Quod si mysteriorũ dei, certe & sacramenti Eucharistiæ, Quandoquidem omniũ mysteriorum hoc maximũ potissimumq; perpetuo ab omnibus Christianis haberi consueuit.

Luc.10.
Iosue 10
4. Reg. 1
1. Cor. 4

Sed uenit Caspar ille, & negat esse mysterium, Quoniam sit externum quoddam uerbum, nulliusq; uirtutis aut momẽti, de quo tantum prædicemus. Responsio. Si homo iste hebraice nonnihil didicisset, sciscitarer ex illo, qui factum fuerit, cum dominus deus Mosen seruũ suum, cui præ cæteris tantopere fauebat, in monte Nebo constituerit uersus Hiericho, atq; totam terram, quam Abrahæ, Isaac & Iacob promiserat, demonstrauerit, inibiq; apertis uerbis, cum uidisset, dixerit: Hæc est terra, pro qua iuraui Abrahã, Isaac & Iacob, dicens, Semini tuo dabo eam. Vidisti illam oculis tuis, et non transibis ad illam. Cur, inq̃, factum sit, qp Mosi denegatum sit ingredi terram, quam ex opposito sitam proprijs conspiciebat oculis, unde & mox inibi mortuus est, qua causa in huiusmodi dei indignationem, iram & iudicium inciderit? Equidẽ fateri eum oportet, sicut & ex Iudæis doctissimi astruunt, quod Moses in Raphidim hoc meruerit mali, quando ad eum & fratrem suum Aaron dominus uero Hebraismo usus, dixit, EL HASELA DIBARTEM. Id est, Loquimini ad petram, & aquam promet. Cum enim uniuersus exercitus ad petram in Raphidim uenisset, & Moses iuxta ac Aaron non pro iussu ac mandato domini officiũ suum exequuti essent, & uirga petram bis nihil loquuti percussissent, dixit iratus dominus deus: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Israel, nõ introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Id quod factum esse constat. Siquidem Aaron in monte Hor moritur, Mosiq; contigit, quemadmodum recensitum fuerat a domino, atq; supra ex Deuter. ostendimus. Terram nanq; sanctã uidit, uerum illam neutiquam ingressus est, utcunq; summus dei minister esset, multas calamitates ac pericula coram Pharaone pertulisset, & infinita murmura et opprobria populi perpessus esset, uariaq; ab Amelechitis, Moabitis, atq; alijs sustinuisset. Et huius nullam aliam causam esse didicimus, q̃ quod ipse cum fratre suo coram populo Israel non sanctificauerunt deum.

Cur Moses et Aaron nõ potuerũt intrare terram promissionis.
Deut. 34.
Num. 20
Num. 33
Deut. 34

Quomodo autem sanctificasse deum debuerant, textus ipse exprimit, Nempe qp ad petram loquendũ erat, sicut deus hoc uerbo illis præcepat & cõmiserat, DIBARTEM. Nam per ea uerba uoluit deus sanctificari, si scilicet ad uerba Mosi fratrisq; sui Aaron ex durissima petra fontes salirent

Diffidentia Mosi & Aaron.

tes salirent. Cum autem ipsi nullam fidem uerbis dei adhibere ausi sunt, atque pro mandato dei petræ nihil loquuti sunt, uerum uirtute uirgæ, cuius usus non adeo infrequens erat, aquam euocare tentauerūt, euenit ambobus, ut ob illam perfidiam in grauissimā dei iram inciderint, qua Aaron mortuus est in monte Hor, sicut nec Moses mortem effugit, ut antea recensuimus, a deo quoque sepultus.

Virtus uerbi diuini. Vbi igitur est Schuuenckfelder cum suis? Quomodo excusabunt suam impietatem, qui nihil uirium domini uerbo tribuunt, quod ubique & semper tantum roboris habuisse probauimus, Cum & præter ueteris Testamenti exempla Euangelij autoritate conuincantur? Siquidem nolit uelit, fateri oportet, Christum uerbo spiritus immundos eiecisse. *Luc. 5* Quid, quod & Petrus uerbis Christi constanter confisus ait: Præceptor, per totam noctem nauigantes, nihil cepimus: in uerbo autem tuo laxabo rete. Quod cum fecissent, concluserunt innumeram piscium multitudinem.

1. Tim. 4 Si pergis, bone uir, uirtuti uerbi detrahere, responde mihi, cur Paulus dicat Timotheo discipulo suo, creaturam sanctificari per uerbum & orationem? Vides per uerbum creaturam sanctificari. Quid multa referam? *Virtus uerbi in exorcismis* Attamen indies cernimus, quanta uirtus in uerbis, cum non solum serpentes uerbo coniurari, uerum spiritus immundos eijci, experimur *Mat. 17* per exorcismos, qui neque noui sunt, neque cum religione pugnātes, Nam & Christus exorcismo usus est in eos spiritus, quos discipuli eijcere nequiuerant. Imo quamuis nihil scripturæ nobis esset, adhuc tamen omnibus per uniuersum mundum liquet, frequentissime per uerbum Domini malignos spiritus et dæmonia expelli. Et qui aliquando experti sunt, nouerunt, quod loquente exorcista uerbum domini, spiritus immundus æstuet in homine, & obsessum misere torqueat: eodemque tacente, suis sedibus, quas occupare cœpit, requiescit. Ita iubet Christus dæmo- *Luc. 4* nes tacere & mutos fieri. Ita & eos sedes relinquere mandat, & fiunt faciliter omnia. Quis itaque esse potest, qui cum hoc impio Casparo perfidiam amplius communem habere, atque communi cum eo impietate prorsus temere euomere audeat, hęc uerba Christi pronunciata ordine suo, nihil earum uirium habere, quibus Christus dotauit?

Virtus fidei. Verum latius cum hoc conferre lubet. Quid dicet ille, si aduersus illum hæc uerba Christi pronunciauero, quibus ait: Si fidem habueritis *Mat. 17* sicut granū synapis, dicetis monti huic: Transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit uobis. Quo in loco Christus plane nulla uectura iussit mōtes transferri, neque iniunxit, ut humeris impositos in alia loca transferremus, sicut poetæ olim & fabulosa antiquitas de gigantibus finxit. Verum, inquit, dicetis monti huic. Vbi magnam uim uerbis adscribit. *Luc. 10.* Sic docet & Christus Apostolos, ut ingressi domum, pacem imprecentur, Cuius & facile compotes fieri possint, qui se illa salutatione dignos fecerint. Hinc est, quod & uirtute diuini uerbi Ecclesia in orationibus exorcismi, dum paruuli, siue etiam adulti baptismo purgantur a paren-

tum

cum concepta per carnem labe diabolus eijcitur, & cum omni exercitu Pharao submergitur. Nam illa exorcisatio uerbo domini fieri solet, unde & suam uirtutem obtinet.

Cum igitur Christus hoc sacramentum instituerit, ut eodem pacto, quo ipse in cœna, benediceremus, & rursus compertum sit, benedictiones, quæ in ueteri Testamento non modo per deum ipsum, uerū etiam per patres & patriarchas fieri consueuerant, illius efficaciæ fuisse, ut effectui mancipauerint, quod promittebant & insinuabant, sicut passim scriptura celebratur, Quanto magis nunc uirium habituræ sunt, cum summus sacerdos Iesus Christus aduenerit? Vel respōdeat ille, num qui benedixerūt Iacob, Isaac, Aaron, Eleazarus, Salomon, atq; alij, usi sint externis uerbis, nec ne? Neq; aliter profiteri audebit, q̄ externis usos fuisse uerbis, Veluti de Iacob Gene. xlix. aperte legimus. Atque rursus interrogare lubet, num aliquid his uerbis effecerint? Qui respondere nequit, nisi belle pro benedictionibus rem successisse. Exemplo nanque erit benedictio Iacob, qua Esau fratrem præuenit iure primogenituræ. Cuius generis sunt plerçq; aliæ, quæ efficaciam sortitæ sunt. Sed & longum esset dicere, quam operationem creaturis benedictiones sacerdotū tribuerint. Id tibi satis sit, q amaræ aquæ a sacerdote benedictæ & coniuratæ a puluere epotæ, ruperunt uterum adulteræ mulieris, De quo Numeri quinto.

Virtus uerborū in benedictionibus.

Gen. 27

Prorsus itaq; nebulæ sunt, atq; nihil aliud q̄ Ægyptiacæ densæ tenebræ, quæcunq; ille Caspar temerario sane ausu ac impudico ore effutiuit. Quōd si uera essent, quę ipse nugatur, necessariū foret, nos ab uniuersa scriptura deficere, uel eam crudeliter inuertere ac dilaniare. Cum uero uerbum & mandatum domini teneamus, quo nobis ius faciendi tribuit, quæ ipsemet in ultima cœna coram discipulis fecit, cur diutius ambigemus, aut latius interrogabimus, scientes uerbum Domini lumen esse pedum nostrorum, & illud in æternum persistere, & potius coelum & terram perituram, quàm minimum iota uel apicem cadere de lege.

Psal. 118
Esa. 40
Mat. 24

Nam ut rectus, uerax & immutabilis est deus, ita & uerbum, quod ex ore suo prodijt, quod & conseruat, ne uel concidat, uel corrumpatur, uel ullo modo uarietur, utcunque impia uasa contra deum pugnantia adnitantur: sed frustra. Qui enim loquutus est, sicuti Ioannes spiritu edoctus uidit, ipsa ueritas extitit. Nec solum supra petram fundata est ueritas ista, sed & ipsa petra est, Quin in hoc etiam uerbo uiuit homo, sicut apud Matthęū Christus docet. Quanto magis in sacramēto panis ūitæ, qui ipsamet uita existit. Proinde hoc uerbum Paulo docente, ad Thessalonicenses, non hominis est uerbum, ut tu opinaris, sed uerbum dei, qui sua potentia cuncta continet, atque quicquid ille pollicitus fuerit, pręstare & uult, & potest.

Verbum domini efficax & uerum.

Deut. 8
Mat. 4
1. Thess. 2.
Rom. 4

Et hoc ipsum uerbum, immune ab omnium interpretum malignitate, intelligi par est, non aliter, atque a Christo aperte proditum est.

Ioan.6 Quisquis huic fidem dederit, uitam æternam possidet, in quo proculdubio nos uiuimus, qui uetustam fidem maiorũ recte infracti profitemur, Cuius nos participes reipsa faciat misericors deus, ut sicut nũc in spe gloriæ filiorum dei gloriamur, ita reipsa possideamus, Amen.

Alia obiectio Caspari. Cæterum ut Caspar ille male persuasis opinionibus suis hominum mentes occupet, & solus spiritum dei habere uideatur, qui a uero aberrare nequeat, rursus loquacitate sua inani usus, euomere audet, nostrã fidem, quam in sacramentum collocamus, aduersus regnũ & summum Christi sacerdotium pugnare. Cumq; huius causam ab ipso sciscitamur, respõdet bonus uir, Christum regem esse, solumq; coelos occupare pro sua maiestate, atq; illic esse regnũ eius, qui neq; inde unq̃ proficisci prius possit, q̃ nouissimus dies aduenerit. Et cum sit egregius in fingendis fabulis commentator, fingit Christo sedem in nubibus coeli, atq; somniat instar Salomonis, ipsum sex gradibus altiorẽ in regio solio sedere, ideoque rem indignam fore, præterq; ipsius regiam maiestatẽ sacerdotiũq;, si reuerti & ad nos sępius uenire oporteret.

Solutio. O perfidiam hominis, õ genimina uiperarum. Vsq; quo domine? An est scientia in excelso? Sed pene lapsi sunt pedes mei. Sed dum hæc dixi,
Psal. 72 mox didici, Iudicia dei abyssus multa. At dicitis, hanc tuam opinionẽ fir-
Psal. 35 miter ex Epistola ad Hebręos comprobari. Dicite mihi, qua fronte au-
Epistola Pauli ad Hebr. deatis hanc Epistolam adducere, quam hactenus tot calumnijs e numero librorum Canonicorum exemistis? Præter enim uerecundiam eam Apocrypham, iam neq; Pauli quidem esse, et nescio quam ruditatem & quos nodos habere ac sapere affirmastis. Qui itaq; commode fieri poterit, ut tot conuitijs a te etiam spreta prius Epistola iam tuam aduersus Ecclesiam catholicam firmare impietatem queas? Cum uero omnes neruos intendas, ut Christum ita regni gubernatorem facias, qui nõ possit nisi uno loco suam maiestatem exercere, atq; regnum eius nõ perpetuo permansurum, sed aliquando finem accepturum esse, Longe aliter Paulus ad Hebręos scripsit. Tecum itaq; certaturi, eadem Epistola utemur, quam nos inter Canonicas Pauli collocare, pietatis officiũ arbitramur, uobis etiam utcũq; reluctantibus. Sed Paulum ad Hebræos diligentius examinaturi sumus, ut liquido cernere possimus, cuius potissimum sententiæ accesserit Paulus.

Regnũ Christi nunquam cessabit. Si itaq; Christi regnum in unum tantum coarctatur locum, & finẽ aliquando sortietur, cur scribitur statim in principio huius Epistolę, q̃d ex Psalmista desumptum est: Et adorent eum omnes angeli dei? Quod Paulus non ad finitum aliquod tempus restringit, sed ait, hoc factũ pri-
Heb.1 mogenito in orbe terræ. Ibi statim sequitur: Thronus tuus deus in sæcu-
Psal.44 lum sæculi. Quod itidem de Christo Paulus intelligit. Cur, inq̃, scripsit, deum huic omnia subiecisse sub pedibus, & nihil prorsus omisisse huic
Heb.2 non subiectum: qui & ijs succurrere possit & uelit, qui tentantur? Proinde & tertio capite infert, deum esse, qui omnia condiderit, hunc mun-
Heb.3 dum, in quo nos uersamur. Vbi adijcit inter alia, nos domum illius esse,

quam

quam Christus administret & inhabitet, cuius uocem nos audire oporteat, cuius oculis omnia sint nuda & aperta, ut quartum habet caput. Addit & Christum talem esse pontificem, qui coelos penetrauerit, & a patre sit glorificatus, ut ibi pro nobis offerat, Nec metuendum, subdit capite sexto, ne forte nos fallat, aut mentiatur. Sicque a sacerdotio Christi transit Apostolus ad ipsum regnum, asserens hunc regem esse pacis, sine patre & sine matre, & sine genealogia, & nec initium dierum, nec finem habere: Nec modo in coelis, sed sublimiorem coelis factum esse, simulatque pontificatum regali dignitate iunctum obtinere, unde consideat ad dexteram sedis magnitudinis in coelis. Ecce in coelis inquit sedere administratorem sanctorum, & ueri tabernaculi, quod fixit deus, & non homo. Et quo augustissime Christum describeret, subiungit Paulus, eum ipsum esse deum, qui leges suas in mentes nostras dederit, & in cordibus nostris insculpserit, quique placatus esse uelit super iniustitijs nostris, quoniam assumpto homine sanguine suo nos purgauerit. Proinde introiuit (inquit) Christus in coelum, ut appareat nunc uultui dei pro nobis, quē & mox Paulus (quo illum plura & efficere & impetrare discamus) facit pōtificem magnum, qui prę alijs omnibus uel legis naturæ uel Mosaicæ sacerdotibus antecellat, ad quem accedere debeamus cum uero corde in certitudine fidei, quæ admirabilem semper uirtutem olim obtinuit, ut patienter in uia, quam dedicauit nobis recentem per uelamentū, hoc est, per carnē suam, ambulemus, quo abiecta hac mortalis corporis sarcina, acciti in numerū sanctorum, regnemus cum pontifice & rege Christo, qui ad dexteram throni Dei considens, innumerabilium angelorum coetu & primogenitorum concione iudex omnium prędicatur, qui & coelum & terram se concussurum ait, Qui unus idemque Christus est hodie & heri & in sæcula. Vnde ubicunque terrarum nos fuerimus, ibi et ipse adeo potēs, ut per ipsum offerre possimus semper hostiam laudis, fructum labiorum confitentium nomini eius. Heb.5 Heb.7 Heb.8 Heb.9 Heb.10. Heb.11 Heb.12. Heb.13.

Hæc profecto omnia a Paulo scripta sunt, quæ si nō prorsus indoctus atque perfidus esses, atque illa pro sua dignitate ponderasses diligentius, facile profecto cōpertum habuisses, prorsus nullū extare huius epistolæ capitulū, quod non plerisque locis ex diametro tecū pugnet. Paulus enim fere perpetua serie hoc solū frequentius agit, ut nobis Christi omnipotentiā inculcet, & interim non asserit, ad instar uestrū, Christū a dextris sedere, uerū nunc a dextris, nūc ad dexteram, aliquando in dextra, interdū in throno dei, nūc in coelo, iam uero in coelis sedere ait, atque mille modis sic uariat. Affirmat etiam, deū omnia sibi subiecisse. Quod aliud nihil est, quam tali potestate ipsum uigere, ut nō modo sub specie panis se pręstare nobis possit, uerū lōge maiora queat, cū huic unice omnia subiecta sient, ipse deus sit, cuius uiribus nihil par reperiri possit, nempe omnipotēs, semperque in coelis in cōspectu patris cōstitutus, nō in eum modū, quod ullis terminis illum coërcere possimus. Etsi nanque tū puerorū tū nostri angeli nobiscū in hoc sęculo uersent, adhuc tamē perpetuo dei patris coelestis cōspectu frui solēt. Christus sedet a dextris dei. Mat.18.

Quid

Summa totius Epistolæ ad Hebr.

Quid moror? Vniuersa quæ scripsit ad Hebræos Paulus, huc redeunt, & huc tendunt, ut incomparabilis Christi potentia cunctis constet. Nam & angelos & Mosen & Melchisedech & sacerdotium Leuitarū, & denicq legem legisq umbratilem cultum illi comparat, ut Christum hæc omnia excellere doceat. Ex quo consectarium est, Casparum minus oculatum fuisse, cum diceret, Epistolam totam ad Hebręos suæ sententiæ adstipulari. Quoniā, ut cœperamus & antea dicere, huiusmodi Epistola eousq laudat, commendat atq extollit Christi uirtutem & omnipotentiam, ut uix usq̄ altius in scripturis pro merito efferri soleat. Sed longe aliter sentit de Christo Caspar, qui parum aut nihil pene potentię sibi tribuit. Siquidem tantæ infirmitatis et impotentiæ eum esse contendit, ut exiguo quoq loco eum pro corporis sui mediocritate coërceri necesse esse somniet, neglectis & posthabitis ipsius diuinis uiribus, quas nulla creatura cogitatione potest assequi. Quod certe nobis Catholicis, ueterisq fidei Christianæ cultoribus nullo modo ferendum est.

Alia rursus obiectio Caspari. Solutio.

At interim sic ratiocinatur ille, Non parum dedecori futurum Christo, si illi sub specie panis manendum & conuersandum foret. Responsio. Hic profecto Nestorium imitatus est hæreticum, ne quid a patre filius degeneraret. Nam persuasum sibi habebat, diuinitatē Christi adeo præclaram, arduam atq inclytam rem esse, ut indignum duceret, in nostros animos induci, q̄ confiteremur, Mariam Christum deum & hominē genuisse. Quare ferre noluit, ut θεοτόκος diceretur, sed χριστοτόκος tantum, Ex ea unica ratione, q̄ iniquum arbitrabatur, diuinitatem nouem mensibus in uirginis utero gestari debuisse. Ita quoq Caspar facit, cum æstimat, præter ignominiam neutiq̄ fieri posse, ut Christum sub specie panis & uini existere credamus, neq decere illud diuinam suam Maiestatem.

Error Nestorij.

Reprobatio.

Quod si impune huic talia dicere licitum fuerit, uerendum est, ne statim dicturus sit (nam par ratio militat) præter diuinæ naturæ dignitatem esse, ut humanitas uniatur in personæ unitatem. Et quid inde boni euenturum sit, unicuiq cogitandum relinquo fideli lectori. Sed haud dubio longe secus ex fide iudicabit. Nam æterni patris ęternus filius seipsum exinaniuit, non necessitate, sed uoluntate, cum in forma dei esset, humana assumpta carne, habitu inuentus est homo, quo sua morte nos mortales homines a morte liberaret. Vnde secundū diuitias gratiæ suæ ab humili matre natus, & ab humilioribus abiectioribusque pastoribus diuulgatus est, & in præsepe positus, pannisq inuolutus, multisq annis uelut ignobilis educatus, tandem etiam (ut Paulus scribit) se humilem fecit usq in mortem. Qui & suo exemplo nobis humilitatem commendauit, A se nanq nos discere iussit, quia humilis esset, & mitis corde. Cū itaq idem in hoc sacramento suam in nos benignitatem ostendit, atq se nobis cibum præbuit, cur non digna gratitudine acciperemus, atq ingenti nos gaudio afficeret, q̄ rex gloriæ tanta nos beneuolentia prosequeretur?

Luc. 2
Philip. 2
Mat. 11

Pergit

Pergit præterea Caspar argumentari, Christū nos præmonuisse, ne, si quis nobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, fidem daremus. Cui respondemus, diligentius scripturas conferendas esse, & cōtinua lectione sensa reddenda, atque oculatius quę præcedūt quęque sequunt perspiciēda fore huic, qui nō temere et incaute in scripturis uoluendis impingere uelit. Nam cuiusque rei scopus est ingrendus, tum & causæ status, deducendaque sunt a fontibus argumēta. Quod si hic quoque diligenter obseruauerimus, cōstabit facile, Christū hoc loco Matthęi xxiiij. de nouissimo die mentionē fecisse, in quo ait uenturos esse, qui se Christi mentito nomine uenditent. Quare cum plerique horū pseudoapostolorū suasu & impulsu seduci possent, admonuit Christus, ne illis fidē tribueremus. Vnde is scripturæ locus in huiusmodi pseudochristos & pseudoprophetas solū accōmodatur recte: neque unquam in sacramentū Eucharistiæ aut essentialem Christi præsentiam torqueri poterit, nisi temere atque cum iniuria eius cuius is sermo extitit. Quomodo enim quęso quadrabit in corporalē Christi in hoc sacramento pręsentiā, cum de pseudoprophetis dicat, quibus tanta cōmunicatio cū Christo est, quanta luci cū tenebris, Christo cum Belial? Hic nanque unus tantū est Christus Iesus, & in multis locis itidē unus, nec alius. At plures Christi uenturi sunt, inquit saluator, cū hæc aduenerint tempora, quia multi iactabunt se, & unusquisque corā sese, Christum esse. Quod apud Matthęū, Lucā & Marcum manifestius est, quam ut longius immorari operæpretium sit. Colligit itaque ex his, quod cū Antichristus olim dicturus est, Ego sum Christus, Et forte quispiam alius in Gabel etiā dicit, Ego sum Christus, Tunc nolite credere dicentibus, Ecce hic uel illic est Christus. Nobis enim Christianis unus est deus, unus dominus, unus & saluator, Messias, dominus noster Iesus Christus.

Alia Caspari obiectio. *Mat. 24* *Responsio.* *2. Cor. 6* *Mat. 24* *Luc. 21.* *Mar. 13.* *Eph. 4* *1. Tim. 2*

Porro quod asserit Christū ipsum pro tribunali Pilato sedenti respondisse, Meum regnum non est de hoc mundo, unde colligi liceat, nihil huic negocij amplius in hoc mundo reliquū esse, Nihil omnino conuincit, neque quicquam probat. Principio enim ne micam quidem Christianismi sapit argumētū, Deinde si modo id dicendū est, nec apte, nec artificiose cohæret consequentia, quod uel pueris notum est. Age quis est, qui ignoret, quam anxie tres reges dominū quęsierint, atque dixerint: Vbi est ille, qui natus est rex Iudęorum? Quem quū inuenissent, non uulgaribus, sed regijs muneribus, ueluti regem adorarunt, cui & regia inscriptio fuit, atque rex regū in scriptura nuncupari cōsueuit. At cur huius mundi rex uideri noluit, fugitque eos, qui eum in regē constituere desiderabant, in causa est, quod prophanis rebus pręesse non erat animus, licet perinde atque rex mitissimus et mansuetus iuxta prophetiam in asina sedēs, Hierosolymā honorifice ingressus sit, magna cōcomitāte hominū caterua. Quod igitur huic mitissimo perpetuoque regi, nō modo beneuolentię suę exēplis, uerū etiam sui corporis præsentia nobiscū uersari placuit, hoc certe summa cum gratitudine nostra accipiendū est. Inde nanque Eucharistię nomē defluxit, quod est gratiarū actio. Videmus enim et cū singulari gratiarū actiōe institutū esse hoc sacramentum

Alia rursus obiectio. *Ioan. 18* *Solutio.* *Mat. 2* *Apoc. 19.* *1. Tim. 6* *Ioan. 6* *Mat. 21.* *Zacch. 9.* *Eucharistia.*

mentum, nobis demandatum, ut iugi usu ueluti iugi sacrificio frequentaremus, in memoriam passionis Christi. Quod illi non est dedecori, sed honori & laudi.

Iniuria Casparis in Christũ. Sed hoc illi est iniurium, q etsi Christus uerus rex est omnis honoris, nihilominus tamen tua sententia cogitur in angulum aliquem coarctari, in quo manendum sit, donec iudicet uiuos & mortuos, Quasi pro tenuitate nostræ humanæ naturæ, & non pro amplitudine suæ maiestatis ac omnipotentiæ uarijs locis adesse possit. Tanto enim plus maiestas dei minuitur, quanto minus uiriũ ac potestatis habere pro Caspari sententia astruitur. Quin in has angustias res tandẽ cadit, q iam post resurrectionem minus ualeat Christus, ac minus habeat potestatis, q̃ antea, dum a natiuitatis suæ termino usq ad mortem, & a resurrectione usque dũ ascenderit in cœlos, in terra nobiscum conuersatus fuisse celebratur. Ante resurrectionẽ nãq eius ipse se inuisibilẽ reddidit, post uero plus q̃ uno in loco uersatus: At gigas ille Slesita Christum manibus pedibusq reuinctum a dextris dei collocat, neq admittit, ut loco moueatur. Miror quomodo credat, ipsum preces nostras exaudire, propter magnam loci intercapedinem inter nos illiusq chaos, quod fingit.

Alia item Caspari obiectio Iam uero latius inquit: sicut rex ille huius regni ꝑpetuo manet, ꝑrsusq indiuisibilis est: ita regnum ipsius amplissimũ sempiternumq perpetuo impartibile est, neq hic in sacramento una portio eius existit, isthic uero alia.

Solutio. En q̃ doctum uirum, qui nos ita diuidere Christum, inq frusta secare arbitratur, ut huc brachiũ, illuc uero caput collocemus, prorsus ignarus, q nullis unq̃ frustis ipsum partiamur, sed ita tamen regnum eius diuidimus, ut potestas eius in cœlo et in terra celebretur, et idem Christus in cœlo regnet, qui in sacramento altaris per mysterium colitur, Veluti ex sequentibus facile liquere poterit.

Quare mi Caspar, ne usq adeo aberres, neq huius nos accuses erroris, aut hoc in nos fingas mendacium, cuius nunq̃ conscij fuimus. Fidem semel inbibimus, quæ fundata est in scripturis sup dei potẽtia & stabili securitate ueritatis, a qua nõ patiemur nos uel ad transuersum unguẽ di

Psal. 32. uelli aut distrahi, Ipse dixit, & facta sunt: in huius manu omnipotẽti con tinentur omnia: ab illius nutu pendent res uniuersæ, unde & inhabitat

2. Cor. 6 in nobis, & inter nos uersatur, qui in terris degimus. Quid enim tibi

Mat. 18. inde aliud psuadere potes, quod de seipso pollicitus est: Si duo aut tres in nomine meo congregati fuerint, ero ego in medio eorum?

Error Casparide regno Christi. Sed quemadmodum clauus clauum trudit, ita trahit Caspar unũ ex alio errorem. Nam dum de Christi regno paulo ante disserere cœpisset, intulit temere, Christi regnum cessaturum, cõtendens furtim in animos hominũ hanc supstitionem inducere, Christum post iudicij diem prorsus omni potestate esse destituendum, aut humanitatem illius omnino

1. Cor. 15 nullã amplius fore, Pauli testimonio inniti uolens, quod ad Corinthios scribat, deinde finem futurum, cum tradiderit regnum deo et patri, cum

euacuauerit

euacuauerit omnẽ principatũ & potestatem et uirtutẽ, &c̃.cum is sicut & alij scripturæ loci pro cõmuni Ecclesiæ sensu reddendus sit. Licet enĩ Christus aliquando dixerit, Omnia mihi tradita sunt a patre meo: rursus tamen a uero non est alienum, ꝙ apud Ioannem se regnare confitetur, dicens: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. *Mat. 11* *Ioan. 17*

Sed responde quæso, quomodo asseris Christi regnum aliquando cessaturũ, cũ angelus Mariæ semel nũciauerit his uerbis: Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. De quo & Daniel: In diebus, inquit, regnorum illorum suscitabit deus cœli regnum, quod in æternũ nõ dissipabitur. Quare nemo ambigat, imo certo sibi persuadeat, Christũ perpetuo cum patre regnaturum. Verum post iudicij diem docebit filius, patrem eum esse, a quo omnia, seq; filium eumipsum, per quem omnia condita & conseruata sunt. Id quod est patri uerum regnum tribuere. *Reprobatio.* *Luc. 1.* *Dan. 2*

Solent quoq; electi in scriptura pro regno usurpari, quibus Christus de facie ad faciem ostendit, & aliquando ostensurus est, quo pacto pater, filius & spiritus, tres personæ unius sint substantiæ, et q̃modo præterea diuinitas cum humanitate uniatur in una persona Christi: quæ nũc & q̃ diu sumus in hoc mundo, in ænigmate & speculo contẽplamur, nec perfecte nostræ mentis acie consequi possumus. Et hoc regnum itidem deo patri in scripturis datum legitur, Proinde uel hoc etiam pacto recte intelligitur filius patri regnum tradere, quoniam cum a patre acceperit omne iudicium, apparebit ille in ualle Iosaphat, & sedebit, ut iudicet oẽs gentes in circuitu non aliter atq; rex. Congregabuntur ante eum postq̃ sederit super sedem gloriæ, sicut ipsemet cõtestatur suam maiestatẽ apud Matthæũ, omnes tribus terræ, & separabit eos, alteros ab alteris, quemadmodũ pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidẽ a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Atq; in sua benedictione regnũ patris sui diuisurus est, in quod benedictos tandem ingredi licebit. Vbi uerissime regnum patri uendicat, cum eos qui esurientes pauerunt, sitientes potarunt, hospites collegerunt, nudos operuerunt, infirmos uisitauerunt, ad captos iuerunt, atq; id genus alia in afflictos benigne egerunt, in regnũ patris sui ducet, atq; patri cõmendabit ueluti regni eius ministros. *Regnũ Christi.* *1. Cor. 13* *Iohel. 3.* *Mat. 25*

Hic merito fidem huius hominis experiri optarem, qui futurum crederet, in tam breui temporis momento tot mortuos resurrecturos esse, aut quo pacto ipsis sit possibile, ut tam uiui q̃ mortui corporibus suis recuperatis, Christo obuiam ituri sint in aëra, cum hæc omnia præter naturæ uim & ordinem esse constet. Multum hæc illius fidem excedere uidentur, maxime cum certo sibi persuaserit, atq; etiam alijs, qui sponte secum insanire uolunt, pro regula statuerit, ut in omnibus fidei articulis nihil corporale, uerum spirituale tantum pro subiecto nobis figamus. Sed respondebit forsan, resurrectionem non carneam, sed spiritualem fore, Nec admittet, ut in posterum pro ueteri symboli Aposto- *Diffidentia Caspari de resurrectione carnis.*

 lici sans-

lici sanctitate diutius nos carnis resurrectionem, sed spiritus resurrectio-
nem profiteamur. Sed aduersus huiusmodi ducem cæcorum cæcissimū
hanc differendi prouinciam in hac materia prudens prætereo, ad alia fe-
stinans.

Alia obiectio Ad hęc scribit ille latius, Dominus (inquit) noster Iesus Christus sum-
mus pōtifex noster nusq̄ est, q̄ cū patre in cœlis. Ego uero ingenue ꝓfi-
Solutio. teor filium in cœlis esse, ueluti etiā pater a nobis in pcibus celebratur pa-
ter cœlestis, Et, pater noster qui es in cœlis. Verūtamen licet pater in cœ
lis esse rite pdicetur, nihil tamen obesse potest, quin uere de se per ꝓphe-
Esa.66. tam testatus sit, Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedū meorum. Et
Hiere.23 apud Hieremiam, quod plus est, Cœlum & terram ego impleo. Quare
nullis argumentationū legibus cohæret hæc tua consequentia & para-
logismus: Deus pater est in cœlis, ideo nusquam q̄ in cœlis.

Sed si tantopere contendis, Christū nusquam nobiscum in terra uer-
sari, scripturā ꝓferre necesse est, qua manifestes & dilucide testeris, Chri-
stum nusquam esse q̄ in cœlis. Hic scopus est totius operis nostri, aduer-
sus tam impium scripturæ inuersorem, atq; simplicium hominum sedu-
ctorem impostoremq;, ꝙ tam temere asserit id, in cuius fidem scriptu-
1.Cor.2. ram nusquam reperire unq̄ potuit. Sed nō usq; adeo eius temeritatem
Ioan.3 admiremur, quoniam animalis homo non percipit ea, quæ spiritus dei
sunt, & quicquid ex carne est, caro est. Cum enim nequeat illotis mani-
bus suis & polluto ore in officio dominicæ cœnę Christi carnem & san
guinem contrectare atq; manducare digne, credere recusat. Sed non sic
impij, non sic.

Cæterū pro hoc quarto in ordine puncto credimus nūc huius impie-
tatis assertoris fundamenta satis superq; infirmata subuersaq; esse, ne q̄d
temere amplius in tam infirmam harenam ædificare queat. Nec uideo,
quin satis occasionis præbitum sit, ut cum adductis a me scripturis cau-
sam tanti mysterij suffultam relinquam, iamq; extremam manum impo-
nam. Ne uero ille sibi doctior uideatur, atq; pro stultitia peritiam sibi il-
larum rerū persuadere possit, pro quinto puncto argumenta ipsius im-
portune conflata aggrediar diluenda.

Alia rursus obiectio. Argumentatur aūt, ꝙ si Christum plus q̄ uno in loco aut sub specie
panis existere fide constituamus, cessurum hoc illi in ignominiam magis
q̄ in gloriam, Quoniam actorū septimo scriptum sit, Cœlum mihi sedes
est. Et Actorū xvij. Deus non in manufactis tēplis inhabitat. Vnde col-
ligi liceat, ꝙ Christus nusquam locorū esse possit, q̄ in cœlo solū: quare
Solutio. nec in tēplo, nec in sacerdotū manibus uersetur. Quām belli uero theo-
logi, quamq; ex alto theopneusti tales impostores suoipsius gladio, quo
cū Ecclesia congredi audent, iugulū supponunt, atq; instar Goliath Phi-
1.Reg.17. listęi suomet gladio pereunt? Quoniam deum in cœlo ueluti carcere in
uinculis detineri arbitrantur, ignari ꝙ hoc minime fieri possit, Et ꝙ fa-
tendum est, deum ex immensa sua potentia plus q̄ uno loco uersari. Id
q̄d ipsi præ ingenij hebetudine aut ex malitia ꝑtinaciaq; credere nolūt.

Quod

Quod aut ita sit, quod ex sua potẽtia & immensa uirtute pluribus in locis esse possit, scripturis passim deiq; uerbis docemur. Nam ita scriptũ legimus: Noli in corde tuo dicere, ipse procul est, quoniam deus in coelis superius est, atq; in terra inferius. Item Dauid inquit: Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiã? Si ascẽdero in coelũ, tu illic es: si descendero ad infernũ, ades. Salomon prẹterea talẽ eum esse ait, quem coeli coelorũ capere non possint. Atq; ille deus est, qui aperta manu coelos, clausa uero terram metitur. De quo & Empedocles Ethnicus Philosophus aliquando professus est, eum esse sphæram intelligibilem, cuius cẽtrum sit ubiq;, circumferentia uero nusquam. Ex qua professione omnes edocti sunt, deo nihil impossibile esse, quin diuersis locis esse queat. *Deus est in pluribus locis* *Deuter. 4* *Psalm. 138* *3. Regum 8* *Esaiæ 40*

Quomõ igitur adeo obcæcari potuit Lignicẽsis ille, ut obsisteret manifestis scripturis, & unico male intellecto loco persuasus, deum in coelũ duntaxat alligaret? Quod enim ex actis Apostolorum semilaceram adducit sententiam pro confirmanda sua impietate, qua scriptum legimus, coelum mihi sedes est, ne tãtillum quidem probat, nec minimo quidem illum iuuat. Id enim ex malitia omisit quod oportuisset adiungere, & q̃d cohæret, atq; Esaias ipse apposuit, Sequitur enim, & terra scabellum pedum meorum. Quibus facile magnitudo uirium atq; omnipotentia dei constat, quæ coelos terramq; implet, ueluti Hieremias ait: Dicit dominus, Nunquid nõ coelum & terram ego impleo? Id quod & Amos propheta asserit capite quinto. Quapropter magna hominis iniquitas est, quod deo potentiam suam adimere conatur. *Truncata allegatio.* *Hierem. 23*

Deinde existimat deum etiam in tẽplo manufacto minime habitare. Ob quam assertionem illũ interrogare lubet, num deus ex ardenti rubo cum Mose loquutus sit? Num & cum Mose in mõte Synai fuerit? Num mentitum sit, quod scriptum legimus, non modo gloriam domini in nebula tempore Salomonis apparuisse, uerum etiam uniuersum tẽplum implesse? Hoc idem & de Mose cõtestatũ est in diuinis literis. Nam gloria domini in nube apparuit, & totum impleuit tabernaculum. Ezechiel præterea sensit quoq; quod plenũ esset templũ dñi gloria eius. In quam rem plura scribenda forent, si usq; adeo necessitas urgeret. *Exod. 3* *Exod. 19* *3. Regum 8* *Exod. 40* *2. Paralip. 5.* *Ezech. 43*

At dicat ille cum frequentius Euangelium recenseat Christũ uerum deum & hominem toties Hierosolymis in templo conuersatum, uelut duodecim annos natum disseruisse, & posthac miracula ædidisse, mensasq; nummulariorum euertisse, & indies in templo prẹdicasse, ut ipsemet Christus ad principes sacerdotum dicit, quotidie apud uos eram in templo docens, in abscondito loquutus sum nihil, quomodo suæ professioni cum Euangelio conueniat, quomodo uere dicat, deum non habitare in templo manufacto, cum certo constet ex annalibus regum Iuda, quod artifices in construendo Salomonis templo manus suas admouerint? Certe lõge aliter q̃ Caspar arbitratur interpretandum aut accipiendũ erit, quod in actis scribitur, præsertim cum scriptura occidenti literalique illi sensui reluctetur ac repugnet. *Christus in templo uerus deus & homo.* *Ioan. 18*

Dicendum est igitur, & fatendum uere, nullum templum tantæ amplitudinis ac magnitudinis existere uspiam, ut solum in hoc claudatur deus, nec interim in alijs quoque locis esse possit: cœli namque cœlorum quoq; nequeunt sua amplitudine illius maiestatem continere ac coërcere, quoniam plus quam uno loco uersatur, Id quod ille in mentem suam inducere ex maleuolentia quadam recusat: uerum hunc fornacis angulo uix dignatur, aut crystallino cœlo fortassis collocat, quem oculatiorem fuisse deceret.

Verba Pauli de deo ad Athenienses. Actuum 17

Inuenisset enim quod Paulus post huiusmodi loquutus est dicens: Definiuit, scilicet deus, statuta tempora et terminos habitationis eorum, quærere deum si forte attrectent eum aut inueniant, q̃uis non longe sit ab unoquoq; nostrum. Hæc ille. At quid aliud dicit, quam etsi multæ nostrum sint Chiliades, tamen deus in omnibus atque iuxta nos est. Siue namq; in agro, siue in uia, siue in domo, siue in templo uersemur, in hoc ipso uiuimus, mouemur & sumus. Atque id est de quo toties in scripturis mentio fieri solet, deum uidelicet hoc pacto in medio nostrum esse.

Sed scire uellem, quid ille responsurus crediturusq; sit, si dixero: Filius hominis in terris extitit, & ex una prouincia unaq; urbe in aliam profectus, cum hominibus conuersatus, nihilominus tamẽ aliquando pro-
Ioan.3 tulit: Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui descẽdit, qui est in cœlis. Age mi Caspar, ubi quoue tempore Christus illa uerba fecit? Eo profecto quando cum hominibus in terra commoratus est, & in ea peregre profectus, Et dixit tamen, quod in cœlis esset in sinu patris. Quod si minus uirium interea nactus fuisset, relinqueretur tibi hoc scripturę autoritate comprobari. Quoniã nos Christiani eum omnipotentẽ profitemur, atq; nomen ipsius omnipotentia celebramus. Vnde Ioannes scri-
Apoc.1 bit in persona eius dicens: Ego sum alpha et ωμέγα, principium & finis, dicit dominus deus, qui est, & qui erat, & uenturus est omnipotens. Proinde ex illa sua omnipotẽtia credimus ipsum esse in cœlo, in cœlis, in terris, & in Eucharistiæ Sacramento, & in manu sacerdotis dum sacra illa peraguntur.

Gloria omnipotẽtiæ Christi.

Et hoc cedit illi in laudem gloriæ, gratiæ, omnipotentiæ suæ, Quod potentia præcellit omnem quantumuis altum humanæ potentiæ fastigium. Nam id neq; regibus nec Cæsaribus neq; ipsis angelis concessum est, Nisi fiat singulari quadam dei gratia & munificentia. Quemadmodum literis quoque proditum est, sanctos aliquando plus quam uno loco apparuisse.

Christus Paulo uisus.

De Christo Iesu domino nostro, non est quod ambigamus, quin possit id quod manifeste declarauit in cõuersione Pauli iter faciẽtis Da-

mascum

mascum. Nam duobus in locis meminit actorum liber, Christum Pau- Act. 9.22
lo uisum & loquutum: Saule Saule quid me persequeris? Cui ille: Quis es domine? Ego, inquit, sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris, Durum est tibi contra stimulũ calcitrare. Hæc non imaginaria fuit uisio, sed corporalis. Neq; in extasi contigit, ueluti in Corinthijs Paulus meminit, sed uera & corporalis Christi apparitio. Nam idem Apostolus prima ad Corinthios decimoquinto docet dominum Iesum post suam resurrectionem Petro uisum & undecim Apostolis, & plus quam quingentis fratribus, & ultimo sibi. Verum illi corporaliter omnes conspexerunt Christum, Ideoque & eadem ratione Paulus est eum intuitus.

Cæterum hæc alia uisio est, quam tractat Apostolus secunda ad Corinthios duodecimo, quam ea cuius prima ad Corinth. decimoquinto mentionem facit, quę ante Damascum obtigerat ueluti abortiuo, de qua & i. Corinth. ix. ait: An non sum liber? An non uidi dominum nostrum Iesum Christum? Quomodo igitur tũc a dextris sedit Christus in cœlo, donec ueniat iudicare uiuos & mortuos? An fuit illi possibile? Utique. Nam diuinitati Christi proprium est, per essentiam & substantiam ubique in omni creatura existere, quia infinita est. Quod quamuis in Christi humanitatem non cadat, eademq; per essentiam non nisi in uno loco existere possit: per diuinam tamen uoluntatem in tot est locis, in quot omnipotens dei uoluntas uult, Cum ita unitæ sint in una persona duæ illæ naturæ, ut neq; miscendæ sint inter se naturæ illæ, nec diuidenda persona.

Deus est ubique.

Simile est quod Egesippus Apostolorum tẽporibus uicinus refert, Cum Christum Romæ in uia Appia Petro apparuisse asserit. Et quid mirum est Christum in pluribus locis simul existere, cum resurrexerit ex sepulchro signato & intrauerit per clausam ianuã, & eundẽ pepererit sanctissima uirgo Maria clausis uisceribus? Ex quibus colligitur penetratio dimensionum. Quod si possibile est duo corpora simul & semel esse in eodem loco, erit & possibile unum corpus esse in diuersis locis. Proinde tace mi Caspar, et noli os ponere in cœlum. Cessa superbire, & contra deum intumescere, & cristas erigere.

Sed pergis post longam & inanem ex Cimerijs tenebris adductam disputationem, absq; scripturæ fundamento aliquo communire quod dixeras, Esaiæ testimonio. Dicis enim post multa: Videmus ... Esai.

Alia rursus obiectio.

Solutio. Hæc tu o bone uir in nos torques, & triumphas quasi palmarium repe-
reris, & probe scopum attigeris. Dic uero mihi, quomodo ad peruer-
sam doctrinam tuam seruit Esaias, aut Paulus? An arbitraris his scriptu-
ræ locis tuum illum longum garritum te probe probasse? Erras si id pu-
Esaiæ 3. tas, Nam liquido claret, tam Esaiam quam Paulum Idolorum cultores
Roman. 1 obiurgare, qui mutauerūt gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem
imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ser-
pentum: quorum imagines hominum manibus sunt efficta, & pro dijs
excultæ.

Non est Idololatria in Eucharistiæ cultu. Quod a nobis longe abest, Nam credimus, prædicamus, uenera-
mur & adoramus Iesum Christum crucifixum, uerum deum & homi-
nem, quem & adorauerunt tres magi ab oriente uenientes Bethleem,
Matth. 2 & plures alij, quemadmodum sacri Euangelij testatur historia. Hunc
Christum non crucifixerunt digiti nostri, nec manus hominum forma-
uerunt, ut qui ab æterno sine initio sineque fine uerus deus, & incorrupti-
bilis, immortalis & incomprehensibilis existens, essentia, in tempore hu-
manam carnem assumpserit, sic quidem ut nec deus esse desineret, nec
quicquam sordium nostrarum acquireret. Nam ad salutationem ange-
li, mox fuit uerbum in utero uirginis, & mox in utero uerbum caro fa-
ctum est, spiritu sancto obumbrante & superueniente. Vnde & dei di-
gito formata est caro illa, nō hominum opera. Citra enim uirilem ope-
ram, & carnalem copulam concepit uirgo, natura obstupescente. Quo-
modo itaque audet nos impudens Slesita ille Idololatras accusare, si Chri
stum in Sacramento adoremus, & ueneremur summo cultu & seruitio
soli deo debito?

Idololatræ sunt Zuingliani. Quin accusas teipsum potius tuosque contribulos, Zuinglium, Oeco-
lampadium, Carolstadium, & alios de hoc scabioso & porrigine pleno
grege: qui ex hoc uenerabili Sacramēto nihil aliud quam pistorium pa-
nem efficiunt, quem pistor pinsit, & digitis suis efformat, qui euanu-
erunt in cogitationibus suis, & quorum obscuratum est insipiens cor?
Nos panem pistoris ipsum nō colimus, sed ipsum Christum, Siquidem
panis substantia transelementatur in Christi corpus, nec generatur,
nec corrumpitur, nec annihilatur: sed ibi creatura panis cedit creato-
ri suo.

Sed hactenus contra impietatem Caspari satis dictum existimamus,
Nunc uela cōtrahemus. Misimus e pera pastorali quinque lympidissimos
1. Regum 17 lapides, e torrente collectos, in Philistæum immanem, percussimusque su-
perbum Goliath in fronte, ubi infixi prostrarunt uirum spurium, qui
Esaiæ 14 exprobrauit aciem uiuentis dei, & posuit os suum in coelum, & super-
ba loquutus contra deum, conatus est solium suum ponere iuxta altissi-
Lucæ 10 mum. Sed & ueluti fulgur de coelo deijcietur cum Lucifero, rudētibus-
2. Pet. 2 que inferni in tartarum trahetur, ob superbiam qua intumescit, parum-
que deum decere affirmat, ut se propter nostram salutem sic humiliet,
ut sit imbecillium hominum cibus.

Sed non

Sed non possum tamen silentio præterire id, quod postremo ingerit Schuuenckfelder de Ecclesiasticis doctoribus, cũ impudẽtissime nugaẽ, hũc sacramenti usum pugnare cũ primitiua Ecclesia, Et q dominicę cœnæ huiusmodi intellectus apud priscos Ecclesiæ doctores non reperiatur. Quibus addit apud Eusebiũ antiquissimum doctorem de hoc sacramento nihil pscriptũ aut relictũ esse. O facinus audax & temerariũ. An nõ pudet ita cõtumelia impetere sanctos Christi martyres & doctores, quibus manifeste irrogare soles iniuriam? Sed quale hoc tandẽ est argumentum: Eusebius hoc non scribit, ergo non est? Etsi argumentum hoc nullum habeat neruum, si etiam uerum esse fateremur, q Eusebius nihil de hoc scripsisset: tamen ne ille temere suas nugas uenditet, admonẽdus es mihi lector, q Caspar aut Eusebium non uidit, aut ueritatem studiose obticere conatur, quod deplorati animi indiciũ esse necesse est. Nam Eusebius Cęsariẽsis in Ecclesiastica historia lib. vi. cap. xxxiiij. post Dionysium Alexandrinũ scribit, Serapionem quendam Alexandrinũ ęgritudine correptum, et iam triduo sine uoce tacentem paululum die quarta respirasse, & uocasse ad se filiam, & dixisse: Quousque me detinetis? Quæso uos, cito aliquis presbyterum roget, ut possim aliquando dimitti. Et cum rursus sine uoce esset, abijt cursu puer ad presbyterum noctis tempore, & infirmabatur presbyter, unde uenire non poterat. Tamen quia pręceptum erat, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maxime his, quos prius id rogasse constaret, parum Eucharistiæ puero, qui ad se uenerat, dedit, quod infusum iussit seni præberi. Hæc ibi.

Obiectio de antiquis doctoribus.

Responsio.

Historia de Serapione in extremis cõmunicato.

Hem quid nunc? An mentior? Non puto, sed tu potius, qui falso accusas Eusebium, quem, ut puto, nunquam legisti. Ex uno nunc reliqua metiamur, dum ait, nihil de Eucharistia apud doctores Catholicos reperiri, quos itidem falso inducit. Miror quis perpeti possit huiusmodi hominum ingenia, qui quicquid somniauerint, pro uero diuulgare non uerentur, nec pudefiunt, meris mendacijs sua præmunire commenta. Et tamen semper reperit patella dignum operculum: & licet impune, nec paucos sui inueniunt admiratores. Hoc etsi in plerisque rebus factum conspiciamus, plurimum tamen circa hoc uenerabile sacramentum experimenti sumimus.

Nam inter cętera conficta argumenta illo plerunq capiunt cæcas hominum mentes, quod se suam hanc doctrinam profitẽtur desumpsisse ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus, unde & citant, sed corrupte & deprauate, Sicque faciant D. Aurelium Augustinum, reliquosque omnes sacramenti hostes ...

Corruptæ doctorum allegationes.

uenerabili hoc sacramento senserint, prædicauerint, atque docuerint, liquido cernas.

Ignatius. Primo omnium prodeat Ignatius Ioannis Euangelistæ discipulus, qui in epistola ad Ephesios sic monet, Si quis nō fuerit intra altare, fraudabitur pane dei. Si enim unius aut duorum oratio tantam habet uirtutem, ut Christus in eis consistat, quanto maius sacerdotis & sancti populi supplicatio, consonanter ascendens ad deum, persuadet pręstare eis omnes petitiones in Christo? Qui ergo a talibus separatur, & non conuenerit in cōgregatione sacrificiorum Ecclesiæ primogenitorum descriptorum in coelo, lupus est in grege ouium, mansuetam demonstrans figuram. Festinate ergo dilectissimi, subditi esse Episcopo & presbyteris, & diaconis, Qui enim istis subditus fuerit, Christo obedit, qui eis hoc concessit: Qui uero eis non consenserit, Iesu Christo non consentit: Qui autem filio non consenserit, non uidebit uitam, sed ira dei manebit super eum. Et iterum idem: State ergo fratres firmi in fide Iesu Christi, & in dilectione eius atque resurrectione omnes: in omnibus enim his gratia. In eius nomine congregamini cōmuniter, in una fide & dei patris & Christi filij eius unigeniti, & primogeniti totius creationis, secundum carnem quidem ex genere Dauid, eruditi a paracleto, obedientes Episcopo, & presbytero impręuaricabili sensu, frangentes panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum, non moriendi, sed uiuendi per Iesum Christum in deum.

Bonum obedientiæ.

Communio.

Hirenęus post Photinū martyrē primus in Gallia Lugdunensis Episcopus, discipulus discipuli Ioānis Euāgelistæ in 4. lib. aduersus hæreses cap. 32 Malach. I. Hirenęus quoq; Apostolorum temporibus uicinus, imo discipulus Polycarpi, qui fuit ipsius Ioannis Euangelistæ & Apostoli discipulus, lib. iiij. contra hæreses sic habet: Dominus Iesus in coena nouissima, eum qui ex creatura panis est, accepit, gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quę est secundum nos, suū sanguinem confessus, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, ei qui nobis alimenta pręstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in xij. ꝓphetis Malachias sic præsignauit: Non est uoluntas mihi in uobis, dicit dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus uestris. Quoniam ab ortu solis usq; ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens. Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre deo. Omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus.

Dionysius de Ecclesi. hiera. cap. 3 Nec prætereundus est Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, qui de Eucharistia loquens, uocat plerunq; communionē deificam, aliquoties & synaxim, sæpe mysterium, ubiq; autem affirmat Christum in altari sumi.

Tertullianus. Ex antiquioribus est & Tertullianus, Apostolis pene contemporaneus

neus, qui itidem nostrã cõfirmat assertionẽ, de carnis resurrectione scribens, his uerbis: Carnem suam panemq; coelestem pronunciarat. Et rursus libro tertio, contra Marcionem: Si Christus non uere dedit corpus suum, panis pro nobis crucifixus est.

Accedit Origenes Adamantius, qui forte centum annis post Christi in coelos ascensionẽ floruit. Is homilia vij. in Numeros hanc eandem sententiam pro Catholicis asserit. *Origenes.*

Astipulatur & Christi martyr Cyprianus Carthaginensis Episcopus. Nam meminit cuiusdam uirginis, quae cum sacramentum hoc indigne contrectasset manibus, igne exterrita mirabiliter, coepto destiterit. Caeterum aliud etiam inducit de puella exemplum, quae manducauerat de ijs, quae idolis erant imolata, Quę delata in Ecclesiam in reliqua plebe, cum diaconus finita Missa calicem circumcirca porrigeret praesentibus, uenissetq; ad puellam, recusauit illa bibere calicem. Verum diaconus adhuc urgens etiam recusanti infudit. *Cyprianus in sermo.5.de lapsis.*

Ita in tota Epistola secunda ad Cęciliũ multis argumentis docet Cyprianus, q̃ sub specie panis uerum & praesens sit Christi corpus.

Huc pertinet Basilius Magnus, qui in sua Missa scribit, rogatq; dominũ, ut respiciat & accipiat sacrificiũ corporis et sanguinis Iesu Christi. *Basilius.*

Gregorius Nazianzenus sancti Hieronymi praeceptor, inter alios uersus, quos ad Episcopos misit, hos immiscet. *Greg.Nazia.*

O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes.

O animarum custodes gloriosi.

O magni figmentum dei uestris in manibus gerentes.

Haud secus etiam disputat Gregorius Nissenus, Basilij magni frater, dum in enarratione uitae Mosaicae inter caetera sic loquitur: Panis qui de coelo descendit, non est res incorporalis. *Greg. Nissenus.*

Audiamus Chrysostomum, quondam Antiochię praedicatorẽ diuini uerbi. Dein uero Archiepiscopum Constantinopolitanum, Is homilia xvij. ad Hebręos doctissime in haec uerba disserit: Nonne, inquit, per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Et una est haec hostia, non multae. Et quomodo una est, & non multae? Et quia semel oblata est, illa oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnũ, crastina alium, sed semper idipsum. Proinde unicum est hoc sacrificium, alioquin hac ratione quomodo in multis locis offertur? Multi Christi sunt? Nequaquam, sed unus ubique Christus est, & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut *Chrysostom.* *Sacrificium quod in Missa offerimus.*

Et idem homilia lxxxiij. sup Matthæum: In uerbis Christi nequimus decipi, quantũuis sensus nostri facilime fallantur, Non possunt falsa esse uerba hęc. Ideoq; cum dicit, Hoc est corpus meum, nullo pacto dubitemus, sed credamus, & oculis mentis nostræ uideamus.

Idem lib. vi. dialogo lxiij. scribit de presbytero, qui in dominicæ cœnæ officio corporis & sanguinis Christi oblatione multos sæpe angelorum choros conspexerit.

Et iterum homil. lx. super Matthæum affirmat Chrysostomus ueritatem noui Testamenti longe excellere figuras ueteris Testamenti, & q animæ ac uitæ suę dispendiũ potius subire uelit, q̃ indigno corpus Christi manducandum prębere. Similiter & sanguinẽ suum se potius effusurum, q̃ q sacratissimum Christi sanguinem alij q̃ digno porrigere uelit.

Ibidẽ testatur, q quę Christus in nouissima cœna gessit, nobisq; imitandum præcepit ministris, non humana sint, sed diuinæ potentiæ admiranda mysteria.

Canon Missæ Idem quoq; in sua Missa orat dominum, ut emittat spiritum sanctũ, quo panis dilectissimi filij sui corpus fiat, Similiter & sanctificet calicem, quo preciosissimus Christi sanguis fiat, spiritu sanctificante, & mirabiliter creaturas commutante.

Idem continent Missæ Iacobi, Clementis, Basilij, Græcorũ & Asianorum atq; Indorum, sub ditione potentissimi regis, quem uulgato nomine Priester Ioañ cognominamus. Cuius equidem Missę nobis exemplar in Chaldęa lingua contigit. Ex his omnibus necessario colligitur, sacramentum hoc quotidie offerri debere in Ecclesia.

Hilarius. Hilarius Episcopus Pictauiensis quoq; ante mille ducentos annos, libro viij. de trinitate, & multis alijs locis, probat ueritatem corporis & sanguinis Christi in sacramento altaris. Quia, inquit inter alia, uerbum uere caro factum est, & nos uere uerbum carnem in Domini esca sumimus.

Hieronymus. Doctissimus porro Hieronymus, & sex linguarum peritissimus, scribens ad Rusticum Monachum, refert sanctum Exuperium Tolosę Episcopum, corpus domini canistro uimineo, & sanguinem in uitro secum portasse.

Idem ad Hedibiam ait: Non Moses dedit nobis uerum panem, sed dominus noster Iesus Christus.

1. Cor. 7 Et in Epistola ad Titum: Si laicis præcipitur, ut propter orationes ab uxoribus se contineant, quid de illo Episcopo sentiendum est, qui quotidie quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offert deo immaculatam hostiam?

Ambrosius. Ambrosius item Episcopus Mediolanensis, tẽpore Theodosij Magni scripsit de exitu fratris sui Satyri, quomodo sacramentum gestarit inuolutum in libello precum suarũ, atq; hoc seruarit eum in naufragio.

Idem in libro officiorũ cap. xlviij. Prius (inquit) offerebatur agnus et uitulus: nunc autem offertur Christus.

Nec est

Adiunxi uos uni uiro, uirgi-
nem castã exhibere Christo.2.Cor.11.
Veni & ostendam tibi
sponsam uxorem Agni. Apoc.21.

